THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM.

THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM
COMPLECTENS

SELECTISSIMA CLARISSIMORUM VIRORUM OPUSCULA,

IN QUIBUS

VETERUM HEBRÆORUM MORES

LEGES, INSTITUTA, RITUS SACRI, ET CIVILES ILLUSTRANTUR:

OPUS

Ad illustrationem utriusque Testamenti, & ad Philologiam sacram, & profanam utilissimum, maximeque necessarium.

VOLUMEN TRIGESIMUM.

AUTORE

BLASIO UGOLINO.



VENETIIS
MDCCLXV.

APUD JOANNEM GABRIELEM HERTZ, ET SEBASTIANUM COLETTI.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.



JOACHIMO MARIÆ PONTALTI

EPISCOPO PHARENSI, ET BRACHIENSI

BLASIUS UGOLINUS FELICITATEM.

TIbi, Illustrissime Præsul, Antiquitates Sacras, *quas jandiu edendas illustrandasque suscepi, dicandas addicendasque mea interesse putavi, quod probe nossem, plurimum ex Tuis Auspiciis comparari illis posse præsidii & dignitatis adversus*

eam

eam invidiam, qua vel temporum vel hominum injuria, immerito conflagrarunt. Etenim vel Adolescens inter Carmelitas Tuos singularem de Tuo ingenio ac pietate expectationem excitasti. Forolivienses, quibus imbuendis informandisque ad politiores disciplinas, summa Tua cum laude sexennem navasti operam, cum diutius Te retinere non potuissent, abeunti pro Tuis maximis promeritis maximas Tibi egerunt, & habuerunt gratias. In quampluribus Italiæ monasteriis in erudiendis edocendisque Philosophiam & Theologiam Carmelitis Tuis, singularem doctrinæ famam Tibi comparasti. Venetiis apud Moniales Carmelitas, quibus a Confessionibus affuisti, illustria & præclara adhuc extant pietatis Tuæ monumenta: Adeo doctrinæ & pietatis Tuæ fama percrebuit, ut etiam innotuerit CLEMENTI XII. *Pontifici, ejusque honorificentissimo judicio sæpenumero collaudata & celebrata sit. Cum ea floreres doctrinæ & pietatis fama, factum est ut in Comitiis Generalibus, præteritis iis, qui ætate, gratia, officiis, atque autoritate præstarent, Tibi non solum non expetenti, sed nec opinanti quidem, universi Ordinis, vetu-*

sta-

ſtate, & ſanctitate præ ceteris clariſſimi, nobiliſſimique, procurandi regendique cura incredibili animorum & ſuffragiorum conſenſione demandaretur; quo munere ampliſſimo honorificentiſſimoque tanta cum gloria perfunctus es, ut expectationi, quam de Te maximam & ſingularem excitaſti, non ſolum ſatisfeceris, verum etiam longe ſuperaris. Nulla gratiæ, nulla ambitus, nulla prehenſationis, nulla officiorum, ſed unius virtutis in impartiendis honoribus & dignitatibus abs Te ratio habita eſt. Pietatis & doctrinæ excolendæ fovendæque præcipua & antiquiſſima cura Tibi fuit. Literis præſertim ſacris, quibus, ut optime noſti, plurimum lucis ab hiſce noſtris Antiquitatibus impartitur, abs Te præſidia omnia, & ornamenta inprimis affuerunt. Humanitas imprimis celebrata eſt, facta omnibus Tui adeundi conveniendique poteſtate, præſertim iis, qui a probitate, & doctrina commendarentur. Nondum honorificentiſſimæ hujus procurationis, qua tanta cum gloria & dignitate perfunctus es, abſoluto ſexennio, CLEMENTI XIII. *Pontifici, dignus habitus es, qui Epiſcopatu Pharenſi & Brachienſi*

bo-

boneſtarere, in quo virtutes, quæ Epiſcopum quammaxime decent, Tibi affuerunt, & celebratæ ſunt omnes. Omnium ſermone & literis commendata eſt ſingularis & incredibilis illa charitas & beneficentia, qua ſuperiori anno, quo fere univerſa Europa annona laboravit, gregi Tuo alendo nutriendoque, quod Paſtorem quammaxime decebat, in ſumma rerum omnium inopia ac deſperatione, nulla abs Te præſidia ac ſubſidia defuere.



BLA-



BLASIUS UGOLINUS
LECTORI.

SPonſalia, ritus nuptiales, divortia, convivia, phylloboliam, unctiones, rem Medicam Veterum Hebræorum XXX. hoc volumen Theſauri Antiquitatum Sacrarum comprehendit. Ex duobus reliquis, quibus opus Theſauri Antiquitatum Sacrarum abſolvetur, alterum Poeſim, & Muſicam, alterum luctum, ritus funebres & ſepulchrales, rem lapidariam, & ſepulchra illuſtrabit: Quinque & octoginta exemplaria ex quingentis tantummodo vendenda ſuperſunt.

IN-

INDEX OPUSCULORUM

Quæ in hoc Volumine continentur.



JOHANNIS BUXTORFII DISSERTATIO DE SPONSALIBUS & DIVORTIIS.

LECTORIS.

EXhibeo tibi, Lector benevole, Dissertationem de Sponsalibus & Divortiis. Eam ita pertracto, ut *primo* & ante omnia Hebræorum Veterum & Recentium de utroque Argumento doctrinam & ritus præcipuos accuratius & plenius explicem & proponam, quam ab aliis hactenus factum viderim, qui de hac re scripserunt. In primis vero id mihi curæ fuit, ut illorum circa explicandas Leges Divinas, & varia alia Scripturæ loca, huc spectantia, sententias & interpretationes ex ipsorummet libris producerem; non quod illas omnes ubique vel ipse approbem, vel aliis obtrusas velim, sed ut in notitiam saltem publicam veniant, & quivis pro sua prudentia & judicio iis uti queat. Nam cum in nonnullis ne nostri quidem Scriptores ubique consentiant, solent quandoque curiosiores etiam desiderare Hebræorum de illis sententias, quas vero inquirere non est cujusvis. *Secundo* loco, post propositam Hebræorum de Divortiis doctrinam, progredior ad Christum & Mosen conciliandos, quos hic sibi invicem adversos nonnulli falso sibi persuadent, ostendens, Christum nequaquam in Mose refellendo, sed recte exponendo,

atque a Pharisaicis glossis & παρερμηνείαις vindicando, occupari, qua occasione, totum illud Christi & Pharisæorum colloquium, quod Evangelistæ referunt, plenius explicatur. Simul etiam hic Hebræorum Argumenta, quæ pro Divortiorum licentia in medium proferunt contra Christianos, ex Abarbenele, celebri inter Hebræos Scriptore, adduco, & pro virili refuto. *Tertio*, quid de ea Dimissione sentiendum videatur, quam, teste Matthæo Evangelista, Josephus, Divini adhuc consilii & operis ignarus, moliebatur, cum Mariam sponsam suam gravidam cognosceret, explico. Quæ postrema quæstio ab Amico, qui vero nunc ἐν ἁγίοις, mihi proposita, toti huic prolixiori Dissertationi causam & occasionem dedit, cujus tamen minimam nunc partem occupat, atque ita, quod sæpe fieri amat, עיקר נעשה טפל וטפל נעשה עיקר principale factum est accessorium, & accessorium principale. Appendicis & auctarii loco addidi modo laudati Abarbenelis Diatribam de *Excidii* pœna, cujus in Legibus de Sponsalibus aliquoties fit mentio, ut inde variæ de eo Hebræorum sententiæ, quas collegit, velut in compendio, cognoscantur. Adjunxi huic Dissertatiunculæ Textum Hebræum, quo Rabbinismi studiosi simul exercitium aliquod in Rabbinica lectione se exercendi haberent. In his omnibus si aliquid sit, quod te vel juvet, vel delectet, est quod mihi gratuler, & Divinæ gratiæ adscribam: si non, conatum saltem & bene de te merendi voluntatem lauda. Aliud fortasse hoc tempore exspectasti, Lector amice, sub meo nomine, *Veritatis* nimirum *Hebraicæ Vindicias*, adversus novam & famosam illam *Criticam Sacram*, subjunctamque illi contra me impotentis Critici virulentam & amarulentam *Defensionem*, quas instanter mei & Veritatis Hebraicæ amantes quique a me efflagitant, & urgent. Eas ergo, Deo faciente, & vitam atque valetudinem benigne largiente, proxime jam Te sperare jubeo. In iis perficiendis & edendis dum ego occupor, Tu his præsentibus gratus utere, & studiis atque conatibus meis porro fave. Vale.

I.

ILlustris est materia, de *Sponsalibus* & *Divortiis*, ut quæ non in Theoria, & nuda privataque mentis nostræ speculatione continetur, sed cujus usus in publica Vitæ humanæ Praxi, apud omnes gentes, in Ecclesiis, in Foris, in Familiis quotidie conspicitur; diversis quamvis, imo contrariis, & affectibus & effectibus. *Illa* enim Amoris & amicitiæ sunt symbola, *hæc* Odii & inimicitiæ effecta: *Illa* Ordinationis Divinæ, naturæ humanæ quasi implantatæ & Verbo mandatæ, sunt documenta; *hæc* Ἀταξίας naturæ nostræ corruptæ argumenta: *Illa* Generationis, naturæ rerum conservatricis, & propagatricis, illustre speculum; *hæc* Corruptionis, naturæ destructricis, triste & tragicum spectaculum: ambo conjunctim, circa unum & idem Objectum, *Conjugium* videlicet, occupata, mutabilitatis inconstantiæ humanæ in hoc mundo exemplum.

II. Quemadmodum vero argumentum est illustre, ita etiam Virorum sane ingenio, eruditione, & pietate eximiorum, Variis doctissimisque lucubrationibus hactenus est illustratum; ita tamen, ut nec illi semper & ubique sint concordes, & הולכים צמדים h. e. *conjugi incedant*, (ex 2. Reg. 2. 25.) sed, in materia præsertim de *Divortiis*, in varia quoque sententiarum Divortia secedant. Causa, quod *Moses* & *Christus* hic multis quoque dissentire, & contraria docere videantur, unde & diversæ illos seu exponendi, seu conciliandi, rationes excogitatæ & inventæ.

III. Nobis vero non est propositum ex professo Locum istum hic tractare, & omnia, quæ de eo dici aut scribi possent, ex auctoribus variis convectare; multo minus aliorum sententias superciliose examinare, vellicare, aut confutare: sed Hebræorum duntaxat Doctrinam, Jura, Ritus, non quidem omnes, sed quantum ex illis ad nostrum scopum utile & necessarium videbitur, ex ipsorum scriptis eruere & producere; dehinc. Num istarum rerum cognitio aliquid ad Verbi Dei, & Locorum aliquot Scripturæ uberiorem & pleniorem illustrationem facere possit; dispicere. Ad quem usum omnis nostra *Linguarum cognitio* spectare debet, utpote quæ, ex doctrina Apostoli, *sine prophetia*, h.e. scripturarum explicatione, per quam solam Ecclesia ædificatur, *nihil prodest*, 1. Cor. 14.

IV. Et hinc quoque Occasio Dissertationis hujus nata & data. Nam cum ab Amico mihi ista quæstio proposita esset; *Qua forma, quove jure Josephus Mariam desponsatam suam clam dimittere voluerit?* & in eam inquirerem, vidi ad eam rite decidendam, haud parum lucis fortassis allaturam Hebræorum, tum de *Sponsis & Sponsalibus*, tum *de Divortiorum ratione* doctrinam, eamque mihi prius excutiendam, quam solide de illa respondere possem. Id dum facere aggredior, & varia se mihi offerunt, de his scitu nec injucunda, nec inutilia, & ad aliorum quoque Scripturæ locorum illustrationem facientia; animum simul subiit illud vulgare Hebræorum, גביל לתורא גביל לתורי: *Dum pabulum misces pro bove uno, miscere potes pro pluribus*: Item istud, נר לאחר נר למאה: *Lux uni, lux pluribus*; ac proinde rem studiosis Lectoribus nec ingratam, nec infructuosam, me facturum sum arbitratus, si paulo latius me in hoc Argumento extenderem, & eodem labore pluribus illustrandis operam navarem.

V. Ad hunc scopum commode assequendum, & distincte quoque Lectori proponendum, visum mihi est præsentem Dissertationem in tres sequentes partes distinguere;

I. *Quænam sit Hebræorum, tum de* Sponsalibus, *tum de Divortiis doctrina?*

II. *Num* Moses *&* Christus *circa* Divortiorum *doctrinam sibi invicem sint contrarii, & qua ratione conciliari possint?*

III. *Qua forma, quove jure Josephus (Sponsus) Mariam desponsatam suam non* παραδειγματίσαι, *sed* λάθρα ἀπολῦσαι, *clam dimittere, voluerit?*

Prima pars habebit rationem fundamenti & Doctrinæ, cujus Usus in duabus partibus posterioribus ostendetur. Faxit Deus, ut ad Usum id quoque publicum; Gloriæ scil. Ipsius illustrandæ, Ecclesiæque ædificandæ, a nobis fiat.

PARS PRIMA.

QUænam ergo sit Hebræorum, tum de Sponsalibus, tum de Divortiis doctrina, jura, ritus?* distincte videbimus, non omnia indifferenter corruspando, sed præcipua, & quæ nobis usui esse possunt, seligendo, & quidem primo

DE SPONSALIBUS.

De *Sponsalibus*, seu *Desponsatione* videntur præcipua scitu digna, ad sequentia

tia capita revocari posse; 1. *Desponsationis* vel *Desponsandi Nomina*, *&* Ὀνοματολογίαν. 2. *Ejusdem*, *secundum Hebræos*, *Origenem & Authorem*. 3. *Personas ad sponsalia contrahenda aptas & idoneas*. 4. *Desponsandi formam & modum*. 5. *Finem*, *&* 6. *denique Consequentias*.

ONOMATOLOGIA.

VI. 1. Ad Ὀνοματολογίαν quod attinet.

In Sacro quidem Contextu Biblico duo Desponsandi verba extant.

α יעד, quod Generalius videtur. Habet enim primo significationem generalem, *Futurum aliquid*, *vel Locum*, *vel Tempus*, *vel aliam rem & circumstantiam*, *Condicendi*, *Indicendi*, *Paciscendi*, *Determinandi*, *Designandi*, *Promittendi*: unde & absolute apud Rabbinos pro *Promittere*, *Polliceri*, usurpatur. Inde synecdochice *Exod.* 21. v. 8. sumitur pro, *Designare*, *Determinare*, *Pacisci*, *Despondere uxorem*, אשר לא יעדה *Qui non constituit eam sibi*, scil. in uxorem, h. e. *Spopondit*, *Despondit*, *Desponsavit*.

β ארש, vel in Pihel ארש. Hoc speciale & proprium hujus rei est verbum, quod in Bibliis, hac significatione tantum usurpatur, ut videre est ex inductione locorum, *Exod.* 22. vers. 15. *Deut.* 20. 7. & 22. vers. 23. 25. 27. 28. & 28. vers. 30. 2. *Sam.* 3. 14. *Hos.* 2. vers. 19. 20.

Apud Rabbinos *tria occurrunt sequentia*.

1. Iterum verbum ארס sed per ס, non per ש, ut in Bibliis, scriptum.

2. Frequentissime קדש *Sanctificare*, *Consecrare*: quia mulier Desponsata, viro suo soli est Consecrata, & omnibus aliis, veluti הקדש *Res sancta*, prohibita: vel, quia Desponsatio legitima fit בקדוש cum Consecratione, uti infra videbimus. Hinc ארוסה, מאורסת, אירוסין *Sponsalia*, קרושין, מקדשת Desponsata. Hæc duo verba קדש & ארש eadem esse videntur, & promiscue apud Rabbinos usurpari; קדש tamen communius & frequentius usurpatur de solenni actu Desponsationis, qui fit conceptis verbis, & data arrha, in præsentia testium: Partes desponsatæ post hanc קדוש, seu post hunc actum, dicuntur deinde communiter ארוס, & ארוסה *Sponsus & Sponsa*. Sponsa quidem etiam dicitur מקודשת sed Sponsus nunquam quod sciam dicitur מקודש.

3. שדך, de cujus Verbi significaio mox fusius dicetur. Atque hæc breviter de Nominibus Hebraicis.

Quoad Rem ipsam, Desponsatio nihil aliud est, quam duarum personarum, Viri & Fœminæ, de futuris Nuptiis, consensus & repromissio, certis legibus & ritibus limitata, & perficienda; idque tum honestatis conservandæ, tum confusionis inter homines vitandæ causa.

ORIGO SPONSALIUM.

VII. 2. *Originem* ejus referunt Hebræi ad *Mosen*, vel potius ad *Deum* ipsum, per Mosen servum suum, de Re hac Legem populo suo dantem. Nam ante Legem latam, scribunt, sine ullo ordine, sine ulla disciplina, homines promiscue, & pro lubitu conjugia inchoasse simul & consummasse: licentiam vero & confusionem istam deinceps per Legem a Deo fuisse coercitam, & in certos cancellos redactam. *Majemonides* in הלכות אישות cap. 1. §. 1. קודם מתן תורה היה אדם פוגע אשה בשוק אם רצה הוא והיא לישא אותה מכניסה לתוך ביתו ובועלה בינו לבין עצמו לתהיה לו לאשה: *Ante datam legem*, *si Vir occurrit Mulieri in platea*, *& ambo de ineundo conjugio consenserint*, *introducebat eam Vir solus ac privatim in domum suum*, *ipsi cohabitabat*, *& sic fuit ei in Uxorem*. Post Legem vero constitutum fuisse ajunt, ut, uxorem ducturus, primo eam coram testibus sibi certis conditionibus acquirat, & postea demum Uxor ejus fiat. *Majem.* ibidem: כיון שיתנה תורה נצטוו ישראל שאם ירצה האיש לישא אשה יקנה אותה תחלה בפני עדים ואחר כך תהיה לו לאשה שנא׳ כי יקח איש אשה ובא אליה: *Posteaquam vero Lex data est*, *jussi sunt Israelitæ*, *ut uxorem ducturus*, *primo eam acquirat & comparet coram testibus*, *posteaquam demum ei sit in uxorem*.

VIII. *Præceptum* autem Divinum de Comparanda & Desponsanda ante nuptias Uxore, communiter contineri volunt in verbis Mosis *Deut.* 22. 13. vel *Deut.* 24. 1. ubi legitur: כי יקח איש אשה ובא אליה vel ובעלה *Cum* acceperit *vir mulierem*, *& ingressus fuerit ad eam*, *&c.* Hic enim volunt Verbum לקח *Accipere*, habere significationem *Emendi*, *Comparandi*, *pro pecunia*, ut *Gen.* 23. 13. 2. *Sam.* 4. 6. & alibi, unde & מקח *Emptio*, apud Rabbinos; ac propterea indicari, antequam quis uxorem ducat, & rem cum ea habeat, prius eam esse *accipiendam*, h. e. *emendam quasi & comparandam certo pretio*, *seu dote*, & postea demum domum traducendam, eique cohabitandum. Sic scribit Raban: כאשר יקח איש אשה בלקוחי התורה שהם הקרושין בכסף והיא המאורסה אשר יזכיר Cum acceperit vir mulierem; sc. *Acceptionibus Legis*, *quæ sunt Sponsalia seu Desponsatio pro pecunia*: *hæcque*

mu-

mulier est Desponsata, cujus meminit. Sic R. Levi ben Gerson: כי יקח איש אשה ר״ל שקנה אותה לו לאשה באחד ממיני הקניה Cum acceperit vir mulierem; scil. *si comparavit sibi uxorem specie aliqua emptionis* (pecunia sc. vel Literis, ut infra videbitur). Hinc scribitur etiam in ספר החנוך fol. 205. col. 2. משרשי המצוה שחצננו התורה לעשות מעשה באשה יורה ענין זוונם טרם ישכב עמה ולא יבוא אליה כבא על הזונה מבלי מעשה אחר קודם מיניהם h. e. *Ex fundamentis præcepti hujus est*, (innuit locum *Deut.* 22. 13.) *quod Lex præcipit, facere actionem aliquam cum muliere, quæ de Conjugio ipsorum doceat, antequam cum ea quis concumbat, ne ad eam accedat, ac si accederet ad scortum, sine ulla præcedanea inter ipsos actione*. Et pro Transgressore Præcepti hujus habetur, quicunque Uxorem ducit sine præcedente Desponsatione. Ibidem fol. 206. 1.

IX. Ita, ut dictum, fundamentum hujus Rei communiter ponunt Hebræi in alterutro duorum adductorum locorum. Don Isaac Abarbenel tamen existimat, hic non primo datum esse hoc præceptum, sed duntaxat repetitum, renovatum, & clarius pleniusque expositum. Hinc scribit in Commentar. suis ad *Deuter.* 24. 1. הנה מצות הקרושין אינה מחורשת במקום הזה כמו שחשב הרמב״ן כי הנה כבר נאמרת בפרשת משפטים אמר אשר לא יעדה ואם לבנו יעדנה ואר״ז״ל בפרק קמא הקרושין שהמכירה תהיה בכסף או בשטר ושמצורת עשה היא ליערה או לבנו h. e. *Et ecce præceptum de Sponsalibus non de novo est datum in hoc loco, quemadmodum existimavit R. Moses bar Nachman. Jam enim mentio ejus facta est in Parascha* משפטים *Exod.* 21. 7. 8. Quum vendiderit quispiam filiam suam, in ancillam, non egredietur quemadmodum egredi solent servi: Si displicuerit hero suo, *& noluerit desponsare eam*, redimere faciet eam, &c. *Item vers. seq.* Quod *si filio suo desponderit eam*, secundum morem filiarum faciet ei. *Ad quem locum Rabbini nostri scribunt in capite primo Tractatus Talmudici* קרושין, *quod venditio ista debeat fieri vel pro pecunia, vel Literis, & quod Præceptum affirmativum sit desponsare eam sibi, vel filio suo. Sic in verbis ibi seqq. modum & formam desponsandi quoque ex eodem loco probant*. Unde concludit Abarbanel, כי באה שמה מצות הקרושין והנשואין בקוצר *quod in illo loco jam habeatur præceptum De sponsalibus & Nuptiis compendiose*. Quod vero Rabbini non fecerint עקר *præcipuum fundamentum* ex loco *Exodi*, sed ex *Deut.* 24. vers. 1. id inde factum esse, לפי שהמצוה מצאו אותה כלה בכאן מקושרת ונדרשת לעצמה ובאו כאן כל התנאים לרעתם ז״ל מה שלא באו כן בפרשת משפטים כי אם קצתם באמה עבריה וקצתם במפותה: ולכן בחרו ללמוד מכאן שהתבארו הדברים שהאשה נקנית בהם ושהאיש קונה בהם את האשה בשלמותם: לא שישללו ביאת המצוה שמה בדרך קצרה *quod Præceptum istud invenerint hic* (Deuter. 24. 1.) *totum conjunctim & ex professo ex positum, quodque hic, ex ipsorum sententia, omnes requisitæ conditiones contineantur, id quod non ea ratione factum* Exod. cap. 21. *sed quadam dumtaxat de ancilla Hebraica, & de Puella seducta. Hac de causa maluerunt hinc* (ex Deut.) *istud discere, ubi videlicet expositæ sunt omnes res, quibus mulier acquiri potest, & quibus Vir perfecte mulierem acquirit; non vero quod negarint, breviter quoque in Exodo idem præceptum occurrere*. Hæc ille.

X. Quicquid sit; in Lege, & post Legem demum, hujus Ritus in Sacris fit mentio, *Exod.* 22. 16. *Cum seduxerit quis Virginem, quæ non est* desponsata. *Deut.* 20. 7. *Quis est vir, qui* despondit *mulierem, & non accipit eam?* Deut. 22. 23. *Quum fuerit puella* desponsata *viro, &c.* Honestam vero & optimam esse Legem infra in Causis finalibus visuri sumus.

PERSONÆ.

XI. Circa *Personas*, nulla apud Hebræos est quæstio vel disceptatio, Utrum omnibus & singulis, vel cuivis hominum generi atque ordini, liceat sponsalia contrahere, & ad nuptias convolare? Neminem enim illi ab hac libertate excludunt, qui modo per naturam & ætatem est aptus, cujuscunque sit ordinis atque conditionis. Imo contra, Lege & Præcepto Dei id omnibus indiscriminatim injunctum esse volunt *Genes.* 1. 28. פרו ורבו ומלאו את הארץ *Fœtificate & multiplicate vos*: & quo maturius ac citius quis id facit, eo melius eum facere judicant. Nulla apud eos Cœlibatus & Virginitatis leguntur vota, nulla encomia, nulla illi adscripta merita, nulla proposita præmia: sed Matrimonio: Nullum hic illi agnoscunt discrimen inter Personas Sacras & Politicas, sed illas æque ac has non solum esse idoneas, sed & de hoc præcepto teneri. Quod si vero quis propter Legis Dei studium, ut a curis multis corporalibus immunis, tanto liberius & expeditius ei vacare queat, velit, & simul per continentiæ donum possit, cælibem vitam ad tempus agere, is potest id facere sine peccato, sed libere, & hac Lege, ut si concupiscentiæ stimulis urgeri se sentiat, non tantum possit, sed

& de-

& debeat ad ſponſalia progredi, & nuptiarum remedio uti. Hinc ſcribitur in שלחן ערוך parte 4. num. I. §. I. חייב כל אדם לישא אשה כדי לפרות ולרבות וכל מי שאינו עוסק בפריה ורביה כאילו שופך דמים: *Omnis homo tenetur de ducenda uxore, ut fœtificet, & multiplicet: & quicunque hoc non obſervat, perinde facit, ac ſi effunderet ſanguinem:* §. 3. מצוה על כל אדם שישא בן יח׳ והמקדים לישא בן יג מצוה מן המובחר אבל קודם יג׳ לא ישא: ובשום ענין לא יעבור מכ׳ שנה בלא אשה ומי שעברו עליו כ׳ שנה ואינו רוצה לישא בית דין כופין אותו לישא כדי לקיים מצוה: *Præceptum eſt cuivis homini; ducere uxorem, qui eſt* 18. *annorum: quod ſi vero quis hoc tempus antevertat, &* 13. *anno ducat, is longe præſtantius facit, ſed ante* 13. *annum non licet. Nullo autem prorſus modo excedet vigeſimum annum ſine uxore: quod ſi autem quis id fecerit, nec ducere uxorem velit, domus judicii eum cogit, ut huic præcepto ſatisfaciat, &c.* ומיהו אם עוסק בתורה וטרוד בה והיה מתירא לישא אשה כדי שלא יטרח במזונות ויתבטל מן התורה מותר להתאחר *Nihilominus, ſi operam dederit legi, & aſſidue in ea occupetur, metuatque ducere uxorem, ne in alimentis comparandis laborare cogatur, & ſic a ſtudio legis avocetur, is poteſt diutius exſpectare:* מי שחשקה נפשו בתורה תמיד ושונה בה כבן עזאי ודבק בה כל ימיו ולא נשא אשה אין בידו עון והוא שלא יהיה יצרו מתגבר עליו, אבל אם היה יצרו מתגבר עליו חייב לישא אשה ואפילו היו לו בנים שמא יבוא לידי הרהור *Cujus animus jugiter delectatur verſari in Lege, & in ea ſtudere, ut Ben Aſſai, eique omnibus diebus ſuis adhærere, atque ea propter non ducit uxorem, in ejus manu nulla eſt iniquitas; puta, ſi concupiſcentia ipſius non prævaleat ei* (h. e. ſi ſe continere poſſit) *ſed, ſi prævaleat, obſtrictus eſt ut ducat uxorem, etiam ſi jam liberos habeat, idque ne incidat in pravas cogitationes:* (Non diſſimile hoc eſt ei, quod Paulus ſcribit I. ad *Cor.* 7. verſ. 8. 9.

XII. Hoc vero potiſſimum hic attenditur, inter quas Perſonas Sponſalia fieri poſſint vel non poſſint, vel ſaltem certis conditionibus? Et hic plurimos Hebræi ponunt caſus, quos vero non omnes, ſed præcipuos tantum, perſequemur, & quidem de Perſonis prohibitis.

XIII. *Primo* igitur, *Perſonæ* quædam ſunt, cum quibus Sponſalia contrahere prohibitum eſt, ob vel *Cognationis*, vel *Affinitatis* vinculum & propinquitatem. Et earum quidem aliæ, prohibitæ ſunt *Lege Dei*, quæ apud Hebræos vocantur עריות, quaſi Inceſtuoſas dicas, & unaquæque earum ערוה: aliæ vero מפי סופרים *Ex inſtituto Scribarum*, quæ collective vocantur שניות *Secundariæ*: & ſingulariter unaquæque שנייה *Secundaria, Secundario prohibita*.

XIV. Prioris generis, quæ ſcil. Lege Dei ipſa ſunt, Conſanguinitatis vel Affinitatis ratione, prohibitæ, *Levit.* cap. 18. numerantur quindecim.

XV. I. אם *Mater*, verſu 7. ערות אביך וערות אמך לא תגלה אמך היא לא תגלה ערותה *Nuditatem patris tui, & nuditatem matris tuæ non reteges: mater tua eſt, non reteges nuditatem ejus*. Quibus verbis, quamvis Patris & Matris fiat mentio, proprie tamen & literaliter, unum duntaxat præceptum contineri volunt plerique, de non retegenda nuditate Matris. Quod Patris etiam mentio fiat, ideo fieri, quod Nuditas Matris, ſit Nuditas Patris ejus, & ignominia ipſius, unde in fine verſus, & cap. 20. verſ. II. nuditatis Matris tantum ſit mentio. Et dicunt, אין אזהרות אלא בנקבות *nullas hic fieri prohibitiones, niſi de fœminis:* quin & vocem ערוה proprie dici de Nuditate fœminarum. Et ſic quoque explicant, quod verſ. 14. dicitur: ערות אחי אביך לא תגלה *Nuditatem fratris patris tui non reteges*; de Nuditate uxoris ejus; unde ſtatim ſubjungitur; אל אשתו לא תקרב דודתך היא *Ad uxorem ejus non appropinquabis: Amita tua eſt*. Conferatur etiam cap. 20. verſ. 20. Sunt tamen nonnulli, qui hæc literaliter accipiunt, & ad prohibitionem concubitus maſculi referunt, ut Talmudici, & qui eos ſequuntur. At Abarbenel, Bechai, Ramban, & alii, priorem ſenſum præferunt; quod Concubitus Maſculi alibi peculiari præcepto ſit prohibitus; & quod in cæteris idem quoque obſervandum fuiſſet, & tam marium quam fœmellarum mentio facienda in prohibitione: quod denique in ſingulis verſibus, nonniſi unicum præceptum contineatur.

XVI. II. אשת אב *Uxor Patris*, verſu 8. quæ ſcil. non eſt tua mater, *Noverca*, & quidem Patre tam mortuo, quam vivente. Hinc tale matrimonium inter Chriſtianos etiam graviſſime reprehendit Paulus, atque ita hanc Legem approbavit, I. ad *Corinth.* 5. I. *Omnino auditur eſſe inter vos Scortatio, & ejuſmodi ſcortatio, quæ ne inter gentes quidem nominatur; nempe ut quis Uxorem Patris habeat*.

XVII. Huc quoque referendæ ſunt פילגשים *Concubinæ Paternæ*, quas olim in Veteri Teſtamento ſibi permiſerunt, & habuerunt, ex tolerantia Divina, quæ & ad Polygamiam connixit. Concubinæ enim illæ non multum differebant a veris

ris uxoribus, unde & *Uxores* quandoque vocantur, illi autem qui eas habuerunt *Viri illarum*. *Quæ inter Uxorem veram, &* פילגש *Concubinam olim fuerit differentia;* diſcrepant nonnihil Hebræi. Plerique vero, ex ſententia Talmudicorum, quæ hodie legitur in Tractatu Sanhedrin, ſtatuunt; Uxores veras ductas fuiſſe cum deſponſatione & dotis ſcriptione ſeu aſſignatione: Pellices vero neutro horum. Hoc etiam multi noſtrorum Scriptorum ab illis hauſerunt, præeunte illis R. Davide Kimchio, ad 2. *Sam.* 5. verſ. 13. Druſius ad loca difficiliora *Geneſ. cap.* LXV. Johannes Seldenus, de Succeſſionibus ad Leges Hebræorum *cap.* 3. Diſſentit hac in parte Abarbenel, & putat, פילגשים ſeu Concubinas, ductas fuiſſe פילגשין *per legitima ſponſalia*, ſed בלא כתובה *abſque Dotis-ſcriptione & aſſignatione*, quod utrumque requiritur ad veras nuptias, & in veris uxoribus ducendis obſervatur. Exiſtimat autem, errorem eſſe in noſtro Talmud hodierno, ſequens hac in parte R. Salomonem, qui in Commentario ſuo in Legem *Geneſ.* 25. verſ. 6. alio ſenſu adducit verba Talmudis quam hodie leguntur; is vero Talmudis, & omnium jurium Talmudicorum fuerit cellentiſſimus. Quia itaque ejus in Prophetas priores Commentarius rarus eſt, & a nemine adhuc, quod viderim, ejus ſententia producta, placet, hac occaſione, Diſſertationi iſti eam inſerere, ex Commentario ejus in librum Judicum *cap.* 19. ad hiſtoriam Concubinæ illius Levitæ, quam Gibeonitæ violarunt. In hunc ergo ſenſum illic ſcribit: *R. Salomon in Commentario ſuo in Legem ſcribit;* שהפלגש האמורה בתורה היא בקידושין בלא כתובה והאשה בכתובה וקרושין: *quod* פילגש *ſeu concubina, cujus in Lege fit mentio, ducatur quidem per deſponſationem ſolennem, ſed ſine dote propter nuptias: Uxor vero per deſponſationem, & ſcriptionem dotis; ſicut id arguerunt Rabbini noſtri in Tractatu Sanhedrin, ubi de Rege agitur. Dicunt enim illic,* מה בין נשים לפלגשים נשים בקרושין וכתובה ופלגשים בלא כתובה: *Quid intereſt inter Concubinas & Uxores? Uxores (ducuntur) per ſponſalia, & ſcriptam dotem: Concubinæ per ſponſalia, abſque ſcripta dote* (NB. in hodierno Talmud aliter legitur, nempe; פלגשים בלא קרושין ובלא כתובה: Concubinæ, nec per ſponſalia, nec per ſcriptionem dotis). *Itaque iſta (Levitæ) concubina fuit ducta per Sponſalia, & habita tanquam uxor ipſius, & proinde mortis reum fecit concumbentem ſecum. De hoc teſtatur Scriptura ipſa, dum ait;* Et reſpondit vir Levita, vir mulieris occiſæ, *Judic.* 20. 4. *Virum ejus ideo ſc. vocat, quod illa fuerit deſponſata ipſi. At R. Moſes ben Nachman in ſuo Comment. in Legem, ad* Geneſ. 25. 6. *ſcribit rem non ita ſe habere, uti vult R. Salomon, ſed concubinas neque habere Deſponſationem, neque Literas dotis: Sic enim habere veram lectionem in Talmud. Et ſane lectio Talmudis noſtra, ſeu hodierna ita habet;* מאי פלגשים ומאי נשים אמר רב יהודה אמר רב נשים בכתובה וקידושין ופלגשים בלא כתובה וקרושין: *quorum verborum mens eſt omnino uti vult Ramban, Concubinas caruiſſe Sponſalibus & Literis dotalibus. Verum R. Salomon fuit Pater in Talmud, nec poſt eum ſurrexit aliquis ipſi comparandus, neque in explicatione ſua Talmudica alterius lectionis meminit, quod docet, illum de nulla alia ſciviſſe, quam de ea cujus mentionem fecit in Expoſitione Legis, quodque inter Uxores, & Concubinas, non duplex, ſed unica ſit differentia, Literæ ſc. ſeu Inſtrumentum dotale, quo Concubinæ carebant. Fortaſſis hæc verba,* בלא כתובה וקידושין *ita intellexit, quaſi eorum mens eſſet,* בלא כתובה אבל בקידושין *abſque inſtrumento dotali ſed cum ſponſalibus. Quod vero veritas ſit ab ejus partibus, docet id, quod ſcriptum extat in Talmud Hieroſolymitano:* איזו היא פלגש ואיזו היא אשה ר׳ מאיר אומר אשה יש לה כתובה פלגש אין לה כתובה ר׳ יהודה אומר אחד זו ואחד זו יש להן כתובה אלא אשה יש לה כתובה ותנאי כתובה פלגש יש לה כתובה ואין לה תנאי כתובה: h. e. Quænam eſt Concubina, & quænam eſt Uxor? R. Meir dixit; Uxor habet inſtrumentum dotale: Concubina non habet. R. Jehuda dixit; Tam huic quam illi eſt inſtrumentum dotale: hoc vero inter eſt, quod Uxor habet Inſtrumentum dotis, & Conditiones hujus Inſtrumenti; Concubina habet Inſtrumentum dotis, ſed non conditiones ejus. *Et videtur illic,* שהפסק *quod Deciſio ſit ſecundum R. Meir: hic vero arguit, neminem in mundo dubitaſſe: Utrum Concubina ducatur per Sponſalia, necne; nam omnes unanimibus ſuffragiis concedunt, illam Deſponſationem habere: ſola diſſenſio* eſt de כתובה *Inſtrumento dotali: Utrum tale aliquod habuerit: vel an tantum Conditionibus ejus caruerit? Ex quibus colligo, veram lectionem in Talmud ita eſſe debere;* אשה בקרושין וכתובה פלגש בקרושין בלא כתובה: Uxor cum deſponſatione & inſtrumento dotali: Concubina, cum deſponſatione, abſque Inſtrumento dotali: *neque eos negare voluiſſe Deſponſationem. Et quomodo potuiſſent Sapientes noſtri credere, Davidem habuiſſe concubinas non deſponſatas, & quæ nullam rationem Uxorum habuerint? Scriptura dicit in Hiſtoria Abſalomi;*

mi; Et reliquit Rex את עשר נשים פלגשים decem mulieres vel uxores concubinas, ad cuſtodiendam domum, 2. *Sam.* 15. 16. *Item*; Ingredere ad concubinas patris tui, 2. *Sam.* 16. 21. *Item*; Et accepit Rex decem mulieres concubinas, 2. *Sam.* 20. 3. *Et Nathan Propheta dicit, in denunciatione pœnæ, ob negotium Bathſeba;* En ego ſuſcitaturus ſum adverſus te malum, de domo tua, tollamque uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, dormietque cum uxoribus tuis in oculis Solis hujus, 2. *Sam.* 12. 11. *ubi Uxores vocat, Concubinas ſimiles Bathſebæ: nam pœna fuit Talionis, menſura pro menſura. Præterea invenies, quod pro eo quod in libro Samuelis dicitur;* Et accepit David concubinas & uxores ex Hieruſalem, 2. *Sam.* 5. 13. *pro hoc, inquam, in libris Chronicorum dicatur;* Accepit autem David adhuc uxores in Hieruſalem, 1. *Chron.* 14. 3. *Ex quibus apparet* פלגשים *idem eſſe quod* נשים, *& Concubinas eſſe Uxores; quia nimirum ſunt deſponſatæ, & rationem uxorum habent. Ulterius vero hoc evincit, quod ex Lege Meretrix ſit probibita: & uxorum habent. Ulterius vero hoc evincit, quod ex Lege Meretrix ſit probibita: & R. Moſes ben Majemon ſcribit, libri* נשים *capite primo;* כל הבעל אשה לשם זנות בלא קרושין לוקה מן התורה: Qui rem habet cum muliere, nomine ſcortationis, ſine ſponſalibus, vapulat ex Lege. *Hoc docet, Concubinas deſponſatas fuiſſe: quia Iſraelitis Concubinæ fuerunt permiſſæ: abſque hoc enim, liberi illarum fuiſſent ſpurii. Præterea licet Nachmanidi largiremur, quod lectio Talmudis ſecundum verba ejus ſit, tamen non ſequeretur inde, quod Concubina quævis in Lege commemorata, in genere ſit ſine inſtrumento dotali, & Sponſalibus: quia* (in Talmud illic) *non eſt ſermo de Concubina in genere, ſed de Concubina Regis. Illic enim commentantur ſuper illud;* Et non multiplicabit ſibi uxores, ſc. *Rex. Contra hoc objiciunt ex eo quod de Davide ſcriptum eſt;* Et accepit David inſuper concubinas & uxores in Jeruſalem: *Et hac occaſione quærunt;* Quænam ſunt concubinæ? Et quænam ſunt uxores &c. *Itaque hoc tantum de Regiis concubinis erit intelligendum, non de concubinis cujuſvis ex Iſraele. Et certe ex verbis Majemonidis videtur, illum etiam ſic iſtum textum Talmudicum intellexiſſe, dum in libro* נשים *dicit,* prohibitum eſſe homini, rem habere cum muliere, ſine ſponſalibus; *ex eo item, quod ſcribit* cap. 4. הלכות מלכים Regem habere poteſtatem ducendi uxores & concubinas ſine inſtrumento dotali & ſponſalibus, אלא ביחור בלבד קונה אותן ומותרת: ſed idiotæ, homini plebejo prohibitam eſſe concubinam ſine ſponſalibus. *Ex quibus ipſius verbis diſcimus, Lectionem veram eſſe omnino eam, quam Raſchi nobis exhibet: &, licet intelligenda eſſent illa verba Talmudis de Concubina cujuſvis hominis, ei licita; tamen ſine dubio Sponſalia requiri, & neceſſaria fore. Ad hæc, vir Mulieris ſeu Concubinæ hujus occiſæ, fuit timens Deum, & recedens a malo, ſicut dicit;* Ad domum Domini ego vado, *Judic.* 19. 18. והלך לחזור על אשתו מבית אביה: *quod non foret, niſi ei deſponſata fuiſſet. Et hac de cauſa etiam fuerunt Gibeonitæ, qui concubuerunt cum ea, rei mortis; eo quod rem habuerunt cum alterius viri uxore.* Hactenus Abarbenel.

Contra hanc itaque Legem, peccavit ante Legem latam, Ruben, concumbens cum Bilhah concubina patris ſui, *Geneſ.* 35. 22. unde etiam ea de cauſa reprehenſus & mulctatus fuit a Patre, *Geneſ.* 49. 4. poſt Legem latam Abſalom, in conſpectu totius Iſraelis polluens concubinas patris ſui Davidis, 2. *Sam.* 16.

XVIII. III. אחות *Soror*, vel בת אשת אב *Filia uxoris patris;* verſ. 9. & 11. ſc. quæ proprie ſoror eſt, vel ex utroque parente, vel ex alterutro; idque vel legitime ex conjugio, vel illegitime extra conjugium. Comprivignam autem, h. e. Filiam novercæ tuæ, quam ex alio marito, non ex parente tuo ſuſcepit, deſponſare, & in Uxorem ducere, permittunt Hebræi. Majemonides in הלכות אסורי ביאה *cap.* 2. §. 3. בת אשת אביו שהיא אחותו מאביו הרי היא ערוה עליו שנא׳ בת אשת אביך מולרת אביך: *Filia uxoris patris, quæ eſt ſoror ex patre, illa eſt* ערוה *ſeu probibita, ſicut dicitur;* Non revelabis nuditatem filiæ uxoris patris tui, genitæ a patre tuo: אבל אם אביו נשא אשה ויש לה בת מאיש אחר אותה הבת מותרת לו שאין זו מולרת אביו וגו׳: *Sed ſi pater alicujus duxerit uxorem, quæ filiam babeat ex viro alio, illa filia permiſſa eſt ipſi: quia non eſt genita a patre ejus.* Sic in Schylchan Aruch *part.* 4. *num.* 15. §. 11. מותר אדם בבת אשת אביו שיש לה מאיש אחר ואפילו חורגה הגרלה בבית בין האחין מות מותרת להם ולא חיישינן למראית העין שנראית כאהותם: *Poteſt quis deſponſare & ducere filiam uxoris patris ſui, quam ſuſcepit ex alio viro: & licet ſit privigna, educata in domo eadem inter fratres, tamen permiſſa eſt ipſis, neque curamus, quod externe videatur eſſe ut ſoror ipſorum.* Idem traditur in ספר החנוך ad Levit. cap. 18. verſ. 11. *Ex judiciis hujus præcepti eſt, quod Sapientes noſtri dicunt, probiberi hic filiam uxoris patris ejus, quæ ſoror ejus ſit* רווקא *proprie &* ſim-

ſimpliciter, *h. e. quam pater ejus genuit*: *ſed Filia uxoris patris*, *quæ non eſt ſoror ipſius*, *quando ſc. uxor patris ejus habet filiam ex viro alio*, *tum iſta nullo modo eſt prohibita*, *ſed omnino permiſſum eſt homini eam ducere*. Sic ex communi Hebræorum ſententia, quam ideo annotare libuit, quia Interpretes quidam noſtri variant circa explicationem loci hujus *Levit. cap.* 18. *verſ.* 9. & 11. In utroque enim verſ. prohibetur Deſponſatio Sororis, ſed verbis diverſis. Verſu nono dicitur; ערות אחותך בת אביך או בת אמך מולדת בית או מולדת חוץ: *Non reteges nuditatem ſororis tuæ*, *filiæ ſc. patris tui*, *aut filiæ matris tuæ*, *genitæ domi*, *aut genitæ foris*, (h. e. genitæ in legitime contracto matrimonio, aut illegitime ex ea quæ a patre tuo ſit vel vi vel blanditiis compreſſa, aut alias ei prohibita, *ut plerique Hebræi explicant*); Verſu undecimo, ערות בת אשת אביך מולדת אביך אחותך היא לא תגלה ערותה: *Nuditatem filiæ uxoris patris tui genitæ a patre tuo*, *quæ ſoror tua eſt*, *non reteges nuditatem ejus*. Hinc exiſtimarunt nonnulli, verſu undecimo prohiberi deſponſationem Comprivignæ. Judæi alii vero, aliter uti vidimus. Quærit Majemon: *Cur idem præceptum repetatur*, *annon idem jam dictum fuerit veſu nono?* Reſpondet, ideo, ut indicetur, eum qui ſororem ſuam ex eodem patre genitam ducit, longe graviſſime peccare, & dupliciter reum conſtitui; לפיכך הבא על אחותו שהיא בת נשואת אביו חייב שתים אחת משום ערות אחותך ואחת משום ערות בת אשת אביך אבל אם אנס שבין אשה או פיתה אותה והוליך ממנה בת ובא עליה אינו חייב אלא משום אחותו בלבד שאין בת האנוסה בת את אביו: *Idcirco*, inquit, *qui rem habet cum Sorore ſua*, *quæ eſt filia legitime ductæ Patris ſui*, *is duplicem reatum habet*; *Unum*, *propter retectam nuditatem Sororis ſuæ*; *de qua verſ.* 9. *Alterum*, *propter retectam nuditatem filiæ uxoris patris ſui*, *de qua verſ.* 11. *Sed ſi Pater ipſius violaverit aut blanditiis ſeduxerit aliquam*, *atque ex ea filiam ſuſceperit*, & *cum hac congrediatur*, *non habet niſi unum reatum*, *reſpectu ſc. Prioris*, *de Sorore non ducenda*: *quia filia Violatæ mulieris non eſt filia Uxoris patris* (hæc enim ducenda eſt per Deſponſationem & nuptias, ſecundum ritum Iſraelitarum). In eundem ſenſum reſpondet R. Bechai. Moſes Mikkozi in libro Præceptorum magno, *part.* I. *num.* 104. 105. Petita autem ſunt iſta ex Talmud Jevammoth *cap.* 2. *fol.* 22. *col.* 1. Chaskuni etiam ita conciliat, ut dicat, verſum nonum intelligendum eſſe ſimpliciter de Sorore illegitima & ſpuria; verſum undecimum de Sorore ex legitima conjuge procreata. Et R. Moſes bar Nachman ſcribit, verſum undecimum addi, ut indicetur, verſu nono non intelligi filiam ex legitima uxore genitam: & quia inter interdicta filiorum Noachi (ante Legem) fuerit quidem האחוה Fraternitas ex matre, ſed non a patre, voluiſſe Scripturam indicare, utramque fraternitatem ex æquo prohibitam eſſe Iſraelitis. Qui de Comprivignis verſum undecimum accipiunt, duabus rationibus nituntur; *primo*, Vocem מולדת aliter exponunt, hoc ſc. ſenſu; *Nuditatem filiæ uxoris patris tui*, quæ *cognata facta eſt patri tuo*, Soror tua eſt, non reteges nuditatem ejus: vel, *quam educavit pater tuus*; quomodo verbum ילד, unde מולדת derivatur, ſumitur *Geneſ.* 50. 23. Hanc dicit Aben Eſra eſſe ſententiam Sadducæorum. Sed Judæorum Interpretes conſtanter altero ſenſu exponunt; *Quæ genita eſt a patre tuo*, & rectius omnino hic, & verſ. 9. iſta vox ſic exponi videtur: *deinde* exiſtimant, ταυτολογίαν hic fore, ſi aliter exponatur, & idem præceptum inaniter vis repeti, quod non putant eſſe probabile; maxime cum alius verſus, & aliud præceptum interponatur. Ad hanc difficultatem ſolvendam, varie exponitur iſte verſus ab Interpretibus, quas vero diſcutere, non eſt hic noſtri inſtituti. Hebræorum duntaxat communem & receptam ſententiam proponere volumus, & indicare, illos expoſitioni illi de Comprivignis omnino non favere.

XIX. Porro contra hanc Legem videtur eſſe Exemplum Abrahami & Saræ; quia de Sara dicit Abraham *Geneſ.* 20. 12. *Etiam vere Soror mea eſt*, *filia Patris mei*; *veruntamen non eſt filia matris meæ*. *Geneſ.* 12. 13. *Dic quæſo*, *quod ſoror mea ſis*.

Hebræi communiter volunt, illam non proprie fuiſſe Sororem ipſius, ſed Filiam Fratris, quæ etiam vocata olim fuerit Soror: Nomine autem hoc uti voluiſſe, ad ſeducendum, & divertendum Abimelechum. Hinc ſcribit Aben Eſra ad *Geneſ.* 20. 12. הנכון בעיני שרחרת אבימלך בדברים כפי פורך השעה: *Rectum in oculis meis eſt*, *quod bis verbis voluerit depellere Abimelechum*, *neceſſitate temporis præſentis ſic requirente*. Ad confirmationem ſuæ ſententiæ, remittit Lectorem ad *Geneſ.* 27. 19. ubi ſimilia Mendaciorum genera ex Scriptura producit, veluti 1. *Sam.* 21. 5. ubi David dicit; *Sed* & *fuerunt vaſa puerorum ſanctitas*: Eliſæi, 2. Reg. 8. 10. Benhadado Regi Aram dicentis, *Vivendo vives*; cum tamen Deus oſtenderit ei, quod moriturus eſſet:

eſſet: Michæ, Regi Iſraelis, dicentis; *Aſcende & proſpere agas, &c.* 1. Reg. 22. 15. nempe דרך מוסר *per civilitatem*: Jacobi, Eſavum ſimulantis, & ſe eſſe Patri dicentis, *Geneſ.* cap. 27. In hanc ſententiam inclinat etiam Rabbi Moſes ben Nachman, Iſaac Arama.

Rabbi Bechaj: *Non fuit filia patris ejus, ſed filia Charanis, qui fuit filius Therachi (frater ſc. Abrahami) ſicut dicitur. Gen.* 11. 29. Filia Haran, patris Milca, & Patris Jiska; *Jiska hæc enim eſt Sara: & filii filiorum ſunt ſicut filii. Et hinc dicit Abraham;* Filia Patris mei; *quaſi diceret*, Filia filii patris mei.

Abarbenel: להנצל אמר אחותי היא *Ad excuſandum ſe dicit;* Soror mea eſt. *Et inſuper dicit, quod revera ſit Soror ſua, Filia ſc. patris ſui, ſed non filia matris ſuæ, ac propterea ipſi fuerit in uxorem. Nam inter filios Noæ non fuit probibita, niſi Soror filia Matris. Et quamvis Sara non fuerit Soror ipſius, ſed Filia fratris ipſius, non tamen mentiebatur ita loquendo,* כי היה מנהגם לקרא את בן האח אח *quia moris ipſorum fuit, vocare Filium fratris, Fratrem, ſicut Abrahamus Lothum vocavit Fratrem ſuum, quum Filius Fratris ejus fuerit: Sic ſc. etiam vocavit Saram, Sororem ſuam, eo quod eſſet Filia Fratris ejus; idque tanto magis,* שהיתה כונת אברהם לפיס את אבימלך בדברים *quod intentio ejus fuerit verbis placare, & divertere Abimelechum.*

XX. Deinde videtur huic Legi repugnare id quod legitur 2. *Sam.* 13. verſ. 12. 13. de Amnone & Thamara; Poſteaquam enim Amnon deperiſſet ſororem ſuam Thamarem, (uti vocatur cap. 13. verſ. 1. &c.) & illam ad concubitum ſollicitaſſet, dixit Thamara ei; *Ne frater mi; ne opprimas me: non enim ſic fit in Iſraele, ne facias ſtultitiam hanc. Nam ego quo depellam probrum meum? tu vero eris veluti unus e ſtultis in Iſraele: nunc ergo alloquere obſecro Regem: non enim denegabit me tibi.* Ex quibus poſtremis verbis videtur, Thamarem non pro re illicita vel prohibita habuiſſe, Fratri nubere. Videamus Hebræorum ſententias:

R. Salomon Jarchi: (Non denegabit me Rex Tibi). *Quia licita ego ſum tibi; eo quod gravida ea* (Thamare) *facta ſit mater ejus, cum eſſet alienigena puchra forma* (formoſa) *quam David cepit in bello. Jam vero filius aut filia ex ancilla, non ſunt tales* לכל דבר *per omnia.*

R. Levi Ben Gerſom; Non enim ſic fit in Iſraele) *Non dixit* (hoc Thamar) *ei ex hoc fundamento, quod non ſit licitum concumbere cum ſorore ſua, propter inceſtum. Nam ſi ita eſſet, quomodo Rex non potuiſſet eam ipſi denegare? Sed voluit dicere his verbis; Non eſſe moris in Iſraele, ut quis per ſcortationem, extra conjugium, rem habeat cum muliere. Et hinc apparet, Thamarem non fuiſſe Sororem ejus veram aut germanam. Hac de cauſa dixerunt Sapientes noſtri b. m. Thamaram fuiſſe filiam formoſam, compreſſam & imprægnatam a Davide in gentilitate ſua, poſtmodum proſelytam factam eſſe & ductam in uxorem a Davide. Quia autem mater ejus non fuerat proſelyta, eo tempore quo illa gravida facta erat, idcirco Filiam non fuiſſe, vel habitam fuiſſe pro filia Davidis. Filius enim Iſraelitæ ſuſceptus ex ancilla, aut ex gentili, non vocatur Filius Iſraelitæ illius. Hinc dicitur in ſectione,* ואלה משפטים *de Filiis, natis Iſraelitæ alicui ex ancilla Cananæa, quod ſint ſervi ſicut ipſa* (mater) *non vero Iſraelitæ.*

R. David Kimchi ad 2. *Sam.* 13. verſ. 1. Soror pulchra cujus nomen Thamar) *Thamar ſc. fuit filia pulchræ forma* (vide *Deut.* 21. 11.) *ſicut dixerunt Rabbini noſtri, cujus rei probatio petitur ex illis verbis;* Non enim denegabit me tibi Rex. *Fuit autem Soror Abſalomi ex eadem matre; Nam Maacham, matrem Abſalomi, accepit David in bello, & conſuevit cum ipſa, antequam Judæa fieret, quia Lex hoc conceſſit propter vim malæ concupiſcentiæ, ſicut ſcriptum eſt Deut.* 21. 11. Si videris in captivitate mulierem pulchram forma, & deamaveris eam, & acceperis tibi in uxorem. *Non fuit autem conceſſa antequam ad Judaicam Religionem accederet, niſi primo tantum concubitu: poſtea, ſi Judæa voluit fieri, potuit eam ducere in uxorem. Maacha autem concepit ex Davide congreſſu primo cum adhuc eſſet Gentilis. Hinc Thamar permiſſa fuit Amnoni, licet fuerit filia Davidis, quod in gentilitate matris concepta fuerit. Poſtea autem ad Judaicam Religionem acceſſit Maacha, & duxit eam David in uxorem, peperitque ei Abſalomum.* Hinc *quod Amnon de ea dicio* verſ. 11. Veni cuba mecum ſoror mea; *ideo, quia filia Davidis fuit, vocavit eam Sororem ſuam.*

Abarbenel ad 2. *Sam.* 13. verſ. 1. quærit: *An Thamar fuerit filia Davidis? Nam*, inquit, *ſi dicamus, quod fuerit filia Davidis, & ſoror Amnonis, quomodo in principio hujus hiſtoriæ dicitur:* Et Abſalomo, filio Davidis, erat ſoror pulchra forma, cujus nomen erat Thamar, & amavit eam Amnon filius Davidis? *Hæc enim verba docent, Abſalomum & Amnonem fuiſſe filios Davidis, Thamarem ve-*

ro non fuisse ipsius filiam, sed sororem Absalomi ex matre, & non ex patre, sicut dicit; Thamarem sororem Absalomi ego amo; *non vero sororem meam*, vers. 4. *Contrariatur etiam ei, quod Thamar dicit*: Alloquere quæso Regem, & non denegabit me tibi, vers. 13. *Si enim fuisset Soror ejus, quomodo non denegasset illam ipsi? Si vero dicamus, quod non fuerit soror ipsius, quomodo dicit Amnon ad patrem suum*: Veniat obsecro Thamar soror mea, vers. *6. & quomodo dixit Pater ad ipsam*: Veni nunc in domum fratris tui, & fac ei pulmentum, vers. 7. *quomodo item illa dixit ad ipsum*: Ne frater mi, vers. 12. *& Absalom ad Thamaram*, Amnon Amnon frater tuus fuit tecum, nunc autem soror mea tace, frater tuus est, ne apponas cor tuum ad hoc, vers. 20. *Hæc verba omnia docent, quod Thamar fuerit soror Amnonis etiam ex parte patris, non vero quod singulariter fuerit soror Absalomi, respectu matris?*

Respondet: *Cujus filia fuerit Thamar, ecce Sapientes nostri in Talmud Sanhedrin, ut & Interpretes omnes, pressi his difficultatibus, dixerunt, Thamarem filiam Davidis Regis, fuisse sororem Absalomi, ex eodem patre, & ex eadem matre: sed Davidem accepisse matrem ejus, Maacham filiam Regis Geschur in bello, eo quod esset pulchra forma, & concubuisse cum ea antequam eam proselytam seu Judæam fecisset; eo quod Lex permiserit hoc propter vehementiam concupiscentiæ malæ, sicut dicitur*: Si videris in captivitate mulierem pulchra forma, &c. *Deut.* 21. *Non fuit autem talis licita ei nisi congressu primo; postmodum autem, si voluit Judaicam religionem amplecti, poterat ducere eam in uxorem: Maacham autem concepisse ex Davide congressu primo, dum adhuc gentilis esset: Et hanc esse causam, cur Thamar licita fuerit Amnoni, licet filia Davidis esset: quod filius Israelitæ ex ancilla, aut ex gentili fœmina natus, non vocetur filius Israelitæ: ideo dici in Parascha Mosaica* ואלה משפטים, *filios natos Israelitæ alicui ex ancilla Cananæa, esse servos perinde ut ipsa, non vero Israelitas, ut Pater.*

Mihi vero hæc sententia, juxta sensum literalem, & rectam rationem, valde absurda videtur esse, neque ab intellectu admitti posse.

Nam licet fateamur, Davidem cum Maacha rem habuisse, antequam Judæa fieret, de quo tamen Scriptura nihil habet; non est Regi tam pio, qualis David fuit, conveniens, ut id fecisse credatur, antequam Religionem ejus amplecteretur: nam non est dubium, quin illa sponte sua confestim voluerit Regi Davidi nubere.

Quod si etiam admitteremus, ex illo primo congressu gravidam factam fuisse Maacham, quod iterum Scriptura nuspiam commemorat; & ex sententia Medicorum, impossibile est, ut virgo concipiat ex congressu primo; his omnibus posthabitis, posteaquam Maacha filiam Davidi peperisset, cum tum Proselyta & Judæa fuerit, quomodo differentia aliqua potuisset esse inter Thamarem & Absalomum? ambo, & Thamar & Absalom, fuissent liberi Davidis, ambo fuissent ex Maacha, jam proselyta, & uxore Davidis prognati; quomodo ergo dici posset, Ipsam, quia mater ejus ipsam conceperit, uno vel duobus diebus, priusquam proselyta fieret, fuisse licitam & concessam Amnoni fratri suo?

Quod dicunt, Filium ex ancilla aut Gentili fœmina oriundum non vocari Filium Israelis; id quidem verum est, si mater ejus sit ancilla aut Gentilis; verum si mater ejus fortassis vel horam unicam, antequam ad Judaismum accesserit, gravidata fuerit; postea Judæa facta, pepererit filium aut filiam in sanctitate & puritate, an Deo placere posset, si eam veluti gentilem judicaremus, pudicitiam ejus prostitueremus, & filium in Judaismo natum, Gentilem vocaremus? Ad filios ancillæ Cananææ quod attinet, quia illa mansit & perduravit in suo statu ancillari, æquum fuit, ut mulier & filii ejus essent heri ipsius: nam nativitatis maximam partem debent filii matri, maxime si mater fuerit ancilla, & vir (Pater) servus. Nam quamvis ille liber egrediebatur anno septimo, non æquum fuit, ut filii etiam egrederentur, qui in domo nati erant. Neque hoc simile est negotio Thamaris & Amnonis, qui fratres (geschwisterten) *fuerunt ex parte patris sui: Lex vero diserte in Fœminis prohibitis dixit;* Filiam patris, aut matris suæ natam domi, aut natam foris.

Mihi itaque sic videtur de hoc negotio; Absalomum & Thamarem fuisse liberos Davidis, & ambos natos fuisse ex Maacha posteaquam Judaicam religionem esset amplexa. Hac de causa Amnon vocavit Thamarem Sororem suam, *& vice versa Thamar Amnonem* Fratrem suum: *ut & tam David quam Absalom: Hac de causa dixit Absalom ad eam;* Tace, frater tuus est, ne apponas cor tuum ad hoc. *Quia enim frater ejus fuit, ideo non decuit, ut divulgaret flagitium ipsius. At in principio historiæ dicitur;* Absalomo filio Davidis, erat soror pulchra; *quia visum fuit Scripturæ eam ipsi adjungere, quod esset Filia patris & matris ipsius: & quia ipse (Absalom) excitatus fuit ad eam ulciscendum: ex quo deinde id insequutum fuit, quod contigit inter Absalomum & patrem*

ejus; & quia ipsa fuit cum Maacha matre sua, & fortassis jam antea in domo Absalomi habitarunt, ob has, inquam, causas primo & proprie ea adjungitur Absalomo. Hinc etiam statim narrat Scriptura, & ait; Angustiis autem afficiebatur Amnon, adeo ut in morbum incideret, propter Thamarem sororem suam; *Vult enim dicere.* Quia vidit, impossibile esse, ut ea frueretur; eo quod soror ejus esset. *Quod si potuisset eam in uxorem ducere, ut viri isti cæteroquin insignes volunt, quare non dixit Amnon ad patrem suum, ut eam sibi daret in uxorem? Hoc utique consilium fuisset sanius, quam id quod Jonadab ei faciendum suasit. Sed veritas ipsa docet viam suam, hoc secundum jus, & secundum Legem, fieri non potuisse. Quod autem Thamar dixit;* Alloquere obsecro Regem: non enim denegabit me tibi; *non alio fine dixit, quam ut se ab ejus sollicitationibus liberaret, uti sum explicaturus: & nihil aliud fuerunt hæc verba, quam vana solatia, quibus eum blande divertere voluit; veritatem autem rei satis detexit & designavit in verbis suis, quando dixit:* Quia non sic fieri debet in Israele, ne facias stultitiam hanc, *vel,* flagitium hoc; *quia sc. fuit per Legem ipsi prohibita. Hac ratione conciliantur omnia, & quæstio ista est soluta.*

Idem ad versum duodecimum ejusdem capitis: Ne frater mi, &c. (*Voluit* (Thamar) *his verbis tres dare rationes fortes, quare non deceat ita facere,* האחד מפאת המעשה *Primam ex parte vel qualitate actionis ipsius,* הב' מפאת כבודה *Secundum ab honore suo,* הג' מפאת כבודו *Tertiam ex consideratione honoris ipsius. Respectu* primæ causæ *dixit;* Ne frater mi, ne opprimas me, *per admirationem, quasi dixisset;* הלא אחי אתה ולכן אין ראוי שתעוני *Amnon frater meus es, unde non convenit, ut comprimas me:* Quia non sic fit in Israele; *ut scil. quis concumbat cum sorore sua, & nuditatem ejus retegat.* Idcirco ne facias stultitiam hanc. *Respectu* causæ secundæ, *honoris sc. sui, dixit;* Nam ego quo depellam probrum meum? *quo voluit dicere, præter peccatum, probrum etiam & dedecus subesse in hac actione. Respectu* causæ tertiæ, *honoris sc. ipsius Amnonis dixit;* Tu vero eris veluti unus e stultis in Israele. *Quia vero ipse ex amore non discernebat inter veritatem & falsitatem, vel inter bonum & malum, idcirco porro adjunxit Thamar quædam verba jocosa, si forte illis persuadeatur & demulceatur, hæc nimirum;* Nunc ergo alloquere obsecro Regem, non enim denegabit me tibi; q. d. *Si æger sis ex amore, alloquere Regem, & quia nihil præfertur conservationi animæ vel vitæ, non denegabit me tibi: licet enim sim tibi Lege prohibita, hoc tamen potius eliget, quam mortem tuam. Hoc sibi volunt ista verba;* Non denegabit me Tibi; *dixit enim hoc ad repellendum & divertendum eum, & ne illa hora seu illo tempore aliquid committeret. Ipse vero* (Amnon) *quia animadvertit hæc nihil aliud esse, quam verba dolosa, & sermones ludicros, ut liberaret se ex manu ipsius, non obtemperavit, neque acquievit ei, sed vehementius potius institit, & compressit eam. Videtur, illam omnibus viribus conatam fuisse, se ab illius vi liberare, sed ille fortior fuit ipsa: & statim atque rem habuisset cum illa, odio prosecutus est eam, &c.*

R. Samuel Laniado, in כלי יקר seu Commentario suo in Prophetas priores, ad versum primum 2. *Sam.* 13. post recensitas R. Salomonis, R. Davidis Kimchii, & Abarbenelis sententias, ista postmodum subjungit; *Vehementer admiror hic* (Abarbenelem) *quem alias non facile vidi egredientem extra sepem Rabbinorum nostrorum* (i. e. recedentem a sententia eorum) *inprimis in tali negotio, quod versatur circa jura simplicia, in quibus nulla est hæsitatio. Nam duo fratres, qui nati sunt alienigenæ, & proselyti fiunt, tum ipsi, ut & mater & pater eorum, possunt alter alteri* (seu invicem) *nubere, nisi abstineant propter decretum Rabbinorum, ne dicatur, Venerunt a sanctitate graviore, ad sanctitatem leviorem:* (*Nam proselytus Judæus factus habetur instar infantis recenter nati*) *nullam enim habent convenientiam inter se, neque respectu gradus consanguinitatis vel affinitatis prohibiti, neque respectu hæreditatis: quia non hæredes sunt alter alterius. Quid vero opus est, res simplices & rectas confundere? Absit, ut judicium aliquod Legis destruamus ex ratione vel conjectura, sed Cabalam potius sequamur, neque ab ea recedamus. Atqui textus Scripturæ arguit, & diserte dicit, quod Thamar soror fuerit Absalomi, non vero Amnonis, respectu nimirum ejusdem matris; sed tamen licita fuerit Amnoni, sicut dicitur,* Alloquere obsecro Regem; & non denegabit me tibi; *quæ verba utique veritatem continent, non vana solatia: non enim accepisset ea,* (Amnon) *quia sine dubio literis instructus fuit Amnon; adeo ut si ex jure ipsi fuisset prohibita, vana hujusmodi solatia non accepturus fuisset. Proinde veritatem rei & causæ sine dubio ipsi dixit, & tamen non acceptavit, propter vehementiam concupiscentiæ suæ; quanto minus consolationes vanas admisisset? & quare quæso tam vane & inaniter Thamar eum solari voluisset?*

set? Cur vero Jonadab ei (Amnoni) *non ita consuluerit, ejus rei rationem, D. V. scribam ad versum quintum: ibi enim est locus ejus. Hoc in genere & pro fundamento tenendum, insistendum nobis esse verbis Rabbinorum nostrorum: illa enim sunt veluti aculei, & clavi infixi in Cabbala, & in veritate. Hi vero dicunt, Thamarem ideo vocari sororem Amnonis, quod soror ejus fuerit ex patre & ex matre, sed ut dictum, gravida ex ea facta fuerit, dum adhuc gentilis esset. Loquitur enim Lex respectu concupiscentiæ malæ, inprimis de Davide &c.*

Et ad vers. 12. post recensitam R. Levi, & Abarbenelis sententiam: *Mihi, pro tenuitate meæ scientiæ, videtur Thamar, dum ait* אל אחי (Ne frater mi), vel: *Non frater meus*, (ex ejus mente), *voluisse dicere;* Etiamsi ego ex Lege non sim prohibita tibi, tanquam fratri: nam אל אחי את id est, אינך אחי Non es frater meus; tamen *ne affligas seu comprimas me:* non enim ita decet fieri in Israele: Etenim qui in Israele rem cum aliqua habet sine præcedentibus sponsalibus, transgreditur præceptum illud; *Non erit meretrix e filiabus Israel*, Deut. 23. 17. idque, licet ambo in factum consenserint (*etiamsi consensu fœminæ vel filiæ id fiat*): *de vi autem non inferenda sibi, dicit; Ne facias stultitiam vel flagitium hoc*, ut ego tecum concumbam: quia sic prævaricationem longe gravissimam committeres: *Ideo enim Lex cavit, ut vim inferens fœminæ, & in facultatibus suis puniatur, & eam ducat in uxorem, ut sic opprobrium illud quod vim passæ intulit, in ipsummet redundet. Hac de causa dicit; Ego autem quo depellerem probrum meum, ad illud colligendum, & a me transferendum? An depellerem & transferrem illud in te? Sic tu fieres, tanquam unus e stultis vel flagitiosis in Israele, & vir inhonestus, ut satius foret illud transferre in alium, quam in te. Idcirco nunc & hoc ipso tempore alloquere Regem, & non denegabit me tibi: quia licita sum ego tibi de jure absoluto: & sic non fuerunt hæc verba illusionis, sed veritatis: Et dum dixit ei; Non sic fiet in Israele: ne facias stultitiam hanc; voluit innuere, & ei in memoriam revocare judicium seu historiam Dinæ, filiæ Israelis senis, in qua talis stultitia, seu tale flagitium patratum; quam male tandem hac de causa mulctati sint Sichem & Chamor, a fratribus Dinæ, Simeone & Levi*, Genes. 34. *ut item sibi ob oculos ponat Absalomum fratrem ejus, qui non inultam relicturus sit hanc injuriam: Hoc est quod dicit;* Non sic fit, vel, fieri solet in Israele (non inultum manet tale facinus, &c.)

Et sic sunt Hebræorum de hoc facto sententiæ: de quibus judicium esto penes Lectorem.

XXI. IV. בת בן *Filia filii, Neptis ex filio*, vers. 10.

V. בת הבת *Filia filiæ, Neptis ex filia*, vers. 10.

VI. בת *Filia*. De hac nulla est expressa Lex: quia cum jam Filiam filii, & Filiam filiæ, quæ in remotiori gradu, prohibuerit, quivis sponte sua judicare & colligere potest, hanc multo magis esse prohibitam. Itaque habetur, ac si nominatim quoque in Lege prohibita esset.

VII. אשה ובתה *Mulier & filia ejus*, vers. 17. (Vide quæ paulo infra scribuntur, sub finem Numeri XV.)

VIII. אשה ובת בנה *Mulier & filia filii ejus*, vers. 17.

IX. אשה ובת בתה *Mulier & filia filiæ ejus*, vers. 17.

X. אחות אב *Soror patris, Amita*, vers. 12. quæ dicitur דודה *Exod. 6.* vers. 19. De Exemplo Amrami mox aliquid dicetur.

XI. אחות האם *Soror matris, Matertera*, vers. 13.

XII. אשת אחי אב *Uxor fratris patris, patrui*, vers. 14. quæ etiam דודה dicitur hic, & *cap.* 20. vers. 20. ut hæc vox & Patris sororem, & Fratris-patris uxorem denotet, ex mente Paraphrastarum Chaldæorum.

XIII. אשת הבן *Uxor filii, Nurus*, vers. 15. Sic peccavit ante Legem cum Tamar Nuru sua, Judah, *Genes.* 38.

XIV. אשת אח *Uxor fratris:* ערות אשת אחיך לא תגלה: *Nuditatem uxoris fratris tui non reteges: nuditas fratris tui est*, vers. 16. sive frater sit ex Patre tantum, sive tantum ex Matre; maxime tamen ex Patre; sive in legitimo Conjugio, sive extra illud ex scortatione procreatus.

Quæritur hic, *An non cum hac Lege pugnet alia, quæ legitur* Deuteron. cap. 25. vers. 5. & seqq. *ubi præcipitur, ut cum plures fuerint fratres, & mortuus fuerit unus ex eis sine filio, illius uxor seu vidua non nubat viro extraneo, sed levir ejus (h.e. defuncti mariti frater) eam in uxorem ducat, & semen excitet fratri suo? &c.*

Sic quidem nonnulli existimant, unde putant, per *Fratres* in hac Lege non intelligendos esse Fratres germanos, sed Patrueles & alios consanguineos, quorum conjugium non esset incestuosum, cum fratrum uxoribus viduis. Sed frustra. Nam consuetudo post hanc Legem latam introducta, & inprimis in historia Ruthæ

cap. I.

cap. 1. verſus duodecimus, hanc interpretationem reſpuunt.

Hebræi ſimpliciter explicant de *Fratribus proprie ſic dictis tantum*, & non de alii propinquis. Itaque Legem Levitici ſic explicant, ut dicant, prohiberi Fratris uxorem; eo mortuo, ſiquidem liberos reliquerit: Quod ſi enim ſine liberis, vel, ſine filio obierit, aliam fuiſſe rationem, & ibi locum habuiſſe Legem *Deuter.* 25. Vivente fratre, prorſus prohiberi; etiam, ſi forte Frater vivus uxorem repudiarit. Hinc Jonathan *Levit.* 18. verſ. 14. ſic παραφράζει: *Nuditatem uxoris fratris tui non retegas*, בחיי אחוך ובתר מותיה אין אית ליה בנין: *vivente fratre tuo; nec poſt ejus mortem, ſi liberos reliquerit*. Vide *Majem.* in הלכות אסורי ביאה cap. 2. §. 1. ספר מצוות גדול in Præceptis Negativis, *num.* 109. &c. Ex vi hujus legis reprehendit Johannes Herodem, ducentem Herodiadem, uxorem Philippi fratris ſui (vivente Philippo), dicens: Non licet tibi eam habere, *Matth.* 14. 4. *Marci* 6. 18.

Cæterum Præceptum illud Deuteronomii de Leviri officio, in ducenda Fratris ſine filio defuncti uxore, quod attinet, conſuetudinem illam jam antea obtinuiſſe, docet hiſtoria Judæ, qui, cum filius ejus primogenitus ſine liberis obiiſſet, alteri ſuo filio præcepit, ut ingrediatur ad uxorem fratris ſui, affinitatem cum ea contrahat, & ſemen fratri ſuo excitet, *Geneſ.* 38. Hanc itaque conſuetudinem Deus ratam habuit & confirmavit ſuo præcepto, *Deut.* 25. verſ. 5. 6. 7. 8. 9. 10. quæ verba ita explicat Abarbenel, ut illis ſequentia dicat a Moſe explicari; 1. *De Præcepto hoc obſervando non teneri niſi Fratres, non Pater, non Filius, nec alius Propinquus*, בחיוב *ex debito; ſicut dicitur;* Quum habitaverint fratres una. *Hac de cauſa Moſen dicere* יחריו *Una, ſimul, quod ſc. eſſe debeant filii viri unius, una habitantes, una hæredes, quales ſunt Fratres ex patre, non ex Matre tantum: quia nomen & definitio Fratrum proprie non dicitur, niſi de Fratribus ex eodem Patre.* 2. *Neceſſe eſſe, ut illi fratres una in vita ſint vel fuerint, ſicut dicitur,* אחים יחריו Fratres ſimul (*ſc. exiſtentes & viventes*). *Itaque ad fratrem natum demum poſt mortem fratris ſine liberis excedentis, non pertinet hoc præceptum: non enim æquum foret Fratriam exſpectare, donec hic adoleſceret, ſicut Noemi dicit;* Nunquid eos exſpectabitis, donec adoleſcant? *Ruth.* 1. verſ. 13. 3. *Si mortuo fuerit filius aut filia, ex alia etiam uxore, tum hoc jus non locum habere, quod dicatur ſimpliciter;* Et filius non fuerit ei: *& ſic jam non amplius deletur nomen ejus ex Iſraele.* 4. *Quod jus iſtud pertinuerit æque ad deſponſatam, ac ad maritatam, quia dicitur;* Non erit uxori viri, &c. *Puella autem deſponſata etiam vocatur Uxor viri, juxta illud;* Eo quod afflixerit uxorem proximi ſui. 5. *Quod ſi Levir fuerit eunuchus, & ineptus ad generandum, eum Lex hæc non obligaverit, quia dicitur;* Levir ejus ingredietur ad eam, & accipiet eam ſibi in uxorem. *Unde concluditur, eum tantum obligari ad hoc, qui eſt aptus ad generandum.* 6. *Quod ſi mulier fuerit ſterilis, & inepta ad concipiendum, & liberos gignendos, quocunque modo, illa jus Leviratus non poſſit exigere: Finis enim hujus rei fuit Generatio liberorum, quia dicitur;* Et erit primogenitus, quem pariet. 7. *Quod liberum fuerit, & in arbitrio Leviri, non Fratriæ, eam ducere, aut Calcei exutioni ſe ſubmittere; quia dicitur;* Et erit, ſi noluerit vir. 8. *Quod Fratria debuerit ire ad Levirum, non Levir ad illam, quia dicitur;* Et aſcendet fratria, vel glos ejus. 9. *Explicat etiam Ritum Exutionis calcei, & ejus modum: quod item non ſanguinem, ſed ſputum clarum debuerit exſpuere in ejus faciem; quia dicitur;* Et ſpuet in faciem ejus. 10. *Quod ſi Levir fuerit Cæcus, aut Pedem non habeat, ad eum hoc jus non pertinuerit; quia dicitur;* Et exuet calceum de pede ipſius.

De hoc vero ritu & jure pleni ſunt Ritualium Hebraicorum libri: & integer de eo extat Tractatus Talmudicus, nec hujus loci eſt ea huc referre.

XXII. Unum adhuc addam de *Ruthæ & Boazi nuptiis*, quam huc ſpectare, & ex hoc jure pendere nonnulli volunt. Abarbenel autem eos refutat in Commentario in Legem *Deut.* 25. cujus verba hic placet inſerere; ואמנם ענין בועז ורות המואביה כבר חשבו אנשים שהיה יבום ושליפת הנעל אשר היתה שמה היא החליצה שצותה התורה עליה, עד שמזה למדו שהבן הבכור אשר תלד היבמה לא יקרא בשם המת כמו שהבן אשר ילדה רות המואביה לבועז לא נקרא מחלון כי אם עובד, אבל זה באמת דעת נפסדת ומוטעת היא וכו׳ h. e. *Exiſtimarunt quidam, hiſtoriam (nuptiarum) Boazi & Ruthæ quoque fuiſſe ex vi Juris Leviratus: & Detractionem calcei, quæ illic legitur, fuiſſe illam ipſam* החליצה *Exutionem calcei, de qua Lex in hac lege præcepit: adeoque hinc etiam docuerunt, Filium primogenitum quem pareret fratria, non vocatum fuiſſe nomine Defuncti, ſicut nimirum Filius, quem Rutha peperit Boazo, non vocatus fuit Machlon, ſed Obed. Sed hæc revera ſententia eſt perniciosa & erronea. Nam Machlon non fuit frater Boazi,* לשיתחייב *ut obligatus fuiſſet* du-

ducere fratris sui defuncti uxorem. Et quamvis ad Seniores, qui in porta erant, dixerit Ruth. 4. 3. Partem agri, quæ erat fratri nostro Elimelecho, vendidit Noomi, quæ reversa est e regione Moab; *non alia de causa vocat eum Fratrem, nisi quia fuit de familia ipsius, non vero quod frater ejus germanus & verus fuerit. Nam scriptura dicit diserte*, Ruth. 2. 1. Et Noomi habebat מודע cognatum ex marito, virum fortem & strenuum, de familia Elimelechi, & nomen ejus erat Boaz. *Quin & ipsamet dicit*; Propinquus noster est vir ille, de cognatis nostris est, Ibid. vers. 20. *non vero dicit, quod frater Elimelechi, multo minus Machlonis, fuerit. Et licet fuisset frater Elimelechi, sicut dixit supra; tamen non obligatus fuisset ducere Rutham uxorem Machlomi, filii Elimelechi. Quin &* שילפת הנעל *Detractio illa calcei*, החליצה שזכרה התורה *non est Excutio illa, cujus Lex in hoc loco Deuteronomii meminit. Nam Ruth non venit ad Seniores in portam, ad exuendum calceum de pede vindicis, aut leviri: Hoc autem ipsi facere omnino incubuisset, & dicere*: Non voluit Leviratus jure ducere me, & inspuere in faciem ipsius, ac dicere: Sic fiet viro, &c. *Horum vero nihil commemoratur in historia Boazi. Insuper, vera extat traditio, si duo fratres fuerint defuncti, & primogenitus illorum noluerit uxorem viduam ducere, minor natu non potuerit id facere. Itaque, si Vindex ille, cujus meminit Boaz, fuit vindex propinquior, de jure non potuit Boas Leviri jus præstare, qui non ita propinquus fuit. Hæc omnia docent, nullum hic fuisse Leviratus jus vel officium*. In sequentibus ostendit illa ad venditionem, & jus redimendi vel retrahendi patrimonium venditum pertinuisse, & illum ritum explicat. Quia vero illa sunt prolixa, nec hujus loci, ego, illis missis, pergo.

XXIII. xv. אחות האשה *Soror uxoris*, בחייה *viventes ipsa (uxore)* vers. 18. Hunc versum etiam secundum literam intelligunt, quod prohibeatur *Soror uxoris, vivente uxore*; seu, duas Sorores simul ducere; etiam si prior fuerit expulsa seu dimissa, adhuc tamen in vivis; & inde concludunt, demortuæ uxoris sororem ducere, permissum fuisse. Majemon. in הלכות אסורי ביאה cap. 2. §. 9. Sepher mitzvoth gadol Num. 108. Sepher hachinnuch fol. 81. 1. Eliciunt id ex addita voce בחייה *In vita ejus*: ejus n. hanc vim esse volunt, quasi diceretur, כל זמן שהיא בחיים אבל אחר מות האחת אין ספק שמותר לישא אחרת: *quandiu ipsa est in vivis: sed mortua una, non dubium est, quin liceat alteram ducere.* Quin & Abarbenel scribit, per se non esse illicitum, vivente quoque uxore, sororem ejus ducere, sed tantum quatenus id fit ad affligendam, & ad æmulationem provocandum uxorem priorem, seu, quando ista digamia prior affligitur, & debitis officiis conjugalibus privatur. Verba ejus sunt: ולא אמר ערות אחות אשתך שלא בא הכתוב לאסור לאיש רק רצרור את אשתו בושאו אשה עליה והוא אמרו לצרור כי אין שתי אתי אחיות אסורות מפאת עצמן כי כבר היו לאלקנה שתי נשים והכתוב מוכיח כי תהיינה לאיש שתי נשים לק אסר חכתוב להיות אחת יושבת צרורה שאין בעלה נוהג בה העונה האסורה בתורה כענין ותהיינה צרורות עד יום מותם אלמנות חיות ועל כן אמר עליה בחייה: h. e. *Non dicit hic Moses*, Nuditatem sororis uxoris tuæ non reteges, (*ut sc. in præcedentibus præceptis*), *quia nihil aliud voluit Scriptura prohibere, quam ne Vir affligat uxorem suam, quando superinducit ei aliam. Hoc enim sibi vult dum ait*, לצרור Ad affligendum. *Nam per se duæ sorores non sunt prohibitæ; Elkana quippe habebat duas uxores*, (1. *Sam.* 1.) *& Scriptura arguit quod Vir possit duas habere uxores. Itaque prohibere duntaxat vult, ne* (quando hoc fit) *una sit afflicta, & officiis conjugalibus a marito privetur, quæ secundum Legem ei debentur*, (Exod. 21. 10.) *sicuti nimirum illic* (de concubinis Davidis) *legimus*; Fuerunt afflictæ usque ad diem mortis suæ in viduitate vitæ (h. e. perpetua, *quia rex non fuit ingressus ad eas, ut ibidem dicitur*) 2. *Sam.* 20. vers. 3. Sic Abarbenel. Communis & recepta Hebræorum sententia est, quæ primo producta.

De facto Jacobi, duas sorores vivas ducentis, Genes. 29. Hebræi videntur diversimode sentire. Abarbenel existimat, *Jacobum non reformidasse duas sorores ducere; Amram item amitam suam seu sororem patris sui* (Exodi cap. 6.) לפי שעדין לא נתנה תורה ולא נאסרו העריות: *quod tum nondum data esset Lex, neque istæ mulieres, quarum hic mentio, prohibitæ*. Refutat etiam Aben Esram, qui existimavit, Prohibitionem mulierum incestuosarum restrictam quasi fuisse duntaxat ad locum certum, terram Canaan videlicet; ita ut Jacob potuerit ducere duas sorores *in Charan*; & Amram, Jochebdam amitam suam *in Ægypto*, ולא נטמאו בהם *sine pollutione: Pollutionem quippe tantum factam fuisse in terra Canaan*; Hanc, inquam, sententiam dicit esse futilem & nullam, כי בלי ספק הטומאה ורוע המעשה כולל בחרן ובמצרים כמו בארץ כנען: *Eo quod sine dubio pollutio, & pravitas hujus actionis æqualis fuerit ubique, in Charan, in Ægy-*

Ægypto, *& in terra Canaan*. Scribit hoc in fine Paraſchæ אחרי מות. Cur Deus ita facere eum permiſerit, rationes reddit in Geneſi, ſectione ויצא יעקב fol. 90. col. 3. 4. ſed inſipidas. Vide eundem circa finem ſectionis קדושים, ubi quærit; Cum in ea ſectione, capite ſc. 20. Levitici, pœnæ concubituum illicitorum ſingulorum ſint ſancitæ, nulla pœna his duobus ſit aſſignata? Id videlicet non factum eſſe propter Jacobum & Amramum; ſed quia in genere comprehenduntur ſub iis, quibus pœna כרת ſeu Exciſionis irrogatur. Sic ſcribit Bechai fol. 144. col. 3. הזכיר את כולן חוץ משתי אחיות לכבוד יעקב: *Recordatur omnium*, *exceptis duabus ſororibus propter honorem Jacobi*.

Hinc tamen faciunt differentiam in hoc & ſimilibus quibuſdam gradibus prohibitis, inter Scortationem, & Nuptias. Veluti; *Si quis rem habeat cum muliere & filia ejus*, *aut cum uxore & ſorore ejus*, דרך זנות *per ſcortationem*, *id non aliter habeatur*, *quam ſi quis rem habuiſſet* עם שתי נשים נכריות *cum duabus mulieribus extraneis:* שאין נעשות ערוה זו עם זו אלא בנשואין לא בזנות *quia non fiunt inceſtuoſæ iſtæ cum iſta*, *niſi per deſponſationem & nuptias*, *non per ſcortationem*. Sic, *ſi pater vel filius alicujus*, *vel patruus ejus*, *vi vel blanditiis compreſſerint aliquam; is poteſt* (inquit Majemonides) *ſic compreſſam ducere in uxorem. Ratio*, *quia de his in textu dicitur* אשה Uxor: *atqui ea quam quis per ſcortationem cagnoſcit*, *non eſt uxor ejus*. Majem. in הלכות אסורי ביאה cap. 2. §. 13. Vide & R. Salomone ad *Levit*. 18. 17.

Ibidem §. 14. tradit & hanc regulam: *Si pater aut filius alicujus*, *duxerit mulierem*, *hic poteſt ejus mulieris ducere filiam aut matrem* (& ſic pater & filius poſſunt habere matrem & filiam:) Item: *Permiſſum eſt*, *ut quis ducat uxorem filii fratris ſui: poteſt etiam quis ducere mulierem*, *& filiam ſororis ejus*, *aut filiam fratris ejus*. Permittunt etiam, imo præcipiunt, ut quis ducat filiam ſororis ſuæ, aut fratris ſui, ex dicto illo; ומבשרך *Et a carne tua non abſcondes te*, *Jeſai*. 58. 7. Hæc iterum Majemonides dicto loco.

XXIV. *Antequam ad gradus prohibitos poſterioris generis progrediamur*, *pauca tantum ſubjiciemus de* Pœnis eorum, *qui præcedentes gradus*, *Lege Divina prohibitos violant*, *ſeu per deſponſationem & conjugium*, *ſeu præter hanc*, *inordinato modo ſe cum illis commiſcendo; ut &* de Cauſis *graduum horum prohibitorum*.

Pœnæ tales in Lege tranſgreſſoribus denuntiatæ, *inveniuntur*, *partim Generales*, *partim etiam Speciales*.

Generalis, *pœna*, *omnibus in genere ſubjuncta*, *eſt* Excidium, *ſeu* Exciſio, *de qua* Levit. cap. 18. verſ. 29. *ſic legitur: Quiſquis fecerit aliquam ex abominationibus iſtis*, ונכרתו הנפשות העשת מקרב עמם: *tunc excindentur animæ facientes talia*, *ex medio populi ſui*. Pœnæ hujus Exciſionis ſeu Excidii, alibi etiam in Lege, variis in locis ſit mentio: quid vero per eam intelligatur, & quo referenda ſit, diverſæ ſunt Hebræorum ſententiæ. Eas quia diligenter recenſuit, & ſuo etiam interpoſito judicio, examinavit doctiſſimus Abarbenel, ad *cap*. xv. libri Numerorum, verſum 30. viſum eſt, illam ejus Diatribam huic noſtræ Diſſertationi ad finem ſubjungere, cum verſione ejuſdem Latina, in gratiam Rabbiniſmi ſtudioſorum; non quidem quod ejus ſententiæ calculum noſtrum additum velimus, vel alios ad eam amplectendam adſtringere: ſed potius, quia hic in eruendis & producendis Hebræorum de hac materia ſententiis verſamur, ut, variis propoſitis opinionibus, Lector judicioſus eam, quæ ipſi magis probabilis videbitur, eligat & retineat, aut, ſi nulla ei arrideat, ſaltem, quid Hebræi hac de re ſentiant, in compendio ob oculos habeat, nec ignoret. Ad illam igitur Abarbenelis Diatribam Lectorem avidum & benevolum hic remittimus.

Speciales pœnæ *fere reperiuntur Levitici capite* xx. *Hæ ſunt pœnæ civiles*, *quæ præter* כרת 'סו *ſeu* Excidium, *ulterius a Magiſtratu in tales tranſgreſſores feruntur*, *in quibuſdam caſibus*.

Eas Hebræi referunt partim ad סקילה *Lapidationem*, partim ad שריפה *Vivicomburium*, partim ad חנק *Strangulationem*.

Ad *Lapidationis* pœnam condemnari volunt; Qui rem habet cum Matre, cum Uxore patris, & cum Nuru ſua (ut & cum maſculo, vel cum jumento, puella item deſponſata). Hanc pœnam ex eo eliciunt, quod *Levit*. cap. 20. verſ. 9. 11. 12. 13. 16. in pœna talibus denuntiata dicatur, דמיהם בם *Sanguis eorum ſuper eos*; vel דמיו בו *Sanguis ejus ſuper eo*. Scribunt enim, in quocunque loco Lex hac phraſi utitur, ibi Lapidationem intelligendam eſſe. Eruunt hoc ex eo: quod ubi de Ariolo & Pythone Lex loquitur, ita ſcribat, באבן ירגמו אותם דמיהם בם: *Lapidibus obruent eos*, *ſanguis eorum ſuper eos*; Quia nimirum hæc duo hic conjunguntur, & hæc phraſis Lapidationi ſubjungitur.

Ad *Ignem* condemnant. Qui rem habet

bet cum Filia sua; Cum filia filiæ, vel filii sui; Cum filia, & filia filiæ vel filii uxoris suæ; Cum socru, vel, cum matre socrus suæ, vel soceri sui; siquidem במזיד per superbiam id fecerit, ejusque rei testes adfuerint.

Ad *Laqueum* seu *Strangulationem*, invenio in ספר החנוך fol. 80. col. 2. condemnatum eum, qui במזיד superbe, & testibus convictus, concubuerit cum uxore fratris patris, vivente patruo. Alii ad hanc pœnam condemnant tantum *Adulterum*, cum uxore alterius rem habentem, quia sc. absolute in Adulterii pœna dicitur, מות יומת *Mortis pœna afficietur Adulter & Adultera*, *Lev.* 20. vers. 10. Hinc scribit R. Levi ben Gerson ad hunc locum; ראוי שתדע שכל מקום שנאמר מות יומת ר״ל על ידי בית דין וזה מבואר מצד עצם הלשון וכל מקום שנאמר ימות ר״ל בידי שמים ולפי שלא ביארה התורה באיזה מיתה יומתו הנה יחוייב שיומתו במיתה יותר קלה שאפשר לבית דין מימיתוהו בה והוא מבואר ממה שאמרנו בענין הסקילה ולפי שהקלה באלו המיתות הוא חנק הנה יומתו בחנק: h. e. *Scire debes*, *quod in quocunque loco dicitur*, Morte afficietur, *id intelligendum sit de Morte infligenda a domo judicii*, *quod ipsa phrasis & ratio loquendi docet: ubicunque autem dicitur*, Morietur, *intelligendum est id, de Morte cœlitus immittenda*. *Quia vero non declarat Lex*, *qua morte sint afficiendi* (Adulteri) *sequitur illos afficiendos morte omnium levissima, qua fieri potest: cum ergo ex suppliciis capitalibus Strangulatio sit levissima, Strangulatione mori debent*. Et in סמג fol. 35. col. 1. scribitur: אין לך ערוה בחנק אלא בעולת בעל בלבד *Nulla est mulier in Lege, sub Strangulationis pœna probibita, nisi mulier Maritata.* Et hanc habent Regulam; כל מיתה האמורה בתורה סתם אינו אלא חנק: *Ubicunque in Scriptura absolute dicitur*, Morte afficietur, *Strangulatio est intelligenda*. Et sic omnes Interpretes. Eatenus itaque Patrui uxoris violator hac pœna afficietur, quatenus vivente Patruo cum ejus uxore rem habuerit.

XXV. Hic vero Dubium exoritur; *Cum Hebræi Legem Mosis, de supplicio Mortis Adulteri & Adulteræ* Levit. 20. 10. & Deuter. 22. 12. *quod ibi indefinite proponitur, de Strangulatione exponant; quomodo Scribæ & Pharisæi, in Evangelio, mulierem Adulteram, in ipso facto deprehensam, ad Christum adducentes, dicant*, ἐν δὲ τῷ νόμῳ Μωσῆς ἡμῖν ἐνετείλατο τὰς τοιαύτας λιθοβολεῖσθαι. In Lege vero Moses mandavit nobis, ut tales lapidarentur? *Johan.* cap. 8. vers. 5.

Nam α *Moses Lapidationis non meminit, sed tantum dicit:* Morte afficietur Adulter & adultera, *Levit.* 20. 10. *Item*: Morientur ambo illi, Vir concumbens cum muliere, & mulier: & tolles malum ex Israele, *Deut.* 22. vers. 22.

β *Hebræi* Commentatores in Legem; quos ego vidi, nulli *Adulterium Lapidatione puniendum definiunt, neque etiam in Ritualibus, neque in Talmud. Nam in Talmud Tractatu de Synhedriis* cap. 7. *inter eos, qui Lapidationis pœna afficiuntur, Adulterorum nulla fit mentio: sed inter eos, qui Strangulandi sunt, diserte numeratur*, הבא על אשת איש Adulter.

Quomodo igitur illi tam aperte & exserte dicunt, Moses mandavit, ut tales lapidarentur?

Resp. Dubium hoc ab Interpretibus Evangelistarum non observavi vel motum, vel solutum.

Sunt qui Lapidationis pœnam, non solum ex isto loco *Johannis*, sed & *Esa.* cap. 16. vers. 38. & 40. inter se collatis, eliciunt. Ibi sic dicit Propheta vers. 38. *Et judicabo te* (Jerusalem) *judiciis adulterarum, & effundentium sanguinem, daboque te sanguinem iræ & zeli*, vers. 40. *Et ascendere facient super te cœtum, & obruent te lapidibus, & confodient te gladiis suis*; ubi Lapidationem referunt ad Judicium Adulterarum. Existimant etiam huic sententiæ favere Kimchium; sed frustra, & sine fundamento. Nam ejus hæc sunt ad illum locum verba: *Et lapidabunt te lapide*; כמשפט המנאפות שרונמים אותם באבנים לא שימיתוח וכן וירגמו אותו אבן הנאמר בעכן *Secundum judicium adulterarum, quas lapidant lapidibus, non ut morte afficiant eas* (sed contemtus & ignominiæ causa, ut sic ab illa accedenda omnes, tanquam a persona spreta & infami, absterreantur, ut ex sequentibus ejus verbis patet). Sic sumitur *hæc phrasis*, Et lapidarunt illum lapide, *de Achane dicta*, *Josue* 7. 25. Ibi sic legitur: *Dixitque Jehosua, Cur turbasti nos? Turbet te Dominus in die hac, & obruerunt eum universus Israel lapidibus, combusseruntque eos igni, ac lapidarunt eos lapidibus.* Ad quem locum sic iterum commentatur Kimchius: *Pater meus b. m. scripsit, judicium ipsorum fuisse Combustionem, sicut dicitur*: Comburatur igni, ipse & omnia quæ ejus sunt, *Jos.* 7. vers. 15. *Itaque sic esse hæc verba explicanda*, Et lapidarunt eum; *quod cum ductus fuisset ad rogum, fuerint eum obruentes lapidibus, & lapides in illum conjicientes, ex iræ & indignatione adversus ipsum: & cum pervenissent in vallem Achor, tum demum combusserint, & lapidarint, &c.* Ex quibus apparet, Kimchium, illum Ezechielis locum non intellexisse de judicia-

ciali & capitali Lapidationis pœna, a Magiſtratu inflicta: neque in ejus verbis quicquam pro hac ſententia adjumenti eſſe. Locus etiam ipſe non ita clarus & explicatus eſt in hanc rem, ſi recte expendatur. Itaque dubium adhuc ſuo loco manet.

An dicemus, Mulierem iſtam fuiſſe uxorem nondum ductam, ſed tantum deſponſatam? Hujus enim ſupplicium in Moſe determinatum erat, ut Lapidaretur, *Deut.* 22. verſ. 23.24. Hinc Paraphraſtes Chaldæus *Jonathan* verſum duodecimum capitis decimi *Levitici* ſic tranſtulit, & declaravit; *Et vir, qui adulterarit mulierem viri ductam, occidendo occidetur; & quidem propter Mulierem ductam & nuptam, Strangulatione ſudarii; propter Deſponſatam, Lapidatione tam adulter, quam adultera.*

Hac ratione commode conciliatio inſtitui poteſt verborum Phariſæorum, cum Moſe, & ejus Interpretibus Hebræis: nec video quomodo aliter, ſi vera ſunt verba Scribarum & Phariſæorum illorum de Lapidatione.

De כרת ſeu *Excidio* tantum, ſine ſpeciali & civili pœna, tenentur reliqui; Soror patris, & Soror matris: Uxoris ſoror, Uxor fratris ejus: Uxor fratris patris (mortuo ſc. patruo).

XXVI. De *Cauſis* prohibitionum iſtarum ſcribit R. Moſes ben Majemon, & duas earum reddit in More hannevochim, parte tertia cap. 49. Verba ejus ſunt hæc: *Graduum Lege prohibitorum* prima cauſa *hæc eſt*, quod *fœminæ iſtæ ſingulæ propemodum in eadem domo habitant cum Viro illo, cui ſunt probibitæ, promptæ ſint ad voluntati ejus obtemperandum, facile & ſine labore ab ipſo poſſint haberi, ac denique nemo poſſit illorum converſationem impedire, aut eos ſeparare, etſi una inveniantur. Quod ſi autem eadem eſſet illarum ratio, quæ aliarum, viro ſolutarum & liberarum, ut nempe in matrimonium duci poſſent, nec ſub pœna aliqua hoc probibitum eſſet, major pars hominum indeſinenter in ſcortationibus viverent. Quia autem omnibus modis, illarum congreſſus eſt probibitus, & quidem ſub graviſſima comminatione Mortis domus judicii* (a Magiſtratu) *& Exciſionis, neque ulla permiſſio & licentia hic ſperanda eſt, hinc novit unuſquiſque, ſe intentionem & cogitationem ſuam ad iſtiuſmodi res non debere dirigere. Quod vero ejuſmodi inceſtus facillime committi & perpetrari poſſit, ex iis quæ ante diximus, manifeſtum eſt. Vir enim, qui uxorem habet, fere ſemper apud ſe habet ejus Matrem, Aviam, Filiam, Neptem, aut Sororem, ſubindeque in illas incidit, quando exit, ingreditur, & negotia ſua expedit: ſic Uxor frequentiſſime converſatur cum Mariti ſui Fratribus, cum ejus Patre & Filio: Sic, quod creberrime homo verſetur inter ſua ſorores, amitas, & uxorem avunculi, utpote cum quibus vel inter quos educatur, luce meridiana eſt clarius. Hi autem omnes ſunt* Concubitus propinquorum carnis. *Hæc itaque una cauſa eſt, propter quam* Conjunctio cum propinquis carnis *eſt probibita.* Altera cauſa *meo judicio eſt, ut Pudor & Verecundia nobis commendetur. Nam quia impudentiæ ſummæ eſt opus iſtud inter Radicem & Ramum (h. e. in Uxorem ducere Matrem & Filiam) idcirco probibitum eſt matrimonium inter Radicem & Ramum. Neque eſt differentia, ſive Radix Ramum, aut Ramus radicem ducat, vel Radix & Ramus in corporis tertii connubio conveniant, ut ſcilicet aliquis corpus ſuum radici & ramo detegat. Ideo enim probibitum eſt ducere Mulierem & ejus Filiam, item Uxorem patris, & Uxorem filii, quia iſta ſunt retectio nuditatis corporis unius, nuditati Radicis & Rami. Fratres ſe habent ut radix & Ramus: hinc quia probibita eſt Soror, probibita etiam eſt Soror Uxoris, & Uxor fratris: quoniam hæc eſt duorum individuorum, quæ ſunt ſicut radix & ramus, in conjunctione corporis tertii. Præterea, cum conjunctio Fratrum ſit probibita, & cenſeantur tamquam Radix & Ramus, quinimo ſicut unum corpus, idcirco probibitum etiam eſt in uxorem ducere Sororem matris, quæ loco Matris eſt: Sororem item Patris, quæ Patris loco eſt. Quemadmodum autem non probibita eſt Filia fratris patris, neque Filia ſororis patris: ſic eadem ratione non probibita eſt Filia Fratris, neque Filia ſororis. Verum, quod Frater Patris permiſſus ſit Uxori filii fratris ſui; & quod Filius Fratris probibitus ſit uxori fratris patris ſui, id factum eſt propter primam rationem, quam dedimus: quia Filius fratris ut plurimum in domo Fratris patris ſui eſſe ſolet, & familiaritas vel converſatio cum Uxore fratris patris ſui æqualis ipſi eſt, quæ cum Uxore fratris ſui: Frater autem patris non ita frequenter exiſtit in domo Filii fratris ſui, neque tanta familiaritas eſt Fratri patris cum Uxore Filii Fratris ſui. Annon enim vides, quia Pater æque familiaris eſt cum Uxore filii ſui, ac Filius cum Uxore ejus, quod æqualiter & ſub eadem mortis pœna ambo ſint probibita?* Hactenus Majemonides.

XXVII. *Poſterioris generis, ex inſtituto Scribarum probibitæ, & ſuperioribus additæ, enumerantur ſequentes a Majemonide, in* הלכות אשור cap. 1.

Hæ

Hæ dicuntur שניות Secundariæ.

I. אם אמו *Mater matris*, & quidem בלא הפסק indefinite ſurſum, videlicet *Mater matris matris*, &c.

II. אם אבי אמו בלבד *Mater patris matris ejus ſola*.

III. אם אביו *Mater patris*: & hæc iterum indefinite, etiam *Mater matris matris*, & *patris*.

IV. אם אבי אביו בלבד *Matres patris patris*, *ſola*.

V. אשת אבי אביו *Uxor patris patris*: & hæc iterum indefinite, ſeu in infinitum ſurſum.

VI. אשת אבי אמו בלבד *Uxor patris matris ejus ſola*.

VII. אשת אחי האב מן האם *Uxor fratris patris a matre*.

VIII. אשת אחי האם בין מן האם בין מן האב *Uxor fratris matris*, *ſive a matre*, *ſive a patre*.

IX. כלת בנו *Nurus filii*: & hæc iterum אין לה הפסק in infinitum, *Nurus filii filii filii*, &c.

X. כלת בתו בלבד *Nurus filiæ*, *ſola*.

XI. בת בת בנו בלבד *Filia filiæ filii*, *ſola*.

XII. בת בן בנו *Filia filii filii*, *ſola*.

XIII. בת בת בתו בלבד *Filia filiæ filiæ*, *ſola*.

XIV. בת בן בתו בלבד *Filia filii filiæ*, *ſola*.

XV. בת בן אשתו בלבד *Filia filii filii uxoris*, *ſola*.

XVI. בת בת בת אשתו בלבד *Filia filiæ filiæ uxoris*, *ſola*.

XVII. אם אם אבי אשתו בלבד *Mater matris patris uxoris*, *ſola*.

XVIII. אם אב אם אשתו בלבד *Mater patris matris uxoris*, *ſola*.

XIX. אם אם אם אשתו בלבד *Mater matris matris uxoris*, *ſola*.

XX. אם אב אבי אשתו בלבד *Mater patris patris uxoris*, *ſola*.

Quod ſi ergo jam quis deſponſet aliquam Primariarum, quæ עריות appellantur; אין תופסין בה קדושין *Deſponſatio non eſt firma & rata*, ac proinde nec libello repudii opus ad ſeparationem: ſi vero aliquam שניות ſecundariarum, deſponſatio valet, quamvis minus habeatur honeſta & legitima, & opus eſt libello repudii ad ejus abolitionem. *Majemon.* in הלכות אישות cap. 4. §. 12. & 14.

XXVIII. Poſteaquam quis fœminam aliquam legitime deſponſavit, prohibitæ ei ſunt deinceps ſex perſonæ ex propinquis ejus fœminæ perpetuo; ſive eam per nuptias ſimul domum deduxerit, ſive repudiarit, & quidem ea ſeu vivente, ſeu mortua. Hæ ſunt autem ſex illæ perſonæ; *Mater illius*, *Avia illius paterna*, *Avia illius materna*, *Filia ipſius*, *Filia filiæ ipſius*, *Filia filii ejus*. Si cum harum aliqua, vivente uxore, rem habuerit, comburuntur ambo; ſi poſt ejus mortem, incumbit eis pœna כרת *Excidii*, *Exterminii*, non vero ſupplicium capitale a Magiſtratu. *Majem.* in הלכות אסורי ביאה cap. 2. §. 7. 8. Eadem eſt ratio *Sororis uxoris vivente uxore*, quæ ſex illis addenda.

Qui vero cum fœmina aliqua ſcortatur, ei non ſunt prohibitæ ſeptem iſtæ fœminæ; Sapientes tamen prohibuerunt hujuſmodi conjugia, vivente ſcorto. Idem ibid. §. 11. Vide & ספר החנוך fol. 79. col. 2.

XXIX. *Secundo ſunt ex Lege Dei*, *perſonæ quædam Judæis prohibitæ Sanctitatis cauſa*, *extra rationem Conſanguinitatis vel Affinitatis*.

Dicuntur ab Hebræis אסורי קרושה *Prohibitiones ſanctitatis*. *Harum in Lege numerantur novem*;

I. *Vidua*. Hæc prohibita eſt Sacerdoti ſummo, *Levit.* 21. verſ. 14.

II. *Repudiata*, *Meretrix*, & *Profana*, Sacerdoti ſummo & communi; Ibidem verſ. 7. 14.

Prophana, Hebraice dicitur חללה. Quid vero per חללה intelligendum, non per omnia conſentiunt Interpretes noſtri. Dicam, quomodo Hebræi eam definiant. *Majemonides* in הלכות אסורי ביאה cap. 19. §. 1. אי זו היא חללה זו שנולדה מאיסור כהנה, וכן אחת מן הנשים האסורות לכהנה שנבעלה לכהן נתחללה וכו' Quænam eſt חללה? *Ea quæ nata eſt ex perſona prohibita Sacerdotio* (ſeu, familiæ Sacerdotali). *Item ſi aliqua ex illis fœminis*, *quæ Sacerdotibus prohibitæ ſunt*, *quacunque ratione compreſſa fuerit a Sacerdote*, *illa* נתחללה *prophana facta eſt*, *quamvis Sacerdos ipſe*, *qui tranſgreſſionem commiſit*, *non prophanus factus ſit*; *Ita quidem*, *ſi Sacerdos fuerit annorum novem & diei unius*, & *ultra*; *iſta vero perſona ei prohibita*, *annorum trium*, *diei unius*, *vel ultra*. *Quomodo? Ex. gr. Sacerdos*, (ſeu, aliquis de familia Sacerdotali) *novennis*, *rem habens cum Repudiata*, *aut cum Meretrice trienni*; *Sacerdos item magnus rem cum bis habens*, *aut cum vidua*; *aut ducens jam maritatam vel compreſſam & congrediens cum ea*; *iſtæ perſonæ omnes* נתחללו *factæ ſunt prophanæ in perpetuum*: *Et ſi ex tali progenuerit filium*, *ſive idem ille qui eam prophanam facit*, *ſive alius*, *filius ſeu infans ille itidem eſt* חלל *prophanus*, &c. Videri ibi poſſunt plura, quæ-

nam perſonæ videlicet in ſpecie huc referendæ, & quæ non. Sic in Sepher mitzvoth gadol, Præcepto negativo 121. fol. 42. a. & in Sepher hacchinuch fol. 110. 2. חללה תקרא שנולדה מפסולי כהנה כגון בת אלמנה מכהן גדול או בת גרושה מכהן הדיוט, או שנתחללה על ידי ביאת אחד מן הפסולין לכהנה h. e. חללה *Prophana vocatur quæ eſt genita ex perſona Sacerdotibus probibita; veluti eſt Filia viduæ genita a Sacerdote magno; Filia repudiatæ, a Sacerdote vulgari: aut, quæ prophana facta eſt, per congreſſum alicujus ex iis qui inepti ſunt ad Sacerdotium.* Eadem habet R. Salom. in Comment. *Levit.* 21. 7. R. Bechaj, R. Levi ben Gerſon. Huc reſpicit Paraphraſtes Chaldæus *Jonathan*, vocem hanc ita reddens: ודאתילידא מן פסולא *Et quæ genita eſt ex prophanis* (ſc. ad Sacerdotium). Abarbenel paulo laxius: חללה המחללת את כבודה או שהיא בת חלל או אשת מחולל או שחללה כהן פסול h. e. Chalalah eſt, *quæ prophanat honorem ſuum, aut quæ eſt filia prophani, aut uxor prophanati, aut quam prophanam fecit Sacerdos illegitimus, prophanus.* In priorem ſententiam conſentiunt omnes.

III. *Spuria, Iſraelitæ cuivis: &*

IV. *Filia Iſraelis (honeſta & legitima) Spurio, Deut.* verſ. 2. *Non ingredietur ſpurius congregationem Domini, &c.* Id eſt, לא ישא ישראלית *Non ducet Iſraelitidem.* Sic explicant Hebræi iſtam phraſin in iſto capite. Unde & Targumiſta Jonathan, לא ידכי למסב אתא כשרא מקהל עמא דיי *Non dignus erit accipere uxorem honeſtam ex congregatione populi Dei.*

V. *Filia Iſraelis Ammonitæ & Moabitæ.* Ibid. verſ. 3.

VI. *Filia Iſraelis* לפצוע דכא *qui Græcis* Θλαδίας. Ibid. verſ. 1.

VII. *Filia Iſraelis* לכרות שפכה Ἀποκεκομμένῳ. Ibid.

VIII. *Repudiata ab aliquo, poſteaquam alteri eſt nupta.*

IX. *Fratria alieno, dum Levir ejus poteſtatem habet eam ducendi.*

Hæ perſonæ ſimplici interdicto ſunt prohibitæ, ſine addita ſanctione, vel pœna Exciſionis: unde & אסורי לואין *Prohibitiones ſimplices* vocantur. Hinc etiam, ſi deſponſatio cum illis per cætera rite fiat, non tollitur, ſed manet.

XXX. De Cauſa harum prohibitionum ſcribit *Majemon.* in More Nevochim par. 3. cap. 49. *Ne is qui contuſione fractos, aut abſciſſos teſticulos habet, ducat Iſraelitidem, prohibitum eſt, propterea quod tale conjugium ſit inutile & inane, & quod nuptiæ tales offendiculo ſint tum ipſi Virgini, tum illi qui requirunt eam. Ne Spurius ducat filiam Iſraeliticam, vitandæ ſcortationis cauſa factum, ut ita adulteri videant, ſe totam ſuam familiam irreparabili labe affecturos, ſi actum ejuſmodi infamem perpetrent. Et ſane propter contemtum Spuriorum, in omni lingua & natione, ſemper in honore fuit habitum ſemen Iſraelis; eo quod ſe nunquam cum illis commiſcuerint. Propter honorem vero & dignitatem Sacerdotum factum eſt, quod Sacerdotibus, Scorta, Repudiatas, & Profanas ducere non licuerit: Sacerdoti autem magno, qui præcipuus & ſummus erat Sacerdos, Vidua quoque, & quæ jam maritum experta eſt, fuit probibita. Horum omnium rationes ſunt manifeſtæ.*

XXXI. *Tertio prohibitæ ſunt ex Lege, perſonæ quædam Status & conditionis ſuæ ratione, & quidem tam Spiritualis, quam Corporalis. Spiritualis ſtatus reſpectu prohibita eſt Deſponſatio Judæi cum fœmina Gentili ſeu Chriſtiana (non Judæa) & vice verſa Chriſtiani (ſeu non Judæi) cum Judæa: aut ſi talis deſponſatio fiat, caſſa eſt, & irrita. Corporalis ſtatus ratione probibita ſunt ſponſalia Servi vel Ancillæ, cum Libera vel libero.* Majem. in הלכות אישות המקדש כותית או שפחה אין קדושין אלא הרי היא אחר קדושין כמו שהיתה קודם הקדושין, וכן כותי ועבד שקדשו בת ישראל אין קדושיהן קדושין *Qui deſponſat Cuthæam,* (fœminam gentilem, infidelem) *aut Ancillam, ejus deſponſatio nulla eſt, ſed eſt ipſa* (fœmina) *ſicuti fuit antea: ſic* Cutheus (Gentilis, non Judæus) *& Servus, deſponſantes filiam Iſraeliticam, nihil faciunt, deſponſatio eorum nulla eſt.* Sic alii. Hinc ſcribit etiam R. Levi ben Gerſon ad *Levit.* 10. verſ. 10. לא ישלמו תנאי האישות בזולת בני ברית *Non adimplentur conditiones conjugii in illis qui non ſunt filii fœderis.* Interdictum prius de Infidelibus & extraneis, fundant in lege *Deuter.* 7. verſ. 3. *Non junges te affinitate cum eis: filiam tuam non dabis filio ejus, & filiam ejus non accipies filio tuo; Avocabit enim filium tuum ne eat poſt me, & colent Deos alienos;* Confer *Exod.* 23. 32. & 34. 15. 16. כי אף על פי שאשר זה בשבעה גוים הוא הדין לכל שאר אומות אלא לפי שהיו באים בארצם הזהירם עליהם: אבל אם היה משיב אותם לדת ישראל לא היה אסור אם היו מתגיירות מלב שלם לא מחמת יראה ואהבה *Nam etiamſi hoc dicat Moſes duntaxat de ſeptem gentibus Cananæis, idem tamen eſt judicium de cæteris gentibus; de his vero in ſpecie prohibuit eis, quod tunc ingrederentur in terram illarum. Quod ſi vero quis eas convertat ad religionem Judaicam* (ante ſponſalia) *non eſt probibitum;*

bitum; ſiquidem ex corde ſincero & integro ſe convertant, non ex timore vel amore, ſcribit R. David Kimchi ad 1. *Reg.* 11. verſ. 1.

Hinc dicunt de Samſone, filiam Philiſtæam Thimnathæam, *Judic.* cap. 14. & de Rege Salomone, plures mulieres alienigenas amante & ducente, 1. *Reg.* 11. quod non prius eas duxerint, & per ſponſalia ſibi junxerint, quam proſelytæ factæ, & ad fidem Judaicam converſæ eſſent. Sic ſcribit R. Levi ben Gerſon de Samſone; אמרו ר׳ז׳ל כי גיירה חחלה כי חלילה למי שהוא שופט ישראל שיתנאל בבנות הערלים ויהיה עובר במה שהזהירה החורה מלהתחתן בם כשהוא שהיה נזיר אלהים h. e. *Rabbini noſtri dicunt, quod eam prius proſelytam fecerit. Abſit enim ab eo, qui eſt Judex in Iſraele, ut ſe polluat filiabus incircumciſorum, & tranſgrediatur id quod Lex prohibuit, affinitatem ſcil. cum illis contrahere; præſertim is, qui fuit Naſireus Dei.* Idem ſcribitur in Keli Jakar. Huc trahunt verba illa Simſonis, ad Parentes ſuos dicentis: קחו אותה לי לאשה *Accipite eam mihi in uxorem*; quaſi voluiſſet dicere: גיירוה *Facite eam proſelytam, & præparate eam ita, ut poſſitis eam mihi accipere in uxorem.*

Eodem modo excuſant ex parte Salomonem; quamvis ne ſic quidem ab omni peccato eum abſolvant. Sunt, qui hoc etiam ad excuſationem Salomonis adferant, quod bonam habuerit hac in re intentionem, gloriam videlicet Dei; כי היה תכליתו להכניעם תחת עבודת יי׳ ויראתו כדי שיהיו כל העמים קורים בשם יי׳ ונכנעים אל המלך: *Finem enim hunc ſibi propoſitum habuiſſe, quo eas ad cultum verum Dei, eiſque timorem adduceret, ut omnes populi invocent Nomen Domini, imo etiam per hujuſmodi affinitates populos ipſos tandem ſibi ſubjiceret*: ſed male ei ceſſiſſe, neque eventum voto ejus reſpondiſſe. Vide *Keli Jakar*.

Sic exiſtimant etiam nonnulli, duos filios Elimelechi, *Ruth.* cap. 1. non duxiſſe uxores Moabitidas, Orpam & Rutham, niſi prius proſelytas factas. Concludunt hoc ex eo, quod verſ. 15. de Orpa dicitur; *Et reverſa eſt ad populum ſuum, & ad Deos ſuos.* Hoc ſcribit Aben Eſra, eſſe teſtimonium, שנתגיירו *quod prius ad Judaiſmum converſæ fuerint.* Paraphraſtes tamen Chaldæus putat illos peccaſſe. Sic enim transfert verſum quartum & quintum: ועברו על גזירת מימרא דיי ונטלו להון נשין נוכראין מן בנת מואב וכו׳ ועל דעברו על גזירת מימרא דיי ואתחתנו בעמין נוכראין אתקטעו יומיהון ומיתו אף תרויהון: *Et tranſgreſſi ſunt mandatum Domini, & acceperunt ſibi uxores alienigenas ex filiabus Moab, &c. Et quia tranſgreſſi ſunt verbum Domini, affinitatem contrahendo cum populis alienigenis, ideo abſciſſi ſunt dies eorum, & mortui ſunt ambo, &c.* Sic ſcribitur in Medraſch Ruth. לא גיירום ולא הטבילום: *Neque proſelytas fecerunt, neque baptizarunt eas prius.*

Abarbenel putat diſparitatem hanc conjugiorum, etiam inter primi Mundi peccata fuiſſe. Nam quod *Geneſ.* cap. 5. verſ. 2. dicitur; *Et viderunt* Filii Dei, Filias hominum, *quod pulchræ eſſent, & acceperunt ſibi uxores, ex omnibus quas elegerunt*, id dicit, ſic poſſe quoque explicari, ut per *Filios Dei* intelligantur *Filii Sethi*, cujus filii ſic vocantur propter ipſius Pietatem, Juſtitiam & fidem; per *Filias hominum* vero *Filiæ Kaini*, & ſeminis ejus, qui agricola fuit, &c.

XXXII. Videtur etiam huic Legi repugnare alia, in qua permittitur, *Mulier formoſa* (alienigena, & infidelis) *in bello capta*, a Victore in uxorem duci, *Deuter.* 21. verſ. 10. 11. & ſeqq. *Cum egreſſus fueris ad bellum contra inimicos tuos, & dederit eos Dominus Deus tuus in manum tuam, & ex eis captivos abduxeris: videris autem in captivitate mulierem pulchram forma, & deamaveris eam, & acceperis tibi in uxorem, &c.*

Reſpondent Hebræi quidam; hic nullum eſſe præceptum, neque conceſſionem rei licitæ, ſed Permiſſionem, vel Conniventiam, Tolerantiam, pravitati & concupiſcentiæ malæ illorum, quæ vix coerceri poterat, indultam, ex qua non concludi poteſt, rem eſſe per ſe bonam, aut a Deo conceſſam, ſed potius contrarium. Vide infra quoque. Hinc ſcribit R. Salomon, ex Talmudicorum mente, *Kidduſchin* cap. 1. לא דברה תורה אלא כנגד יצר הרע אם אין הקב׳ה מתירה ישאנה באיסור: h. e. *Non loquitur hic Lex, niſi ratione concupiſcentiæ malæ: nam ſi Deus non liberum feciſſet, tamen etiam contra interdictum duxiſſent*, לחוקף יצר לב הארם רע *propter duritiem vel vehementiam concupiſcentiæ malæ cordis humani*, uti additur in Sepher החנוך: *quod ſi tamen duxerit quis talem, tandem odio habiturus eſt eam, ſicut in verſu mox ſequente* 15. *dicitur*; Quum fuerint viro duæ uxores, una dilecta, altera exoſa, &c. *quinimo tandem etiam ex ea ſuſcepturus eſt filium declinantem & rebellem, unde lex quoque iſta ſtatim ſequitur* verſ. 18. Quum habuerit quis filium declinantem & rebellem. Idem ſcribit Abarbenel ad *Deuter.* 17. verſ. 14. R. Levi ben Gerſon ſcribit: עשתה התורה נחת רוח ליצרו: *Indulſit Lex aliquid concupiſcentiæ, ſi ſc. nimio amore contra talem exarſerit, non quod res licita fue-*

fuerit. Petita ſunt iſta ex Talmud Kidduſchin cap. 1. fol. 21. col. 1. ubi idem locus iiſdem verbis, ſed latius, explicatur, & inter alia additur; מוטב שיאכלו ישראל בשר תמותות שחוטות ואל יאכלו בשר תמותות נבילות: *Satius eſt, ut Iſraelitæ comedant carnem occiſarum beſtiarum mactatarum* (etiamſi ſit illegitima) *quam morticinorum*. Neque etiam abſolute volunt conceſſam fuiſſe, ſed cum conditionibus ibi poſitis, inprimis vero ut eam proſelytam ſeu Judæam faciat, antequam ducat. Talem mulierem dicunt fuiſſe Maacham, uxorem Davidis, ex qua genitus eſt Abſalom, & hinc etiam pravam Abſalomi indolem derivatam eſſe. R. David Kimchi ad 2. *Sam.* 3. verſ. 3. אבשלום בן מעכה דרשו בו כי לפי שהיה בן יפת תואר שלקחה דוד במלחמה לפיכך היה אבשלום סורר ומורה באביו כי לכך נסמכה פרשת סורר ומורה לפרשת יפת תואר לומר לך כל הנושא אותה או אשה שאינה הגונה יוצא ממנה בן סורר ומורה ונכון הוא הדרש כי מאחר שהיה שבויה הרי היא כמוכרחת לשוב לדת ישראל ולבה לא נכון אל הדת והנטע יוצא דמות השורש: (h. e. Abſalom filius Maacha) *Super hæc verba commentantur; quod ideo, quia fuerit Abſalom filius pulchræ (de qua* Deut. 21. verſ. 10.) *ductæ a Davide in bello, ideo, inquam, fuerit contumax & rebellis patri ſuo: Hac de cauſa volunt continuo ſubjungi Legem de Filio contumaci & rebelli, Legi de formoſa muliere in bello capta, ad docendum, quod ſi quis talem, vel uxorem alias illegitimam, duxerit, habiturus ſit ex ea filium contumacem & rebellem. Et recta eſt hæc expoſitio: nam, cum in bello capta ſit, eſt quaſi coacta ad Legem Iſraelis (religionem Judaicam), neque cor ejus rectum eſt ad Legem; & ſurculus inde egreditur ſimilis radici*. Hactenus ille.

XXXIII. *Quarto*; Ætas etiam non juſta impedimento eſſe poteſt: Minorennis enim non poteſt deſponſare ſine ſcitu Parentis: ſi faciat, deſponſatio nulla eſt. *Majemon.* l. cit. §. 7. קטן שקדש אין קדושיו קדושין *Minorennis qui deſponſat, ejus deſponſatio nulla eſt. Filia*, Minorennis cenſetur donec compleverit duodecim annos, & ſex menſes: uſque ad annum decimum vocatur קטנה *Minorennis*, item תינוקת: Inde uſque ad completum annum 12. & diem unum, vocatur נערה: completis 12. annis & ſex menſibus, בוגרת *Puber*: Sic Filius, uſque ad completum 13. annum vocatur קטן, item תינוק: a completo decimotertio anno & die uno, vocatur גדול *Majorennis*, item איש *Vir*. Hi termini obſervandi.

XXXIV. *Quinto*, arcentur quædam perſonæ a Sponſalibus ob *Vitia* & *Defectus* quoſdam *naturæ*: Veluti שוטה *Stultus* ſeu *Amens*; Item חרש & חרשת *Mutus & muta*. Sed *Eunuchus*, qui deſpondet, & אילונית Sterilis, nulla fæcunditatis ſigna habens & producens, quæ deſpondetur; horum deſponſationes ſunt קדושין גמורין abſolutæ & perfectæ. *Majemon.* cap. 4. §. 9. 10. *Androgyni & Hermaphroditi*, ſi vel deſpondeant, vel deſpondeantur הרי אלו קדושי ספק: ſunt ſponſalia dubia. Ibid. §. 11.

XXXV. *Sexto*; Viduam aut repudiatam; nemo poteſt ſibi deſponſare, niſi tribus, a quo vidua facta, vel repudiata eſt, exactis menſibus; ut ſc. interea cognoſcatur, utrum gravida ſit necne. *Majemon.* in הלכות גירושין cap. 21. §. 19. Quod ſi qua, lege hac neglecta, intra trium illorum menſium ſpatium, alteri nupſerit, & a mariti morte poſt novem elapſos menſes pariat, & inde incertum evadat, num ille partus ſit novimeſtris, ex priore marito, an ſeptimeſtris, ex poſteriore; tum infans ille, ceu ספק *dubius*, neutrius eſt hæres: quod ſi moriantur, ex æquo hæreditatem ejus partiuntur maritus prior & poſterior, *Majemon.* in הלכות נחלות cap. 5. Viduam vero Gravidam, vel lactentem, nonniſi poſt viginti quatuor menſes, qui computandi in Gravida, a die nativitatis infantis; in Lactente, a die mortis mariti, etiam ſi filium nutrici lactandum dederit: quod ſi vero infans moriatur, licita eſt, & libera: אמא יזיק הולד בשעת תשמיש שאינו מקפיד על בן חבירו ומניקה שמא יתעבר החלב והוא אינו מקפיל לרפאות החלב בדברים המועילין לחלב כשהתעבר: Licet enim, *inquit*, conſtet, cujus ſit infans, tamen de hoc cautum eſt, propter meliorem curam infantis, & ne quod ipſi periculum creetur: quia alius non eam quam decet curam, geret pro filio proximi ſui. *Majemon.* הלכות גרושין cap. 11. §. 25.

XXXVI. *Septimo*: Ebrius, qui deſponſat aliquam, ejus deſponſatio valida eſt. Eadem eſt enim ejus ratio, quæ ſobrii: מקחו מקח Emptio ejus habetur pro emptione, וממכרו ממכר & Venditio ejus habetur pro Venditione: Si flagitium committat mortis pœna piandum, morte afficitur: ſi fuſtigatione, fuſtigatur, &c. Niſi tamen in ſummo Ebrietatis gradu conſtitutus fuerit, ut Loth: de quo cognoſcendum. *Majemon.* l. c. §. 18.

XXXVII. *Error circa Perſonam commiſſus*, Deſponſationem rite factam non tollit; Veluti, ſi quis Deſponſet aliquam, exiſtimans eam eſſe hujus vel illius familiæ, & ſit alterius; vel quam putet

eſſe

esse divitem, & postea reperiatur pauper, aut vice versa. Talis vere Desponsata censetur: quia illa non seduxit ipsum. Eadem vice versa est ratio de Muliere, si ipsa erraverit circa personam viri, quia ille ipsam non seduxit. Talm. Kidduschin cap. 3. §. 5. in Mischna; המקדש את האשה ואמר כסבור הייתי שהיא כהנת והרי היא לויה לויה והרי היא כהנת ענייה והרי היא עשירה והרי היא ענייה הרי זה מקודשת מפני שלא הטעתו *Qui desponsat aliquam, & postea dicit, Existimavi eam esse de genere Sacerdotali, & ecce est de Levitico; de Levitico, & ecce est de Sacerdotali; Pauperem, & ecce est dives; Divitem, & ecce est pauper; talis desponsata manet, quia illa non seduxit ipsum, &c.*

XXXVIII. Pater; potestatem habet Despondendi filiam suam minorennem, cuicunque voluerit, imo eam potest cogere & dicere, צאי וקבלי קרושייך *Egredere, & accipe sponsalia tua*; attamen אין ראוי לעשות כן *non decorum est ita facere*; אלא מצות חכמים שלא יקדש אדם בתו כשהיא קטנה עד שתגדיל ותאמר לפלוני אני רוצה: *sed Præceptum sapientum est, ne quis desponset filiam suam minorennem, antequam adoleverit, & dicere possit, Ego volo hunc N.* Sed neque Vir debet talem aliquam, a Parente sibi oblatam, despondere. Sic *Majemonides* l. c. cap. 3. §. 11. & 19. Et si filiam, quæ minorennis & impubes est, despondeat ipsa inscia, רשותה בידה *tum penes ipsam est facultas* in hac desponsatione acquiescere, vel non, posteaquam ad pubertatis annos venit, & majorennis facta est: quia Filiam puberem & majorennem non potest Pater insciam & invitam desponsare, sed eadem est ejus ratio quæ Mulierum שאינם מתקדשות אלא לרעתן *quæ non desponsantur, nisi scientes volentes*. Ibid. §. 12. adeo ut, si filia pubes inscio parente se desponderit, & arrham desponsationis acceperit, id ratum habeatur. Quod si Filia se desponderit, antequam pubuerit, inscio Parente, istiusmodi Desponsatio nulla censetur; quantumvis Pater, posteaquam de ea rescivit, in eam consenserit. Idem Ibid. §. 13.

XXXIX. Mulier non desponsatur nisi Viro uni: sed Vir plures potest desponsare mulieres; & quidem vel simul, vel successive, Col-bo fol. 86. col. 4. *Majemon.* in הלבות אישות cap. 14. §. 3. *Ita tamen,* והוא שיהיה יכול ליתן שאר כסות ועונה כראוי לכל אחת ואחת: *ut possit singulis suppeditare victum & amictum, debitum item conjugale reddere: sed non potest cogere eas, ut una habitent in eodem conclavi, sed singulis peculiare cogitur dare cubiculum, vel ædes peculiares.* Sic Polygamia apud illos licita habetur, eam tamen hodie vix ullibi amplius usurpare solent. Quamvis interea fateri cogantur *ab initio non ita fuisse*, & ex mala Scaturigine, & ab authore non laudato, suum ortum duxisse; neque etiam optime ei cessisse. Sic enim scribit Abarbenel de Lamecho, Caini sobole, qui primus legitur duas Uxores duxisse, *Genes.* 4. זכר הכתוב שלמך לקח לו שתי נשים להודיע שלהוט היה אחר בולמוס של עריות כי כולם אכלו מעץ הדעת טוב ורע אכול ושבוע והותר ולכן לא נסתפק למך באשה אחת כמו שנסתפק אדם והבל וקין אבל לקח לו שתי נשים והיה משפט אלהי שנלקה על ידיהם: h. e. *Memorat Scriptura, quod Lamech acceperit sibi duas uxores, ut indicet, illum insatiabili cupiditate Venerea flagrasse: quia omnes comederant de Arbore scientiæ boni & mali, & quidem abundantissime: hinc non suffecit Lamecho uxor una, sicuti una contenti fuere Adam, Abel, & Kain; sed accepit duas, per quas ex singulari judicio divino postmodum vapulavit, & punitus fuit.* Porro in Bereschith rabba sect. 23. scribitur, morem hunc fuisse hominum antediluvianorum, ut binas uxores ducerent, & earum unam fuisse לתשמיש *ad concubitum duntaxat & voluptatem*; alteram, לפריה ורביה *prolis gratia*: illi ne conciperet, propinatum fuisse poculum Sterilitatis, ut sterilis efficeretur: illam fuisse semper ornatam, instar meretricis coram eo: hanc, semper coram eo fuisse contemtam, instar viduæ, &c. Sed Scriptura testatur, ambas Lamechi uxores, Adam & Zillam, fœcundas fuisse & liberos peperisse. Hinc scribit R. Isaac ben Aramah, in עקדת יצחק fol. 30. col. 2. ומהתימה שהרי כתיב וצלה גם היא ילדה וכו' וצריך שיאמרו ששתתה ולא הועיל: *Mirum hoc est, cum scriptum sit*; Et Zilla genuit ipsa quoque, *Genes.* 4. vers. 22. *Dicendum ergo ipsis, eam bibisse illud poculum, sed nihil ei profuisse, &c.* Postea mentem Rabbinorum horum ita explicat; *Solitos fuisse homines illius sæculi duas uxores ducere; Unam ad conservationem speciei; & talem fuisse Adam apud Lamechum; alteram ad quævis ministeria obeunda apud virum, & propterea, ut ad illa tanto aptior esset, potum sterilitatis ei fuisse exhibitum, ne aliis muniis implicaretur, & occuparetur, &c.* Ita לתשמיש erit, *Ad Ministerium*; non *Ad concubitum*, in verbis illis ex Bereschith rabbah. Sic scribit R. Bechaj, Zillam peperisse על כרחו *invito Lamecho*, & præter ejus spem & opinionem, Deo sic volente, ut artes, quas adhibuit pro sterilitate inducenda, nihil profuerint. Quam-

Quamvis autem Polygamiam concessam & licitam esse credant Judæi, hodie tamen non est amplius usitata inter Judæos Europæos, nisi alicubi in Oriente, ut Leon Modena scribit, in Historia Rituum Hebraicorum; & fortassis aliquando, ubi quis per multos annos cum uxore vixit, a qua nullos suscipere potuit filios.

XL. Deuteronomii cap. 17. vers. 17. extat præceptum *Regi* datum; ולא ירבה לו נשים *Non multiplicabit sibi uxores*, quod vero Hebræi non ita restringunt, ac si etiam ipsa digamia Regi prohiberetur, ut præcise non plures uxores una habere ei licuerit; sed nimiam duntaxat multitudinem inhiberi existimant; sicut nimirum, quod in præcedenti ejus versus lemmate dicitur לא ירבה לו סוסים *Non multiplicabit sibi equos*, non ita accipiendum, ac si nonnisi unum ei licuisset alere equum. In Talmud Sanhedrin cap. 2. in Mischna: לא ירבה לו נשים אלא שמנה עשרה ר' יהודה אומר מרבה הוא לו ובלבד שלא יהיו מסירות את לבו ר"ש אפילו אחת ומסירה את לבו הרי זה לא ישאנה אם כן למה נאמר לא ירבה לו נשים אפילו כאביגיל: h. e. Non multiplicabit sibi mulieres; *sc. ultra octodecim. R. Jehuda dixit, Potest multiplicare, modo non avertant cor ejus. R. Simeon dixit; Imo ne quidem unam licet ei ducere, quæ aver tere possit cor ejus. Id si ita sit, quare ergo dicitur*, Non multiplicabit sibi uxores? *sc. etiamsi fuerint sicut ipsa Abigail*. Hinc & in Targum Jonathanis: ולא יסגון ליה נשין על תמניסרי דלא יטעין לביה *Non plures erunt ipsi uxores quam octodecim, ne avertant cor ejus*. Sic omnes Hebræi volunt, licuisse Regi uxores 18. ducere, & id ex orali traditione haberi. Vide *Majemonid.* in הלכות מלכים cap. 3. §. 4. R. Salomonem in *Deuter.* ubi id etiam ex eo probat, quod ad Davidem, sex jam uxores habentem, 2. *Sam.* 5. 13. dictum est; ואם מעט ואוסיפה לך כהנה וכהנה h. e. *Si parum est, addam tibi sicut illas, sicut illas*, 2. *Sam.* 12. vers. 8. h. e. bis totidem alias. Idem habet R. Bechai ad eum locum.

Hinc contra hanc etiam Legem peccasse volunt *Salomonem, qui ultra hunc numerum uxores multiplicavit, usque ad* 700. *& ulterius adhuc concubinas* 300. 1. *Reg.* 21. vers. 3. De hoc immenso & prope incredibili Uxorum & Concubinarum Salomonis numero, Abarbanel in Comment. libri Regum quærit; *Quomodo credi possit res adeo insolita & inusitata, ut Salomon habuerit* 700. *uxores principes, ac præterea trecentas concubinas? Quomodo non majorem vitæ & valetudinis habuerit rationem? Quomodo item hic locus concilietur cum illo, quod in Cantico Cantic. cap. 6. vers.* 8. *dicitur*; Sexaginta sunt reginæ, & octoginta Concubinæ, & adolescentularum non est numerus? *Hic enim, quoad sensum simplicem & literalem, etiam vult respici ad uxores & concubinas Salomonis, quod vero non convenit cum illis, quæ in libro Regum dicuntur. Quare item Scriptura nullam faciat mentionem liberorum Salomonis, quos ex illis procreavit, sicuti id facit de cæteris Regibus?*

Respondet ad hæc; 1. *Salomonem natura fuisse salacem & libidinosum, mulieribusque deditum. Et quamvis consuetudo Regum fuerit, ut uxores illorum, quæ Regiam dignitatem habebant, & Reginæ vocabantur, pari cum Regibus dignitatis & honoris gradu essent; cæteræ vero non, quibuscum occulte & clam consuescerent: tamen hanc fuisse peculiarem Salomonis Majestatem, ut ejus causa omnes illæ mulieres, cum quibus rem habuisset, e vestigio subducerentur & secluderentur, nemoque ipsas inposterum attingeret, omnibus diebus vitæ ipsarum. Quamvis enim nonnisi semel eas cognovisset, tamen honoris ipsius causa fuisse prohibitas omnibus viris. Sic existimat non esse incredibile, ut Salomon cum mille fœminis per totam vitam suam se commiscuerit.*

2. *Quod ad qualitatem & numerum illarum attinet, quod* 700. *fuerunt* שרות Principes, 300. *autem* Concubinæ, supra pag. 11. dictum est, quæ inter Uxores veras & inter Concubinas, tum secundum communem Hebræorum, tum secundum Abarbenelis sententiam, fuerit inter illas differentia; Iis itaque præsuppositis, inquit Abarbenel, *sine dubio ex* 700. *istis* שרות *Principibus commemoratis, nonnisi paucas vocatas fuisse* מלכות Reginas; *eæ nimirum quæ præ cæteris dilectæ, æstimatæ, & honoratæ ab ipso fuerunt, vel a se etiam nobiliori stemmatæ oriundæ essent. Et de his intelligendum esse quod in Cantico Cantic. dicitur secundum literam*: Sexaginta sunt reginæ. *In libro enim Regum vocantur* שרות Principes: *in Cantic.* מלכות Reginæ. *Sic ex Concubinis aliæ præ aliis honoratiorem apud Regem locum obtinebant, & de his selectioribus & honoratioribus intelligendum quod in Cant. dicitur*; & octoginta Concubinæ: *de cæteris vero quod ibidem additur*; Et juvencularum non erat numerus.

3. *Dici posse, Salomonem idem fortassis fecisse quod Assuerus, qui congregavit puellas multas, ut videretur, quænam Regi placitura esset; ut posteaquam singulas cognovisset, sexaginta ex illis separaverit & segregaverit ad Coronam Regiam, & ex* Con-

Concubitu octoginta; quæ Regi miniſtrarent, & ad ejus nutum, quoties ei liberet eſſent; reliquis ſubmotis, quæ ipſi non placuerunt, nec ulterius admiſſis. Et hac ratione quoque pugnantiam illam conciliari poſſe putat.

4. Quod ad Filios & Liberos Salomonis attinet, exiſtimat, *Scripturam ideo nullam horum (excepto Rechabeamo, Regni ſucceſſore, qui tamen & ipſe malum fecit in oculis Domini) feciſſe mentionem, quod illi omnes degeneres eſſent, tanti patris diſſimiles prorſus filii, & matrum potius ſuarum indolem & naturam referentes: in hiſtoria autem Salomonis ea potiſſimum ſpectata fuerint, quæ ad ejus dignitatem & gloriam, quam dedecus facerent. Idem quoque obſervari de Moſe & Samuele, quod ob degenerem filiorum ipſorum naturam, nullam illorum, vel nominum ipſorum mentionem Scriptura faciat, ita ut ſint ac ſi nunquam fuiſſent.*

5. Scribit, *poſſe etiam id, quod Scriptura commemorat de amore Salomonis erga uxores ſuas, ſic exponi, ut non intelligatur tantum de eo quod Salomon fecit in ſenectute ſua, uti videtur innui* verſ. 4. *ſed de toto vitæ ejus ſpatio; quod nimirum hæc fuerit per vitam ejus conſuetudo, & ex ea hoc conſequutum ſit, ut tempore ſenectutis ejus, Mulieres inclinarint cor ejus poſt Deos alienos, &c.* Hactenus Abarbenel.

R. Samuel Laniado exiſtimat; *quamvis dicatur, Salomonem habuiſſe mille uxores & concubinas, tamen non neceſſario inde ſequi quod cum omnibus rem habuerit, ſed fuiſſe partim Principes, partim de vulgo mulieres, ad ejus obedientiam & miniſterium deſtinatas, atque etiam ut ad voluptatem ſuam illis uteretur, ſiquidem vellet; fieri vero potuiſſe, ut ne quidem tertiam partem attigerit. Quod in Cantico Canticorum dicitur,* אין לו עסק בזה׃ *id huc non pertinere, quod non ſit literaliter, ſed myſtice inteligendum. Pergamus.*

XLII. *Fœminam, quæ per Adulterium eſt polluta*, neque is, qui eam polluit, neque alius, poteſt ducere aut deſponſare. Cum adultera enim nemini cohabitare licet: unde & Maritus adulteræ eam repudiare jubetur. Cauſa fortaſſis eſt: quia hujuſmodi perſona, חייב במיתת בית דין Mortis, a Magiſtratu infligendæ, rea eſt. Adulteram autem Judæi vocant duntaxat אשת איש *Uxorem viri, ſeu, Conjugatam*, neque Adulterium niſi in tali agnoſcunt.

XLIII. Contrarium huic Regulæ videtur eſſe *Exemplum Davidis*, qui *Bathſebam*, quam vivente Uria marito ipſius cognovit, poſtmodum in Uxorem duxit, uti legere eſt 2. *Sam.* cap. 11. quod etiam a noſtris nonnullis, qui talia conjugia admitti poſſe cenſent, allegatur. Noſtri vero propoſiti non eſt, quæſtionem iſtam abſolute ventilare & diſcutere. Quia tamen hic in referendis, de hac Materia, Hebræorum ſententiis verſamur, & exemplum illud celebre eſt & illuſtre, multique fortaſſis etiam deſiderabunt, Hebræorum de hoc facto ſententias cognoſcere, ut eorum deſiderio ſeu curioſitati ſatisfiat, antequam ulterius progrediamur, quid illi de eo ſentiant; paucis placet perſtringere.

Sciendum autem, diverſa eſſe Hebræorum de Facto iſto Davidis judicia. *Talmudici*, & qui eos ſequuntur, Davidem ab omni culpa & peccato, quoad externum quidem factum, immunem reddere & abſolvere conantur; unde ajunt; כל האמר דוד חטא אינו אלא טועה׃ *Quicunque dicit, David peccavit, is graviter errat. Alii* tamen ſunt, qui graviter admodum & multipliciter eum peccaſſe, contendunt: attamen ſeria & vera pœnitentia reſipuiſſe & ad Deum ſe convertiſſe.

Ex illis videbimus hic שני אריות דבי עילאי עברי קרביא בהדי הדדי׃ *duos Leones de ſylva Elaj inter ſe concertantes* de hoc negotio, Don Iſaacum Abarbenelem, & R. Samuelem Laniado; quorum *ille* familiam ducit inter eos, qui Davidis peccata hic agnoſcunt; hic vero eorum, qui Davidem abſolvunt, in Commentario ſuo in Prophetas priores, quem כלי יקר *Vas pretioſum* vocat, ſed rationibus, magna ex parte, frivolis & futilibus.

Primo itaque inquit *Abarbenel*, חטא דוד באשת איש׃ *peccavit David in Uxore Viri*, h. e. *Adulterio*, & quidem turpiſſimo; concumbens cum uxore ſervi ſui, atque eo tempore, quo fuit occupatus in ſervitio Regis, & geſſit bella ipſius.

Ad hoc reſpondet Laniado, ex Talmudicorum mente, Davidem nequaquam commiſiſſe adulterium cum Bathſeba; & probat id *Primo* inde, quod eo tempore moris & juris fuerit, ut in Bellum profecturi uxoribus ſuis ſcriberent Libellum repudii, quo eas abſolute dimittebant, & juris ſui eas faciebant. Traditio enim talis hac de re extat in *Talmud de Sabbatho* cap. 5. fol. 56. col. 1. in *Kethubhoth* fol. 9. כל היוצא למלחמת ב״ד גט כריתות כותב לאשתו׃ *Quicunque abit in bellum domus Davidis, libellum abſciſſionis*, i. e. *repudii ſcribit uxori ſuæ*. Et hanc conſuetudinem dicit in uſu fuiſſe מזמן שאול וישי׃ *inde a temporibus Saulis & Iſai.* Quum ergo Urias hanc legem proculdubio quoque obſervarit, Bathſebam a vin-

culo matrimonii fuisse liberam, & per consequens, nullum cum ea commissum fuisse adulterium a Davide; cum is non prius cum ea congressus fuerit, quam libellum divortii accepisset.

Et quamvis R. Salomon hoc explicet de Libello conditionato; quod si videlicet quis in bello occumbat, ut, hoc in casu, Libellus sit validus, & ab eo tempore Mulier dimissa censeatur, quo libellum acceperit (hac quippe de causa existimavit R. Salomon, Davidem jussisse morti exponere Uriam); tamen existimat Laniado, Traditionem illam intelligendam esse de Libello absoluto, & statim a traditione valido; idque probat. 1. Ex phrasi, quia vocatur גט כריתות *Libellus abscissionis*; dicit enim, vocem כריתות denotare לגמרי *absolute & totaliter dimittere*: 2. Ex eo, quod in eadem hac historia dicit Nathan ad Davidem, cap. 12. vers. 9. ואת אשתו לקחת לך לאשה *Et uxorem ejus accepisti tibi in uxorem*. Dicit enim verbum לקח *Accipere*, significare Acceptionem seu Ductionem legitimam per sponsalia; ואילו היא אשת איש אין קדושין תופסין בה: *Quod si vero fuisset uxor viri adultera, Sponsalibus seu Desponsationi nullus in ea fuisset locus*. 3. Ex eo, quod David jusserit Uriam in domum suam ire, ut cum uxore sua concumberet. Quod si, inquit, fuisset Libellus conditionatus; hac ratione irritus fuisset factus, & David seipsum adulterum constituisset. Itaque dicendum, fuisse Libellum repudii absolutum. 4. Probat idem ex alio loco 1. *Sam.* 17. 18. ואת ערבתם תקח, ubi dicit ערבתם, significare דברים המעורבים בינו לבינה *Res permixtas seu communes inter ipsum & ipsam, h. e. inter uxorem & maritum, Vinculum matrimoniale*, quasi diceretur; *Et arrham eorum conjugalem, vinculum matrimoniale seu conjugale ipsorum accipies, vel ut R. Salomon παραφράζει*; גט כריתות *Libellum abscissionis seu repudii petes ab eis, quem uxoribus ipsorum afferas*, להפריד *ad separandam vel dirimendam communionem, quæ est inter ipsos*: Hic, ait, significatur Acceptio seu Sublatio totalis: quod si enim aliter exponeretur, עדיין התערובת במקומו *adhuc communio maneret in loco suo*.

Instant. *Atqui docet Scriptura, Davidem peccasse: quid enim sibi vult, quod Nathan dicit ad ipsum*; Quare contemsisti verbum Jehovæ, לעשות faciendo quod malum est in oculis ejus, &c. 2. *Sam.* 12. vers. 9. Item: *Prævaricationes meas ego agnosco*, Psal. 51. 5. *Quod si etiam non peccavit, cur egit tam serio pœnitentiam?*

Respondet iterum ex Talmudicis: Non dicitur, quod David malum reipsa fecerit, sed quod facturus erat: hoc enim sibi velle לעשות cujus sensus sit, *Facturus* quod malum est, &c. non vero quod actu fecerit: Nempe, כשהיצר אלבשיה לדוד בקש לעשות ודרוש לאשה כי חמד יפיה בלבבו ואפי' שתהיה אשת איש אבל לא עשה: *Cum concupiscentia mala invasisset Davidem, cupivit facere, & requisivit eam, quia concupiverat pulchritudinem ejus in corde suo, etiam si esset Uxor viri, sed non fecit: comperiebatur enim libellum repudii accepisse a marito suo, atque ita soluta esse*. Itaque sic peccatum & prævaricationem ipsius fuisse duntaxat in ejus voluntate & concupiscentia prava, quod in animum suum induxerit, eam de tecto videns, congredi cum ea, etiamsi uxor alicujus viri esset. At vero actum hunc non commisisse, eo quod indicatum ipsi fuerit, illam esse uxorem Uriæ, viri de acie seu exercitus ipsius; tales autem non proficisci domo in bellum, nisi libello Repudii uxori relicto. Hinc dicit dependere הבנת העניין intelligentiam totius hujus negotii.

Instantia? *Cur occidi curavit Uriam, & quid ipsum ad hanc rem impulit?*

Respondet: Fecit hoc מפני הבושה *propter pudorem*, ne dicatur; Uxorem hujus accepit David; atque sic prophanetur gloria Dei in persona Regis.

Secundo, probat Laniado, nullum actuale Adulterium hic intercessisse; שהיתה בת שבע אסורה לדוד לעולם: *quia si id factum esset, tum Bathseba in perpetuum prohibita & illicita fuisset Davidi: quia talis* אסורה לבעל ולבועל *prohibita est marito suo, & adultero*; ac proinde Davidi, cum pœnitentiam egit, iterum dimittenda fuisset: secus enim pœnitentiam ejus nihil ipsi profuturam fuisse, si peccatum non deseruisset, sed continue in eo perrexisset. De tali pœnitentia dici vulgo טובל ושרץ בידו *Lavat se, & reptile tenet in manu sua*.

Tertio, inde probat idem, quod Deus etiam non præceperit Davidi לגרש את בת שבע ejicere seu repudiare Bathsebam, quin potius illud conjugium confirmarit, eique benedixerit Filio sapiente, Domino totius terræ, & Domum seu Templum Domino ædificaturo.

Quarto, confirmat sententiam suam ex eo, quod de Davide dicitur, 1. *Sam.* 18. vers. 14. ויהי דוד לכל דרכו משכיל ויהוה עמו: *Et fuit David intelligens, prudens, in omnibus viis suis* (*Heb.* ad omnes vias suas) *& Dominus erat cum eo*. Quomodo consistere possunt hæc duo, inquit; ut Dominus in omnibus fuerit cum eo, & tam graviter deliquerit?

Ad

Ad hoc *excipit* Abarbenel, locum hunc intelligendum de præſenti tempore, & illis negotiis, in quibus tum verſabatur David, non de tempore futuro, quo peccaturus, & Dominus ab eo receſſurus erat; quinimo ſi etiam de tempore futuro accipiatur, intelligendum eſſe de pœnitentia ac reſipiſcentia Davidis, ut & de Dei miſericordia, qua ob pœnitentiam ejus, peccatum hoc ipſi condonavit, ejuſque iterum miſertus fuerit: & Rabbinum, qui hunc locum in Talmud pro Davide adduxit, ex amore & affectu erga Davidem id feciſſe.

Laniado reſpondet; imo etiam de futuro, & continua prudentia, & præſentia Domini cum Davide, intelligendum hunc locum eſſe; Docere id præpoſitionem Lamed in voce לכל: quod ſcil. non dicant; *Et fuit David prudenter ſe gerens* בכל דרכו *in omnibus viis ſuis*; ſed לכל דרכיו *Ad omnes vias ſuas, & Dominus cum eo*; quaſi diceret, שהיה ה' עמו דבק בהויה גמורה ויהי דוד מוכן לכל דרכיו להיות משכיל: *quod Deus ei fuerit adhærens præſentia abſoluta, & David ad omnes vias ſuas paratus fuerit, ut prudenter ageret*. Hæc de primo.

Secundum, peccatum Davidis, dicit *Abarbenel* fuiſſe hoc; שהשתדל דוד שאוריה ישכב עם אשתו ויחשב הבן הילוד לאוריה: *quod conatus fuerit David efficere, ut Urias concumberet cum uxore ſua, & hac ratione filius naſciturus haberetur Uriæ*. Hoc dicit fuiſſe פחיתות גדולה במלך חסיד כמוהו *levitatem magnam in Rege adeo ſancto, qualis David fuit*, facere ut Filius ſuus habeatur pro filio Uriæ, de ejus familia, atque a proſapia regis patris ſui prorſus excludatur. Hoc vix viliſſimum hominem dedecere.

Ad hoc duo reſpondet *Laniado*: *primo* affert tritum illud dictum Rabbinorum, במקום שיש חלול השם אין חולקין כבוד לרב: *Ubi eſt prophanatio nominis Dei* (ubi agitur de Gloria Dei) *ibi nulla honoris Principis habetur ratio*. Cum ergo Nomen Dei prophanatum fuiſſet, ſi filius ei natus fuiſſet ex tali muliere; maluiſſe Davidem ſufferre hanc ignominiam in filio ſuo, quam ut nomen Dei prophanetur: *ſecundo*, cogitaſſe Davidem, Filium hunc fortaſſis non ſupervicturum.

Tertium, Davidis peccatum dicit *Abarbenel*, fuiſſe הריגת אוריה *Homicidium* in Uria perpetratum, & שפיכות דם נקי *Effuſionem ſanguinis innocentis*, viri pii, & timentis Dominus, &c. Satius, inquit, fuiſſet, ut David illic eum detinuiſſet ad aliquod tempus, donec mulier peperiſſet, ac filium nutrici alicui tradidiſſet, remque occulte habuiſſet, quam Adulterio jam Homicidium addere.

Reſpondet *Laniado*; Neque in hoc peccaſſe Davidem: eo quod Uria rebellis fuerit commeritus: *Primo* enim, *ait*, cum diceret Urias; *Dominus meus Joab, & ſervi Domini mei*, 2. *Sam.* 11. verſ. 11. crimen commiſit læſæ Majeſtatis Regiæ, Joabum vocando Dominum ſuum, coram Davide: *deinde*, cum Rex ei edixiſset, *ut in domum ſuam deſcenderet, & pedes ſuos lavaret*, verſ. 8. non obtemperavit huic verbo Regio, atque ita rurſus mortis reum ſe effecit.

Quarto, inquit *Abarbenel*, graviſſime quoque peccavit David, in Modo occidendi Uriam; quod eum occiderit gladio filiorum Ammon, & per manus inimicorum Dei; & præterea ita, ut impoſſibile fuerit, ut hac ratione interficeretur Uria ſolus, ſed neceſſario aliis etiam cum ipſo fuerit occumbendum. Nam non ponunt virum unicum & ſolum e regione prælii, vel in fronte aciei. Unde & Scriptura dicit; *Et ceciderunt de populo, de ſervis Davidis: ſed & mortuus eſt Uria Chittæus*, verſ. 17. Ad confirmationem hujus adducit etiam ex Medraſch, *quod David multos juſtos occiderit cum Uria*.

Reſp. *Laniado* ad hoc ex ſententia Rabbinorum; Hic omnino, & ſine dubio, peccaſſe Davidem, quod eum interfici curaverit gladio filiorum Ammon: כי היה לו לדונו בסנהדרין כי בן מות הוא: *nam debuiſſet eum judicare vel condemnare per Synedrium, ſi mortis reus fuit*: ſed tantum in hoc. Hinc, ait, ſcriptum eſt, 1. *Reg.* 15. verſ. 15. רק בדבר אוריה *Tantum in verbo Uriæ*: Et hac de cauſa dixiſſe Davidem: *Libera me a ſanguinibus, o Deus*, *Pſal.* 51. verſ. 16. Particulam רק ſignificare reſtrictionem ad unicam hanc cædem, qua eum per Ammonitas interfici curavit, quem debebat ſupplicio afficere per Synedrium.

Quod vero ad alterum attinet; *quod David etiam cauſa fuerit cædis plurium innocentum*, in eo ſic excuſat Davidem. Dicit, Davidem nihil aliud præcepiſſe, quam; הבו את אוריה אל מול פני המלחמה החזקה ושבתם מאחריו ונכה הוא לבדו ומת: *Ponite Uriam* (ſc. ſolum) *e regione*, (vel, in fronte) *prælii fortis, poſtea revertimini a tergo ejus, ut percutiatur* (ipſe ſolus) *& moriatur*: Et ſic quoque feciſſe Joabum, ſicut ſcriptum eſt; *Et poſuit Uriam in loco, ubi ſciebat viros eſſe fortiſſimos*; Deum etiam auxilio fuiſſe Davidi, ne ipſius cauſa plures occiderentur: contigiſſe autem, ut egrederentur viri civitatis, & pugnarent cum Joabo ipſo, & tunc, in illo conflictu, qui fuit cum Joabo, ceci-

cecidisse plures de populo, & de servis Davidis cecidisse, mortuum item etiam esse Uriam: attamen non seorsim & primo, in loco illo, in quo constitutus fuerat a Joabo, ubi sc. sciebat esse viros fortissimos; sed postea, cum egrederentur seu eruptionem facerent viri civitatis, sicut scriptum est; *Et egressi fuerunt viri civitatis, & pugnarunt cum Joab; (cum Joab*, scilicet דייקא præcise tunc in illo conflictu) *& ceciderunt de populo, de servis Davidis: mortuus etiam est Urias Hithæus* (sc. occasionaliter & per accidens). Itaque in hoc solo reatum Davidis consistere, in verbo malo, quod David dixit seu scripsit ad Joabum: hinc dici in loco supra adducto, רק בדבר אוריה *Tantum* in verbo *Uriæ*, seu, *de Uria*, *&c.* Hanc excusationem dicit ad minimum posse valere de iis de populo, & de servis Davidis, qui in hoc prælio occubuerunt, si non de Uria ipso; eo quod diversa ratione videantur occubuisse; cum de illis dicatur ויפל *Et ceciderunt*; de Uria autem, וימת *Et mortuus est*; unde argui possit, illos vere & proprie ex conflictu interiisse, hujus vero mortis causam esse Davidem, sed solius.

Quinto, dicit *Abarbenel*, peccavit David etiam in eo, quod statim ac ipsi nuntiatum esset, Uriam mortuum esse, & luctus præteriisset, miserit, & acceperit eam in uxorem, ac si adhuc concupiscentia flagraret; neque ad certum & justum tempus exspectaverit; quinimo nondum elapsis nonaginta diebus a morte Uriæ: ante quod tempus de jure non licet viduam desponsare.

Respondet *Laniado*; Fieri posse, ut David quo, quantum in se erat, tegeret ignominiam, neque dispalesceret, Bathsebam ex se gravidam esse, consultum duxerit, mature eam ducere, & in palatium suum traducere. Quod vero ad nonaginta dies attinet, in eo etiam nullum dicit esse reatum, eo quod Bathseba libellum divortii acceperit ab Uria.

Sic Hebræi sentiunt & scribunt de hoc facto Davidis, ex qua sententiarum collatione facile est judicare, quænam sententia sit validior, & præferenda; si tantum hoc attendatur, quænam meliora & certiora fundamenta in Verbo Dei habeat. Nam quod excusationes attinet, quæ pro Davide a Laniado afferuntur, eæ vel nituntur frivolis Traditionibus Judaicis, vel incertis conjecturis, vel ridiculis Scripturæ detorsionibus. Saltem id, quod ab initio dictum, ex his liquet, secundum Judæos non licere eam, quæ per adulterium est polluta, in uxorem ducere, neque hanc licentiam facto Davidis excusari posse; quia illi vel Davidem ab adulterio absolvunt; & sic nihil ad rem faceret hoc exemplum; vel illum adulterii & gravium peccatorum reum constituunt; & sic non est imitandum. Neque quod Deus in Davide toleravit, vel etiam ei ignovit, & condonavit, in exemplum trahendum, vel pro regula habendum & proponendum. Lex enim Dei sola est vitæ nostræ regula, non Exempla, maxime singularia. Sed redeamus ex hac digressiuncula in viam.

XLIV. Hactenus de Personis, & conditionibus Personarum, quæ desponsari possunt, vel non possunt. Antequam ulterius progrediamur, unum adhuc placet addere: *Quomodo videlicet Hebræi Legem illam explicent, quæ Numerorum cap.* XXXVI. *filiabus Tzelophchad data fuit, ut nuberent maritis qui essent de familiis tribus patris sui?* Inde enim nonnulli Legem universalem eliciunt, *quasi nemini Israelitarum, ab eo tempore, licuerit extra tribum suam nubere, &c.*

Videbimus primo Verba præcipua Textus Originalis huc spectantia: *Cum principes patrum, de familia filiorum Gilead, &c. accessissent Mosen* (vers. I.) *ac dixissent; Quia ex edicto Divino, in divisione possessionum terræ Canaan, possessio Tzelophchadi, filiabus ejus danda sit;* (de quo *Num.* cap. 27. *Si vero filiæ istæ alicui de aliis tribubus in uxores dentur, hac ratione fieret, ut hæreditas earum, a portione seu possessione patrum ipsarum avelleretur, & possessioni tribus eorum adderetur, quibus nupserint, atque sic sors ipsorum assignata minueretur, quæ ne in Jubilæo quidem reverteretur,* (*quia si per talia connubia filios gignerent, hæreditas ad illos pertineret: Filii autem juxta tribum patris, non matris recensentur,*) (vers. 2. 3. 4. 5.) *Respondit Moses, juxta sermonem Domini dicendo;* כן מטה בני יוסף דברים *Rectum tribus filiorum Joseph loquuntur:* זה הדבר אשר צוה יהוה לבנות צלפחד לאמר לטוב בעיניהם תהיינה לנשים אך למשפחת מטה אביהם תהיינה לנשים *Hoc est verbum, quod præcepit Dominus filiabus Thelophchad, dicendo; Bono in oculis ipsorum* (cuicunque ipsis libuerit) *sunto in uxores; attamen* (alicui) *de familia tribus patris ipsarum sint in uxores:* ולא תסב נחלה לבני ישראל ממטה אל מטה כי איש בנחלת מטה אבתיו ידבקו בני ישראל *Et non circuibit, vel devolvetur hæreditas filiorum Israel de tribu ad tribum: singuli enim filiorum Israel adhærebunt possessioni tribus patrum suorum,* (h. e. operam dabunt, ut firmiter possessionem suam retineant & tueantur) וכל בת ירשת נחלה ממטות בני ישראל לאחד ממשפחת מטה אביה

אביה תהיה לאשה למען ירשו בני ישראל איש נחלת אבתיו *Et omnis filia hæreditate accipiens possessionem, de tribu filiorum Israel, alicui de familia tribus patris sui erit in uxorem, ut quisque filiorum Israelis hæres fiat possessionis patrum suorum,* ולא תסב נחלה ממטה למטה אחר כי איש בנחלתו ידבקו מטות בני ישראל *Neque devolvetur possessio de tribu* (unius) *ad tribum* (alterius): *quisque enim possessioni suæ adhærebit, qui fuerit de tribubus filiorum Israel:* כאשר צוה יהוה את משה כן עשו בנות צלפחד *Quemadmodum præcepit Dominus Mosi: sic fecerunt filiæ Tzelophchad, &c.* Sic habent Verba Sacri contextus Hebræa. Videamus Hebræorum Commentaria & explicationes.

R. Salomon ad hæc verba: *Et omnis filia hæres possessionis alicujus;* שלא היה בן לאביה *Cujus scil. pater nullum habet filium.*

In Talmud, Tractatu de Jejunio cap. 4. fol. 30. col. 2. חמשה עשר באב מאי היא אמר רב יהודה אמר שמואל יום שהותרו שבטים לבא זה בזה מאי דרוש זה הדבר אשר צוה יי' לבנות צלפחד וגו' דבר זה לא יהא נוהג אלא בדור זה *Decimus quintus dies mensis Af* (festus sc.) *quisnam est? Raf Jehuda dixit, R. Samuelem dixisse, fuisse diem illum, quo permissum fuit tribubus matrimonia inter se contrahere. Unde hoc probant vel deducunt? Ex eo quod dicitur:* Hoc est verbum, *vel,* Hæc est res, quam præcepit Dominus de filiabus Tzelophchad, &c. q. d. *Verbum hoc, vel Res hæc non usurpabitur vel observabitur, nisi in hac generatione* (scil. filiarum Tzelophchad.

In Bava Bathra fol. 120. col. 1. בנות צלפחד הותרו לכל השבטים שנאמר לטוב בעיניהן תהיינה לנשים אלא מה אני מקיים אך למשפחת מטה אביהן תהיינה לנשים, עצה טובה השיאן הכתוב שלא ינשאו אלא להגון להן *Filiæ Tzelophchad permissæ fuerunt omnibus tribubus, sicut dicitur:* Ei, cui ipsis videbitur, erunt in uxores. *Atqui postea dicitur,* Alicui de familia tribus patris ipsarum erunt in uxores. His verbis *Consilium bonum* (non præceptum) *dedit illis Scriptura, ne nubant nisi illi, qui ipsis sit conveniens* (ad conservandam scil. hæreditatem & possessionem suam in tribu ipsarum). Mox ibidem etiam dicitur, illa verba: *Omnis filia hæres possessionis alicujus;* non fuisse dicta, nisi pro eo tempore.

Ibid. fol. 111. col. 1. וכל בת יורשת נחלה ממטות בני ישראל היאך בת יורשת שני מטות אלא זו מאביה משבט אחד ואמה משבט אחר וירשתן Et omnis filia hæres possessionis de tribubus Filiorum Israel. *Quomodo? Filia hæres esse potest duarum tribuum; illa sc. cujus pater est de tribu una, & mater de tribu alia, &c.*

R. Moses ben Nachman ad hæc verba: *Et non devolvetur possessio filiorum Israel de tribu in tribum;* scribit: אל חשש הכתוב אלא לתקן העת ההיא כי אם היו בישראל נשי' נשואות לשבט אחד והם יורשות נחלה היום או שתירשנה מיום זה ואילך שימות אביהן או אחיהן בלא בנים על כרחנו תשוב נחלהן ממטה אל מטה ומי יוכל לתקן בזמן אשר עותו כי לא רצתה התורה לצוות שלא יירשו אותן הבן והבעל שלא ראתה לעקור משפט הירושה' וכן רא יחוש הכתוב למקרים העתידים לבוא כי הבנות שאינן יורשות נחלה יכולות להנשא לכל השבטים וכו' *Non vult Scriptura hæc dirigere nisi Tempus illud. Nam si in Israele fuissent mulieres nuptæ in tribu alia, & vel hodie in tempore præsenti jam hæredes essent possessionis alicujus, vel inposterum fierent, decedente fratre vel patre ipsarum, sine liberis; necessario in hoc casu possessio devolveretur de tribu una ad tribum aliam. Et quis posset hæc deinceps iterum corrigere posteaquam ita confusa essent? Nam non voluit Lex præcipere, ne vel filius vel maritus ipsarum* (qui essent de alia tribu & legitimi hæredes) *non ejus hæredes essent: quia nequaquam mens ejus fuit tollere jura hæreditatum. Similiter etiam non fuit sollicita hic Lex de accidentibus futuris: quia filiæ, quæ non erant hæredes possessionis alicujus, poterant nubere omnibus tribubus; & tamen fieri potuit, ut hæreditatem aliquam acciperent sequenti tempore, decedente forte fratre ipsarum, superstite adhuc patre, & sic transiret possessio Patris, aut propinquorum ipsarum. Juxta sententiam Rabbinorum nostrorum, qui voluerunt, rem istam non fuisse usitatam, nisi pro illo tempore tantum, dicendum, Non fuisse Filias in tota illa generatione veniente in terram Canaan, hæredes possessionum, præter filias Tzelophchad,* כי על כן לא דברו. *Atqui præcepit Scriptura, ut si moreretur homo, a die illa usque ad divisionem terræ inter tribus, & filia ipsius hæreditatem ejus obiret, illa non posset nubere in tribum aliam, ne vir ille veniret tempore divisionis terræ, ad accipiendam possessionem in tribu alia. Nam cura erat major pro ipsis tempore divisionis, ne commiscerentur tribus inter se in possessionibus. Postea enim jam nota fuit possessio singulorum, ac propterea non ita solliciti fuerunt. Quia autem non cognitum fuit tempus divisionis, idcirco cavit de tota generatione. Ab eo autem tempore & ulterius, Deo, in cujus manu est anima omnis viventis, non fuit cura gerenda. Et hoc rectum est secundum sensum literalem; horum enim verborum* ולא חסוב נחלה,

נחלה, *ſenſus non eſt*; Ut non transferatur vel devolvatur hæreditas; *ſed ſunt duo præcepta*; primo, *de hæredibus filiabus poſſeſſionum, ne nuberent, niſi alicui de tribubus patris ſui*; deinde *de jam nuptis, & ad quas perveniebat poſſeſſio, poſteaquam jam maritatæ eſſent, ne devolvatur poſſeſſio de tribu una ad tribum aliam; ſed ut illarum hæredes eſſent fratres & propinqui, non filii vel mariti ipſarum; Et primo quidem id monet de filiabus Tzelophchad, tum de omni filia hærede poſſeſſionis alicujus: & de toto Iſraele dicit*: Ne devolvatur hæreditas de tribu ad tribum: *nam etiam maritatæ, & quæ admonitæ fuerunt de hac re, ſi transgrederentur præceptum hoc, hæreditatem ipſarum obibant Tribus ipſarum: ut omnes adhærerent, & alligati eſsent poſſeſſioni tribus paternæ, ne hæreditas ipſorum ſepararetur ab ipſis, nec ipſi ſepararentur a poſſeſſione patrum ſuorum: Neque etiam omnia hæc obſervabantur, vel uſitata erant, niſi in illa generatione, quæ poſſeſſione accepit terram, tempore diviſionis illius. Conſilium autem dedit illis, tum de innuptis, de quibus rogatus fuerat, tum de nuptis*. Hactenus Ramban, cujus ſententia eo etiam tendit, non fuiſſe perpetuum, vel univerſale præceptum, ſed reſtrictum ad certum tempus, & certas etiam perſonas; filias nimirum illas, quæ per hæreditatem habebant poſſeſſionem aliquam, &c.

R. Levi ben Gerſon: בקשו שלא תהיינה לנשים למטה אחר וידמה שכבר רצו בזה שלא תהיינה למשפחה אחרת כי המטה או השבט יאמר על המשפחה: וזה שאם היה רצונם שלא ינשאו לזולת בני השבט הנה עדיין ישאר התרעומת שהין מתרעמין והוא שכבר תהיה נחלתם נוספת על נחלת המשפחה ההיא מה שנגרע מנחלתן בירושת הארץ כי הם יירשו יחד עמהם כאלו היתה הירוש' לחפר ואולם כאשר תהיינה לנשים לבני דודיהן לא תצא נחלת חפר מבניו וכן היה מוסכם מהשם יתעלה כמו ששאלו כהוגן והנה הונכל זה העניין אז לכל בת יורשת נחלה: וכו' *Petierunt, ne eſſent in uxores, i. e. ne nuberent* למטה אחר tribui alii. *Quo hoc videntur voluiſſe dicere, ne* nuberent familiæ alteri. *Nam vocabula* מטה & שבט, *quæ* Tribum *ſignificant, dicuntur aliquando de* Familia. *Quod ſi enim voluiſsent dicere*, Ne nubant alii extra tribum ſuam, *maneret cauſa murmurationis, propter quam murmurabant, hæc videlicet; quod hac ratione poſſeſſio ipſarum adderetur poſſeſſioni familiæ illius, & ſic detraheretur de poſſeſſione quam acceperunt in hæreditate terræ* (Nam ipſi *hæredes fierent* ſimul cum ipſis, ac ſi hæreditas eſſet Chepheris): *Quod ſi autem futuræ ſunt uxores patruelium ſuorum, non egredietur hæreditas Chepheris a filiis ipſius: Atque ita, uti petierunt, indultum ipſis eſt a Deo. Determinata autem tunc fuit res iſta in omni filia hæreditate accipiente poſſeſſionem* (terræ), *cujus poſſeſſio diminuitur vel detrahitur de poſſeſſione propinquorum ejus; ut ſit in uxorem alicui de familia patris ſui. Ideo non viguit hoc jus, niſi pro illo tempore. Nam poſt illud tempus non accidit, ut detraheretur poſſeſſio ipſarum, a poſſeſſione hæredum, &c.*

R. Bechai: Neque devolvetur poſſeſſio de tribu, ad tribum aliam; מצוה לשעה קודם שינחלו ישראל הארץ: *Præceptum temporarium fuit, antequam Iſraelitæ poſſiderent terram*. Et omnis filia hereditate accipiens poſſeſſionem, שלא היה בן לאביה אחר שינחלו את הארץ: *Cujus ſc. pater nullum habet filium; & hoc poſtquam terram poſſediſſent. Hac de cauſa dicit Scriptura ſecunda vice*; ולא תסוב את הנחלה Et non devolvetur hæreditas: ומטעם זה היה מנהג בישראל בבת יורשת כשתעבור על זה ותרצה להנשא לשבט אחר שהיו קורין אותה זונה והיה מפסרת נחלת בית אביה וזהו שכתוב ויותח הגלעדי היה גגור חיל והוא בן אשה זונה כי אמו של יפתח היתה בת ירשת נחלה ונשאת לשבט אחר כי אין הכונה זונה ממש חס ושלום וכן תרגם יונתן ואפשר לומר כי ולא תסוב נחלה ידבר בנפשות ולכך הזכיר פעם שנית ולא תסוב נחלה וכן מלת ידבקו כי האחד דבקות הגוף והשני דבקות הנפשות: *Et propter hanc rationem fuit conſuetudo in Iſraele, de filia hæreditatem accipiente, ut, ſi hoc transgrederetur, & vellet nubere in aliam tribum, eam vocarent* זונה, *& fuit corrumpens vel deſtruens poſſeſſionem domus patris ſui. Hoc eſt quod ſcriptum eſt*; Et Jiphtach Gileadita fuit potens robore, & erat filius mulieris זונה, *Judic.* 11. verſ. 3. *Mater enim Jiphtachi fuit Filia hæres poſſeſſionis; & nupta in alia tribu; Nequaquam enim intelligitur* זונה revera (i. e. Scortum, Meretrix vera). *Abſit! Et ſic quoque interpretatus eſt Jonathan. Poteſt etiam dici, quod verba hæc*; Et non circuibit vel devolvetur hæreditas; *loquantur de Animabus, ac propterea ſecunda vice repetantur; ut & vox* ידבקו Adhærebunt. *Una enim, eſt Adhæſio corporis; altera, Adhæſio animarum*.

Onkelos Hebræa de verbo ad verbum reddit.

Jonathan nonnihil paraphraſtice verſ. 6. 7. ita reddidit; דין פתגמא דפקיד יי לא לדריא דעתידין למיקום בתר פילוג ארעא אלהן לבנת צלפחד למימר לדתקין בעיניהן תהוין לנשין לחוד לגניסת שבט אבוהן תהוין לנשין מטול דלא תתוקף אחסנא לבני ישראל משבטא לשבטא חורנא ארום גבר באחסנת שבטא

שבטא דאבהתוי ידבקון בני ישראל: *Hoc est verbum, quod præcepit Dominus, non generationibus exsurrecturis post divisionem terræ; sed filiabus Tzelophchad, dicendo; Ei cui bonum videbitur in oculis ipsarum, sunto in uxores: modo alicui de familia tribus patris sui nubant: ne devolvatur hæreditas filiorum Israel de tribu una ad tribum aliam: nam quisque filiorum Israel tribui patrum suorum adhærebit.*

Flavius Josephus Antiquit. Judaic. lib. 4. cap. 7. ita hæc refert: *Eodem tempore, cum defunctus esset quidam e primatibus Manassidis tribus, nomine Salpades, liberis fœminei tantum sexus relictis, tribus ejus viri insignes Moysem consulunt. An filiarum ejus, in divisione & sortitione agrorum, ratio haberi debeat. Is respondit, si in domum tribulis nuptum darentur, sortem dotalem fore: sin mallent in aliam tribum elocari, sortem in sua tribu relinquerent. Atque hac occasione instituit, ut cuique tribui suæ sortes perpetuo manerent.* Sic Josephus, ex versione Gelenii: quæ quomodo cum Textu authentico conveniant, vel inde exsculpi queant, non video.

Interpretes etiam Græci a Textu Hebraico hic non recesserunt.

Vulgatus autem Interpres multum hic *deviavit a Veritate Hebraica*, ut Paulus Burgensis loquitur, *multasque & magnas legis conditiones neglexit*, ut Cajetanus scripsit: versus 6. Hæc lex super filiabus Salphaad a Domino promulgata est: *Nubant quibus volunt, tantum ut suæ tribus hominibus* vers. 7. *Ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum: Omnes enim viri ducent uxores de tribu & cognatione sua*: vers. 8. *Et cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, ut hæreditas permaneat in familiis*: vers. 9. *Nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, ut a Domino separatæ sunt*: vers. 10. *Feceruntque filiæ Salphaad, ut fuerat imperatum*. Quantum hæc discrepent a Fonte & Veritate Hebraica, ex collatione cum ea, quivis studiosus Lector ipse potest deprehendere.

Unum tamen hac occasione Lectorem monere non possum prætermittere, quod Doctissimo & alias accuratissimo Casaubono excidit. Dum ille in Exercit. 1. ad Annales Baronii, de genere Josephi & Mariæ, & ex ea occasione etiam de ista Lege agit, inter alia sic scribit: *Simillima fuit Lex Mosis, de quibus in extremo illo capite Numerorum agitur, quod si intellexisset Baronius, ad omnia conjugia promiscue illam non extendisset. Satis hoc exprimitur illis ipsis verbis, quæ sunt in Annalibus descripta: sed multo clarius illis, quæ Latinus Interpres omisit Numerorum capite 36. versibus octavo & nono. Quæ fuerit causa illius omissionis, nescio: observo tamen iisdem codicibus cum Latino Interprete usum & Jonathanem, F. Uzielis in suo Targum.* Hoc postremum vellem melius expendisset Vir ille eximius: magnum enim est discrimen inter Versionem Latini Interpretis Veteris, & inter Targum Jonathanis F. Uzielis, ut nulla ratione dici possit, illos iisdem codicibus usos.

Interpres enim *Latinus*, aliqua ratione versum octavum & nonum exprimit, sed mutile & imperfecte, uti liquet. Versui enim octavo textus Hebræi, respondent ista; *Et cunctæ fœminæ*, &c. versui nono hæc; *Nec sibi misceantur tribus*, &c.

In *Targum Jonathanis filii Uzielis*, duo isti versus prorsus sunt omissi, adeoque ne verbulum quidem est, quod illis respondeat. Unde maxima est inter illos differentia, ut non dici possint iisdem codicibus usi in condendis suis versionibus.

Quæ causa sit discrepantiæ Interpretis Latini, neque ego scio, neque hujus loci est inquirere. Novus aliquis Criticus hic prætendet Varietatem Codicis Hebræi, quo usus sit, & variam lectionem introducet proculdubio: sed longe aliter saniores Doctores. Paulus Burgensis in additionibus ad hunc locum ita: *In hoc præcepto multum deviat translatio nostra* (non, codex Hebræus, quo usus est translator) *a veritate Hebraica* (non, a Codice Masorethico). *Nam secundum veritatem Hebraicam non probibetur fœminis, quin nubant quibuscunque voluerint de genere Israelitico, nisi tantum fœminis, quæ hæreditatem habent, sicut illæ quæ non habent Patres, & istis tantum præcipitur, quod alicui de cognatione patris sui nubant, & hoc est quod dicitur;* Omnis filia quæ habet hæreditatem, uni de cognatione patris sui erit uxor. *Similiter non probibetur, quin viri ducant uxores de tribu alia. Hoc enim, quod dicitur in Translatione nostra;* Omnes enim viri ducent uxores de tribu & cognatione sua, *non est in Hebræo, sed ibi dicitur sic:* Non revertatur hæreditas filiorum Israel de tribu in tribum: sed unusquisque in hæreditatem tribus patrum suorum adhæreat. *Similiter ubi in translatione nostra dicitur;* Ne sibi misceantur tribus, sed ita maneant, *non est in Hebræo, sed dicitur sic;* Ne revertatur hæreditas unius tribus ad aliam tribum. *Et ratio hujus Legis testatur pro veritate Hebraica, quæ quidem ratio*

tio finalis est, ut divisio hæreditatum fienda inter tribus perpetuo remaneret, ita quod nihil de terra, quæ in sorte tribui Judæ caderet, posset aliquando reverti ad tribum Benjamin, & sic de aliis. Et quia secundum Legem veterem non succedebant in hæreditatem paternam, nisi illæ tantum, quæ fratribus masculis carebant; ut supra eodem 27. *capite, ideo de istis tantum dabatur Lex, ne commiscerentur alicui de alia tribu, quia per talem commixtionem hæreditas unius tribus transiret in aliam, quod erat contra ordinationem Divinam: sed aliæ fœminæ, quæ fratres habebant, & per consequens non succedebant in hæreditate paterna, non prohibebantur per istam Legem, quin contraherent cum aliis quarumcunque tribuum, quia ex hoc non consequebatur confusio sortium, ut satis patet. Nec legitur etiam, aliquam dispensationem fuisse super hoc factam, qua tribus sacerdotalis & regia possent ad invicem commisceri per matrimonia. Non enim requirebatur in hoc dispensatio, quia Deus non prohibuit commixtionem tribuum, nisi tantum ubi ex matrimonio posset sequi commixtio hæreditatum, ut patet secundum Veritatem Hebraicam, ut dictum est.* Cajetanus: Multas & magnas Legis conditiones neglexit Interpres, unde in errores inducti sunt veteres qui alias versiones non inspexerunt, hac sola freti & usi. Videatur & Nicolaus de Lyra, Drusius, Amama, & alii.

Quæ vero causa sit illius hiatus in Targum Jonathanis, facile est divinare. Error est manifestus, vel Exscriptoris, vel Librariorum. Nam cum versus septimus & nonus fere sint iidem, & iisdem verbis terminentur, ידבקו בני ישראל; inde incuria & ἀβλεψίᾳ saltum fecit seu Scriptor hujus Targum, seu Librarius, a versu septimo ad decimum, duos intermedios omittendo.

Hæc de ista Lege, ex Hebræis inserere placuit, quia ex discrepante illa Interpretatione Latina, diversæ quoque de ea sententiæ extiterunt: & illa etiam sæpe adducitur in Genealogia Christi, in explicando genere Josephi & Mariæ, ut saltem quid Hebræi de ea sentiant, & scribant, curiosi lectores ob oculos & in promptu habeant. Quamvis enim ista Hebræorum hujus Legis explicatio retineatur, nihil tamen impedit, quo minus inde Mariæ genealogia ex eadem cum Josepho tribu sequatur, & probari possit; quia sc. cum Mariæ nulli fratres fuerint, Virgo fuit ἐπίκληρος, quam Lex hæc obstrinxit, ut erudite id quoque ostendit doctissimus Casaubonus, in loco paulo ante citato, cujus verba hic subjicienus; *Probat*, inquit, *Baronius, Evangelistas in genere Josephi simul & gloriosæ Virginis genus esse complexos: quod etsi verissimum est, atque adeo cunctis Christianis debet esse persuasissimum, non recte tamen ab illo demonstratur. Institutum de non miscendis tribubus, quod ipse existimat Josepho necessitatem imposuisse; quia homo justus erat, ducendæ uxoris quæ esset e tribu Juda, non imperatur absolute ea lege Mosis, quam laudat Baronius e capite ultimo Numerorum. Nam ibi Moses non in universum de omnibus fœminis loquitur: sed de illis duntaxat, quæ in Atheniensium legibus* Ἐπίκληροι *dicebantur, &* ἐπιπρόχοις *opponebantur; hæ dotem certam e bonis paternis auferebant: illæ totam hæreditatem in dotem adferebant. Nam, ut ex Orationibus Isæi & Demosthenis liquet,* οὐκ ἐξῆν ἐπικλήροις ἔξω τῆς ἀγχιστείας γαμεῖν· ἀλλὰ προσῆκον ἦν αὐταῖς μετὰ τῶν χρημάτων τῷ ἐγγύτατα γένους συνοικεῖν: non licebat virginibus ἐπικλήροις extra cognationem enubere, sed oportebat ipsas una cum bonis proximo agnato nubere. *Neque solum Athenis gentis enuptio vetita, sed etiam in aliis Græcorum civitatibus.* Diodorus Siculus lib. 12. in Solonis & Charondæ legibus ita cautum hac de re fuisse testatur; Κελεύει ὁ νόμος τῇ ἐπικλήρῳ ἐπιδικάζεσθαι τὸν ἔγγιστα γένους, ὡσαύτως δὲ καὶ τὴν ἐπιδικάζεσθαι τῷ ἀγχιστεῖ. *Ubi jus idem in viros & mulieres statuitur; ut proximus agnatus cum ea fœmina, ad quam gentis hæreditas est devoluta, judicio experiri possit, si nuptias ex lege recuset: & vice versa virgo aut mulier in simili casu. Simillima fuit Lex Mosis, de qua in extremo illo capite Numerorum agitur, quod si intellexisset Baronius, ad omnia conjugia promiscue illam non extendisset. Satis hoc exprimitur illis ipsis verbis, quæ Latinus Interpres omisit Numerorum cap.* 36. *versibus octavo & nono. Quæ fuerit causa illius omissionis, nescio: observo tamen, iisdem codicibus cum Latino interprete usum & Jonathanem, Uzielis filium in suo Targum. Ex his sequitur, Beatam Virginem, non solum ejusdem fuisse tribus Juda cum Josepho, sed etiam ex eadem gente & cognatione, nempe Davidica. Itaque vere & docte Epiphanius contra scelestissimum hæreticorum genus Antidicomarianitas scribit, Mariam Josepho esse traditam,* κλήρων εἰς τοῦτο ἀναγκασάντων αὐτὴν ἥκειν: quum jura hæreditatis, quam possidebat, eo ipsam adegissent. *Significat enim, Mariam fuisse Virginem* ἐπικλήρον. *Quod autem Epiphanius bona, quæ tum beata Virgo obtinebat,* κλήρους *appellat, non* κλῆρον, *videtur*

tur id innuere, una cum patris hæreditate, etiam aliorum agnatorum bona ad ipſam devoluta. Interpres Epiphanii horum verborum mentem non cepit. Hactenus Caſaubonus.

Sic actum eſt hactenus de Perſonis.

FORMA ET MODUS DESPONSANDI.

XLV. IV. *Deſponſationis Forma & Modus.* De hoc ſcribunt, Mulierem ſeu Uxorem acquiri & deſponſari poſſe tribus modis, Vel ſc. *Pecunia*, vel *Inſtrumento ſeu Contractu ſcripto*, vel *Concubitu*. Majemonides libro citato cap. I. באחד משלשה דברים אלו האשה נקנית בכסף או בשטר או בביאה בביאה ובשטר מן התורה ובכסף מדברי סופרים: h. e. *Uno aliquo ex his tribus modis comparatur Uxor; Pecunia, Inſtrumento literarum, & Concubitu. Et quidem Concubitu, & Inſtrumento literarum, ex Lege Moſaica; Pecunia vero, ſecundum verba Scribarum.* Quamvis ſint qui velint, hunc quoque modum eſſe ſecundum Legem Dei.

XLVI. Quocunque *trium* horum modorum acquiratur mulier, *tria* requiruntur alia; *primo*, ut id fiat בפני עדים adhibitis teſtibus, & quidem minimum *duobus*: Nam ſi quis coram uno duntaxat teſte deſponſarit, licet ambo ſint confitentes, deſponſatio tamen nulla eſt: ſed & *legitimi* debent eſſe teſtes, apti ſecundum Legem ad teſtandum: *ſecundo*, ut diſertis & conceptis verbis id faciat non Mulier, ſed Vir, (quia Vir ducit Mulierem, non Mulier Virum) & quidem talibus, quæ *Accipiendi, Ducendi, Deſponſandi, &c.* vim & ſenſum, citra omnem ambiguitatem, habeant; veluti; הרי את מקודשת לי aut הרי את מאורסת לי *Ecce tu mihi es per hoc deſponſata:* aut, הרי את לי לאשה בזה *Ecce tu mihi cum hoc es in uxorem:* הרי את קנויה לי *Ecce es mea empta:* הרי את שלי *Mea es:* הרי את לקוחתי *Es mea accepta, ducta*, חרופתי: Item, הרי את ברשותי *Es in poteſtate mea;* Communior formula eſt; הרי את מקודשת לי בדבר זה כדת משה וישראל: *En deſponſata mihi es hac re, ſecundum ritum Moſis & Iſraelis:* de quibus vide *Majem.* cap. 2. §. 1. & 6. *tertio*, ut id fiat Lingua, quam mulier intelligat, cap. 3. §. 8. ויש לאיש לקדש האשה בכל לשון שהיא מכרת בו ויהיה משמע דברים באותה הלשון שקנאה: h. e. *Vir poteſt mulierem deſponſare quavis lingua, quam ipſa intelligat; modo verbis utatur ſignificationem talem, ut modo dictum, habentibus.*

XLVII. Quamvis autem, ſecundum Legem Moſis quoque, licitum eſſe velint, בביאה *Concubitu* ſibi mulierem deſponſare; attamen non amplius iſto modo utuntur משום פריצות *quia id impudicum & laſcivum eſt*, כדי שלא יהיו בני ישראל פרוצים בדבר זה *ne Iſraelitæ hac in re impudici fiant.* Et qui ſic deſponſat, מכין אותו מכת מרדות *eum percutiunt pœna flagellationis vel fuſtigationis;* interim tamen קדושיו קדושין גמורין *Deſponſatio ejus eſt deſponſatio abſoluta & perfecta.* Hic vero ſciendum, quod licet olim licitum ac permiſſum fuerit; adhuc etiam hodie, quantumvis non impune, fieri poſſit, ut deſponſatio fiat per Concubitum; id tamen non ita ſit intelligendum, quaſi hoc pacto Sponſalia & Nuptiæ ſimul celebratæ fuerint, aut ab eo tempore Sponſa Sponſo pro ipſius lubitu licita & permiſſa fuerit. Nequaquam. Actus duntaxat ille unicus ad confirmationem Deſponſationis fiebat, neque ſine adhibitis teſtibus, præſentibus non actui, ſed ſtipulationi, qua teſtabatur, ſe hoc concubitu, in loco ſegregato perficiendo, hanc ſibi deſponſare: neque, ut Druſius exiſtimavit ad Matth. cap. I. ſponſa ideo deſiit ſponſa eſſe, vel Uxor revera fuit, vel Nuptiarum ſolennitas, & הכנסה לחופה *Introductio in thalamum* ideo intermiſſa fuit.

XLVIII. Duobus proin duntaxat modis honeſte fit Deſponſatio; *Pecunia*, vel *Re pecunia æquivalente*, & *Scriptura*. Si *Pecunia* vel *Re pecunia æquivalente*, non debet ea minoris pretii eſſe quam פרוטה *Pruta*: ſi minoris ſit valoris, deſponſatio nulla cenſetur. *Pruta* autem eſt numulus exiguus, ponderis dimidii grani hordeacei de argento puro, ut alibi explicatum. Si *per Scripturam* fiat Deſponſatio, ſcribet Vir Deſponſans, vel ſuper chartam, vel ſuper teſtam, vel ſuper folium aliquod, vel ſuper quamcunque rem voluerit, formulam aliquam Deſponſandi, quales ſupra vidimus; tradetque mulieri coram teſtibus. Sed & Nomen Deſponſatæ diſerte debet exprimi, neque id ipſa inſcia vel nolente fieri.

XLIX. Non enim deſponſatur *Mulier*, אלא לרצונה *niſi volontarie*: & quicunque deſponſat aliquam בעל כרחה *per coactionem*, ejus deſponſatio nulla eſt. Sed *Vir*, quem coegerunt, ut invitus aliquam deſponſet, ejus deſponſatio rata eſt. Cauſam hujus diverſitatis quidam hanc reddunt, quod Vir poſſit Mulierem iterum repudiare, quam facultatem Mulier in Virum non habet.

L. Ad honeſtatem Sponſalium vindicandam, duo invenio alia ab Hebræis, ſub flagellationis pœna, prohibita; quamvis Deſponſationem non plane reddant irri-

irritam: 1. המקדש בשוק *si quis desponsationem faciat in platea*: 2. המקדש בלא שרוכין *Si quis desponsat sine* שרוכין, de quo mox dispiciemus; Ratio additur, כדי שלא יהא דבר זה הרגל לזנות וידמה לקדשה שהיתה קודם מתן תורה: *ne res hæc assuefaciat ad scortationem, & desponsa assimiletur* לקדשה *prostibulo publico, qualia fuerunt ante datam Legem, Majemon.* l. c. cap. 3. §. 22. Nam, ut idem scribit cap. 1. §. 4. קודם מתן תורה היה אדם פוגע אשה בשוק אם רצה הוא והיא נותן לה שכרה ובועל אותה על אם הדרך והולך וזו היא הנקראת קדשה *ante Legem, si vir obviam factus fuit mulieri, atque utriusque voluntas accesserit, dabat ei mercedem, & concumbebat cum ea in publica via, posteaque iterum abibat. Et hæc est, quæ vocatur* קדשה Kedescha.

LI. De primo modo hic prohibito nulla est difficultas, Dubium autem, & obscurum nonnihil, *Quid per* שרוכין *intelligatur*? Verbum שרך in hac materia, in Talmud & Ritualibus Judæorum sæpius invenio, sed Glossatores illud non explicant. Lexicographi hic etiam deficiunt. Elias in Thisbi, & David de Pomis, exponunt quidem illud, sed nimis generaliter, & non satis accurate: neque enim video, quomodo illorum explicatio locis possit applicari. Elias in Tisbi scribit: לשון שרוך נופל על זוג שמזוגין יחד איש ואשה ובלשון עברי נקרא חתון בלשון אשכנז בשוועגרן ובלעז פירינטר *Verbum* שרך *dicitur de Conjunctione, quia conjunguntur simul Vir & Fœmina, & vocatur in lingua Hebræa* חתון Affinitas, *vel*, Affinitatem contrahere, *in lingua Germanica*, Beschwägeren, *in lingua Italica*, Parintar. Sic etiam David de Pomis. Aliquid dicunt, sed non satis: Gradus enim hujus Conjunctionis sunt plures. Nam vel ex hoc uno loco, de quo quærimus, apparet, non esse idem prorsus quod קדש vel נשא אירס *Desponsare*, neque idem quod *Uxorem ducere, Nuptias celebrare*; sed aliquid magis speciale, quod utrumque præcedat, & non negligendum videtur, quia dicitur, Desponsationem non esse faciendam sine שרוך. Hinc enim manifestum est, שרוך nequaquam esse קרוש. Videamus ergo nos, quid hoc sit.

Verbum שרך in Bibliis Hebraicis non legitur, sed in Targum, & respondet Hebræo שקט, השקיט, *Quietum, Tranquillum reddere, Sedare, Placare*, ut in Lexico Chaldaico videre est. Apud Rabbinos, in materia Sponsalium usurpatum, significat; *Spondere, Despondere: Affinitatem vel Nuptias inter aliquos conciliare, Conjungere: Internuntium & Mediatorem, seu Proxenetam, inter duas partes vel agere, vel etiam adhibere*; quia videlicet talis Desponsio puellæ vel fœminæ, fit ejus Placatione, Persuasione, & Pellectione, ut in connubium consentiat. Hinc שרוך *Sponsio, Desponsio talis*. Plur. שרוכין. Item שרכן *Internuntius, Mediator, Conciliator*: שרכנות *Conciliatio, Conjunctio, Copulatio talis*. Personæ sic desponsæ, & Vir quidem, vocatur משורך *Desponsus*; Puella seu Mulier משורכת *Desponsa*. Hinc sæpe: אם קלקל המשורך מעשיו *Si desponsus corruperit actiones suas, &c.*

Differt a קרש, quod *hoc* proprie de solenni Desponsatione dicitur, quæ fit coram testibus, & adhibita consecratione; *illud* (scil. שרך) de Sponsione seu Desponsione privata, solennem præcedente, qua quis *Vel ipsemet*, ei quam procatur, dat fidem conjugii, eamque sibi despondet & conciliat; *Vel internuntiis* utitur: vel *quando Parentes* filiam alicui privatim despondent, & ad conjugium promittunt. Unde & de his tribus personis usurpatum legitur:

De Sponso, seu *Despondente*: ut; *Si quis aliquam sibi* קדש desponsarit (scil. solenniter, adhibitis testibus) *per concubitum*, אם לא שרך תחלה *nisi prius eam desponderit, sibi conciliarit, & consensum ejus ad desponsationem impetrarit, flagellatur*. Sic sæpe legitur, אם לא קדם ביניהם שרוכין *Si nullæ sponsiones, conciliationes antea inter ipsos intercesserint*. איש ואשה שהיו ביניהם שרוכין Vir & mulier, inter quos sunt sponsiones.

De Parentibus: ut; המשדך בתו לחבירו ושלח לו בגדים ותכשיטין ואחר כך נתבטלו השרוכין *Si quis spoponderit filiam suam amico suo, eique vestes & ornamenta transmiserit; postea vero sponsiones illæ irritæ factæ fuerint, revocatæ ab alterutro, &c.* ראובן שרך בתו לשמעון: *Ruben spopondit filiam suam Simeoni*: מי ששרך בתו ונדר לתת עמה כך מעות ואחר כך נתקלקלו החובות וכו׳ *Qui despondit filiam suam, vovitque, se certam pecuniæ summam cum ea daturum, postea vero mala facta sint nomina vel debita, &c.*

De Proxeneris etiam & *Internuntiis*, eorumque opera, dici, ex sequentibus apparet: In *Schylchan Aruch*, in חשן המשפט, *Num.* 158. ad §. 1. legitur in glossa: השרכן הוא כמו סרסור ואם השרכן רוצה שישלמו לו מיד שכר שרכנותו והבעלים אינם רוצים לשלם עד הנשואין וכו׳ h. e. שרכן Schadchan *est veluti* סרסור *Proxeneta, Internuntius. Quod si ergo* שרכן *velit, ut merces* שרכנותו *conciliationis seu operæ suæ in conciliatione præstitæ, sibi statim persolvatur, domini vero nonnisi post nuptias eam solvere velint, faciendum pro consuetudine cujusque loci*. Sic ibidem *Num.*

264. ad §. 7. בשרכנות אין לו אלא שכרו אע״פ שהתנה עמו לחת לו הרבה *In conciliatione nuptiarum nonniſi merces ordinaria perſolvitur ei, licet pluris cum ipſo ſit pactus.* Ibid. *Num.* 87. ad §. 39. תבעו בשכר השרכנות וזה כפר ואמר שלא היה שרכן שלו *Si exegerit mercedem conciliationis nuptiarum, hic vero negaverit & dixerit, illum non fuiſſe proxenetam ſuum.*

Porro שרוכין videntur etiam vocari quandoque *μνῆστρα* ſeu *Pignora & Arrbæ*, mutuo datæ in confirmationem Promiſſionis ſeu ſponſionis. Hinc legitur in כל בו *Col-bo* fol. 86. col. 4. שרוכין המשימין בני אדם שמנדוונין יחד פסקו התוספות אם אחד מהם חוזר קנה חבירו והרויח כל השרוכין לפי שבייש אותו שאינו יכול למצוא זוג כל כך טוב כמו שהיה עושה מקודם h. e. *Sponſiones, μνῆστρα, quæ deponunt ii, qui conjugium ineunt, de iis ſtatuerunt Additiones Talmudicæ, ſi alterutra pars retractarit aut revocarit, alteram lucrari omnia μνῆστρα; eo quod pudore eam affecerit, adeo ut non amplius tam præſtantem invenire poſſit comparem vel conjugem, ſicut antea.* Confer Schylchan Aruch, in אבן העזר *Num.* 3. §. 6. Hinc etiam legimus, impoſitam fuiſſe קנס mulctam in hujuſmodi שרוכין ſeu ſponſionibus retractanti. Schylchan Aruch in חשן משפט *Num.* 208. §. 16.

Ex his jam clarius liquere videtur, quid Verbum שרך, & Nomen inde ductum שרוכין, in hac materia ſibi velint. Quando ergo prohibent, ne quis fœminam aliquam deſpondeat (puta ſolenniter & coram teſtibus,) בלא שרוכין ſine *Schidduchin*, hoc ſibi velle videntur, Ne quis temere & ſubito ad aliquam de præſenti ſibi deſponſandam provolet, cujus ſtatum & conditionem non antea explorarit, cujus animum & voluntatem non prius tentarit, & tum honeſto ambitu, tum amicabili ſponſione ſibi conciliarit, eo quod præceps & ſubitanea iſtiuſmodi deſponſatio, atque ad nuptias feſtinatio, partim ſit periculoſa, partim etiam ſcandaloſa, animi laſcivi & libidinoſi index. שרוכין itaque ſunt, *Sponſio, Deſponſatio quaſi privata, & de futuro:* קדושין *Sponſalia ſolennia, & de præſenti.* Unde & שרוכין ſeu Sponſiones ejuſmodi privatæ non ſunt ratæ, & efficaces vel ſufficientes, niſi קדושין, ſolennis Deſponſatio acceſſerit & ſubſequuta fuerit. Confirmantur tamen etiam inſtrumento ſcripto, ſeu libello, cujus Formulam, cum nonnullis aliis, vide ad finem hujus Diſſertationis. Perganus.

LII. Porro poteſt etiam Deſponſatio utrinque fieri per שליח *Legatum, Nuncium*, ſeu *Procuratorem*; ita tamen, ut, ſi fœmina Procuratorem talem conſtituat, id faciat coram teſtibus, quod in Viro Legatum ſubſtituente non requiritur. Talem Legationem ſeu Procurationem obire poſſunt omnes, excepto Surdo, Stulto, Minorenni, Gentili (Chriſtiano) & Servo. Legatus viri dicet ad eam; הרי את מקודשת לפלוני בכסף זה או בשטר זה *En deſponſata es huic vel illi N. N. hac Pecunia aut his Literis.* Si mulier Legatum habeat, qui Deſponſationem ipſius accipiat, dicit ad eum; הרי פלונית ששלחה אותך מקודשת לי *Ecce N. N. quæ ablegavit te, deſponſata mihi eſt: & hic viciſſim ad ipſum;* קרשתיה לך או אירסתיה לך או נתתיה לך לאשה וכל כיוצא בזה *Deſponſo eam tibi, vel, Do eam tibi in uxorem, vel ſimile quid.* Eadem eſt ratio ſi quis deſpondeat ſibi aliquam per Parentem ipſius.

LIII. Hoc licet ita fieri poſſit, nihilonus tamen, מצוה היא שיקדש אדם אשתו בעצמו יותר מעל ידי שלוחו וכן מצוה לאשה שתקדש עצמה בידה יותר מעל ידי שלוחה *præceptum eſt, ut homo ſeu vir uxorem ſuam per ſeipſum potius ſibi deſpondeat, quam per Legatum: mulier item ipſa potius Deſponſationem ſuam accipiat manu ſua, quam per Legatum.*

LIV. Hinc & nemo debet aliquam deſponſare, עד שתראנה ותהיה כשרה בעיניו *donec eam viderit, & ipſi placuerit.* Fortaſſis enim non inveniet gratiam in oculis ejus, & iterum repudiabit, vel certe odio habebit eam.

LV. Si Procurator ad deſponſandam aliquam pro alio, ſibi ipſi eam deſpondeat, tum ea deſponſata manet Procuratori: אבל אסור לעשות כן וכל העושה דבר זה וכיוצא בשאר דברי מקח וממכר נקרא רשע *ſed probibitum eſt ita facere: quicunque hoc, vel ſimile quid in cæteris contractibus facit, vocatur Improbus.*

LVI. Deſponſationi huic ſolenniter & teſtato factæ, adjungenda, & quidem præmittenda eſt, ſive per ſemetipſum, ſive per legatum, Benedictio & Conſecratio, adhibito Poculo Vini vel cereviſiæ, quæ talis; בא״י אמ״ה אקב״ו והבדילנו מן העריות ואסר לנו את הארוסות והתיר לנו את הנשואות ע״י חופה וקדושין בא״י מקדש ישראל *Benedictus ſit Dominus Deus noſter, Rex mundi, qui nos præceptis ſuis ſanctificavit, & a ſcortatione ſeparavit, qui deſponſatas nobis prohibuit, & per nuptias ac deſponſationem ductas, conceſſit. Benedictus ſit Dominus Deus, ſanctificans Iſraelem.*

LVII. Solet etiam Deſponſatio apud Hebræos *Annulo* confirmari. In *Sepher bachinnuch* fol. 205. col. 2. נהגו ישראל לקדש בטבעת להיות בידה תמיד למזכרת

h. e. *Consueverunt Israelitæ desponsare cum annulo, qui jugiter sit in manu ipsius pro mnemosyno, ut recordetur, se eo esse comparatam Viro suo*. Annulus autem debet esse ex auro puro, sine inserta gemma, idque ideo ne fraus aliqua intervenire possit, adulterinam sc. gemmam pro vera, vilem pro pretiosa sponsæ offerendo, & hac ratione desponsatio fiat erronea & vana. Sponsus sponsæ digito Annulum debet inserere, & dicere, הרי את מקודשת זו כדת משה וישראל *En desponsata mihi es per hunc Annulum, secundum ritum Mosis & Israelis*: in *Col-bo* fol. 86. col. 4. Item in Sepher mitzvoth gadol, in Præceptis Affirmativis, fol. 125. col. 4. (Majemonides annuli non meminit). Insigendus autem est Annulus Digito indici, שאצל הגודל qui juxta pollicem est. Victor de Carben, Judæus baptizatus, scribit in Opere suo aureo contra Judæos cap. II. (quod editum Coloniæ, Anno 1509.): *Judæus sponsus sponsæ, tempore nuptiali* (vel desponsationis) *annulum oblaturus, diligenter animadvertere debet, an indicem exporrigat sponsa, cui annulus immitti debet, ne scil. annulus medio imponatur digito, in quo scribunt, Mariam, viro Josepho desponsatam, annulum suscepisse & gestasse: unde nulla Judæa annulum in medio digito in hunc diem portat*. Hæc ille. Ego id hactenus in ipsorum libris non inveni. Annulo communiter insculpunt; מזל טוב *Fortuna bona* (adspiret), *Faustum felixque sit*: qua formula etiam in gratulationibus utuntur.

LVIII. Transmittunt etiam invicem varia dona & munuscula, quæ סבלונות vocant, Latini, ni fallor, *Sponsalitia*; & quidem nonnulli ante Sponsalia, alii vero, & major pars, post. *Majemon.* in הלכות אישות cap. 9. §. 28.

LIX. Accesserunt & Gratulationes, Convivia, ac similes festivitates, lætitiæ testes. Hinc scribit iterum *Majemonides* cap. cit. §. 22. *Si rumor de muliere aliqua exiverit, quod sit desponsata* τῷ *N. ea habetur pro desponsata, etiamsi non adsit* ראיה ברורה *clara probatio. Rumor vero debet confirmari in domo Judicii, secus nulla habetur ejus ratio. Quomodo vero comparatus esse debet rumor, qui sufficiens sit, ut aliqua habeatur pro desponsata? Ex. Gr. Si duo venerint, & testati fuerint, quod viderint Lucernas ardentes, Lectos sive pulvinaria strata, (id est, Mensas instructas) Homines ingredientes & egredientes*, ונשים שמחות לה *Mulieres ei* συγχαίροντες *& congratulantes, ac dicentes*, ἡ *N. Desponsata est hodie, &c.* Mentio etiam fit שמחת אירוסין *Lætitiæ vel festivitatis Sponsaliorum*, seu סעודות אירוסין *Conviviorum sponsalitiorum*, in Even haser, in הלכות קידושין *Num.* 50. §. 3.

LX. Qui *sub Conditione* (על תנאי) desponsat aliquam, impleta conditione, desponsatio habetur rata; si non impleatur, desponsatio nulla est. Ad Conditionem talem, hic, ut & in cæteris contractibus, *quatuor* requiri dicunt; ex quibus si unum deficiat, conditio est otiosa, & contractus validus; 1. שיהיה התנאי כפול *ut conditio sit geminata*, 2. שיהיה הן שלו קודם ללאו *ut conditio affirmativa præcedat negativam*: 3. שיהיה התנאי קודם למעשה *ut conditio prior sit actione*, 4. שיהיה התנאי דבר שאפשר לקימו *ut conditio sit res quæ impleri possit*.

Ex. Gr. Si quis dicat ad mulierem; *Si dederis mihi ducentos florenos, desponsata mihi eris hoc denario; si vero non dederis, non eris mihi desponsata; & conditione hac præmissa, ei demum dederit denarium*, tum, conditione a muliere impleta, desponsata erit mulier; non impleta, non erit desponsata. Quod si vero dicat: *En desponsata mihi es hoc denario*, & denario dato, demum conditionem annectat; *Si mihi dederis, &c.* tum conditio hæc otiosa & nullius momenti est: quia Actio præcessit, & denario dato demum conditionem protulit, & desponsatio rata est.

Sic; si dixerit quis mulieri; *Si dederis mihi ducentos florenos, eris mihi desponsata per hunc denarium; & hoc dicto denarium in manum ipsi dederit*, conditio est otiosa: quia eam non geminavit, dicendo etiam; *Si non dederis, &c.* & desponsatio rata.

Ita, si dixerit ei; *Si non dederis mihi ducentos florenos, non eris mihi desponsata; si vero dederis mihi ducentos florenos, eris mihi desponsata hoc denario; & hoc dicto denarium in manum ei dederit*; conditio hæc nulla est, quia partem conditionis negativam præmisit affirmativæ, & mulier talis eo ipso temporis puncto est desponsata, nec tenetur ei quicquam dare.

Sic, si dixerit ei; *Si ascenderis in firmamentum, aut descenderis in abyssum, eris mihi desponsata hoc denario, & postea demum ei dederit denarium, &c.* tum conditio hæc frustranea est, & mulier desponsata: quia conditio est impossibilis, & perinde est ac si jocaretur & luderet verbis istis.

Qui vero conditionem proponit, de re, quæ factu quidem possibilis, sed Lege Divina est prohibita, veluti; *Si comederis adipem, carnem suillam, eris mihi hoc numo desponsata; si non comederis, non eris desponsata; & conditione propo-*

sita numum ei dederit; tum conditio ista valet, ut siquidem mulier comederit, desponsata sit; si non comederit, non sit desponsata, &c. Quædam tamen hic excipiuntur.

LXI. Porro, si quæ sub legitima conditione desponsetur, ea non desponsata censetur, nisi ab eo tempore quo conditio impletur; puta, nisi expresse addiderit מעכשיו *A nunc* eris mihi desponsata. Unde, si hanc vocem non addiderit, & alius quis eam absolute sibi despondeat tempore intermedio inter conditionem prolatam & impletam, desponsata est secundo.

Plurimos hic hujusmodi sponsionum conditionatarum formant casus, quos non lubet persequi.

LXII. Si quis seu *animo fallendi*, seu alio, ad mulierem dicat, V. G. *Desponsata mihi eris hoc poculo vini; quod deinde deprehendatur esse mellis, aut vice versa; numo hoc argenteo, qui postea reperiatur aureus, aut vice versa, vel simile quid, quod, seu absolute, seu tanquam conditionem adjicit, & postea aliter deprehendatur*, desponsatio irrita habetur. Nec juvat, etsi dixerit vel Ipsa; *Animus mihi fuit ut ipsi desponser, licet me fefellerit*: vel Ipse; *In animo habui eam mihi despondere, licet eam fefellerim*: quia הדברים שבלב אינם דברים *Verba quæ sunt in corde, non sunt verba. Majem.* cap. 8. §. 1. 2.

LXIII. Si mutua stipulatio & desponsatio intercesserit inter Virum & Mulierem, etsi vel ipsa vel ipse e vestigio, & בתוך כדי דבור *in ipso quasi dicto*, pœnitentia ducti, revocaverint, revocatio ipsorum nulla est, & desponsatio mulieris rata. *Majem.* cap. 7. §. 22.

Hactenus de Forma & modo Desponsandi.

FINIS SPONSALIUM.

LXIV. 5. Finem Desponsationis quod attinet, is non simpliciter consistit in Nuptiis & Matrimonio, cujus gratia desponsatio instituitur; sed in *Matrimonio pie, honeste, & prudenter*, tam auspicando, quam consummando; Facit enim Desponsationis hæc actio.

Ad *Pietatem*, quod Desponsationi benedictionem & consecrationem solennem adjungendam, imo præmittendam ordinarunt, ut supra visum, ut sic a Dei Opt. Max. laudibus, & cum Ipso, tanti momenti contractus auspicaretur.

Ad *Honestatem*, & *εὐταξίαν*, ut omnia *κατὰ τάξιν*, & secundum *τὸ πρέπον* fiant. Sponsalibus enim præcedentibus cavetur, ne conjuges effræni impetu, statim ut facta est stipulatio, ad concubitum proruant, sed decorum observent. Hinc scribitur in ספר החנוך fol. 205. col. 2. *Præcepit nobis Lex actionem hanc cum muliere, ante conjugii consummationem*, שלא יבוא עליה כבא על הזונה מבלי מעשה אחר קודם ביניהם *ne ad eam veniat, sicut quis venit ad scortum, sine ulla præcedanea actione*. Huc quoque facit, quod res hæc non clandestine est peragenda, sed in præsentia Testium; omnis sc. confusionis vitandæ causa. Dicunt etiam ideo fieri desponsationem, כדי שתתן האשה אל לבה לעולם שהיא קניה לאותו האיש ולא תזנה תחתיו ולא תמרוד בו ותתן אליו יקר והוד לעולם כעבד לאדוניו *ut mulier animo suo perpetuo recolat, quod sit empta ab illo viro, ac proinde sibi caveat, ne vel clam ipso scortetur, vel ei rebellet & obstrepat, sed potius honorem ei semper deferat, ut servus domino suo*.

Ad *Prudentiam*; quod intermedio isto tempore, ex honesta conversatione, alter alterius mores, ingenium, & naturam melius & propius dignoscere, atque eidem commodius se attemperare discat; hincque etiam amor ac benevolentia ipsorum mutua accrescat: quod item sic tempestive, num aliquid fortassis sit, quod matrimonii consummationem impedire possit, dispici queat, quod matrimonio consummato, non amplius, aut certe non sine infamia & macula, fieri potest.

CONSEQUENTIA.

LXV. Quando duæ personæ, dicto modo, legitime sunt desponsatæ, tum, Usque ad nuptias *Mulier* vocatur מקודשת vel מאורסת *Desponsata*, ארוסה *Sponsa*; *Vir* autem, ארוס *Sponsus*.

LXVI. Fœmina etiam, ex quo desponsata est, אעפי שלא נבעלה ולא נכנסה לבית בעלה הרי היא אשת איש *licet nondum vel a viro cognita, vel in domum mariti sui sit ingressa*, est Uxor viri: *& qui rem cum ipsa habet, excepto marito ipsius, reus est supplicii capitalis, a domo judicii infligendi: & si maritus seu sponsus ejus velit eam repudiare, oportet ut id faciat libello Repudii. Majem.* cap. 1. §. 3.

LXVII. De Tempore, quo Desponsati manent, usque ad completionem Matrimonii per nuptias, nihil certi constitutum lego. *Leo de Modena* scribit parte 4. cap. 3. Historiæ suæ: *Quidam ita desponsati manent per integrum annum: alii per semestre; plus scil. vel minus pro voluntate, vel commoditate partium contrahentium*.

LXVIII.

LXVIII. Interea autem quamvis הארוסה Deſponſata revera jam ſit *Uxor viri*, attamen nondum eſt אשת איש גמורה *Uxor viri mera & abſoluta*; ſed אסורה לבעלה כל זמן שהיא בבית אביה: *probibita eſt marito* (ſponſo) *ſuo, ex ſtatuto Scribarum, quamdiu eſt in ædibus patris ſui*: והבא על ארוסתו בבית חמיו מכין אותו מכת מרדות: *& qui rem habet cum deſponſata ſua in domo ſoceri ſui, is luit pœnam contumaciæ* (flagellationis). Idem cap. 10. §. 1. Præterea etiam, ſi gravidam reddat, infans juxta quoſdam pro ſpurio habetur. Sic enim legitur in Talmud, *Jevammoth* fol. 69. col. 2. הבא על ארוסתו בבית חמיו רב אמר הוולד ממזר ושמואל אמר הוולד שתוקי: *Si quis congrediatur cum deſponſata ſua in domo ſoceri ſui, infans eſt ſpurius ex ſententia* τοῦ *Raf; vel ſaltem* שתוקי *anceps, incerti patris*. Id amplius declaratur a R. Moſe Majemonide, in הלכות אסורי ביאה cap. 15. §. 17. ארוסה שנתעברה והיא בבית אביה הרי הוולד בחזקת ממזר ואסור בבת ישראל ואסור בממזרת: *Deſponſata ſi gravida fiat in domo patris ſui, infans habetur pro ſpurio, & probibitus eſt filiæ Iſraelis boneſtæ, imo & ſpuriæ. Quod ſi examinetur mater ejus, & dicat; Ex ſponſo meo imprægnata ſum, creditur ei, & infans eſt legitimus: quod ſi vero ſponſus ejus eam mendacii arguat, & dicat; Per vitam meam nunquam rem habui cum ea; infans eſt ſpurius, licet pro filio ejus habeatur, &c. Quod ſi fama populi differatur, ac ſi non ſolum cum ſponſo, ſed & cum aliis rem habuiſſet, infans eſt* ממזר ספק *Spurius dubius, illegitimus, &c.* vide & אבן עזר *num.* 4. §. 27. 28. Quinimo licet quis per Concubitum aliquam ſibi deſponſarit, prohibetur tamen ſecunda vice cum ea congredi, donec eam in domum ſuam traduxerit, & ſibi per nuptiarum ſolennitatem publicam junxerit, quæ vocatur כניסה לחופה *Introductio in thalamum*: item נשואין *Nuptiæ*. Et tamdiu manet ארוסה Sponſa, donec in thalamum, ſeu domum mariti traducatur (hac enim ſola conſummatur matrimonium). Poſtmodum, tempore nuptiarum, quæ per ſeptem dies durant, *Sponſus* vocatur חתן, Sponſa, כלה. Nuptiis celebratis, eſt אשת איש גמורה *Uxor viri mera & abſoluta*.

LXIX. Nuptiarum ſolennitas publice coram Eccleſia, & iterum, cum ſolenni Benedictionis formula eſt conſecranda; cujus rei rationem hanc reddit Majemonides in מורה נבוכים parte 3. cap. 49. *Si*, inquit, *ſufficeret privatim illud facere, multi reperirentur, qui meretricem ad aliquod tempus in ædes ſuas introducerent, ac dicerent, illam Uxorem ſuam eſſe. Propterea conſtitutum eſt, ut poſteaquam Vir per ſponſalia aliquam ſibi deſponſavit, nuptiæ poſtea publice celebrentur, exemplo Boaſi, de quo legitur*; Et accepit Boas decem viros, &c. *Ruth.* 4. verſ. 2.

LXX. Neceſſarium quoque Uxoris, & ad conſummationem matrimonii, requiſitum eſt כתובה *Dos*, & Inſtrumentum dotale, quod ſcribendum & confirmandum ante introductionem in thalamum. *Majemon.* in הלכות אישות cap. 10. §. 7. *Scribenda eſt ſponſo dos vel donatio propter nuptias ante introductionem in thalamum: & tum demum licita eſt ei uxor. Sponſus autem debet ſolvere mercedem ſcribæ: Alia eſt dos virginum, alia viduarum. Virgini non dantur infra* 200. *florenos: Viduæ non minus quam* 100. De his integer extat Tractatus Talmudicus כתובות, *De Jure Dotium*, & pleni ſunt libri Rituales Judæorum. Formulam autem hujuſmodi Inſtrumenti dotalis invenies ſub finem hujus Diſſertationis. Reliquas nuptiarum Judaicarum ſolennitates & conſuetudines, vide in Synagoga Judaica Patris mei, cap. 28.

Sed ſatis de iis. Progrediamur ad Repudia, ſeu Divortia.

DE REPUDIIS SEU DIVORTIIS.

LXXI. De *Repudiis* ſeu *Divortiis* prolixe agunt Hebræi. Nos vero, inſtituti noſtri rationem habentes, & quæ illi diffuſiſſime de iis ſcribunt, hic quoque in certos limites contracturi, de ſequentibus quæſtionibus potiſſimum, quædam ex illorum libris delibabimus: 1. *Quoniam Repudiorum referant Originem & Inſtitutionem?* 2. *Quænam apud ipſos ſit Repudiorum forma & modus?* 3. *Inter quas perſonas hæc repudiandi forma locum habeat & requiratur?* 4. *Quæ ſecundum ipſos juſtæ & ſufficientes ſint Repudiorum & Divortiorum cauſæ?* & 5. *Quædam Repudium Conſequentia*.

Antequam autem id aggrediamur, de hoc duntaxat Lectorem monebimus, nos inter *Repudia* & *Divortia* nullum diſcrimen facere, idque non ſolum Hebræorum exemplo; ſed & Latinorum, qui promiſcue vocabula hæc uſurpant.

ORIGO DIVORTIORUM.

LXXII. Originem ergo Repudiorum & Divortiorum arceſſunt Hebræi ex Lege Moſis, divinæque inſtitutionis eſſe volunt. Lege quippe Dei non ſolum permiſſa volunt eſſe Divortia, ſed & præcepta. Hinc ſcribunt in Talmud, libro Kidduſchin: מי שצוה בנשואין צוה בגרושין *Idem qui* præ-

præcepit *de Nuptiis*, præcepit *etiam de Divortiis*. Hinc dicunt etiam vulgo, אשה רעה מצוה לגרשה *De muliere mala* præceptum est, *ut expellatur*. Et inter sententias Ben Syræ legitur in *Sanhedrin* fol. 100. 2. אשה רעה צרעת לבעלה מאי תקנתה יגרשנה מביתו ויתרפא מצרעתו: *Mulier mala lepra est marito suo. Quodnam est ejus remedium? Expellet eam e domo sua, & curabitur a lepra sua.* Cum quo convenit aliquo modo, quod legitur in Syracide nostro cap. 25. vers. 36. *Si ductum manus tuæ non sequitur, a corpore tuo eam abscinde. Da ei libellum, & repudia.*

LXXIII. Præceptum hoc Divinum petunt iterum ex Mose *Deuteron.* cap. 24. vers. 1. ubi ita legitur: כי יקח איש אשה ובעלה והיה אם לא תמצא חן בעיניו כי מצא בה ערוה דבר וכתב לה ספר כריתת ונתן בידה ושלחה מביתו: ex quibus verbis Præceptum eliciunt Legale affirmativum, *Expellendam esse uxorem cum libello repudii*: sic enim verba illa interpretantur: *Si acceperit vir mulierem, &* (aut) *cojecerit cum ea, & acciderit, ut ea non inveniat gratiam in oculis ipsius, eo quod invenerit in ea fœditatem vel turpitudinem aliquam; tum scribet ei libellum repudii, tradetque illum in manum ejus, atque sic dimittet eam e domo sua, &c.* Hinc dicunt quoque Pharisæi, apud Evangelistam *Matthæum* cap. 19. vers. 7. *Mosen* mandasse *dare libellum repudii, eamque dimittere*. Hinc scribitur etiam ad ista verba in *Sepher hachinnuch*, præcepto 548. fol. 208. col. 2. שנצטוינו כשנרצה לגרש נשותינו לגרש אותן בכתב ועל זה הכתב הכתוב יאמר ספר כריתות והוא שיקראו אותו ר׳ל גט ועל זה נאמר וכתב לה ספר כריתות: h.e. Jussi sumus, *quando nobis placet dimittere aut expellere uxores nostras, ut id faciamus scripto, quod scriptum Scriptura vocat* Libellum excisionis vel discissionis, *Rabbini vero nostri* גט Get: *& de hoc dicitur*; Scribet ei libellum discissionis &c. Sic in libro Præceptorum magno, ממקרא זה למדנו עיקרי הנירושין: *Ex Scriptura ista discimus fundamenta Repudiorum, &c.* Sic communiter. Quam recte & bene, infra pluribus videbimus. Hic sententiam duntaxat illorum recensere nobis est propositum.

FORMA.

LXXIV. Formam Repudiandi constituunt in Scripto Libello Repudii mulieri, quæ dimittitur, dando, cum annexis solennitatibus quibusdam necessario requisitis. Libellum Repudii vocant Hebræi, ex loco allegato, ספר כריתות *Libellum abscissionis, discissionis*: גט פטורין *Libellum dimissionis*, vel אגרת פטורין *Epistolam dimissionis*: ספר תירוכין *Libellum expulsionis, &c.* Fundamentum hujus ponunt iterum in his loci adducti verbis, וכתב לה ספר כריתות ונתן בידה: *Et scribet ei libellum repudii, quem tradet in manum ejus.* Unde concludunt, Nonnisi libello repudii scripto mulierem posse dimitti: & hunc libellum realiter in manum ipsi esse tradendum.

LXXV. Cum vero non Verbis, sed Scriptis literis, Dimissio facienda fuerit, ejus rei rationes sequentes traduntur in ספר החנוך fol. 209. 1. ואמנם צותנו התורה כשלחנו אותה לבלתי שלחה בדבור לבד פן יהיה לנו זה לאבן נגף ולצור מכשול להיות זמה בתוך עמנו שתטעון הזונה על בעלה כי הוא גרשה ממנו גם יהיה מעשה הנירושין מצוי הרבה אכן עתה שנתחיבנו לכתוב הדברים בספר והעד עדים צריכים להראות שטר על הטוענת גירושין ועוד תועלת בדבר כי בתוך כך תנוח חמת איש לפעמים וינחם מלגרש אותה ויגדל השלום: h. e. *Præcepit autem nobis Lex, ut, dimissuri uxorem, non dimittamus eam nudis verbis; 1. Ne hoc sit nobis in lapidem offensionis, & petram scandali*, h. e. *ne sit causa & occasio ad lasciviam & libidinem in populo nostro, dum mulier scortatura clam marito suo, prætendere posset, se ab eo dimissam esse & expulsam: 2. Ad vitandam frequentiam Repudiorum & Divortiorum; quia, si aliter constitutum esset, longe frequentiora forent, quam vero jam sunt, dum nimirum obligati sumus negotium in libello describere, testes etiam adhibere, & iis instrumentum illud exhibere: 3. Et hæc utilitas subest, quod interea temporis* (*dum ista suscipiuntur & peraguntur*) *ira viri contra uxorem suam sæpissime mitigetur, ut ipsum consilii sui pœniteat, a repudio abstineat, amor denique & pax inter ipsos redintegretur.* Abarbenel etiam in *Deuter.* ita hac de re scribit: האמנם לא רצתה התורה להתגרש בדברים או בכסף או ביציאה מביתו כדי שלא יהיו הנירושין דבר נקל לעשותו ותהיה האשה גרושה מאישה פעמים אין מספר כל עוד שיעלה על רוחו וגם היתחצא ותאמר גרושה אני או כבר גרשני בעלי כדי לנאוף את איש אחר וכו׳: h. e. *Noluit autem Lex, ut Mulier expellatur vel Verbis nudis, vel Pecunia, vel Egressione simplici e domo ejus; ne Divortia sint res factu facilia, & fortassis Mulier innumeris interdum vicibus a marito expellatur, quotiescunque sc. in mentem ei venerit: ne item mulieres nonnullæ sub hoc prætextu exeant ac dicant, Expulsa sum a marito meo, ut tanto liberius cum aliis viris scortari possint. Ad offendicula ista vitanda, & removenda,* præcepit

cepit Deus, ne homo uxorem ſuam expellat, niſi cum libello, eoque multis conditionibus limitato, teſtibuſque adhibitis ratificato. Hæc enim eo faciunt, ne res hæc nimis facilis ſit marito: &, ſi forte in ira & indignatione animum inducat uxorem ſuam expellere, ut actio hæc gravis & difficilis ſiet in oculis ejus, atque interea animus ejus placetur: ne item mulier occaſionem habeat, falſo & mendaciter dicendi, ſe Expulſam eſſe. In eundem ſenſum ſcribit Majemonides in More part. 3. cap. 49.

LXXVI. Libellum Repudii poteſt ſcribere, vel Maritus ipſe, vel שלוחו Delegatus aut procurator ejus, ſeu alius aliquis Scriba ejus nomine. Sic Mejamon: אחר הכותב בידו או שאמר לאחר לכתוב לו: *Perinde eſt, ſive ipſemet ſcribat manu ſua, ſive alium jubeat ſcribere*: Sic etiam alii. At in שלחן ערוך, in אבן העזר ſub *Num.* 154. in סדר הגט §. 10. הבעל עצמו לא יכתוב הגט היכא דאפשר: *Maritus ipſe non ſcribet libellum, ubi id fieri poteſt*. Unde non plane de nihilo fortaſſis eſt, quod D. Auguſtinus ſcribit, nulli fas fuiſſe has literas ſcribere niſi ſcribis ſolis. Verba ejus ſunt lib. 19. cap. 26. contra Fauſtum Manichæum, hæc: *Apud Hebræos, ut perhibent, ſcribere literas Hebræas, nulli fas erat niſi ſcribis ſolis. Ad hos igitur, quos oporteret eſſe prudentes Legis interpretes, & juſtos diſſidii diſſuaſores, Lex mittere voluit eum, quem juſſit Libellum repudii dare, ſi dimiſiſſet uxorem. Non enim poterat ſcribi libellus, niſi ab ipſis, qui per hanc occaſionem & neceſſitatem venientem quodammodo in manus ſuas bono conſilio regeretur, atque inter ipſum & Uxorem pacifice agendo, dilectionem concordiamque ſuaderent*. Hinc & in Targum Jonathanis additur, ſcribendum fuiſſe *coram Domo Judicii*; ויכתוב לה ספר תירוכין קדם בי דינא: *Et ſcribet ei libellum repudii coram domo judicii*. Unde videtur, authoritate publica ſcribendum fuiſſe, licet ſine actione aut lite judiciali.

LXXVII. Plurimas, adeoque innumeras pœne conditiones & caſus ponunt hic, tum circa Scripturam Libelli, tum circa ejus Traditionem: omnia in eum finem, ut res tanto ſit operoſior, ac difficilior, & hinc ad maturiorem deliberationem pars Dimittens permoveatur.

Circa Scripturam; veluti de Liquore quo ſcribi poſſit, vel non poſſit: de Materia cui inſcribi vel poſſit, vel non poſſit: quis hæc ſuppeditare debeat, Mariruſne an Scriba! de Calamo, quo ſcribendus: quot Lineis conſtare debeat, nonniſi duodecim videlicet! quot & quibus Literis, ad ultimum pœne uſque apicem, ne vel aliqua redundet vel deficiat: ambiguitas enim verborum omnis vitanda: Scriptura debet eſſe clara, diſtincta, legibilis: Lingua poteſt ſcribi quacunque, communiter tamen omnes ſcribunt Lingua Chaldaica: ſic præcipiunt etiam de ſcriptionis Tempore & Loco, de Subſcriptione teſtium, &c.

In Libello ipſo debet contineri Formula ſignificans, quod maritus uxorem expellat & removeat a bonis ſuis: formula item Diſciſſionis & ſeparationis vinculi ipſorum conjugalis, ita ut maritus omni ſuo in eam juri pro tempore renuntiet, facultatemque ei faciat nubendi, cuicunque voluerit; velut, הרי את מגורשת הרי את משולחת *En dimiſſa es*: *En expulſa es*: הרי את לעצמך *Tui ipſius, Tui juris eſto*: הרי את מותרת לכל אדם *Licita, permiſſa es cuivis homini ſeu viro*; ſc. in conjugium, vel ſimile quid. Hæc ultima verba, *Permiſſa es cuivis viro*, ſunt גוף של גט *Corpus, id eſt, Subſtantia libelli*, ut notat Majemonides, & diſertis verbis extat in Talmud, in Tractatu *Gittin* cap. 9. in Miſchna. Et de hoc intelligendum, quod Joſephus ſcribit Antiquitatum Judaicarum lib. 15. cap. 11. *Mulieribus autem, ne dimiſſis quidem, fas eſt nubere, niſi prioris viri permiſſu*, h. e. niſi ei poteſtatem hanc diſertis verbis faciat. Nomen porro, tam Viri dimittentis, quam Uxoris quæ dimittitur, diſerte eſt exprimendum; ut appareat Quis Cui Libellum ſcribat, &c.

LXXVIII. Non ſufficit autem Libellum dimiſſionis ſcribere, ſed ne fit מחוסר מעשה *deſtitutus effectu*, poſt ſcriptionem, *Tradendus etiam* eſt realiter in manum mulieris, vel ſaltem ברשותו *in poteſtatem ipſius*; & quidem vel a Marito ipſo, vel a Delegato, & Procuratore ipſius; idque בפני עדים *coram teſtibus*: & hi libellum prius debent legere: vel ſi legere ipſi non poſſint, ab aliis debet ipſis prælegi: Quando traditur, requiritur etiam, ut ſimul verbis diſerte renuntiet ac dicat, הרי זה גטיך vel הוא גטיך *En tibi libellum tuum Repudii*, vel ſimile quid: tradendus etiam eſt בשם תורת גרושין *Nomine Legis de Repudiis*; Mulier etiam libellum poteſt recipere vel ipſamet, vel per legitimum Procuratorem, qui vocatur שליח קבלה *Delegatus acceptionis*: & plurima alia, ad quæ ſola integer liber requireretur, quibuſque omnibus recenſendis, nos hic conſulto abſtinemus.

LXXIX. Flavius Joſephus Antiquitatum Judaicarum lib. 4. cap. 8. ſcribit: *Qui a conjuge, quacunque de cauſa, ut ſæpe*

ſæpe hominibus uſuvenit, disjungi poſtulat, ſcripto ei ſecuritatem faciat, quod eam nolit amplius repetere: ſic enim habebit poteſtatem alterius quærendi: alioquin divortium non permittitur. De hoc nullam mentionem invenio, vel in Ritualibus Hebræorum, vel in Formulis Repudiorum hodie extantibus. Intelligendum fortaſſis ita, quod Joſephus ſcribit, *Maritum ſecuritatem ei facere debere, quod nolit eam repetere*; ſcil. ſi poſt dimiſſionem alteri nupſerit. Nam alias licuit, quamdiu ſoluta manſit, ut infra videbimus.

LXXX. Formulæ Repudiorum extant in *Majemonide* Parte 2. in הלכות גרושין cap. 4. §. 12. ספר מצות גדול parte 2. fol. 133. col. 2. in מהר״יל fol. 90. & apud alios. Unam ex illis inveniet Lector, ſub finem hujus Diſſertationis.

LXXXI. Quemadmodum ſupra audivimus de Sponſalibus conditionatis: ita etiam ſunt *Repudia ſeu Divortia conditionata*. Talis libellus vocatur גט על תנאי *Libellus conditionatus*. Hæc rata demum ſunt conditione impleta; irrita, conditione non impleta. Et quamdiu conditio non impletur, poteſt maritus eam vel abolere, vel mutare pro lubitu, etiamſi Libellus jam ſit traditus in manum mulieris: hinc neque deſponſari poteſt ſic repudiata, niſi conditio impleta fuerit. Quod ſi vero conditio impleatur, vere repudiata cenſetur inde ab hora traditionis Libelli. De his prolixe agit *Majemon.* in הלכות גרושין cap. 8.

LXXXII. Huic ſimile eſt, ſi quis repudiet aliquam poſt certum ac definitum aliquod tempus; veluti, ſi quis dixerit ad Uxorem ſuam, *En tibi Libellum tuum Repudii, ſed non repudiata eo eris, niſi poſt triginta dies*. Talis enim non repudiata cenſetur, niſi poſt elapſum diem trigeſimum: quod ſi interea temporis maritus vel moriatur, vel libellus amittatur (ſine ſc. culpa mulieris) aut comburatur, non habetur pro repudiata: Talis libellus vocatur גט זמן. Sic ſi quis repudium ſuſpenderit ab aliqua Actione; veluti; ſi quis dixerit; *En Libellum tuum repudii, ſed non repudiata eris eo, niſi donec mihi dederis ducentos florenos*; non eſt repudiata, niſi 200. florenos dederit. De his iterum vide eundem ibidem cap. 9.

LXXXIII. Tradito libello maritus לא יתיחד עמה עוד *non ulterius cohabitabit & ſolus cum ſola in domo vel conclavi eodem manebit*: quia dicitur, ושלחה מביתו *Et dimittet eam e domo ſua*: aut אם נתיחד עמה *ſi ſolus cum ſola poſtea manſerit*, vel teſtibus convinci poſſit, denuo rem cum ea habuiſſe, pro eo habetur ac ſi de novo duxiſſet eam, atque iterum pro uxore ejus habetur; ita ut ſi denuo velit eam expellere & repudiare, novum ei cogatur ſcribere & tradere libellum repudii.

LXXXIV. Ex dictis autem apparet, Divortium Judæorum fuiſſe totale & verum, ita ut utraque pars fuerit libera, poteſtatemque habuerit alii nubendi, pro ſuo lubitu & arbitrio.

PERSONÆ.

LXXXV. Ad *Perſonas* quod attinet in hac Actione, occurrunt præcipue duæ; *Agens* videlicet & *Patiens*.

LXXXVI. *Perſona Agens* vel *Dimittens* eſt Vir ſive Maritus, aut Sponſus: Solus Vir in Uxorem habet hanc poteſtatem; non vice verſa. Quin & invitam ac reluctantem poteſt repudiare, quia dicitur; *Si ipſa non invenerit gratiam in oculis ejus, ſcribet ei libellum repudii*: Item; *Quod ſi odio habuerit ipſam, vir poſterior ſcribet ei quoque, &c.* In his verbis dicunt Opus hoc adſcribi Viro tantum, non mulieri. Hinc ſcribit Joſephus *Antiquitat. Judaicar.* lib. 15. cap. 11. de Salome, Herodis ſorore; *Orto deinde inter conjuges* (Coſtobarum ſc. & Salomen) *diſſidio, Salome libellum repudi marito mittit*, οὐ κατὰ τοὺς Ἰουδαίων νόμους *non ſecundum Judæorum Leges: Lex enim noſtra ſolis maritis hoc jus permittit: mulieribus autem, ne dimiſſis quidem, fas eſt nubere, niſi prioris viri permiſſu*. Paulo aliter tamen hæc *hiſt.* recenſetur in Joſepho Hebraico, *Hiſtor. Judaicar.* lib. 5. cap. 22. ויהי אחרי כן ותפול מריבה בין כוסתוברוס ובין שלומית אשתו ותלשינהו אשתו אל המלך ותתחנן לו לדבר אל כוסתוברוס לכתוב לה ספר כריתות ויצו המלך אל כוסתוברוס ויעש לה ספר כריתות כמצות המלך ולא כתורת משה כי לא תוכל האשה לעזוב את בעלה אבל האיש יוכל לעזוב את אשתו רק אם שנאה: *Contigit autem poſtea, ut diſcordes fierent Coſtobarus & Salome uxor ejus, & accuſavit eum uxor ejus apud Regem, petiitque ut loqueretur cum Coſtobaro, ut daret ſibi libellum repudii. Quod cum Rex præcepiſſet Coſtobaro, fecit ei libellum Repudii, ex mandato Regis, non vero ſecundum Legem Moſis, ſecundum quam non poteſt Uxor virum ſuum derelinquere:* (ſc. pro lubitu & arbitrio ſuo) *ſed vir poteſt dimittere uxorem ſuam, ſi odio habuerit eam*. Et ſic putarim ego veriſimilius eſſe, quam ut in Joſepho Græco enarratur. Nam, quamvis mulier non poſſit ita ut vir, pro ſuo arbitrio, libellum repudii Viro mittere; poteſt tamen, in certis cauſis & caſibus, a Viro libellum divortii petere, imo quandoque ad

eum sibi dandum, Judicis etiam interposita authoritate, cogere, ut mox inferius visuri sumus.

LXXXVII. *Persona patiens* est Mulier, non tantum *Nupta*, & viro jam per matrimonium juncta, sed & *Desponsata* tantum.

De Nupta, & Uxore proprie dicta, res caret omni controversia, quin id inter Judæos usitatum fuerit.

Idem vero juris etiam *inter Desponsatos* fuisse, ut, & Sponsus Sponsam suam repudiare potuerit, & si eam repudiare voluerit, id eodem modo, quo Uxores maritatæ solent, Libello sc. repudii, nec aliter, facere debuerit, ostendendum. Sunt enim, qui in Historia Josephi & Mariæ dubitant, utrum etiam vel moris vel juris fuerit, ut Desponsatæ cum libello dimittantur. *Majemon.* in הלכות אישות cap. 1. §. 3. וכיון שנקנית האשה ונעשית מקודשת אף על פי שלא נבעלה ולא נכנסה לבית בעלה הרי היא אשת איש והבא עליה חוץ מבעלה חייב מיתת בית דין ואם רצה לגרש צריכה גט: *Posteaquam acquisita est mulier* (per Sponsalia) *& facta est desponsata, etiamsi nondum vel a marito agnita, neque in domum ejus traducta sit, revera est Uxor viri, & qui cum ea congreditur, excepto marito ipsius, reus est mortis: & si* (desponsatus) *velit eam expellere vel dimittere, necesse est ut id fiat libello repudiis*. Nam ut idem scribit in הלכות גירושין cap. 1. §. 1. אין האשה מתגרשת אלא בכתב *Non repudiatur mulier, nisi scripto, quod vocatur* גט. In Col-bo in הלכות אישות ab initio: *Si mulier emta vel acquisita fuerit uno aliquo ex tribus dictis modis, vocatur* מקודשת Sanctificata, *q. d. Probibita omnibus aliis viris, excepto sponso*, כהקדש *veluti* Res Sancta: ואם רצה לגרשה צריכה גט *& si velit repudiare eam, opus habet libello repudii*, שהרי היא אשת איש *quia revera est Uxor viri*. Sic in Schylchan Aruch, & aliis.

Fundamentum hujus suæ sententiæ desumunt iterum ex loco *Deuteron.* cap. 24. vers. 1. כי יקח איש אשה ובעלה וגו׳ *Si acceperit vir mulierem* (sibi desponderit) *&, vel aut coierit cum ea, & acciderit, &c.* Verba enim hæc Mosaica non tantum de Uxore jam nupta, sed & de Desponsata, accipienda esse docet Abarbenel, Commentario suo in Deuteronomion, fol. 283. col. 1. his verbis: מה שאמר כי יקח אוש אשה ובעלה הרצון בו או בעלה וירצה בקיחה כשיקנה האדם את אשתו בכסף כדבריהם ז״ל פרק קמא דקדושין וירצה באמרו ובעלה שיקנה אותה בביאה ואמר שאיך שיהיה קנינו באחד מהדברים יוכל לגרשה: h. e. *Quod dicit Moses*; Si acceperit vir mulierem, *&* coierit cum ea; *sensus est*, Si acceperit, &c. *aut* coierit cum ea; *Verbo vero* Accipiendi *vult dicere*, Si *acquisiverit* homo uxorem Pecunia, *secundum mentem Rabbinorum nostrorum in cap.* 1. *Kiddusch in. Dum vero dicit*, Aut coierit cum ea, *intelligit*; Si acquirat eam per Concubitum, *& sic vult dicere*, Quocunque, ex his duobus modis acquisiverit, h. e. desponsarit Vir uxorem suam, quod possit eam expellere. Sic scribit ibidem colum. 2. hujus rei causa instituta esse Sponsalia ante nuptias, כדי שבזמן האירוסין יבחנו שניהם ואם ימצאו שניהם האהבה והשלום הנמשכים מהאותות הטובים והסכמתם יבאו לידי נשואין ואם לא יהיה כן לא ישאנה כי מוטב לגרשה בהיותה בתולה מבהיותה בעולה ונשוכה: *ut tempore isto interjecto Sponsaliorum se invicem probent: quod si deprehendant amicitiam & concordiam sequi ex convenientia temperamentorum, tum posse ipsos ad nuptias progredi; si vero non, non esse cum ea nuptias celebrandas: Melius quippe esse, ut eam expellat Virginem, quam Maritatam & nuptam*. Et iterum: הנה חובה התורה לגרש את האשה אעפ״י שלא נבעלה לפי שהקרושין מיחרין הארם ואשתו ואותרין אותה וכו׳: *Ecce obligat Lex expellere uxorem, etiamsi quis nondum cognoverit eam: quia Sponsalia uniunt hominem & uxorem ejus, colligantque eos: unde necesse est illud vinculum solvere*. Quod vero Desponsata etiam nonnisi cum Libello repudii dimitti potuerit ac debuerit, id quoque ex hoc loco eliciunt. Unde sic ibidem Abarbenel iterum, וכבר באה בקבלה האמתית שעם היות שאמרה תורה כי יקח איש אשה ובעלה שאף על פי שלא נבעלה כיון שנתקדשה לא תצא כי אם בגט שהרי אמר אחרי זה והלכה והיתה לאיש אחר ושנאה האיש האחרון וכתב לה ספר כריתות ולא אמר שנבעלה אליו והוא המורה שעל הקרושין כלבד יצטרך הגט: h. e. *Et ex vera traditione habetur, quod licet dicat Lex*; Si acceperit vir mulierem & coierit cum ea, *tamen etiamsi nondum sit a viro compressa, quia desponsata est, opus habeat Libello, quia postea ibidem simpliciter dicitur*; Et abierit & fuerit viri alterius (i. e. nupserit alteri) hicque posterior odio habuerit eam, eique scripserit libellum repudii; *non vero*; Et coierit cum ea. *Istud enim docet, etiam propter Sponsalia sola requiri Libellum repudii*. Hactenus ille. Et in hunc sensum etiam accipit verba ista Chaskuni. Itaque hoc quoque volunt esse Præcepti Divini peculiaris, ut cum libello repudii dimittatur Uxor, tum desponsata tantum, tum etiam in thalamum jam traducta.

De Causa autem propter quam, etiam Despon-

spon-

ſponſata tantum, cum Libello repudii dimitti debeat, ſcribit idem Abarbenel: *Poſtulat Lex, ut mulier repudietur, etiamſi nondum ſit viro juncta, quia Sponſalia uniunt virum & uxorem ejus, eoſque colligant. Ideo neceſſe eſt diſſolvere vinculum illud*, לפי שהיא מאחר שנתקדשה הרי היא באפשרות קרוב להיות נבעלת לבעלה והתורה לא חששה לנסתרות כי מי יודע כיון שנתקדשה אליו אם נבעלה אם לא: *eo quod ipſa, poſteaquam deſponſata eſt, in proxima poſſibilitate ſit, ut a marito* (ſponſo) *ſuo ſit compreſſa. Lex vero non eſt ſollicita de occultis. Nam quis ſcit, cum ei ſit deſponſata, an eam cognoverit necne. Idcirco Sponſalia ſunt* הטופה *ſignum evidens, quod arguit, deſponſatam eſſe* אשת איש *Uxorem viri*, ושהצטרך לגט *& opus habere Libello repudii, non propter concubitum tantum, qui in occulto fieri potuit.*

CAUSSÆ DIVORTII.

LXXXVIII. De Cauſis Divortiorum & Repudiorum, propter quas ſc. vel libere ſunt licita, vel neceſſario facienda ſunt, res eſt graviſſima & prolixa. Nos præcipua eruemus & perſequemur.

LXXXIX. Diverſæ autem ſunt de his ſententiæ, tum Veterum, tum Recentiorum Judæorum. Quidam Arbitraria illa volunt eſſe, ita ut cuivis libuerit pro lubitu, ob leviſſimam cauſam vel culpam, vel etiam ob nullam, uxori repudium mittere. Alii vero paulo aliter ſentiunt, & nonniſi gravem ob cauſam repudium uxori mittendum cenſent. Plerique tamen in priorem ſententiam revera inclinant, ut ex ſeqq. apparebit. Hinc legimus in libro ספר החנוך fol. 208. משרשי המצוה לפי שהאשה נבראת לעזר לאדם והיא לו כאחר מכלי חקרתו וכענין שאמרו ז״ל אין האשה כורתת ברית אלא למי שעשאה כלי, ואחר שכן היה מרצונו בה שבל זמן שיקוץ בכלי הזה שיוציאנו מביתו, ומן הטעם הזה יש מרבותינו שיאמרו בגמרת גטין שאפי׳ הקריחה תבשיל יכול לגרשה כלומר מפני דבר קטן אחר שאינה לו אלא בכלי יקר שבבית h. e. *Ex fundamenti hujus præcepti eſt; Cum mulier creata ſit pro adjutorio hominis, eique ſit inſtar unius vaſorum pretioſorum ejus, juxta id quod Rabbini noſtri dicunt*: Mulier non adhæret firmiter, niſi ei qui fecit eam vas; *Cum, inquam, res ita habeat, hinc eſt penes voluntates patrisfamilias, ut quandocunque tædium ei oboritur vaſis hujus, illud e domo ſua eliminet. Hanc ob cauſam ſcripſerunt Rabbini noſtri in Talmud Gittin, quod etiam ob aduſtum edulium vel juſculum, homo poſſit uxorem ſuam repudiare, quaſi diceres, ob rem minimam; eo quod non aliter ſit in domo ipſius, niſi inſtar vaſis vel ſuppellectilis alicujus pretioſi*: Item: ומהם שאמרו כי בהיות הכלי זה בצלמו כדמותו וחננה האל לצרכו ולכבודו עינים לראות ואזנים לשמוע ונפש שכלית אין ראוי להוציאה ולשלחה מעליו כי אם בטענה גדולה וכענין שאמר הכתוב כי מצא בה ערות דבר *Quidam tamen illorum dicunt, cum hoc Vas ſit ad imaginem & ſimilitudinem ipſius*, (i. e. viro per omnia ſimile) *oculos habens ad videndum, aures ad audiendum, & animam intellectualem, non decere, ut amandetur & dimittatur, niſi gravem ob cauſam, ſicut Scriptura ipſa dicit*: Eo quod invenerit in ea rem aliquam Turpitudinis.

XC. Cauſas venantur iterum in ſupra jam ſæpius allegato loco *Deuter.* cap. 24. verſibus quatuor prioribus: Quidam in his verbis, כי מצא בה ערות דבר *Quod invenerit in ea nuditatem rei*, i. e. turpitudinem rei alicujus; Alii etiam in verbis iſtis: אם לא המצא חן בעיניו *Si non invenerit gratiam in oculis ejus*. Item: ושנאה האיש האחרון *Si oderit eam Vir poſterior quoque*. Unde volunt, ob ſolam etiam Diſplicentiam, vel Odium quodcunque, Uxorem dimitti poſſe.

Quid per ערות דבר *Nuditatem rei*, intelligatur, varie jam olim diſceptatum fuit. Nam in Talmud, in Tractatu *Gittin* cap. 9. in Miſchna, legitur diſputatio hac de re inter Scholam Sammaj & Hillelis, duorum celeberrimorum Doctorum, qui centum annis ante Templi ſecundi deſtructionem vixerunt, ut & R. Akivæ, his verbis: בית שמאי אומרים לא יגרש אדם את אשתו אלא אם כן מצא בה דבר ערוה שנאמר כי מצא בה ערות דבר: ובית הלל אומרים אפילו הקריחה תבשילו שנאמר כי מצא בה ערות דבר: רבי ר׳ עקיבה אומר אפילו מצא אחרת נאה הימנה שנא׳ והיה אם לא תמצא חן בעיניו: *Qui de domo ſeu diſciplina Schammæi ſunt, dicunt; Non expellet homo uxorem ſuam, niſi inveniat in ea rem nuditatis,* (דבר ערוה) *i. e. impudicam; ſicut dicitur*: Quod invenerit in ea ערות דבר nuditatem rei: *Qui de diſciplina Hillelis ſunt, dicunt; Expellere etiam poteſt, ſi edulium duntaxat ipſi aduſſerit, ſicut dicitur*: Quod invenerit in ea ערות דבר turpitudinem rei alicujus. *Qui de domo Akivæ; Etiam, ſi invenerit pulchriorem ea, quæ ipſi melius placuerit, ſicut dicitur*: Et accidat, ut non inveniat gratiam in oculis ejus. *Huc uſque in Miſchna*. De his deinde ulterius diſputatur in Gemara.

Senſus autem & ſumma huc redit: *Domus Schammaj* innitebatur his ſolis verbis, כי מצא בה ערות דבר, ac per ערות דבר

דבר *Nuditatem rei*, vel *Rem nuditatis*, intelligebat Libidinem, Lasciviam, Impudicitiam, λόγον πορνείας, ut Christus loquitur, & proinde statuebat, hanc solam ob causam posse dimitti uxorem. *Domus Hillelis*, subtilius duo ista verba ערוה דבר examinantes, voluerunt divisim esse exponenda, ut sensus illorum sit ac si dictum esset, או ערוה או דבר *Aut turpitudinem aliquam*, *aut rem aliam*, fœdam scil. & turpem; veluti, ut in Gemara Talmudica est; Si mulier egrediatur וראשו פרוע nudato capite, (vel, ut Apostolus loquitur, ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ, 1. ad Cor. 11. 5.): si in platea neverit, aut fila duxerit, sicque nuda brachia ostentarit: ופרומה משני צדדיה aut aperto pectore incesserit (ut fœminæ Christianæ in Gallia solent, scribit R. Sal.) ורוחצת עם בני אדם aut laverit cum Viris in eodem lavacro, vel in loco ubi viri lavare solent: aut si luserit cum juvenibus, &c. Hinc domus Hillelis latius extendebat causas Divortii, quam domus Schammaj. *Domus Akivæ*, ex verbis illis, *Si non invenerit gratiam in oculis ejus*, conclusit; Si cui Uxor displiceat, & alia melius placeat, eum posse Uxori suæ libellum repudii dare, & aliam ducere. Sic in Talmud de his disputatum fuit olim. Ex quibus apparet, jam eo tempore disceptatum fuisse inter Judæos, An propter quamvis causam, pro lubitu, liceat uxorem dimittere? & in diversas itum fuisse sententias. Rambam scribit, Halacham seu consuetudinem, & observantiam esse secundum domum Hillelis. De sententia R. Akivæ scribit, non esse Halacham: nam, si quis inveniat aliam mulierem, sua pulchriorem, & sibi melius placentem, eum posse illam ducere; non tamen interea priorem expellere, si nihil mali commiserit, & moribus ejus apta & conveniens fuerit, sed ei superducere.

Imo in Talmud Tract. יבמות fol. 52. col. 1. scribitur, Sponsum posse etiam ante nuptias curare scribendum Libellum divortii, quem postea statim tradere queat ei, ubi ipsi placuerit eam repudiare; Verba sunt: אמר ללבלר כתוב גט לארוסתי לכשאכנסנה אגרשנה הרי זה גט מפני שבידו לגרשה *Si quis Scribæ dixerit; Scribe Libellum repudii Sponsæ meæ, quo eam posteaquam duxero, dimittam, talis Libellus est legitimus.* Exemplum hujus rei legitur in Talm. *Bava Metzia* fol. 101. col. 2. *Mercator quidam advebebat navem repletam doliis vini, in locum quendam, & non inveniebat cellam in quam ea reponeret. Alloquitur mulierem quandam, quæ habebat cellam, ut eam ipsi pro vino suo elocaret! Illa recusat. Ipse, ut rebus suis consuleret, desponsat istam mulierem: Mulier desponsata, concedit ei locum pro vino: Ipse, nacto loco,* אזל לביתיה כתב ליה גיטא שדר לה *statim domum abit, & scribit Libellum repudii, eumque ipsi mittit: Mulier offensa, conducit bajulos, & vinum ejus iterum curat e cella sua extrahi, & in plateam collocari, &c.* Sic in Gittin fol. 34. col. 1. *Legitur exemplum de quodam R. Gidol ben Reilai, qui sine ulla causa repudii libellum mittebat uxori suæ; cum vero ipsa nollet statim acceptare, sed juberet Latorem crastino die redire, R. Gidol pœnitentia ductus, Deo gratias egit, quod non acceptarit libellum.* Ex quibus apparet, maximam olim hic licentiam fuisse, eamque arbitrariam.

Videntur differentiam hic facere inter Uxorem Primam & Secundam. Hinc scribit *Majemon.* in הלכות גירושין cap. 10. §. 21. לא יגרש אדם אשתו ראשונה אלא אם כן מצא בה ערות דבר שנאמר כי מצא בה ערות דבר וגו' ואין ראוי לו למהר לשלח אשתו ראשונה אבל שנייה אם שנאה ישלחנה h. e. *Non expellet homo Uxorem suam primam, nisi inveniat in ea* ערות דבר *rem aliquam turpem seu impudicam, juxta illud*: Si invenerit in ea ערות דבר: *neque decet, ut festinet & præcipitanter dimittat uxorem suam primam; sed secundam, si oderit eam, dimittere potest.* Hinc dicunt: כל המגרש אשתו ראשונה מזבח מוריד עליו דמעות *Si quis dimittat uxorem suam primam, super eo altare fundit lachrymas.*

R. Levi Ben Gerson scribit ad *Deut.* 24. 1. אמר זה לפי הנהוג שלא יגרש אדם אשתו אלא לסבה גדולה ולזה אמר כי ימצא בה ערות דבר אמנם על דרך האמת כבר ביארה התורה שאפילו לא מצא בה ערות דבר יש לו רשות לגרשה אם שנאה כאמרו ושנאה האיש האחרון וכתב לה ספר כריתות ולזה מבואר שאיך שיהיה שלא מצאה חן בעיניו יש לו רשות לגרשה *Dicit hoc* (Quod invenerit in ea ערות דבר) *de communi praxi & consuetudine: quia non solet homo expellere uxorem suam ordinarie, nisi gravem aliquam ob causam. Ideo dicit*: Quod invenerit in ea ערות דבר. *At secundum rei veritatem, exponit Lex, quod licet non inveniat in ea* ערות דבר *turpitudinem aliquam, tamen potestatem habeat eam expellendi, si odio habuerit eam, sicut dicitur*: Si odio habeat eam vir posterior, scribet ei libellum repudii. *Unde liquet, quacunque demum ratione accidat, ut uxor non inveniat gratiam in oculis ejus, ipsum facultatem habere eam expellendi.*

In libro כל בו Col-bo, in הלכות גיטין fol. 88. col. 3. 4. ערות דבר כגון עוברת על דת משה מאכילתו משאינו מעושר ומשמשתו נדה

נדה ולא קוצה חלה ונודרת ואינה מקיימת וכן עוברת על דת יהודית שיוצאה בשוק וראשה פרוע ואפילו קלתה בראשה אם מצאה לרשות הרבים וטווה ורד כנגר פניה ומשחקת עם הבחורים וכו׳: h. e. *Quid est* ערות דבר? *Veluti si transgrediatur Legem Mosis: Ex. Grat. Si præbeat marito cibum qui non est decimatus; si menstruis laborans ministraverit ei: si non abscindat Challam seu particulam de massa ex qua panem faciunt: si votum faciat, & id non observet: Sic, si transgrediatur leges verecundiæ & honestatis mulierum Judaicarum; veluti si detecto capite exeat in plateam, quantumvis calathum in capite gestet; si fuco faciem suam tingat vel pingat: si cum juvenibus ludat. Nonnulli tamen existimant, ob hæc non posse repudium mitti, nisi admonitio præcesserit, & nisi testes habeantur.*

Eadem habentur in *Majemonide* cap. 24. §. 12. & 13. item in Ammude golah, seu libero Præceptorum parvo, ubi in glossa additur; או שהיתה תובעת התשמיש מבעלה בקול רם עד ששכנותיה שומעין אותה מדברת על עסקי התשמיש או שהיתה מקללת אבי בעלה בפני בעלה: *aut si fuerit exigens debitum conjugale a marito suo voce clara, ita ut ejus vicinæ audire potuerint eam loquentem de re ista, aut si fuerit maledicens patri mariti sui* (socero suo) *præsente marito suo*. Extant hæc quoque in שלחן ערוך part. 4. num. 115. Majemonide dicto loco.

In eodem *Majem.* cap. 10. §. 22. legitur & hoc: אשה רעה ברעותיה ושאינה צנועה כבנות ישראל הכשרות מצוה לגרשה שנאמר גרש לץ ויצא מדון: *Mulier si sit malis moribus prædita, & non verecunda, sicut honestam filiam Israelis decet, præceptum est ut dimittamus eam, sicut dicitur;* Expelle derisorem, & cessabit contentio, *Proverb.* 22. vers. 10.

Don Isaac Abarbenel ex loco Deuter. duas generales causas extrahit Repudii seu divortii: 1. ערות דבר Turpitudinem & Impudicitiam, sive ea consistat in Scortatione & Adulterio ipso, sive in aliis, pudicitiam muliebrem minus decentibus verbis, factis, vel gestibus, aut certe suspectam illam reddentibus: 2. חלוף המזגים ובלתי הכסכמה מזגי האיש ואשתו: *Diversitatem & dissimilitudinem temperamenti & naturæ;* quando nempe Uxoris natura & indoles non est attemperata naturæ Viri, unde deinceps Displicentia, Tædium, Nausea, item שנאה Odium, oriuntur. Et ex his jurgia, lites, contentiones, &c. Hanc suam sententiam aliquot rationibus coufirmat, quas in secunda hujus Dissertationis parte videbimus.

Huc referunt etiam, si mulier fama mala, sua quidem culpa laboraverit, & se suspectam reddiderit de re aliqua מכוער ביותר *vehementer fœda*, ejusque rei testes adfuerint, licet actus ipse scortationis clare probari non possit: Veluti; Si sola fuerit in cubiculo, & visus fuerit vir egredi, eoque egresso, statim visa fuerit illa de lecto surgere, & vel femoralia induere, vel semicinctio se accingere: aut, si sputum recens visum fuerit supra in thalamo, aut, si egressi fuerint ex loco caliginoso & tenebroso: aut hic illam, vel hæc illum e fossa extraxerit: aut si viderint virum ipsam osculantem super Os indusii: aut visi fuerint se mutuo amplexantes & osculantes: aut unus post alterum introierit in cubiculum, & januam post se clauserint, & similia. Ob hujusmodi præsumtiones volunt etiam dimitti posse uxorem, hasque etiam comprehendi sub ערות דבר.

Item, si quæ sit מורדת rebellis marito suo, eique officium conjugale, seu quod ipsum fastidiat, seu ut ipsum irritet, deneget: Ibid. cap. 14. §. 8. &c. Sic Sponsa, quæ completo tempore, quo nuptiæ celebrandæ sunt, refragatur, ut ægre sponso faciat, repudiari potest, Ibidem §. 12.

In enumeratis casibus & causis sciendum, liberum esse marito uxorem repudiare, vel non repudiare, sed servare.

XCI. At vero, Si uxor deprehensa fuerit corpus suum prostituere, vel a marito ipso, vel maritus id a fide dignis & sufficientibus testibus acceperit, quibus ipse fidem largiatur, tum nolens volens cogitur, etiam Judicis autoritate interveniente, illam repudiare, neque ulterius, hoc quidem in casu, ipsi cohabitare licet; sic tamen ut ipsi dare teneatur dotem vel donationem propter nuptias. Quod si Uxoris propria confessio accesserit, tum insuper etiam donationem hanc amittit. Majemon. in הלכות אישות capite 24. §. 16. 17.

XCII. Qui Uxori suæ in præsentia duorum olim dixit, אל תסתרי עם איש פלוני *Ne abscondas te cum Viro isto* N. h. e. *ne clandestine cum ipso convenias & converseris;* ipsa vero insuper habita hac admonitione clam cum illo conveniat, & tamdiu cum ipso sola commorata fuerit, ut pollui ab ipso potuerit, hujusque rei maritus vel testes habuerit, vel spectator ipsemet fuerit, illa ab eo tempore prohibita viro fuit, donec eam Aquis amaris potarit, quibus castitatem ejus explorarit, secundum Legem, de qua legere est *Numer.* cap. 5. a vers. 11. 12. & seqq. usque ad finem capitis. Hodie *vero*, quando Aquarum istarum usus exspiravit,

vit, perpetuo ipsi est prohibita, omnique dote privata. Talis mulier dicitur סוטה *Declinans*, & de ea, ut & de dicta Lege Numerorum, peculiaris extat Tractatus Talmudicus, ita nominatus, & plurima inde in Ritualibus Judaicis.

XCIII. Si quis fiat מומר vel משומד Apostata, Hæreticus, Infidelis, ejus Uxor solenni Libello repudii ab ipso separari debet, neque facultatem habet (*ipsa*) alii nubendi, nisi Libellum repudii, juxta ritum Judæorum scriptum, a marito acceperit. Unde in istiusmodi casu maritum urgent, imo etiam, ut quidam volunt, per Magistratum Christianum adigunt, ut Libellum repudii legitimum uxori tradat. Neque enim existimant, Mutationem hanc fidei aut Apostasiam, perinde ut Mors, ita dissolvere vinculum matrimonii, ut nullo Libello opus sit. Casum hunc explicat R. Isaac Arama in Akedath Jizchak fol. 252. col. 3. שח לי חכם אחר כי אחר מחכמי הגוים בראותו היהודים שואלים ודורשין גט מיד איש יהודי מומר והוא היה מסרב לגרש האשה היהודית ששאל לו למה יבקשוהו ממנו כי אחר שיצא מדתו ראוי להם להחשיבו כאלו אינו והרי אשתו ראויה להחשב כאלמנה לכל דבר ואמר שהיתה תשובתו אליו כי לא באה עליו הסרה עצמית אלא מקרית כלומר שנוי השם או שנוי השכונה ושאין בידו להמיר עצמותו באשר הוא יהודי אמרתי לו תשובה זאת היא אמתית לפי דתנו והוא מאמרם ז״ל אע״פ שחטא ישראל הוא אבל אינה יכולה להכנס באזני הגוי החכם שיש לו להשיב שאין עצמות בעצם הדת ואין מהות כמהות האמונה ואחר שיצא מכללה הרי אינו ישראלי לפי שרשיה כל שכן שאינו ראוי להקרא יהודי וכו׳: *Narravit*, inquit, *mihi Sapiens quidam, se rogatum fuisse ab erudito quodam Christiano qui videbat Judæos Libellum divortii requirentes a Judæo Apostata, renuente Judaicam uxorem suam dimittere; Ut quid hoc ab ipso peterent? Posteaquam enim Religionem suam deseruit, illum Jure ab ipsis haberi posse pro mortuo, ac si plane non amplius esset, & uxorem absolute habendam pro Vidua! Respondit Sapiens ille; Mutationem hanc non esse substantialem, sed accidentalem, hoc est, Mutationem Nominis, vel Habitationis seu domicilii, quæ non possit mutare substantiam Judæi. Dixi ei; Responsio hæc verissima quidem est secundum nostram Legem, & convenit cum eo quod Sapientes nostri dicunt;* Etsi quis peccet, tamen est & manet Israelita; *non tamen sufficiens fuit ad persuadendum Sapienti illi Christiano, qui excipere potuit; Nullam rem esse magis substantialem, quam Fidem & Religionem, nec similem quidditati Fidei: Itaque posteaquam ab hac deflexit, non esse amplius Israelitam, nedum Judæum vocandum; ac propterea mutatum esse mutatione substantiali, ex vivo in mortuum, aut ex mortuo in vivum, juxta id quod Sapientes dicunt;* Gentilis qui fit proselytus, est instar infantis modo geniti. *Mihi itaque videtur, ita respondendum esse, ut illi rem hanc recte capiant. In conjunctione Mulieris cum Viro tria occurrunt: Primum est in ipsis, ut Animantibus irrationalibus; Carnalis videlicet commixio ad generandum: Secundum est proprium Speciei humanæ in genere, sc.* יחוד *Appropriatio Mulieris alicujus certæ, uni soli viro, & ejus Prohibitio omnibus aliis, ne semina commisceantur (In hoc enim omnes recta ratione præditi homines conveniunt): Tertium est, Modus peculiaris, & ab aliis differens, quo Appropriatio ista confirmatur. Hic modus ipsis contingit respectu Fidei & Religionis cui sunt addicti. Sic juxta Legem Mosis fit hæc confirmatio, vel Pecunia, vel Coitu, vel Literis: secundum religionem Christianorum Datione manuum, vel simili aliqua ceremonia: Et sic unaquæque natio suos peculiares habet ritus. Jam dico; Vir iste, qui mutavit religionem suam, non sustulit hoc facto vim appropriationis, quam mulier apud ipsum habet, quæ ei juncta est, quatenus sunt Homines, non quatenus Judæi; ideoque licet mutatus sit in fide, tamen adhuc est in Conjugio suo, ac proinde obligata est mulier Dimissionem ab ipso petere: Requirimus autem ut id Libello fiat, scripto secundum ritum Judæorum, quia ipsa Judæa est, neque expelli potest, nisi Libello legitimo secundum religionem suam.* Hactenus ille. Eadem, sed brevius habet Abarbenel Commentar. in *Deuter.* fol. 383. col. 2. Aliquid etiam de hoc casu extat in Schylchan Aruch *part.* 4. ad *num.* 154. §. 1. in Animadversionibus.

Atque hæ Causæ, quæ hactenus allatæ sunt, fere sunt Morales, Vitam & Actiones spectantes.

XCIV. Præter illas, sunt quædam Naturales, quas etiam huc referunt: Vitia sc. & Defectus quidam Corporis, ob quos Divortium fieri posse statuunt: & hæ quidem reciprocæ sunt, ita ut, si מומין Vitia talia reperiantur in Uxore, & Viro ante Desponsationem nota neque fuerunt, neque esse potuerunt, Vir potestatem habeat eam dimittendi & expellendi per Libellum: si vero reperiantur in Viro, Mulieri libellus divortii petendus sit a Marito, aut si dare renuat, coram Judice id petat, ut ejus authoritate Maritus cogatur ad Libellum ei dandum. Mulier enim non potest a marito separari, nisi

nisi accepto libello repudii, dare marito ipsa non potest.

XCV. Sic Vitia naturalia omnia, quæ prophanum & illegitimum reddunt Sacerdotem, prophanam quoque reddunt Mulierem. Et præter illam, adhuc insuper sequentia; Fœtidus sudor, Fœtor oris, Cicatrix ex morsu canis: Verruca in fronte, &c.

XCVI. Vitia Viri, ob quam Uxor eum, si velit, cogere potest ad dandum sibi libellum repudii, sunt; Fœtor oris: Fœtor narium: Impotentia: Item, si mutato honesto & mundo opificio, inhonestum & sordidum tractare ceperit, veluti, si lucri causa convertat fimum, si fiat coriarius, metallarius, &c. Quod si vero morbo insanabili & contagioso laboret, veluti, si fiat מוכה שחין Ulceribus malignis laborans, &c. tum etiamsi uxor ei cohabitare vellet, separant eos etiam invitos.

Huc pertinent & ista; si quis uxorem duxerit, & decem annis cum uxore habitarit, nullosque ex ea liberos susceperit, potestatem habet dimittendi eam. *Majemon.* in הלכות אישות cap. 15. §. 7. Sic in hoc casu uxor quoque libellum a marito potest flagitare, si probare possit, sterilitatem ex ejus impotentia provenire.

Item, si quæ ter abortiverit, הוחזקה לנפלים inepta judicatur ad liberos in lucem edendos, ideoque dimitti potest, dote tamen numerata. Ibid. §. 12.

XCVII. Alia magis specialia, quæ in Jure & Ritualibus ipsorum habentur, prætereo. Ex his enim satis cuivis liquere potest, quæ sit ipsorum sententia: hæc etiam ad præsentem nostrum scopum sufficere possunt.

XCVIII. Inprimis autem hoc ex hactenus dictis omnibus patet, quam levissimis, atque adeo nullis etiam de caussis, olim licentiam sibi sumserint Judæi, Uxoribus suis repudium mittere. Hoc etiam observandum, in his omnibus nulla vestigia deprehendi, vel cognitionem aut decisionem Judicialem, vel authoritatem publicam Magistratus, in toto hoc actu intervenisse; sed jus & facultatem fuisse penes merum arbitrium & voluntatem mariti. Quicquid superiores hac in parte fecerunt, vel facere potuerunt, fuit; vel maritos a proposito suo verbis dehortari, reconciliationi partium operam dare, aut si id obtinere statim non possent, moras circa scribendum libellum divortii nectere, plurimas illis difficultates objicere, sumptus aggravare, ac similia. Illis vero omnibus si nihil efficerent, mos gerendus maritis morosis fuit, & voluntati ipsorum parendum, videndumque ut omnia rite ac decenter, secundum statuta sua peragantur, quæ summa certe & intolerabilis, simul etiam inexcusabilis, fuit licentia. Hodie tamen rarissima sunt inter Judæos divortia, & forte æque rara & difficilia ac inter Christianos: nec nisi scitu & approbatione Rabbinorum fieri possunt. Sed pergamus, & videamus paucissima quædam de Personis per Divortium separatis.

CONSEQUENTIA.

XCIX. Uxorem dimissam potest alius quivis, excepto Sacerdote, ducere: Maritus etiam ipse eam potest reducere, quamdiu non alii viro nupserit; וגם ראוי לעשות כן: *quin & sic decet facere* (nisi palam fuerit impia & adultera); imo si etiam interea temporis (post separationem sc.) scortata fuerit. Sed non licet eam reducere, si post divortium alii legitime nupserit, aut saltem legitime desponsata alii fuerit, *Majemon.* in הלכות גרושין cap. 11. §. 12. 13. Fundant hanc suam sententiam in his verbis textus: *Non poterit maritus ejus prior, qui ejecit eam, iterum accipere eam, ut sit illi uxor,* אחרי אשר הוטמאה *Posteaquam polluta facta est*; sc. respectu mariti primi, ex quo vir alius concubuit cum ea, vel, ex quo viri alterius uxor facta est. Nam talis est טמאה *polluta, immunda*, ac proinde alii viro prohibita. Sic exponunt & intelligunt Hebræi communiter ista verba. Vide Abarbenelem, Aben Esram, *Majemon.* in הלכות אישות cap. 11. §. 12. 13. & alios. Itaque non satis mentem Hebræorum excussisse videtur Hugo Grotius de Jure Belli & Pacis lib. 2. scribens: *Sic & dimittere uxorem volenti modus præscribitur, nec dimissam ducere quisquam impeditur, præter eum qui dimisit, & sacerdotem.* Non enim absolute impeditur maritus qui dimisit, sicut sacerdos: sed certa ratione & limitatione.

Causam vero cur non eam liceat, postquam alteri nupsit, reducere, petunt ex istis verbis, כי תועבה היא לפני ה' ולא תחטיא את הארץ: *Quia abominatio est coram Domino, ut non polluas terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi in hæreditatem*, h. e. ut Abarbenel explicat, *foret hoc ex Ægyptiorum operibus, qui permutabant uxores suas, & remittebant eas iterum in domos suas, causamque & occasionem preberet magnam Scortationibus & Adulteriis.* Unde Jeremias, cap. 3. vers. 1. *Si dimiserit vir uxorem suam, & abierit ab eo, & fuerit viri alterius, nunquid revertetur ad eam amplius? annon sic propha-*

pha-

phanando prophanabitur terra? Sic ſcribit Iſaac Arama: שאם לא כן היה עקר סחורות האנשים הפחותים בחלופי מטותיהם ותמלא הארץ זמה: *Quod ſi hoc non probibitum eſſet, tum porta aperta eſſet hominibus levibus ad negotiationem exercendam cum uxoribus ſuis, & permutandum eas, & ſic repleretur terra ſcortatione.*

Quod vero, deſponſatam etiam tantum alii viro, non licet reducere, etiamſi nuptiæ nondum ſint celebratæ, cauſam hanc reddit Abarb. כי מי יודע אם נבעלה אם לא והנסתרות לי״ אלהינו והנגלות לנו שנתקדשה אליו ולכן הרי היא כאשתו לכל דבר: *Nam quis novit, utrum ab eo cognita ſit necne! Occulta enim ſunt penes Dominum Deum noſtrum, revelata autem penes nos, ex quibus eſt, quod deſponſata ſit viro, ac proinde Uxor ejus.*

R. Levi ben Gerſon hanc etiam prohibitionis hujus adducit rationem; Ne hinc cauſa & occaſio detur oppreſſioni & rapinæ: *Talis enim*, ſcribit, *expellet a ſe uxorem ſuam ut nubat alteri, & ſtudio dein omnis generis mala perpetret, quo iterum ab ipſo ejiciatur, hocque pacto alterius bona diripiat, atque ad maritum ſuum primum deferat. Præterquam quod res ſit infamis, ut homo ſcortari faciat uxorem ſuam, pecuniarum & bonorum cauſa.*

Non licet etiam ducere vel ſumere Uxorem propter impudicitiam ab alio dimiſſam: אשה שנתגרשה משום פריצות אין ראוי לאדם כשר שישאוה: *Mulierem, quæ dimiſſa eſt propter impudicitiam, Vir honeſtus non ducet.* Majemon. in הלכות גירושין cap. 10. §. 22. *ne dicatur* זה הוציא רשעה מביתו וזה מכניסה: *Iſte eduxit impiam e domo ſua, & hic introducit eam.*

C. Unum adhuc pro Concluſione primæ partis hujus Diſſertationis addemus, quod non præter rem, vel alienum ab hoc loco videtur, *de Davide & Michale, Saulis filia.* Caſus hic eſt:

Saul dedit Filiam ſuam Michal Davidi in uxorem, 1. *Sam.* 18. verſ. 27. Poſtmodum autem cum odio proſequeretur Davidem, & David profugus & in exilio eſſet, ex ejus perſequutione, Saul eandem filiam ſuam Michal, Davidis uxorem, dicitur dediſſe ipſi Palti, (qui & *Paltiel*) filio Lais, qui erat de Gallim, 1. *Sam.* 25. verſ. ult. Rurſus legimus, Davidem miſiſſe nuncios ad Isboſeth filium Saulis, qui ei dicerent, ut reſtitueret ipſi uxorem ſuam Michal, quam ſibi deſponderit centum præputiis Philiſtæorum: & Isboſethum miſiſſe, Michalem a viro Paltiel filio Lais tuliſſe: Paltielem virum ejus cum ipſa iviſſe, lachrymiſque & fletu eam proſecutum eſſe, 2. *Sam.* 3. verſ. 14. 15. 16.

In hac Actione magna undiquaque ἀταξία conſpicitur, & circa omnes Perſonas aliquid deprehenditur, quod Legum ſepta perumpat, & proinde variæ quæſtiones hinc exſurgunt.

De Saule enim quæritur; *Quinam ille Michalem filiam ſuam potuerit collocare Palti, vel Paltieli, quam ipſemet antea Davidi deſponderat & collocarat, pro centum præputiis Philiſtæorum, quæque revera Uxor ejus fuit, & ſic in hac hiſtoria vocatur?*

De Palti; *Quomodo ille Michalem, oblatam a Saule, potuerit accipere & ſibi deſponſare, quam non ignorarat eſſe Davidis uxorem, ac proinde ſibi probibitam?*

De Michale; *Quomodo ipſa potuerit alteri nubere, quæ ſcivit quo pretio a Davide empta fuerit, & comparata, neque ſe ab illius conjugii vinculo eſſe legitime ſeparatam ac ſolutam? Patris poteſtati non amplius ſubjecta fuit ſed ab ea exempta, ut ab eo non cogi potuerit æd hoc faciendum. Poſtquam ſemel fuit deſponſata, ſui juris & arbitrii in hoc negotio fuit. Si nullum libellum repudii a Davide habuit, fuit & manſit ipſius Uxor.*

De Davide; *Qui ipſe potuerit Michalem repetere & reducere? Michal enim vel fuit legitime ab ipſo per libellum repudii dimiſſa, vel non fuit. Si dimiſſa ab ipſo fuit, non potuit eam reducere, poſtquam ab altero deſponſata, & alterius uxor facta eſt, uti paulo ante viſum: Si non dimiſſa fuit, fuit Adultera; ſic iterum Davidi prohibita. Imo, quomodocunque ſe res habeat, mirum quomodo hoc voluerit David facere, qui Rex fuit, neque uxoribus caruit?*

Ita ubique, ſi hæc hiſtoria ita intelligenda, quod Saul Michalem Paltieli Uxorem dederit, difficultates & ſcopuli occurrunt.

Non attingemus hic ea, quæ noſtri Interpretes ad hæc loca ſcribunt; ſed, ut in præcedentibus, Hebræorum ſententias & expoſitiones duntaxat producemus, liberum cuivis de illis judicium relinquentes. Variæ autem ſunt hac de re Rabbinorum ſententiæ.

R. David Kimchi ad 1. *Sam.* 25. verſ. ult. ad hæc verba, *Et Saul dedit Michal filiam ſuam, uxorem Davidis, Palti filio Laiſch qui ex Gallim*) ſic ſcribit; *Quæritur hic, cum Michal uxor Davidis fuerit, quomodo Saul eam dederit Paltio, & quomodo Palti filius Laiſch eam accipere potuerit, quæ fuit uxor Davidis? Si dixeris, quod per tranſgreſſionem & probibitionem hoc fecerint; quæritur, quomodo David poſtea eam iterum acceperit, cum ipſi probibita fuerit, quia fuit ab alio jam*

volun-

voluntarie compressa, dum adhuc uxor ejus esset? Quidam ex Rabbinis nostris p. m. dicunt, Desponsationem τȣ Palti cum Michal, cum transgressione, (male) *factam esse*. Alii *dicunt*, in Desponsatione Davidis cum Michale errorem commissum fuisse, sicut dicitur; *Qui percusserit eum, illum ditabit rex divitiis amplissimis*, 1. Sam. 17. 25. *Illo enim die vel tempore fuerunt* (divitiæ illæ promissæ) *mutuum* (instar mutui Davidi) *apud Saulem: qui autem desponsat aliquam cum mutuo, illa non est desponsata. Et quamvis præputia Philistæorum*, (quæ ex pacto David attulit Sauli) *fuerint Sponsalia* (h. e. loco arrhæ desponsationis); *cogitavit tamen etiam Saul, mentem Davidis* (circa desponsationem filiæ suæ) *fuisse mutuum illud* (illum respexisse ad divitias illas promissas, quia dictum fuit illic; *Eum ditabit Rex divitiis amplis, & filiam suam dabit ei*, (& sic geminum pignus fuit): *David vero ad ducenta præputia respexit, quæ dedit & pro dote, & pro sponsalibus.* Alii *dicunt, hunc Palti non congressum esse cum ea unquam toto eo tempore quo cum ipso fuit, quia gladius fuerit suspensus inter illum & ipsam, ut non attingeret eam. Quod ad illud attinet, quod de Palti dicitur, illum Michalam a se discedentem, fletu & lacbrymis prosecutum esse*, 2. Sam. 3. vers. 16. *id intelligendum esse ab ipso factum, propter præceptum hoc quod e potestate ejus abibat* (h. e. quod discessu Michalis pulchram hanc præcepti continentiæ observandi occasionem amitteret) *quo hactenus tantopere suam concupiscentiam refrænavit* (ut quamvis Michal in eodem lecto cum ipso cubarit, tamen eam non attigerit). *Verum* (pergit Kimchi) *hæ sententiæ omnes longissime recedunt a sensu simplici & literali. Mihi itaque videtur, Davidem libellum repudii misisse Michali: nam videmus, Saulem odio prosecutum esse Davidem tanto, postquam ejus gener factus est, ut David a facie ejus fuga sibi consuluerit. Videns vero Saul, Davidem fugere, licet aliquando ad ipsum rediret, coegit eum ad libellum Divortii dandum filiæ suæ, ne solitaria*, ἀνάνδρος (Heb. עגונה) *maneret, quod & David fecit. Hoc facto dedit eam Saul τῷ Palti filio Lais in uxorem. Quod si dixeris, vel excipias; sic vero non licitum fuisse Davidi, iterum eam ducere* (*probibitum enim homini est reducere repudiatam suam, posteaquam alteri vel nupta vel desponsata est*); *respondemus, Davidem non ex sua sententia & voluntate dedisse* (sed coactum). *Quod si porro dicas, Quis coegit eum? annon fugit a Saule?* (respondeo) *Etsi fugerit, videmus tamen illum postea etiam cum Saule* (quandoque) *fuisse, sicut dicitur;* Si recensendo desideraverit me pater tuus, &c. 1. *Sam.* 20. vers. 6. *Et tota illa historia docet, Davidem, posteaquam ab ipso fugit, tamen ad illum* (Saulem) *rediisse. Itaque dum cum ipso esset, coegit eum ad dandum libellum divortii: libellus autem divortii inter Israelitas non recte factus, nullus est. Si ulterius dicas; An domus judicii Saulis nescivit, Libellum illum divortii esse illegitimum?* (respondeo) *Fieri potuit, ut existimarit, illum esse legitimum, quod voluntate Regis esset factus: aut* (*quod melius*) *respondere possumus, Davidem, antequam libellum divortii daret, coram duobus testibus, qui ex amicis ejus essent, dixisse; Videte, ecce ego cum traditione libelli fugio; bosque rem clam & secreto babuisse, & sic eum tradidisse: sicque libellum nullius valoris fuisse: Palti autem & Michalem ignarasse hoc, sed existimasse, Libellum bonum & legitimum esse. Quin & fieri potest, quod Libellus divortii ab initio fuerit uti oportebat, & per procuratorem a Davide missus sit; deinde autem ab ipso abrogatus, revocatus, antequam ad manus Michalis perveniret, ipsa inscia. Sic vero Michal per errorem ducta fuit a Palti, neque illicitum Davidi erat eam reducere. Perinde enim hoc fuit, ac si per vim compressa fuiset, quia existimavit* (Michal sc.) *libellum esse justum & legitimum. Vis enim & error in eodem sunt gradu respectu mulieris maritatæ. Sic dicunt ad id quod legimus*, והיא לא נתפשה Et illa non fuerit comprehensa (mulier sc. adultera) *Numer.* 5. 13. *id esse restringendum ad eam quæ vim patitur, & quod ibidem* vers. 12. *legitur*, ומעלה בו מעל Et prævaricata fuerit in eum prævaricationem; *ad eam quæ per errorem peccaverit, eaque licita sit marito suo*. Hactenus Kimchi.

In his Kimchi verbis eæ sententiæ, quas ab initio recenset, petitæ sunt ex Talmudicis, in *Sanbedrin* cap. 2. fol. 91. pag. 2. unde lucem illæ accipient. Ibi inter alia sic: מאי קרושי טעות *Quænam sunt Sponsalia erronea?* דכתיב והיה האיש אשר יכנו יעשרנו עושר גרול וגו' אזל קטליה אל מלוה אית לך נכאי והמקרש במלוה אינה מקירשת: *Cum inter Israelitas promulgatum esset*; Quisquis percusserit virum istum (Goliathum) eum ditabit Rex divitiis magnis, & filiam suam dabit ei, 1. *Sam.* 17. vers. 25. *atque David abisset, & eum occidisset; dixit ei Saul; Hoc* (quod promeruisti) *mutuum tuum erit apud me: qui vero per mutuum* (rem mutuo acceptam) *aliquam desponsat, ea desponsatio invalida est:* (Hinc Saul putavit se liberatum, ut non cogatur filiam suam

Merab Davidi dare) אזל יהבה לעדריאל דכתיב ויהי בעת תת את מירב בת שאול לדוד: *Ivit ergo Saul, & collocavit eam Adrieli, ſicut dicitur*; Fuit autem cum danda eſſet Merab filia Saulis Davidi, ut daretur Hadrieli, &c. 1. *Sam.* 18. verſ. 18. אמר ליה אי בעית דאתן לך מיכל זיל אייתי לי מאה ערלות פלשתים אזל אייתי ליה אמר ליה שאול מלוה ופרוטה אית לך גבאי שאול סבר מלוה ופרוטה דעתיה אמלוה ודוד סבר מלוה ופרוטה ואי בעית אימא דכ״ע מלוה ופרוטה דעתיה אפרוטה ושאול סבר לא חזי ולא מידי ודוד סבר חזי לבלבי ושוגרי: *Ad Davidem autem dixit porro Saul; Si vis ut dem tibi Michalem, vade & affer mihi centum præputia Philiſtæorum. Hæc cum David attuliſſet, dixit ei; Nunc mutuum & numum* (argentum, pecuniam) *apud me habes depoſitum. Saul enim exiſtimavit, Davidem animum ad mutuum adjecturum* (& ſic ſe iterum occaſionem habiturum, promiſſum ſuum aliqua ſpecie retractandi, ut antea): *David contra cum utrumque ei proponeretur, reſpiciebat ad numum vel argentum* (quo deſponſatio legitime perficitur &c.)

R. Levi Ben Gerſon ad eundem locum ſcribit: *Mirum eſt, qui hoc fecerit Saul*, (ut Michalem daret τῷ Palti), *cum eſſet Uxor Viri* (Davidis). *Rabbini noſtri dicunt, quod eam non contigerit Palti filius Laiſch. Et certe videtur res ita habere, cum David poſtea eam repetierit. Hoc enim docet, Publice notum fuiſſe, & conſtitiſſe, illum non tetigiſſe eam.*

R. Iſaac Abarbenel autem has ſententias omnes *primo* rejicit, & refutat; *deinde* ſuam hac de re ſententiam proponit.

De præcedentibus ſententiis ſcribit: וכלם בעיני דברי רוח לאפס נחשבו לי *Omnes illæ ſunt in oculis meis inſtar venti, & pro nihilo apud me reputatæ. Scriptura enim nuſpiam dicit, quod David libellum divortii dederit uxori ſuæ: Saul eum ad hoc non adegit, imo ne ſcivit quidem quod David fugeret; David etiam nullam fecit Obligationem ſcriptam, neque Procuratorem miſit. Hæc omnia ex ſemetipſo commentus eſt R. D. Kimchi, quorum nullum veſtigium extat in Scriptura. Et, ſi Michal fuit uxor Palti, etiam cum libello divortii dimiſſa a Davide, an credibile eſt, Davidem illam reducturum fuiſſe? Hoc de nullo alio homine poteſt cogitari, illum hoc facturum, multo minus ex honore Davidis fuiſſet. Michal nullos liberos peperit Davidi, unde potius decuit, ut ne quidem de ea cogitaret, vel ejus nominis amplius meminiſſet, poſteaquam uxor facta fuit τῷ Palti filii Laiſch: Neque David deſtitutus fuit uxoribus, ut hoc flagitium committeret. Non etiam neceſſe eſt, ut cum Rabbinis noſtris dicamus, Davidem fidem habuiſſe publicæ famæ, quod non compreſſerit eam Palti: de hoc enim nemini certo conſtitit. Quis veritatem hujus rei ipſi confirmare potuiſſet, poſteaquam uxor ejus fuit, & in ſinu ejus cubuit? Præterea, ſecundum Legem, poſteaquam deſponſata fuit, probibita fuit marito priori, etiamſi ſecundus eam non violaverit.* Hæc Abarbenel de præcedentibus ſententiis.

Suam vero poſtmodum ſic exponit ſententiam: *Ad perplexitates iſtas omnes evitandas, dico ego; abſit, ut dicamus, Saulem dediſſe filiam ſuam, uxorem Davidis, Palti filio Laiſch in uxorem. Saul etenim etiam timuit Dominum Deum cœlorum, quomodo itaque tam grande ſcelus commiſiſſet? Revera itaque ſic ſe res habet; Cum Saul vidiſſet, Davidem ducere uxores alias, Abigaelem & Achinoamam, ſollicitus, ne Michal filia ſua ſcortaretur, ceu juvencula, neque ſatis, ut deceret, honoris patris ſui rationem gereret; inprimis cum videret, Davidem maritum ſuum, a facie patris ejus ejectum, & fortaſſis cogitet, Davidem non amplius ad domum ſuam reverſurum; idcirco ut eam cuſtodiret, nec illa ultra quam par eſt affligeretur, aut fortaſſis aufugeret ad quærendum Davidem cum ignominia & indignatione Patris ſui; ob hæc omnia ſollicitus & anxius Saul, dedit filiam ſuam Michalem Palti filio Laiſch, ad fideliter cuſtodiendum eam, inſtar filiæ. Videtur enim, hunc Palti fuiſſe hominem ſenem, uxorem & liberos habentem. Dedit itaque ipſi Saul Michalem, ut in domum ſuam reciperet eam, honoris & cuſtodiæ cauſa, non ut uxor ejus fieret. Abſit. Hac de cauſa iverant una cum ipſa, filii Merab ſororis ejus, quos pepererat Adrieli, ut educaret eos; quo ſic una cum illis* (ex ipſorum conſortio & converſatione) *adimeretur de mœrore cordis ejus, & vivæ viduitatis, in qua verſabatur, ſicut explicatur in fine libri hujus;* Tulit ergo Rex duos filios Rizpa, &c. & quinque filios Michal filiæ Saulis, quos pepererat Adrieli filio Barſillai &c. 2. *Sam.* 21. verſ. 8. *qui* (quinque filii) *erant cum ipſa, unde vocantur* Filii ipſius, *ob hanc cauſam. Hinc non dicitur hic* (1. *Sam.* 25. verſ. ult.); Et Saul dedit Michalem filiam ſuam, uxorem Davidis, in uxorem ipſi Palti filio Laiſch: *quia etiam non dederat eam ipſi in uxorem, verum ad cuſtodiendum eam: ſed dicitur tantum*; Et dedit Michalem filiam ſuam. *Idem etiam confirmat, quod dicitur:* Et Saul dedit filiam ſuam, Uxorem Davidis; *cum enim Davidis uxor fuerit, non potuit nuptum dari alteri: dedit ergo eam ipſi Palti, ut eſſet*

esset instar depositi apud ipsum, *& ut blandis verbis eam consolaretur*, *nec mœrore conficeretur ob maritum suum*, *qui longe ab ipsa aberat aliasque uxores duxerat*. *Ideo venit iste versus in hoc loco*, *posteaquam dictum esset*, *Davidem alias uxores duxisse*, *Abigaelem & Achinoamam*. *Et hac de causa cogitavit David de repetenda illa*, *petiitque ab Abnero*, *ut eam sibi restitueret*, *quæ vixit in viduitate vitæ in domo Palti*, *ut eam exhilararet*, *ob luctum quem eo usque ejus causa perceperat*, *eo quod pater ejus Saul ipsam mœrore affecerat*, *probibendo ne ad ipsum venire posset*. *Quod vero postea dicitur*: Et ivit cum ea אישה vir ipsius eundo & flendo, *2. Sam. 3. 16. vocatur hic Palti* Vir ipsius; *eo quod apud ipsum fuerit*; *non enim dicitur* בעלה Maritus ipsius; *quia non fuit Uxor ejus*. *Sic dicit Propheta nomine Dei*; Vocabis me, אישי Vir meus, non vocabis me amplius בעלי Maritus meus, *Hos. 2.* vers. *16. quia nomen* איש Vir *dicitur de Custode & Domino*: *nomen autem* בעל *significat* Maritum, aut dominium maritale. *Sic invenimus in Talmud*, *in Massecheth Jomah*, (cap. 1. in Mischnah) *quod dixerint olim in die Expiationum ad sacerdotem maximum*; איש כהן גדול Vir mi (Domine) Sacerdos magne, *ad denotandam ejus dignitatem & potestatem seu dominium*. *Hoc sensu itaque dicitur hic de Palti*, אישה Vir ejus. *Rabbini quidem nostri*, *ut sensum literalem retinerent*, *ajunt ideo sic vocari ipsum*, *quod Michal desponsata esset ipsi*: *sed veritas rei id non admittit*, *& explicandum est prout ego dixi*. *Quia autem Palti intime Michalem dilexit*, *dum sub ejus cura*, *& fidei ejus commissa fuit*; *ideo propter summum istum amorem*, *quo eam ut pater filiam prosecutus est*, ivisse dicitur post eam eundo & flendo. *Sic ergo patet*, *Michalem Palti non fuisse desponsatam*, *vel nuptam*, *& propterea eam repetitam fuisse a Davide*. Hactenus Abarbenel.

R. Samuel Laniado rejicit sententiam Abarbenel, & putat adhærendum esse sententiæ Talmudicorum, & existimat, ex singulari revelatione Divina cognovisse Davidem, quod Palti non agnoverit Michalem.

Scribunt etiam, eundem qui in libro primo Samuelis dicitur Palti, 2. *Sam.* 3. vocari פלטיאל *Paltiel*, שפלטו אל מן העבירה *quod* אל El *Deus eum eripuerit & præservarit a transgressione*, in ante citato loco.

Idem Laniado ad 2. *Sam.* 3. vers. 16. ubi verba Hebræa habent; ויקחה מעם איש מעם בלטיאל *Et accepit eam de cum viro, de cum Paltiele*, *i. e. a viro illo cum quo erat*, *a Paltiele*, scribit, sibi videri etiam attendendum ad τὸ מעם geminatum, nec frustra illud factum esse, atque ita intelligendum; *Quamvis ille fuerit ipsi in Virum* (maritum) *tamen non attigisse ipsam*, *sed puram & illibatam cum ipso mansisse*, *ac si cum nullo viro fuisset*, *tamquam cum angelo*; *quia* פלטו אל *liberaverit eum Deus fortis*, *& fortitudine* בליש *instar leonis quasi armarit ad concupiscentiam suam vincendam*. Vel dicit ita intelligendum; A viro; *a viro justo & integro*, *sicut viri vocabulum sumitur*, *quando dicitur*: Beatus איש Vir, qui timet Dominum, & præceptis ejus delectatur valde, *Psalm.* 12. vers. 1. *quamvis illa fuisset cum ipso uxoris loco*, *&c.*

Jonathan Paraphrastes Chaldæus, pro Hebræo איש usurpavit nomen בעל *Maritus*, quamvis illud etiam *Dominum* significet: sic enim reddit vers. 16. cap. 3. 2. *Sam.* ושלח אישבושת ודברה מלות בעלה מלות פלטיאל בר ליש *Misitque Isboseth*, *& tulit eam a marito ejus*, *a Paltiele*, *filio Laisch*. Sic vers. seq. ואזל עמה בעלה *Et ivit cum illa maritus ejus*. Sed satis quoque de his.

Et sic est prima hujus Dissertationis pars, De Sponsalibus & Divortiis.

PARS SECUNDA.

AN *Christus & Moses circa Divortiorum Doctrinam sibi invicem sint contrarii*, *& quomodo conciliari queant?*

I. Vidimus hactenus historice Hebræorum, de Sponsalibus & Divortiis, Jura atque ritus nonnullos. Quia vero illi suæ sententiæ, etiam de Divortiis ac Repudiis, fundamentum ponunt in *Mose*, quasi Ipse in Lege sua, & Divortia præceperit, & non unam, sed plures illorum causas constituerit atque permiserit; *Christus* autem in Novo Testamento utrique huic assertioni contradicere videtur, negans primo, Divortia a Deo per Mosen esse præcepta; secundo, ob alias caussas Uxores repudiari posse, nisi ob adulterium; dignum sane operæ pretium fuerit, in Christi & Mosis mentem paulo diligentius inquirere, illos inter se conferre, & videre; *Utrum in hac materia inter se contrarii sint Moses & Christus?*

II. In duobus vero Christus videtur Mosi esse contrarius; 1. In eo, quod ex interpretatione Judæorum, Divortia Moses præceperit; Christus vero Præceptum esse negat: 2. quod Moses plures illorum cau-

causas ponat; Christus nonnisi unam, Adulterium nimirum, admittat.

III. *Primo* igitur quæritur, *An verba Mosis Deut.* 24. vers. 1. *de Divortio & Libello Divortii dando, sint verba mandati ac præcepti, atque ita hic Christus ei sit contrarius?*

Judæi, uti vidimus, quæstionis hujus tenent Affirmativam, & Divortia, non minus quam Sponsalia & Conjugia, Præcepta esse volunt, juxta illud ipsorum dictum, מי שצוה בקרושין צוה בגירושין *Qui præcepit de Sponsalibus, idem quoque præcepit Divortia.*

Sententiam suam confirmant ex Mose, *Deut.* 24. vers. 1. 2. 3. 4. Verba ejus in Hebræo textu ita habent, כי יקח איש אשה ובעלה והיה אם לא תמצא חן בעיניו כי מצא בה ערות דבר וכתב לה ספר כריתת ונתן בידה ושלחה מביתו ויצאה מביתו והלכה והיתה לאיש אחר ושנאה האיש האחרון וכתב לה ספר כריתת ונתן בידה ושלחה מביתו או כי ימות האיש האחרון אשר לקחה לו לאשה לא יוכל בעלה הראשון אשר שלחה לשוב לקחתה להיות לו לאשה אחרי אשר הטמאה וגו׳ Hæc verba Mosis ipsi ita exposuerunt, ut duo ex illis elicuerint præcepta, Judæorum Magistri: 1. *Affirmativum*; Si cui uxor displicet, ut ei scribat libellum repudii, illamque a se ableget: 2. *Negativum*; Ne, quam quis repudiavit, reducat postquam illa alteri viro nupsit. Sic enim interpretantur: *Si acceperit Vir mulierem, & rem habuerit cum ea, & accidat, ut ea non inveniat gratiam in oculis ejus, eo quod inveniat in ea turpitudinem aliquam*, tum scribat ei libellum Repudii, & in manum ipsi tradat, ac dimittam eam e domo sua: *Hoc facto, si egressa fuerit e domo ipsius, abieritque ac nupserit viro alii, hicque vir posterior odio prosequatur eam, & itidem ei scribat libellum repudii, eique in manum tradat, atque e domo sua emittat: aut, si vir posterior, qui eam in uxorem duxit, mortuus fuerit*; non poterit maritus ejus primus, qui eam dimisit, rursus eam accipere sibi in uxorem, posteaquam polluta facta est, &c. *Sic illi.*

Christus vero videtur statuere, non esse Præceptum Divinum, sed tantum Permissionem, Conniventiam & Indulgentiam, Judæorum duritiei & austeritati indultam. Nam cum *Matth.* 19. vers. 7. Pharisæi dicerent: *Cur ergo Moses mandavit dare libellum Repudii, ac dimittere eam?* respondit Christus: *Moses pro duritia cordis vestri* permisit *vobis dimittere uxores vestras*; q. d. *Moses, si recte ipsum expenderitis, nequaquam mandavit vobis dimittere uxores vestras, sed ad dimissiones hujusmodi, quibus jam addicti & assueti eratis, connixit, easque nec præcipiendo, nec diserte prohibendo, in medio q. reliquit, toleravit, & permisit; non quod ita esset Legi & voluntati Dei conforme, sed ut aliquid duritiei cordis vestri indulgeret, quos scivit esse contumaces, duros, refractarios, & erga uxores vobis minus placentes, inclementes & austeros: nullibi invenietis verba aliqua hac de re præceptiva & imperativa, sed permissiva duntaxat, nulla absoluta & categorica, sed hypothetica, &c.* Sic Christus.

Quæritur ergo: *Christusne, an Judæi, & Pharisæi, meliores sint Mosis Interpretes?*

Dicimus, Judæos prave verba Mosis interpretatos esse, & intellexisse; Christum vero bene. Judæi enim id, quod Moses hypothetice & συγχωρεςικῶς proposuit, ac tacite q. Judæorum vel facto & consuetudini, vel etiam naturæ atque indoli, dedit & indulsit, id ipsi pro Jure & Præcepto arripuerunt. Scio equidem, multos alios, etiam ex nostris Interpretibus esse, qui verba versus primi præceptive exposuerint, ut Vulgatus Latinus, *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fœditatem*, scribet *ei libellum repudii*, & dabit *in manu illius*; & dimittet eam *de domo sua, &c.* In eundem sensum reddunt, Munsterus, Castalio, Versio Gallica, Lutherus, Deodatus in Versione Gallica & Italica, &c. At vero si attenderimus, & recte construxerimus verba Mosis, deprehendemus minime hanc ejus esse mentem, & nonnisi unicum in his verbis ab ipso proponi præceptum, videlicet, *De non reducenda uxore repudiata, posteaquam polluta est*, vers. 4. cætera omnia, quæ sc. vers. 1. 2. & 3. extant, καθ' ὑπόθεσιν, καὶ κατὰ συγχώρησιν tantum inseri, & Factum Humanum supponere, non vero Præceptum Divinum exponere; Omnia enim, quæ tribus versibus primis dicuntur, dependet a Conjunctione Conditionali אם *Si*, quæ vers. 1. habetur, ac suspensum sensum reddunt: quia omnia verba sequentia usque ad versum quartum, copulativam Vav ET præpositam habent, & cum primo verbo per eam connectuntur; *Si non invenerit, &c. & scripserit, &c. & exiverit, & abiverit, & fuerit viri alterius: & odio habuerit eam, &c. & scripserit, & dederit, & dimiserit, &c.* dein vers. 4. omittitur לא יוכל *Non poterit*; unde apparet, illud Verbum præcedentibus omnibus respondere & subjungi. Observarunt hæc non pauci eruditi Interpretes, & sensum hunc in suis

ſuis verſionibus expreſſerunt. Pagninus: *Si acceperit vir mulierem, & coierit cum ea, accidat autem, ut non inveniat gratiam in oculis ejus, quod invenerit in ea turpitudinem aliquam, & ſcripſerit ei libellum repudii, ac poſuerit in manu ejus, ejeceritque eam e domo ſua, &c.* Sic Tremellius, Piſcator, & quidam alii. Hinc & Vatablus in ſuis notis ad verſum primum; *Non eſt*, inquit, *hic ſententia abſoluta, ſed debet hic verſus jungi verbis ſequentibus*, Non poterit prior, &c. Et Calvinus ad hunc locum ſcribit: *Cæterum quidam interpretes non legunt hos tres verſus uno contextu, ſed plenam ſententiam eſſe volunt, ut maritus teſtetur ſe divortium facere cum uxore, non ob crimen, ſed quia famæ venuſtas ejus libidini non ſatisfaciat. Si quis tamen propius attendat, facile videbit, eſſe unum duntaxat Legis caput, nempe; Ubi quis uxorem repudiaverit, fas non eſſe iterum eam ducere, ſi alteri nupſerit.* Rectiſſime & judicioſe! neque ſine vi alium ſenſum admittunt verba Moſis.

Obſervavit hoc etiam ex Hebræis, ſagaciſſimus Abarbenel in ſuis ad hunc locum Commentariis, & faſſus eſt, Unicum tantum novum in his quatuor verſibus contineri præceptum. *Primo* enim quatuor iſtos verſus ita παραφράζει: *Nunc explicat Moſes, quod ſi quis duxerit uxorem, & cum ea congreſſus fuerit, interea autem accidat, ut ipſa non inveniat gratiam in oculis ejus, eo quod ſit naturæ & moribus ipſius contraria, ſicuti ſcribit* רא״, *aut quod in ea inveniat fœditatem aliquam, quam tamen ipſe revelare & divulgare nolit, ſeu quod nullos ejus rei teſtes habeat, ſeu quod ſuo proprio bonori cavere velit, & hujus rei cauſa ei libellum divortii ſcripſerit, eum in manu ipſius tradiderit, ſicque e domo ſua dimiſerit; poſtmodumque eveniat, ut ipſa e domo ejus egreſſa, per ſolennia ſponſalia alterius viri uxor fiat, hicque vir poſterior vel odio eam habeat, aut ei per mortem eripiatur; quod ſi, inquam, hæc omnia fieri contingat, caveo ego, ne maritus prior, qui dimiſit, reducere eam queat, & denuo ipſam in uxorem ſibi accipere*: Sic explicata Moſis mente, *Secundo* infert hinc; הרי לך שטבע הפסוקים מורה שהביאור אשר חרש בכאן הוא לא יוכל בעלח הראשון וגו׳ ושהוא גזרת המאמר כולו ושאר הענינים באו להכרח הענין לא להיותם אזהרות מחורשות בכאן ולכן באו בו או העטף וכתב לה ושלחה ושנאה וגזרת המאמר לא באה כו״ו שהוא לא יוכל בעלה הראשון וגומ׳ *En hinc vides, quod natura* (conſtructionis) *iſtorum verſuum doceat, novum* (præceptum) *quod Moſes hic proponit, eſſe iſtud*; Non poterit maritus ejus prior accipere eam, &c. *& hoc eſſe Concluſionem totius iſtius Paragraphi ſeu Enunciati; reliqua vero propter neceſſitatem rei, ſeu occaſionaliter, ſubjecta materia ſic requirente, adjecta eſſe; non quod nova hic propoſita ſint monita vel præcepta. Unde connectuntur per Copulativam* ET; Et ſcripſerit; Et dimiſerit eam; Et odio habuerit eam; *Concluſio vero, ſeu Sententia ipſa non venit cum copulativa Vav, quæ eſt*; Non poterit maritus ejus prior, &c. *Hactenus ille.*

Acceptamus ingenuam veritatis confeſſionem, neque ab ea recedendum exiſtimamus, quia nullum alium in verbis Hebræis ſenſum invenimus. Dicimus ergo, hoc fundamento poſito: Moſes in his verbis de Divortio faciendo & libello divortii dando, vel dedit Præceptum, vel non dedit. Si Præceptum hic dare voluit, quare non, ut alibi, præceptive verba ſua propoſuit? quare dicit Abarbenel, verba illa quæ de Divortio agunt, occaſionaliter tantum, & propter neceſſitatem præcepti ſubſequentis, inſerta eſſe? Si nullum Præceptum dedit, vel, ſi non de novo hic præceptum iſtud propoſuit, ſed jam alibi id fecit; quæro Ubi, & quo in loco? Nullus alius locus in Moſe extat, vel ex Lege ejus produci poteſt, in quo voluntaria & arbitraria iſtiuſmodi Divortia Moſes præceperit. Concludo ergo, nullum Præceptum eſſe. Tota hæc doctrina ex pravo intellectu, & ſiniſtra interpretatione verborum Moſis promanavit.

Quid ergo, inquiat aliquis, *ſentiendum? Quo ſenſu, qua mente ſunt iſta a Moſe prolata?*

Mihi, ſalvo aliorum judicio, videntur iſta, quæ de Divortiis hic καθ᾽ ὑπόθεσιν Moſes proponit, *non* fundata eſſe *in* aliquo *Præcepto*, quod vel jam antea datum ab ipſo fuerit, vel dare hic voluerit (quia neque hic, neque alibi, tale mandatum in Moſe extat) ſed *in Facto* & prava *Conſuetudine* Judæorum. Videntur illi tum temporis jam ita in more habuiſſe, tanquam populus inſolens, ferox, refractarius, contumax, ut pro lubitu uxores ſuas, ſi qua forte ipſi diſplicuiſſet, aut alias exoſa & inviſa facta eſſet, dimitterent, & libellum repudii eis darent, novaſque ducerent. Quinimo ab Ægyptiis fortaſſis iſtum morem viderunt ac didicerunt, de quibus conſtat, illos Leges conjugii non magni feciſſe & ſtricte obſervaſſe: Sane quæ hypothetice hoc pacto proponuntur, communiter ſolent eſſe de rebus jam notis & uſitatis. Ideo enim ſupponuntur, quia nota & vulgata cenſentur. Conſuetudini itaque huic ipſorum

rum

rum pravæ, & naturæ ipsorum obstinatæ, tantum indulgere voluit seu Moses, seu Deus ipse per Mosen, ut quamvis non bona & laudabilis esset, tamen lege severa laqueum ipsis induere noluerit, sed, nec approbando aut licitam faciendo, nec diserte improbando, permittere & in medio quasi relinquere, hac solum adjecta clausula, ne nimis exorbitaret ipsorum licentia, & pro lubitu uxores dimitterent ac reciperent, ne quis eam quam repudiavit, reducere possit & reassumere in uxorem; siquidem alii jam nupsisset, aut fidem conjugii dedisset.

Non male itaque Christus *Matth.* 19. Pharisæo quærenti; *Cur ergo Moses* mandavit *dare libellum discessionis, & eam dimittere?* Respondit; *Moses pro duritia cordis vestri* permisit (non præcepit) *vobis, dimittere uxores vestras*, h. e. *Vos ita sivit facere, sivit vos ita vestris ipsorum viis incedere, connivit ad hoc vestrum factum*. Et *Marci* 10. vers. 5. *Moses pro duritia cordis vestri* scripsit *mandatum istud*, h. e. *ita scripsit, ut cordis vestræ duritiei & contumaciæ vestræ potius id attemperarit, quam ut stricte explicarit, quid sit primæ conjugii institutioni, & voluntati Dei conforme, quo aliquid vestro ingenio, vestræque obstinationi indulgeret*.

Objici potest hic; *quod Christus ipse Matthæi* cap. 5. vers. 31. præceptive *verba ista Mosaica proponit*: Ἐῤῥέθη δὲ ὅτι ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, διότω αὐτῇ ἀποστάσιον *Dictum est autem, Quisquis dimiserit uxorem suam, det ei libellum discessionis*.

Resp. Christus hæc ita proponit non ex sua mente, sed ex mente & interpretatione Pharisæorum, qui hæc ita explicabant, & verba ista inter 613. præcepta Mosaica referebant. Patet hoc inde, quia hæc verba neque ex textu Mosis Hebraico (uti vidimus) neque etiam ex interpretatione septuaginta Græcorum (uti alias) adduxit. Hi enim ita exposuerunt: ἐὰν δέ τις λάβῃ γυναῖκα, καὶ συνοικήσῃ αὐτῇ καὶ ἔσαι ἐὰν μὴ εὕρῃ χάριν ἐναντίον αὐτοῦ· ὅτι εὕρηκεν ἐν αὐτῇ ἄσχημον πρᾶγμα, καὶ γράψει αὐτῇ βιβλίον ἀποστασίου, καὶ δώσει εἰς τὰς χεῖρας αὐτῆς, καὶ ἐξαποστελεῖ αὐτὴν ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ, &c. Quod si hic præceptum extaret, Christus sibi aliquo modo contrariaretur, vel saltem hac allegatione responsum suum subverteret. Ita ut vel hinc liqueat, Christum in hoc & cæteris hujus capitis similibus sententiis, non in Mose seu corrigendo, seu plane refellendo & rejiciendo occupari, sed glossis atque παρερμηνείαις Pharisaicorum Doctorum.

Instantia; *Imo Christus diserte vocat* Mandatum, *Marci* cap. 10. vers. 3. Quid, *inquit*, vobis *mandavit*, Moses? *Et cum Pharisæus hæsitabunde & timide responderet, nec conscientia proculdubio convictus, mandatum vocare auderet*; Moses permisit libellum discessionis scribere, & dimittere uxorem: *Christus regessit*; Pro duritia cordis vestri scripsit vobis *mandatum istud*.

Resp. Cum Christus vidisset, hanc quæstionem sibi insidiose, & tentandi causa, propositam fuisse: *An liceat viro uxorem dimittere, sc. quamvis etiam leviculam ob causam?* ita respondit, ut vicissim quæstione opposita ipsos tentaret, dicendo: *Quid vobis mandavit Moses?* q. d. *Quid me tentatis hac quæstione? Adite, consulite Mosen Doctorem vestrum. Num in ipso invenitis, quod aliquid hac de re vobis mandarit? Ego nolo me Mosi opponere, uti de me suspicamini; Si Moses aliquid hac de re vobis mandavit, proferte illud; si non, quid quæritis, quid dubitatis?* Neque fine suo frustratus fuit Christus. Pharisæi enim quæstionis hujus aculeum sentientes, & in Mose nihil tale diserte invenientes, responderunt: *Moses permisit libellum discessionis scribere, ac dimittere eam*, quo responso dupliciter compunctionem & hæsitationem suam prodiderunt, 1. dum non ausi fuerunt dicere, *Moses mandavit aliquid hac de re*; quod tamen alias docebant & profitebantur, sed ajunt, *Moses permisit, &c.* q. d. *Verum equidem est, Mosen expressum ac disertum hac de re mandatum non dedisse; permisit id tamen, & concessit, quod non satis est, ut res sit licita*: 2. quæstio erat; An liceret dimittere uxorem quamvis ob causam? igitur directe respondere debebant; Moses præcepit, vel saltem permissionem nobis dedit dimittendi uxorem: sed cum id non invenirent in Mose, præmittunt id quod clarius putabant extare; *Moses permisit nobis dare libellum repudii, & dimittere uxorem*; quod tamen ipsum quoque non præceptive in Mose invenitur. Ita ut ex his satis hæsitatio ipsorum appareat. Quod jam Christus ad hæc iterum dicit: *Pro duritia cordis vestri scripsit vobis mandatum istud*; dicit id ex sensu & mente ipsorum, q. d. *Egregium hoc est mandatum, quod vos hic jactatis, quod nullum est, aut si mandatum vel permissionem vocare lubet, vestræ usurpatæ licentiæ, & duritiei cordis vestri est testimonium, non ordinationis, vel voluntatis Divinæ præscriptum. Juxta hujus enim rigorem si Moses loqui vel debuisset, vel voluisset, longe aliter loquutus fuisset*. Itaque Mandatum hic vocat Christus ex Pharisæorum mente, non ex suo sensu, & quidem pungendi eos causa, quod hoc inter Præcepta

cepta referrent, & tamen non profiteri coram ipso auderent. Ex quibus omnibus apparet, nullam hactenus esse contrarietatem inter Mosen & Christum: sed inter Christum, & glossas Pharisæorum; Christum autem rectissime verba Mosis interpretatum esse.

IV. Hic vero ulterius jam quæritur: *Si Divortia non sint ex mandato aliquo Mosis, sed duntaxat ex Permissione, juxta expositionem Christi, qualis ergo sit hæc Permissio?*

Resp. Permissio est duplex: I. Cum de re aliqua, quæ vel prohibita fuit, vel dubia & incerta, definitiva sententia vel lege promulgatur, quod libera sit, & vel ad usum vel ad actum, concessa, citra culpæ vel pœnæ imputationem. Talem permissionem exprimunt Hebræi verbo התיר *Solvere*, *Liberum facere*, *Concedere*, cujus oppositum est אסר *Ligare*, *Prohibere*. Hinc אסור והיתר *Vetitum & Licitum*, frequens de rebus, Lege divina permissis, vel vetitis. Chaldaizantes pro huc utuntur aliquando verbo שרי, quod significatione idem.

Sic utique non fuit permissum Divortium, de quo quæstio erat inter Christum & Pharisæos; quia, uti vidimus, nihil de eo pronuntiavit Moses, hypothetice tantum de eo loquens, quo nihil ponitur in esse. Et quis credat rei tam gravis judicium ac decisionem, vinculi tam sancti dissolutionem, cuivis privato, pro suo arbitrio, datam & concessam fuisse? Monstrent Judæi locum aliquem in Lege Mosis, in quo absolute & categorice hac de re pronuntiatum sit, sive Dimissionem ipsam spectes, sive Modum, h. e. Libellum divortii.

II. Cum de re vel actione aliqua, quam homines sibi ipsis permittunt, & propria authoritate usurpant, vel ad quam suis concupiscentiis & cupiditatibus inclinant, nihil directe vel in unam, vel in alteram partem, pronuntiatur, sed connivendo ipsorum arbitrio relinquitur, & sinuntur suis ipsorum viis incedere, citra pœnæ alicujus specialis nominationem & irrogationem בבית דין in foro politico vel humano. Hæc potius *Indulgentia*, aut *Conniventia* vel *Tolerantia* est, quam Permissio; potius, *Non impedire*, quam, *Concedere*. Unde ex ea non potest simpliciter Approbatio concludi, vel Immunitas a culpa. Non quicquid indulgetur, vel permittitur connivendo politice, id statim bonum est ethice. Inprimis autem in ea diligenter attendendum ad causam, propter quam talis sive permissio, sive conniventia fiat, quæ utplurimum mala esse deprehendetur. Hac proinde cognita & perspecta, postmodum de rei illius qualitate verius & rectius judicare poterimus. Hebræi rem sic permissam vocant דבר רשות. Talis permissio videtur fuisse, quando Deus Israelitis *Regem petere* permisit, atque etiam eum indulsit, *Deuter.* 17. vers. 14. 1. *Samuel.* 8. vers. 5. Hinc scribit Abarbenel; Non fuisse hoc חטא מפורסם *peccatum manifestum*, Lege diserte prohibitum, sed דבר הרשות *Rem liberam, arbitrariam*; אינה מצוה ואיננה גם כן עבירה נאסרת בתורה *non præceptum esse, neque etiam transgressionem Lege prohibitam:* Talem dicit esse Legem illam de *Muliere formosa in bello capta*, *Deuter.* 21. vers. 10. 11. & seqq. Ibi enim Deum neque precepisse, ut Israelita Victor eam ducat: neque etiam prohibuisse, ne hoc faceret. Quare? Notatu digna est caussa, quam hic reddit Abarbenel; De Petitione Regis dicit; לפי שדברה התורה בזה כנגד היצר הרע *quod Lex ita de hac re loquuta sit, respectu concupiscentiæ malæ* (Judæorum), h. e. quod, hoc permittendo arbitrio Judæorum, consulere & aliquid indulgere voluerit ipsorum indoli, & pravæ cupiditati. Sic de Permissione mulieris formosæ in bello captæ inquit, חששה התורה ליצר הרע *Rationem habuit Lex concupiscentiæ malæ* (Judæorum). Non male, meo judicio, sed optime. Permisit hæc Lex, non quod per se bona essent, sed quod aliquid permittere & indulgere voluerit privitati Judæorum. Eandem ergo & nos quoque dicimus esse rationem ejus formulæ, qua Moses usus in Divortio permittendo, illud neque præcipiens, neque prohibens, aut pœnam aliquam ei irrogans, sed in medio & impune relinquens. Eadem ratione de hoc loquitur, qua de illi: non magna proinde in reipsa quoque erit differentia, vel in causa assignanda; ac proinde non multum refert, sive dicamus, Mosen sic permisisse divortia, לפי שחשש ליצר הרע *quod rationem habuerit concupiscentiæ malæ Judæorum*, לחוקף יצר רע לב האדם propter duritiem concupiscentiæ malæ cordis humani, uti scribitur in ספר החנוך folio 202. col. 1. aut διὰ τὴν σκληροκαρδίαν αὐτῶν *propter duritiem cordis ipsorum*. Videatur Abarbenel ad *Deuter.* 17. vers. 14. & R. Salomon *Deuteron.* 21. vers. 10. Confer sup. Sect. 32. Simile huic est, quod ibidem sequitur; *Quum fuerint viro duæ uxores, una dilecta, & altera exosa.*

Hoc fundamentum, quod non facile subvertent Adversarii, si teneatur, facile nodos, quos hic nectunt, dissolvere poterimus, ut in seqq. visuri sumus. Hæc itaque sufficiant de prima quæstione.

V. Se-

V. *Secundo* quæritur; *An contrarietas sit inter Mosen & Christum, circa Caussam Divortiorum assignandam?*

Resp. Quemadmodum in prima quæstione Christus non contra Mosen, sed contra Pharisæos, perversos Mosis glossatores, egit: sic etiam circa Caussam Divortiorum, non contra illum, sed contra hos disputat. Nam sicuti Moses, Repudii, & Libelli repudii mentionem faciens, indicavit & expressit, non quid Juris, sed quid Facti, h. e. non quid de Jure fieri æquum esset, sed quid a Judæis factum & usurpatum fuerit, id supponendo, non ponendo aut præcipiendo: ita omnino quoque accipiendum, quod de Causis Divortiorum scripsit, illas videlicet non tales esse, ob quas Divortium legitime fieri posse ac debere censuerit sed quæ tum temporis pro causis usurpatæ & arreptæ fuerint, sicuti ex genuina loci Mosaici interpretatione, de qua supra, apparet.

Pharisæi autem, & Judæorum Legis interpretes ac Doctores, causas istas a Mose memoratas, veluti; *Si aliqua non invenerit gratiam in oculis mariti: Si in ea invenerit fœditatem vel turpitudinem aliquam: Si eam* (sc. quamcunque demum ob causam) *odio habuerit*; ad id quod est Juris, traxerunt; quasi videlicet in his casibus Moses Divortium non tantum permiserit, sed & præceperit, ut ex superioribus liquet; ac propterea, vi Legis Mosis & præceptorum ejus, non solum permissum, sed & mandatum sit, Uxorem displicentem & exosam, Libello repudii dato dimittere.

Dum itaque Christus, de Causis justis Divortii a Pharisæis rogatus, respondet; suum sermonem opponit non Mosi, qui de his nihil diserte & directe præcepit, sed Pharisæis ipsis, qui verba Mosis huc detorserunt, & eas, quæ nullæ erant, pro veris causis, ex illis elicere & extundere sategeruut. Pharisæi rogant; *Licet ne homini dimittere uxorem κατὰ πᾶσαν αἰτίαν,* לכל הסבה *propter omnem seu quamvis causam, etiam levissimam?* Vide sup. sect. 90. Christus respondet prudenter ita, ut videatur indicare velle, Vinculum conjugii semel contractum & copulatum, ita firmum esse, ut nullo plane in casu rescindi & dissolvi queat, ac propterea frustra quæri de causa ejus faciendi, quod fieri nulla ratione debeat, dum ait; *Nonne legistis, opificem ab initio fecisse masculum & fœminam, & dixisse, Propterea derelinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur uxori suæ: & qui duo fuerant, erunt una caro. Itaque non amplius sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus conjunxit, homo ne separet.* Hinc Pharisæi, existimantes, se pulchram admodum & justam satis caussam reperisse, Christum capiendi & confundendi, præcipuam quæstionem, quæ τῦ διότι erat, deserunt, & ad τὸ ὅτι tantum; quod inter ipsos extra controversiam erat, excipiunt, dicentes; *Cur ergo Moses mandavit dare libellum discessionis, & dimittere Uxorem? si* videlicet, *uti innuis,* (volunt dicere) *& ex dictis tuis sequitur, plane non licitum est uxorem semel ductam repudiare?* Causæ nullam amplius mentionem faciunt, utpote quam disputabilem esse probe sciverunt. Id vero apprehendunt, & illic Christum stricturos se existimant, unde, suo quidem judicio, nulla ipsi elabendi foret rima. Christus vero respondet & ad τὸ ὅτι, & ad τὸ διότι. Ad τὸ ὅτι; *Moses pre duritia cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: cæterum a principio non fuit ita,* quorum verborum sensus supra jam explicatut. Ad τὸ διότι; *Dico autem vobis, quod quicunque dimiserit uxorem suam,* εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ *nisi ob scortationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur*: vel ut est *Matth.* cap. 5. vers. 32. *Quisquis dimiserit uxorem* παρεκτὸς λόγυ πορνείας *extra rationem scortationis, facit ut ea mœchetur, & qui dimissam duxerit, mœchatur:* Marci 10. vers. 11. *Quicunque dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam, mœchatur adversus eam: &, si mulier dimiserit virum suum, & nupserit alteri, mœchatur.*

Hoc ergo in investiganda & assequenda Christi meute diligenter est attendendum, & ob oculos ponendum; Cum Christus ad hanc quæstionem & controversiam provocatus fuerit a Pharisæis, qui tenacissimi & superstitiosissimi erant Traditionum & Expositionum suorum Majorum, & quidem tentandi eum causa; Illum sua responsa quoque illis duntaxat opposita voluisse, quibus cum ipsi res erat; ac proinde ex illorum mente, Christi quoque mentem esse metiendam & dijudicandam, neque eam vel latius extendi, vel arctius adstringi debere, prout hoc semper & ubique in Controversis materiis est observandum: Qua occasione, & contra quos, quis aliquid asseveret vel neget. Inde enim omnium optime in intimam ejus animi sententiam penetrare poterimus. Istud si observaverimus hic quoque, neque tam difficili, neque tam intricatus hic locus nobis erit, ut non facile nos inde extricare queamus. Videamus ergo ab ovo istud Pharisæorum & Christi colloquium.

Pharisæi adeunt Christum, πειράζοντες αὐτὸν,

αὐτὸν, *tentantes eum* ; quæſtione ſc. tali propoſita, quæ, uti ſupra ex Talmudicis vidimus, inter Judæorum tum temporis ſummos doctores, Hillelem, Schammai & R. Akivam, erat controverſa, atque ita ad definiendum anceps: exiſtimantes, Chriſtum peculiarem ac novam aliquam ſententiam de ea propoſiturum, vel ſaltem a communi & recepta inter eos Hillelis ſententiam receſſurum, ut ſic occaſionem contra ipſum haberent, quaſi vel Moſi ipſi, vel ſaltem Statutis & Traditionibus majorum ſe opponeret.

Quærunt ex eo; Εἰ ἔξεστιν ἀνθρώπῳ ἀπολύειν τὴν γυναῖκα αὐτοῦ κατὰ πᾶσαν αἰτίαν: *Licet ne Homini dimittere Uxorem ſuam quavis ex cauſa?* Per τὸ *Licere* intelligunt Licentiam ex præcepto Moſis, quia eo referebant; vel ſaltem מפי סופרים *ex ore ſeu ſtatuto Scribarum*. Per *Hominem* intelligunt *Virum*, *Maritum*, ſc. quemvis, vel etiam, ut ſupra viſum, Deſponſatum duntaxat: Sic Moſes; *Cum acceperit* אדם Homo *uxorem*, i. e. Vir: Similiter per γυναῖκα *Mulierem*, intelligunt Uxorem, tum per Nuptias ductam, tum Deſponſatam duntaxat: Per *Dimittere* intelligunt *Dimiſſionem* ſeu *Repudiationem* arbitrariam & in arbitrio privato *hominis*, id eſt, *mariti* poſitam totalem, cum traditione tamen libelli repudii, quæ fiebat citra cauſæ cognitionem vel deciſionem judiciariam, qualis ſc. tum temporis inter Judæos uſitata erat. Per πᾶσαν αἰτίαν *Quamlibet cauſam*; quæ videlicet Viro adlubeſcit, etiam leviſſimam, & nullius plane momenti; quinimo etiam fictam & excogitatam, aut nullam; quia ad eam aperiendam nullus invitus cogebatur. Ex quibus facile patet, quis fuerit jam quæſtionis totius ſenſus, quæque Phariſæorum mens & ſententia.

Chriſtus reſpondens dixit eis: *Non legiſtis, opificem ab initio feciſſe maſculum & fœminam? Et dixiſſe, Propterea derelinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur Uxori ſuæ, & qui duo fuerant, erunt una caro. Itaque non amplius ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo ne ſeparet*. Quibus verbis eos revocat ad Primam conjugii Inſtitutionem a *Deo*, *qui* 1. *ab initio maſculum fecit unum*, & *fœminam unam tantum*; non maſculum & fœminas duas vel plures, ut mas unus plures habere poſſet, ſeu ſimul ſeu ſucceſſive, uxores: 2. *injunxit*, & *ordinavit eis*, ut homo derelinquat Parentes, & *agglutinetur uxori ſuæ*; uni ſcil. ut *duo*, non plures, ſint *una caro*. Hinc concludit, *Quod Deus ergo conjunxit*, ſc. *tum* in Creatione prima ipſa, tum in ſubjuncta ordinatione, *Homo*, id eſt Vir, Maritus, privatim *ne ſeparet*. Sic intelligo hæc verba, ut quæſtioni propoſitæ reſpondeant, non generaliter. Itaque non voluit Chriſtus licentiam & facultatem Divortiorum omnem tollere, ſed duntaxat arbitrariam ac privatam illam Judæorum repudiandi & dimittendi Uxores licentiam & conſuetudinem, de qua Phariſæi quæſiverunt, oſtendens illam primæ Conjugii inſtitutioni, & aditæ ſanctioni atque ordinationi, nequaquam eſſe conformem. Deus enim eſt autor conjugii, & Is conjugium primo *inſtituens*, unam tantum uni viro uxorem, non plures creavit: in *ordinatione* ejuſdem præſcripſit, ut hi duo arctiſſimo & firmiſſimo vinculo conjuncti ſint, ut vir adhæreat & *agglutinetur* uxori ſuæ fiantque *caro una*. Itaque non decet, ut illi, qui Divina & publica authoritate conjuncti hac ratione fuerint, privatim ac temerarie quamvis ob cauſam vinculum hoc poſſint ſolvere, atque ſe ab invicem ſeparare.

Qui ergo Verbum hoc Chriſti: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, abſolute ſumunt, & Vinculum matrimonii, vivente utraque parte, totaliter & plane indiſſolubile eſſe volunt; ut tamen infelicibus & inauſpicatis ejuſmodi conjugiis mederentur, ſeparationem thori & menſæ introduxerunt; illi errant, neque ullum hic reperiunt præſidium. Ut enim Chriſtus non abſolute fuit rogatus, ſic nec abſolute reſpondit; neque etiam his verbis ſuum reſponſum plane abſolvit. Et de repudio ſeu ſeparatione partiali reſpectu thori & menſæ, ut utraque pars innupta maneat, Judæi nihil unquam ſciverunt, nec ſciunt: unde & illud hic non eſt fundatum. De tali Divortio neque Judæi interrogarunt, neque Chriſtus reſpondit.

Ad hanc Chriſti reſponſionem regerunt Phariſæi; *Cur ergo Moſes mandavit dare libellum diſceſſionis, & eam dimittere?* Opponunt authoritatem Moſis, ſecundum cujus legem vivebant, q. d. *Si illicitum eſſet, Moſes non mandaſſet nobis libellum repudii uxoribus dare & eas dimittere. Atqui mandavit hoc*. Nota, apud Marcum præcedens Chriſti argumentum non legi, ſed dici, Chriſtum reſpondiſſe: *Quid vobis mandavit Moſes?* & ad hanc quæſtionem Phariſæos reſpondiſſe: *Moſes permiſit libellum diſceſſionis ſcribere & dimittere eam*. Hoc ita poteſt conciliari, ut dicatur, Chriſtum utrumque reſponſum conjunxiſſe, & propoſito argumento a prima inſtitutione conjugii, ſubjeciſſe, *Quid vobis mandavit Moſes? An ille vobis aliquod mandatum dedit?*

Christus ad hanc quæstionem iterum *duplex* apud Matthæum dat responsum, quorum *primo* explicat, quale sit illud præceptum Mosaicum; *altero* respondet ad quæstionem principalem ipsam, quæ de Causa divortii erat.

Primo ergo dicit Christus; *Moses*, quem allegatis, *pro duritia cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: cæterum a principio non fuit ita*. Vult dicere: *Nullum scio in Lege Mosis mandatum, quo vobis præceperit, pro cujusque lubitu, quamvis ob causam, Libello repudii vestras uxores dimittere: Sivit utique vos ita facere, neque vestram hanc licentiam lege aliqua coercuit vel impedivit, sed eam toleravit, non quod vel a principio a Deo institutum ita esset, (nam a principio, uti jam vobis ostendi, non fuit ita) vel quod ipse Moses eam approbaret; sed propter vestram* σκληροκαρδίαν *obstinationem, qua perpetuo in vetitum nitimini, præsertim in rebus quibus jam semel assueti estis, quasi connivit; adeoque Legem hanc scripsit, non tanquam populo optimo, sed tanquam populo refractario & intractabili*. Σκληροκαρδίαν sic retulerim non tam ad duritiem, inclementiam, & tyrannidem erga uxores displicentes & exosas, quam ad Pertinacem contumaciam, obstinationem, & inflexibilem Judæorum duritiem, ad suos mores deserendos, & Legibus Divinis se subjiciendum. Hoc sensu vocantur sæpe עם קשי ערף *Populus duræ cervicis*, *Exod.* 32. 9. & 33. vers. 3. & 5. & 34. vers. 9. *Deut.* 9. 6. 13. *Jesa.* 48. 4. קשי לב *Ezech.* 3. 7. & חזקי לב *Duri corde*, *Ezech.* 2. 4. &c. Sic conjunguntur *Deut.* 9. 27. σκληρότης *durities*, *impietas & peccatum populi illius*. Sic ergo ostendere vult Christus Pharisæis, Mosen ipsis non favere, imo tantum abesse, ut de Mosis authoritate hic glorientur, ut Moses potius ipsis sit contrarius, & verba illa, de quibus gloriantur, magis ipsorum confusioni & ignominiæ, quam gloriæ & privilegio, inserviant.

Secundo dicit Christus: *Dico autem vobis, Quicunque dimiserit uxorem suam*, εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, *nisi ob scortationem*, (vel ut est Matthæi 5. 32. παρεκτὸς λόγου πορνείας *extra rationem scortationis*) *& aliam duxerit, mœchatur*: (*Matth.* 5. vers. 32. *facit eam mœchari*) *& qui dimissam duxerit, mœchatur*. In his verbis continetur responsio ad quæstionem principalem, quæ inter Pharisæos & Christum agitabatur, *An quavis de causa liceat dimittere uxorem?* Christus ad eam ita respondet, ut mediam viam teneat, videlicet, *neque* plane esse illicitum ullam ob caussam uxorem dimittere, *neque* etiam licitum esse κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, quamvis ob causam; docendo, *Licitum esse, sed nonnisi in Causa scortationis vel Adulterii*, ubi iterum, quod antea jam quoque monuimus, illis duntaxat responsum voluit, qui ipsum interrogarant, & quidem veteratorie. Dicam quid mihi videatur, salvo meliore judicio. Pharisæi, Hillelis & R. Akivæ discipuli, statuebant, non solum ob Scortationem, & pudicitiam læsam, sed לכל הסבה i. e. κατὰ πᾶσαν αἰτίαν ob quamlibet causam vel rem, ex qua vel tædium, vel odium uxoris marito posset oboriri, pro lubitu & arbitrio ipsius, permissum ei fuisse, libello dato uxorem dimittere; quinimo vel ideo, si alia, qua potiri posset, melius ipsi adlubesceret. Sententiam hanc suam fundabant, cum Hillele suo Præceptore, in verbis Mosis, & quidem istis præcipue, כי מצא בה ערות דבר, ubi duo ista verba ערות דבר quæ inter se sunt constructa, discerpunt, & duas inde causas extundunt; Impudicitiam, & Rem aliam quamcunque fœdam & turpem in oculis mariti; extendentes ista, ut supra vidimus, sect. 90. tum ad Pudicitiæ violationem, tum ad Corporis nævos & defectus, tum ad Mores, tum ad Actiones quasvis levissimas, tum denique ad incertam, & prætensam solum mariti displicentiam, quo alia potiretur. Hinc adsciscebant & ista verba, *Si non invenerit gratiam in oculis ejus*. Hæ ipsorum expositiones, hæ sententiæ, minime erant Christo ignotæ. Quid itaque vult dicere? *Longe, longe erratis, dum verba illa Mosaica non solum pro legitima & sufficiente Divortiorum vestrorum causa allegatis, sed tam late extrahitis & extenditis, ut licentiam inde sumseritis, quamvis ob rem dimittendi uxores vestras: Si recte inspiceretis verba Mosis, inveniretis illum hæc non categorice & assertive ex sua sententia proposuisse, sed hypothetice ex vestra levitate & consuetudine, cui certis de causis aliquid dare & indulgere voluit: Quod si autem veram & propriam Divortii faciendi causam scire vultis, & ex illis verbis educere, non abnuo quin ex verbis illis, sed sano & stricto sensu sumtis eam elicere possitis, videlicet* ערות דבר, *sive* דבר ערוה *quatenus ea* λόγον πορνείας, *non quamvis Rem turpem & marito ingratam, denotant & significant: Hæc unica est vera, justa, & sufficiens causa propter quam citra culpam divortia fieri possunt, adeo ut si quis extra hanc causam uxorem dimittat, atque ad alias nuptias convolet, non solum ipse mœchus & adulter fiat, sed & talem efficiat uxorem, &c.* Sic ego capienda puto verba Christi: quia Phrasis illa παρεκτὸς λόγου πορνείας, qua uti-

utitur *Matth.* 5. omnino videtur esse Hebraica, & ea, mihi quidem, manifeste videtur respicere ad verba illa Mosis, eaque in mente habuisse, utpote quæ præcipuam apud Judæos controvertendi caussam præbuerunt: non enim dubitandum, quin in illis sit hypallage, & ערות דבר *Nuditas rei* sumatur pro דבר ערוה *Res nuditatis*: nescio etiam quomodo brevius, elegantius, & efficacius vis illorum Græce posset exprimi, quam per *λόγον πορνείας*: Nam ערוה ערוות *Nuditatem*, sumi apud Hebræos frequenter pro Impudicitia, Libidine, Scortatione, Adulterio, tritum est: Hinc *Res nuditatis*, est tum Actus impudicitiæ ipse, tum Actiones, mores vel gestus tales, ex quibus justæ & sufficientes pudicitiæ mulieris prostitutæ & violatæ, suspiciones & præsumptiones peti & desumi possunt.

Quod vero Christus dicit: *Quisquis dimiserit uxorem suam (nisi ob Scortationem) mœchatur adversus eam, vel facit eam mœchari: & quisquis dimissam duxerit, mœchatur*; hoc iterum Judæis seu Pharisæis opponit, qui docebant, Si vir, quacunque de causa, dato Uxori legitimæ Libello repudii, eam dimisisset, tum habere & Virum, citra cujusquam inhibitionem, aliam Uxorem ducendi licentiam; & Uxorem quoque alii, cui voluerit, Viro posse nubere: hæc enim facultas in libello conceptis verbis uxoribus repudiatis dabatur. Christus vero docet neutrum esse rectum. Nam si & levis ac temeraria, & privata atque arbitraria ista repudiandi licentia, non est justa ac legitima, neque Verbo Dei suffulta, sequitur, vinculum matrimonii adhuc manere; & per consequens, is qui sic dimisit uxorem, & aliam ducit, mœchatur adversus eam: dum facultatem concedit alii nubendi, & eam hac ratione cuivis alii q. prostituit: facit eam mœchari, dum facit ut ea matrimonium novum quærat & acceptet, non legitime soluto priore: ex quo porro & hoc sequitur, quod quisquis *sic* dimissam duxerit, etiam mœchetur; quia revera adhuc priori marito est alligata. Opponit hoc itaque præcipue Libello repudii, in quo ita libere, pro suo placito & arbitrio, de Conjugio dispensabant, quasi tota res in privato cujusque posita esset arbitrio; cum nihil tale, imo contrarium in verbo Dei extet, qui jussit, ut Vir uxori suæ adhæreat, ut duo illi sint caro una. Quomodo potest fœdus tam sanctum, tam arctum, gravissimis de causis, Dei auspiciis, Dei mandato & ordinatione initum, publice etiam coram Ecclesia & facie Dei consecratum & confirmatum, levissimis postmodum de causis, atque ideo etiam privatim, iterum rumpi & rescindi? Quod a Deo, a Magistratu ligatum est, ab iis quoque æquum est ut solvatur.

Pro his ultimis verbis; *Et quisquis dimissam duxerit, mœchatur*; legitur apud Marcum; *Et si mulier dimiserit virum suum, mœchatur*; unde videri possit, Mulieres quoque potuisse viris libellum repudii dare, & illos dimittere. Sed de hoc nihil legimus apud Hebræos.

Quomodo itaque hoc intelligi & explicari potest? Supra vidimus ex Hebræis, licet Mulieres viris libellum repudii mittere non potuerint, potuisse tamen in certis casibus Libellum repudii petere, imo etiam coram Judice maritum adigere, ut eas dimittat, & Libellum repudii tradat, veluti in casu sterilitatis, culpa in maritum, ob impotentiam, frigiditatem, &c. conjecta, & quibusdam aliis. Sic reperiebantur, quæ maritos fastidientes & exosæ, eos deserebant, & clam aliis nubebant; non deerant etiam salaces, procaces, & adeo prostitutæ frontis, quæ non verebantur, vel in præsentia maritorum, vel clam illis, aliis desponsari, & arrhas accipere. Hinc ista Lex nata: אשת איש שפשטה ידה וקבלה קרושין מאחר בפני בעלה הרי זו מקודשת לשני שהאשה שאמרה לבעלה בפניו גרשתני נאמנת חזקה אין אשה מעיזה פניה בפני בעלה אבל אם קרשה אחר שלא בפני בעלה אין קרושין חופסין בה עד שתביא ראיה שנתגרשה קודם שתקבל הקרושין כל שלא בפניו מעיזה: *Uxor viri, quæ extendit manum suam, & accipit arrham desponsationis ab alio, in præsentia mariti sui, desponsata est secundo: quia creditur mulieri, quæ viro coram in faciem dicit, Dimisisti me; cum præsumtio sit, mulierem non ita impudenter agere in præsentia mariti sui: sed mulier, quæ ab alio desponsatur, non in præsentia viri sui, ejus desponsatio non est firma, donec probaverit, quod dimissa sit prius quam acceperit sponsalia, &c.* Et sic quoque est Colloquium Christi cum Pharisæis.

VI. Antequam ulterius pergamus, breviter una & altera quæstio enodanda, quæ ex hactenus dictis exsurgunt.

Primo quæri potest; *Quare vel quomodo permittat Christus Marito, Dimittere Uxorem in Casu fornicationis seu adulterii; cum hujusmodi mulier, ex Lege, mortis rea fuerit?*

Resp. Christus neque veterem Legem abrogavit, neque Legem novam Politicam condidit. Itaque hic iterum repetendum, quod supra dictum fuit, Dicta hæc & responsa Christi non esse absolute & simpliciter accipienda, sed eatenus,

quatenus ea Pharisæis, & horum, de Divortiis ex quavis causa, licentiosæ nimis sententiæ opposuit, atque voluisse indicare, ex omnibus illis causis, quas Pharisæi proferebant, & ex Mosis verbis extundebant, nullam esse sufficientem, nisi πορνείαν, vel λόγον πορνείας: cæteras esse futiles & inanes, imo nullas plane, adeo ut de adulterio teneatur tum is, qui propter eas dimittit uxorem, & aliam ducit, tum dimissa ipsa, si alteri nupserit, & ille ipse qui eam ducit. Respondet Christus ex hypothesi Pharisæorum, quasi Divortia Lege & Præcepto Mosaico essent præcepta, ex praxi item illa, qua nulla speciali lege impedita, sub nulla item pœna prohibita, sed tolerata fuerunt sub Lege inter Judæos, quomodo videlicet illi recepta hac consuetudine uti possint.

VII. *Sed quomodo*, inquias, *salva Lege de morte afficienda adultera, potuit juste Maritus Uxorem libello repudii dimittere?*

Resp. Legum Politicarum custodia & exequutio tradita est Judicibus & Magistratibus. Itaque quando scelera hominum ad ipsorum notitiam & tribunal veniunt, ipsorum est officii secundum Legem judicare, & sententiam ferre. Quod vero privatus aliquis obstrictus fuerit scelera occulta, sibi forte soli cognita, revelare, & delinquentes ad Magistratum deferre, de eo nescio num Lex aliqua extet. Quin potius contra Charitas tegit multitudinem peccatorum, ex cujus Lege sæpe nobis est agendum, quando res nobis est cum fratre vel proximo. Accedit quod ea plerunque in occulto solent committi, ubi testes non sufficientes adsunt, ut eos legitime posset convincere: unde gravis actio exurgeret, donec convinceretur, vel ad confessionem adigeretur mulier. Quando itaque sic Uxori parcere voluit maritus, potuit ea licentia, quam sibi sumserunt Judæi, quamque in illis toleravit Deus ob σκληροκαρδίαν ipsorum, Libellum repudii uxori dare, & eam dimittere. Et sic sæpe accidit inter Judæos. Hinc est, quod sæpius jam laudatus Abarbenel scribit: עתה יפרש כי כאשר יקח איש אשה ובעלה ויקרה עם זה שלא מצאה חן בעיניו להיותה הפך תולדתו כמא שכתב ר״א או לפי שמצא בה ערות דבר ולא ירצה לגלותו כי אין לו עליו עדים או מפני כבודו ובעבור זה יכתוב לה ספר כריתות וכו׳: *Nunc explicat Moses*, (*Deut.* 24. vers. 1.) *quod si Vir aliquid ducat Uxorem, & rem habeat cum ea, & cum hoc accidat, ut ea non inveniat gratiam in oculis ipsius, eo quod sit contraria naturæ ipsius, sicut R. Alfes scripsit, aut quod inveniat in ea Turpitudinem aliquam, & tamen eam non velit revelare* (παραδειγματίσαι), *seu quod nullos ejus rei testes habeat, seu quod suo proprio honori consultum velit; atque hujus rei causa ei scribat Libellum repudii, &c.*

Aut, si rem ad Magistratum deferat, justam habet causam petendi facultatem repudiandi uxorem; siquidem ille non volet criminaliter accusare uxorem? Quod si Magistratus dein officium suum faciat, & adultera capite plectatur, liber est ab ea, si non, justa tamen de causa facultas ipsi dabitur eam repudiandi.

VIII. *An ergo*, dicat aliquis, *Christus vel in hoc Adulterii casu. Judæorum consuetudinem, pro lubitu, & sine judiciaria cognitione causæ, Uxores repudiandi, approbat?*

Resp. Christus, ut jam aliquoties dictum, Pharisæis tantum respondet, nullas novas Leges præscribit: & de Causa Divortii rogatus, de Causa illis præcipue respondet, ut temeritatem ipsorum notet & castiget, non de Modo. Neque officium ipsius fuit novas Leges forenses condere aut dictare. Modum, per συγχώρησιν, in medio relinquit, talis qualis fuit, volens dicere; *Quamvis Moses nullum de Divortiis vobis præceptum dederit; tamen si omnino iis indulgere, & ea permittere vobis velitis, scitote, nullam aliam ob causam id a vobis juste fieri posse, ac debere, quam ob Adulterium, utpote quo is, qui id committit, reipsa vinculum conjugale jam solvit & rupit; non vero, uti quæsivistis, quamvis ob causam.* Adde quod & judicialiter fieri potest, ut quis ob crimen Adulterii dimittat uxorem; magistratu sc. de rigore legis remittente, & veniam personæ reæ dante. Id enim in arbitrio Judicis ponit Maritus, qui dimissionem quærit uxoris, non ejus supplicium. Et hodierna, ni fallor, Judæorum praxis quoque ita fert, ut nonnisi scitu, unius vel plurium Rabbinorum, vel etiam consensu aliquot Synagogarum, libellus repudii concedatur, quos suis sumptibus convocare coguntur partes dissidentes. Quamvis non legerim, quod penes illos sit causam ponderare, an ea gravis & justa satis sit, & hac in parte id permittere, vel impedire: sed duntaxat ea de causa id fit, ut conjugibus divortium molientibus, negotium reddatur molestum, laboriosum, sumptuosum; atque hinc permoti vel ab eo abstineant, vel si ceperint, consilium mutent: Nam, עיקר התקנה לא נתקנה מעיקרא רק להחמיר על הזוג להרבות הוצאה אולי ירע בעיניהם להוציא ויבטל נט: *principalis hujus constitutionis causa alia non est, quam ut difficilis reddatur res conjugibus talibus, per*

gra-

gravitatem sumptuum & expensarum faciendarum, si forte interea ipsos pœniteat, & a divortio abstineant, scribitur in Maharil fol. 83. col. 1.

IX. *Annon Christo contrarietur Paulus*, 1. Cor. 7. vers. 15. *Divortium permittens etiam ob Desertionem partis infidelis, si nempe conjux infidelis fidelem sponte deserat?*

Resp. Nequaquam: Alia enim quæstio fuit de qua agit Christus: alia de qua Paulus. Christus, uti vidimus, agit tantum de Repudio voluntario, & tum usitato inter Judæos, quamvis ex abusu: Paulus agit non tantum de hoc Repudio arbitrario & temerario; sed & de Desertione. De Priore agit vers. 10. & 11. & pulchre cum Christo consentit, dum negat, pro arbitrio, ob quamvis displicentiam & offensam, conjugii vinculum dirimi posse: De Desertione malitiosa & violenta agit vers. 15. De hac Christus non agit, quia de ea non fuit rogatus: Si & hæc quæstio fuisset ipsi proposita, & ita respondisset, tum utique contrarius fuisset Paulo. Si pars infidelis primo malitiose deserat fidelem sine spe reditus & reconciliationis, & pars fidelis legitime quærat liberari vinculo illo, quo se publice data fide ei junctum sentit, tum non ἀπολύει dimittit, sponte sc. & voluntarie, sed tanquam illegitime deserta, quærit a sua parte ἀπόλυσιν, & vinculi, ab altera parte illegitime rupti, dissolutionem & separationem legitimam. In hoc vero casu pronuntiat Apostolus, Personam desertam non debere esse *Servituti subjectam*; Οὐ δεδούλωται ὁ ἀδελφὸς ἢ ἡ ἀδελφὴ ἐν τοῖς τοιούτοις: Quamdiu matrimonium durat, tamdiu servituti mutuæ subjecti sunt conjuges: *Uxor enim proprium corpus non habet in potestate, sed Vir similiter & vir proprium corpus non habet in potestate, sed uxor*, vers. 3. & sic alterum alterius servituti est subjectum. Cum ergo jam pronuntiet Apostolus, *desertum fratrem aut sororem non debere esse servituti subjectos*, vult indicare, *tales proprium corpus in potestate habere, & propterea a vinculo matrimonii esse liberatos*. Ideo autem videtur hoc etiam monere voluisse, quia sæpe accidit, ut in tali casu Deserens persona, desertæ repudium mittere, eamque liberam pronuntiare renuerit: qua ratione deserta persona δεδούλωται *servituti subjecta* mansit, uti superius de Judæis vidimus, non licere inter ipsos fœminæ, a marito infideli & apostata desertæ, alii nubere, nisi accepto a marito solenni libello repudii. Docet ergo Apostolus, in hujusmodi casu talem personam non debere esse servituti subjectam. Observandum vero in hac Phrasi Apostolum, dum personam desertam a servitute conjugali eximit, & proprii corporis potestatem ei tradit, veram & totalem separationem indigitare, non partialem thori & mensæ. Sic enim servitus manet, neque libertas vel potestas illis est in corpus ipsorum. Et sic exponit Ambros. in hanc Epist. *Theophyl.* &c. An verbo δεδούλωται respexit ad Hebræum אשתעבר שעבר *Servituti subjici*; quo Hebræi in Contractibus, etiam hujusmodi matrimonialibus, utuntur, pro, *Obligare se, Obligatum esse*, illudque in animo habuit? ut sensus sit, *Non obligatus est Frater, &c.* sed liber est a vinculo contractus illius matrimonialis, quo parti deserenti obstrictus erat. Exemplum hujus usus invenies in formula prima Desponsationum, huic Dissertationi annexa.

X. *An ergo nullam aliam ob causam potest Repudiari Uxor, & Divortium fieri, quam ob Adulterium?*

Resp. Breviter dico: In verbo Dei nullam aliam causam invenimus: & hinc concludimus, secundum jus Divinum nullam aliam legitimi divortii esse causam. Novimus, sicuti olim inter Judæos ea in re fuit dispensatum, & fibula hæc laxata: sic inter Christianos quoque Constitutionibus tam Civilibus, quam Ecclesiasticis idem esse factitatum, & quotidie factitari. Quam recte, viderint ipsi. Nostri instituti non est, prolixius istis quæstionibus immorari, quæ sunt latissimæ, ob infinitam circumstantiarum varietatem: sed intra cancellos duntaxat Verbi Divini nos continere. Qui vero plura de his desiderat, consulat Bezam de Repudiis & Divortiis, Perkinsum in Expositione Sermonis Christi in monte, ad *Matth.* 5. vers. *Petrum Martyr.* in cap. 7. epist. ad *Corinthios*, Clariss. D. *Spanhemium* in Dubiis Evangelicis, Part. 3. Dubiis 120. & 147. & 148.

ARGUMENTA JUDÆORUM

Ex Abarbenele, pro Divortiorum licentia.

XI. Priusquam secundam hujus Dissertationis partem concludamus, placet aliquot Rationes Judæorum proponere & expendere, quas illi pro sua sententia, & Divortrorum licentia, in medium adducunt.

Vidimus supra, Abarbenelem, Judæorum recentiorum doctissimum & argutissimum, duas generales Repudiorum causas ponere; 1. ערות דבר *Turpitudinem & Impudicitiam*, sive ea consistat in Fornica-

nicatione & Adulterio ipso, sive in aliis, pudiciciam muliebrem minus decentibus, aut certe suspectam eam reddentibus, 2. *Displicentiam, vel odium*, ex diversitate Temperamentorum & naturarum, morum, voluntatum, studiorum, natum; unde sc. fit, ut marito uxor displiceat, vel odium contra eam concipiat, etiam leves ob causas, &c.

De *Prima causa* simpliciter non est magna quæstio & controversia, quatenus ea statuitur λόγος πορνείας. Unde illi probandæ non multum insistit:

De Appendice autem illa, *Ob quamvis rem turpem & fœdam*; & de *Secunda*, præcipue controvertitur; quia si ea admittitur, latissima jam patet quibusvis prætextibus via, neque ullis amplius repagulis Repudiorum licentia contineri & coerceri poterit. Sententiam ergo hanc probare nititur sequentibus rationibus, contra eos, qui nonnisi in Adulterii casu Divortia admittenda censent. Quæ vero ille confuse proponit, nos in ordinem aliquem redigemus, & quam fieri poterit perspicue proponemus. Extant autem in Comment. ejus in *Deuteron.* sect. כי תצא, fol. 384. colum. 2. & fol. 385.

XII. *Primum Argumentum* ducit ex verbis his ערות דבר. *Non est*, inquit, *conveniens, ut per illa intelligatur tantum* זנות *Scortatio vel Fornicatio, quasi ob hanc solum, & nullam aliam ob causam, Uxor dimitti possit. Nam non necesse fuit hanc causam solam allegare; eo quod adulterium per se solvit matrimonium, tum quatenus id capitale fuit; tum quatenus adultera per se* אסורה *illicita fuit viro, neque licuit ei cohabitare*, אעפי שיאהבה בנפשו *licet eam intime adhuc amet, & retinere cupiat. Itaque* concludit, *intelliguntur hic aliæ res turpes & fœdæ, marito displicentes, & exosam uxorem reddentes.*

Resp. Concedere facile possumus, Mosen intelligere hic non tantum Adulterium actuale ipsum, sed etiam alias res fœdas & turpes, &c. sed attendendum ad id, quod supra in expositione hujus loci dictum, Mosem hic nec præscribere Legem, neque permittere ista approbative, neque dicere quid sit juris, sed quid fuerit facti Judæorum, qui omnino propter quasvis res licentiam sibi sumebant uxores dimittendi. Probet vero Abarbenel, Mosen hanc praxin approbasse, nedum præcepisse. Id nunquam faciet, maxime cum ipsemet, uti vidimus, fateri sit coactus, Unicum in istis verbis duntaxat contineri præceptum de non reducenda uxore repudiata, posteaquam ab alio polluta, vel in uxorem ducta est: Cætera dixit inserta esse tantum occasionaliter, propter necessitatem rei subjectæ, &c. An autem omnia, quæ in præcepto hujusmodi hypothetice ponuntur, statim approbantur, vel simul quoque præcipiuntur? Minime, nisi eadem alibi constet esse præcepta vel approbata. Eadem est responsio, quando instat ex verbis; *Si accidat, ut non inveniat gratiam in oculis ejus, &c. Si vir posterior odio habuerit illam.* Nam & ista eodem modo ponuntur hypothetice, uti supra vidimus.

Deinde, non sequitur; *Adulterium fuit capitale: & Adultera fuit prohibita honesto viro. Ergo non potest allegari pro Causa Divortii.* Nam mariti non est Mulieris supplicium deposcere, sed separationem legitimam ab ea facere. Et constat olim ex ea licentia, quam usurpabant sibi Judæi, & secundum quam Moses hic loquitur, solitos fuisse sæpe maritos sui proprii honoris causa, adulterium occultare, & sic clam, causa non patefacta, vel ad judicem delata, ut ipse Abarbenel nos supra docuit, libello repudii uxores dimittere.

Instat ex Loco *Malachiæ* cap. 2. כי שנא שלח *ubi*, inquit, *nullius Rei fœdæ Propheta meminit, sed solius Odii. Itaque patet, Diversitatem vel Contrarietatem naturarum etiam Dimissionis causam esse, quando maritus uxorem odit.*

Resp. Ex loco hoc Prophetæ nihil potest probari: 1. quia Prophetæ non tulerunt leges, sed Legis jam datæ fuerunt Interpretes & Vindices. Ut itaque locus iste ad rem faciat, ostendendum prius, Legem vel Præceptum aliquod legale hac de re extare, in quo dictum illud Prophetæ sit fundatum. 2. Quia dictum hoc Prophetæ valde est ambiguum, & diversas interpretationes admittit. Iterum itaque nihil ex eo potest concludi, nisi simul locus aliquis clarior & evidentior afferatur, in quo doceatur, licitum esse & permissum a Deo, si quis quacunque de causa odio habeat uxorem suam, eam dimittere. Nihil dicam jam de Christianis interpretibus, quorum non pauci verba hæc contrario plane sensu exponunt; *Quia odit Dominus Dimittere*, h. e. *Dimissionem*, fœminarum sc. innocentium, quales fuerunt, quæ ob infœcunditatem uteri solam dimittebantur; quod item & verborum constructio, & cohærentia sensus hanc interpretationem commode admittant. Unde eam amplexi sunt Tremell. & Junius, Tossanus in notis, Piscator, Versio Gallica, D. Deodatus in prima editione versionis Italicæ, & quidam alii. Ipsi Talmudici jam olim de sensu hujus loci disputarunt, & non defue-

fuerunt inter ipſos, qui poſteriorem hanc expoſitionem approbarent; quamvis cum limitatione aliqua, ſed futili & frivola, ſententiam utramque conciliare ſtudeant. Hinc legitur in Talmud Babylonico, in *Gittin* cap. ultimo in fine: & in Hieroſolymitano, in Tractatu כי שנא : שלח קרושין ר׳ יהודה אומר אם שנאת שלח ר׳ יוחנן אומר שנאוי המשלח ולא פליגי הא בזוג ראשון והא בזוג שני דר׳ אליעזר אומר כל המגרש אשתו ראשונה מזבח מוריד עליו דמעות h. e. *Quod Malachias dicit* כי שנא שלח *ſuper eo diſputarunt R. Jehudah, & R. Jochanan. R. Jehuda dixit, ſenſum eſſe*, Si odio habes, dimitte, *R. Jochanan autem dixit, ſenſum eſſe*; Quia odit (Deus) dimittentem, *ſeu*, Quia exoſus eſt dimittens. *Sed non ſunt contrariæ iſtæ ſententiæ. Hæc enim, de conjuge prima; illa, de conjuge ſecunda eſt intelligenda, ſecundum id quod R. Elieſer dixit: Quicunque dimittit uxorem ſuam primam, ſuper eo fundit altare lachrymas*. Quin imo ipſe Abarbenel, Commentario in Malachiam, utramque expoſitionem affert, neque accurate ut alias, quænam præferenda ſit, definit. Et R. Salomon ſcribit: רבותינו חלוקין בה במסכת גטין וכו׳ *Rabbini noſtri diſſentiunt de expoſitione hujus loci, in Maſſeches Gittin*. Aben Eſra: השם ישנא שישלח איש את אשתו הטהורה *Deus odit, ſi vir dimittat uxorem ſuam legitimam*, 3. quod ſi maxime expoſitio illa admittatur, *Si odio habes, dimitte*; nihil tamen inde quoque pro Permiſſione & Approbatione talium divortiorum concludi poteſt; quia eo ſenſu non abſolute, ſecundum legem, ſed comparate ad graviora delicta, id dicit Propheta: Sic exponit R. D. Kimchi: טוב הוא שישלחנה בגט ותלך ותנשא לאיש אחר שיאהבנה *Melius eſt, ut dimittat eam cum libello, & abeat, & viro alii nubat, quam ut eam retineat, & in corde ſuo odio habeat*. Sic & Calvinus: *Hic rurſus Propheta exaggerat crimen illud, quod pro nihilo ducebant ſacerdotes. Dicit enim, gravius eos peccare, quam ſi uxores repudiarent. Scimus tamen, repudium nunquam fuiſſe permiſſum divinitus, proprie loquendo. Nam etſi fuit impunitas ſub Lege, non tamen fuit permiſſio: quemadmodum Magiſtratus multa, quæ non probabit, cogetur tamen ferre: quia nunquam ita præclare agetur cum genere humano, ut cohibeantur omnia vitia. Eſt quidem hoc optandum, ne ullum vitium toleretur: ſed videndum, quid fieri poſſit. Ergo Moſes ex præſcripto Dei non inflixit pœnam pro delicti gravitate, ſi quis uxorem repudiaret: nunquam tamen hoc permiſſum fuit. Sed ſi fiat comparatio, dicit Malachias, levius eſſe delictum, uxorem abjicere, quam plures ſimul ducere*. Munſterus in notis ad hæc verba illius loci; *Qui operit injuriam*; ſcribit: *Senſus eſt; Minus malum eſt, ſi dimittas uxorem pubertatis tuæ, quam odio habere cœpiſti, ut illa alteri nubat, & tu libidini tuæ ſatisfacias, quam quod cum injuria illam apud te retineas, & odium in corde veluti maculam ſub veſte abſcondas*. Quare nec ſic aliquid abſolute ex eo concludi poteſt.

XIII. *Secundum Argumentum* ducit Abarbenel, *ex prima conjugis Evæ creatione, quæ ex coſta viri deſumta fuit, os ex oſſibus ejus, & caro ex carne ejus, ut conveniens ſimilitudo naturæ & temperamentorum eſſet: ex primi item conjugii inſtitutione, in qua Deus inter alia dicit*; לעשה לו עזר כנגדו, Geneſ. 2. verſ. 18. *quod ipſe explicat*; עזר דומה לעצמו מסכים עמו בכל צד Auxilium ipſi ſimile; & cum eo per omnia conveniens & conſentiens. *Hinc dicit narrari, quod hujus ſc. rei cauſa, Deus in prima creatione ad Adamum adduxerit ex omnibus beſtiis agri, & ex omnibus avibus cœli, ad videndum, quodnam illis ſit nomen inditurus? Geneſ.* 1. verſ. 18. 19. *h. e. an inter illa reperturus ſit Temperamentum alicujus conveniens & congruens cum temperamento ſuo; ſed cum id non reperirat, ob temperamenti ipſorum diverſitatem a temperamento & natura ipſius, poſtea iterum dici*: Et Adamo non invenit adjutorium ei reſpondens; *q. diceretur; Invenit quidem adjutorium, quia tot inter* Creaturas *illas erant fœminæ; ſed nullum invenit, quod conveniens & conſentiens eſſet naturæ ipſius. Vocem enim* כנגדו *vult ſignificare*, Simile ipſi, Reſpondens & conſentiens Naturæ ipſius. *Ut ergo convenientia & harmonia inter ipſos eſſet, ſumſiſſe Deum, Unam ex coſtis ipſius, os nimirum ex oſſibus, & carnem ex carne ejus; & ex ea feciſſe Mulierem, eamque adduxiſſe ad Adamum, quo naturæ & temperamenti ejuſdem eſſet. Ex quibus concludit, neceſſariam eſſe, inter Virum & Uxorem, Naturæ & morum ſimilitudinem; ut ex illis appareat, Uxorem ejuſdem eſſe cum Viro natura, atque adeo ex ipſo q. deſumtam. Et cum id non apparet, non eſſe verum conjugium, ac proinde dirimendum*.

Vim ergo hujus Argumenti ponit in voce loci hujus *Gen.* 2. 18. כנגדו, quaſi ea indigitetur, Uxorem viro debere eſſe ſimilem Natura, moribus, animo, ſtudiis, voluntatibus, &c.

Reſp. 1. Nolumus diffiteri, hanc vocem ita poſſe explicari, ad indicandam ſimilitudinem, convenientiam, conjunctionem, præſentiſſimam ſemper, & ad nutum

tum

tum mariti promptiſſimam, paratiſſimamque; & quidem non ſolum in Rebus corporalibus, & œconomicis, ſed in ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis: עזר כנגדו *Auxilium quaſi coram ipſo, vel e regione ipſius, ex adverſo ipſius, ei reſpondens, correſpondens, alter quaſi ipſe*; quamvis non omnes Interpretes ita late extendant. Vulg. Interpres; *Adjutorium ſimile ipſi*, quod videtur de ſimilitudine duntaxat naturæ dictum. Græci: *κατ' αὐτῶ*, *Juxta, ſecundum ipſum*. Chaldæi, סמך כקבליה *Suſtentaculum quaſi eorum eo*, ut Hebraice. R. Iſaac ben Arama explicat, כנגר צרכו ושוה לו *Pro neceſſitatibus* (uſibus) *ipſius*, *&* *æquale* (commodum) *ipſi*. R. D. Kimchi in libro Radicum; שתהיה לפניו ולעמתו תמיד לשרתו *Auxilium quod coram ipſo & e regione ipſius ſit jugiter, ad miniſtrandum ei*. Ramban: עזר כמותו *Auxilium ſicut ipſe*: &, עזר שיהיה ראוי כנגדו ותקרא בשמו שיוליד ממנו *Auxilium quod eſſet conveniens pro ipſo, quodque vocari poſſet nomine ipſius, & ex quo generare poſſit, vel liberos ſuſcipere*. Ita multi ſunt, qui hæc verba trahunt ad ſimilitudinem naturæ tantum, & Miniſteria conjugalia & domeſtica. Sed, ut dictum, non intercedimus, quin ulterius extendantur: At

2. Dicimus, attendendum hic eſſe, quod hæc dicta ſint de Inſtituto & Ordine Divino; qualis ſc. debeat eſſe ex ordinatione Divina Uxor; non qualis futura ſit, maxime etiam poſt lapſum. Dicta ſunt hæc verba a Deo, parentibus noſtris primis, in integritate adhuc conſtitutis; non poſt lapſum corruptis. Sic Eva ipſa, adhuc integra etiam, fuit Adamo ſeductorium potius, quam adjutorium; quomodo? non ex ordine divinitus inſtituto, ſed ex accidenti, malitia Diaboli, & abuſu liberæ voluntatis. An vero propterea Deus eos ſeparavit? an Adamo aliam creavit, & adjunxit? an Adamus eam abjecit, dimiſit? An Eva deſiit eſſe עזר כנגדו? Nequaquam. Quæ igitur ratio, quod hodie ſtatim, ſi non bene conveniat in omnibus marito & uxori, ſi uxor marito ſit moleſta, maritus debeat illam a ſe amandare? Uxor debet merito eſſe עזר כנגדו Adjutorium commodum ipſi. At ſi non ſit perfecte talis ad votum & nutum mariti, an protenus abjicienda, expellenda? Sane ex his verbis illud non elicitur. Et an culpa ſemper Uxoris? annon quandoque Maritus quoque errare poteſt, & culpam, quæ in ſe, in Uxorem rejicere? Et poſito, mulierem moroſam, tædioſam, difficilem, refractariam eſſe, annon cogitandum potius, crucem hanc eſſe a Domino impoſitam, a ſe probe commeritam, ac proinde patienter potius ferendam, quam excutiendam? Hinc eſt, quod in his verbis אעשה לו עזר כנגדו explicandis, lepide luſerint Hebræi. כנגר non tantum ſignificat *Coram*, *E regione*; ſed &; *Contra*, & in malum ſumitur. Unde diſpeſcuerunt illa verba, & explicuerunt; *Faciam ipſi* (uxorem ſc. quæ ſit) vel *Adjutorium*, vel *Adverſaria* ipſi, זכה עזר *Si mereatur ac dignus ſit* (ſi pius, juſtus fuerit); *Auxilium*; לא זכה כנגדו להלחם *ſi non talis ſit, ſi indignus fuerit, Adverſariam, ad pugnandum contra ipſum*. Hinc ſcribunt etiam alibi, prout citatur a Commentatore Ben Syræ: ארבעה אין נכנסין לרין ואלו הן רקרוקי עניות וחולי מעים והרשות ומי שיש לו אשה רעה ואינה מגרשה *Quatuor non ingredientur in judicium; Extreme pauperes; Dyſenteria laborantes; Sub Tyranno, vel Tyrannico Magiſtratu viventes; & Qui habet Uxorem malam & non expellit eam*. Nam, addit; אם נירשה לא עשה יפה שאין שעה משחקת לו אחריה ולא עוד אלא שהעולם מחשיך לו כשהוא מגרשה *Si expellat eam, non bene facit: quia hora non arridet ei poſt eam* (non felix erit, non proſperabitur poſt eam, in altero ſc. matrimonio): *neque hoc tantum, ſed & mundus totus ei obtenebratur* (omnia ipſi fiunt q. adverſa), *quando expellit eam*. Et hoc dicit etiam eſſe quod Ben Syra innuere voluerit, dicens: גרמא דנפיל בחולקך נרריה *Os quod cecidit in ſortem tuam* (quod tibi contigit) *illud rodito* (retineto). Si hæc cauſa valeret, & maxime ſi hoc eſſet penes arbitrium mariti, quæ confuſiones forent in mundo, in familiis, quæ conjugia firma, & ſtabilia? Quis credat Deum voluiſſe tantam licentiam & poteſtatem Maritis largiri, tam latam portam divortiis aperire? Uxor legitime deſponſata & ducta, ex ordinatione Dei, eſt עזר כנגדו *Adjutorium viri a Dei ipſi factum & deſtinatum*. Si aliter aliquando eveniat, culpa hominum eſt, quæ Dei ordinationem non poteſt tollere & abolere.

XIV. *Tertium Argumentum* ſtruit Abarbenel ex verbis illis: לא טוב היות ארם לבדו *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum*, hac ratione; *Ex verbis iſtis*, ait, *colligitur, Conjugium inſtitutum eſſe, ut in illo* bene *atque adeo melius ſit homini, quam extra conjugium in Cœlibatu & vita ſolitaria. Atqui in tali conjugio, in quo Vir & Uxor non idem jugum ducunt, ſed perpetue diſſentiunt* (*in quo Naturæ & Temperamentorum eſt contrarietas, Viro non eſt melius: ſed ſatius ac melius ei eſt, ut ſit ſolitarius*, ולא בחברת הנחש הצפעוני האשה רעה *quam in conſortio ſerpentis talis virulentæ, mulieris malæ, quomodo & Salo-*

mon

mon dicit Ecclesiast. 7. 27. Inveni ego rem amariorem morte, Mulierem: quia est sicut retia & laquei cor ejus, &c. *& Proverb.* 21. 9. Melius est habitare in angulo tecti, quam cum muliere contentiosa; *quæ est sicut stillatio assidua in die pluviæ, ut iterum Salomon ait*, Proverb. 27. 15. *Itaque iterum concludit, Conjugia ejusmodi contraria, non esse conformia Institutioni primæ; ac proinde dissolvi posse.*

Resp. Neque ista verba ad causæ præsentis probationem sufficiunt. Non enim agitur hic tam de privato Bono Hominis, quam de Publico & Communi totius speciei. Nam quia jam reliquis Animantibus hunc ordinem præscripserat, ut generando suam speciem propagarent, & multiplicarent, cumque hujus rei causa, uti Interpretes volunt, marem & fœminam cujusque speciei creasset; homo autem seu Adamus solus esset, dixit: *Non est bonum, Adamum esse solum*, h. e. *Non est utile, commodum, expediens, ut cum cæteræ animantium species suum auxilium habeant ad prolis procreationem, & speciei conservationem & multiplicationem, homo solus non habeat*; quia eadem ratione, ut in cæteris animantibus, genus humanum conservari & propagari voluit. Et sic etiam doctissimi Hebræi טוב *Bonum*, ad consistentiam & stabilitatem speciei referunt. Quam expositionem si sequamur, nihil plane inde confici potest, pro Divortiorum licentia aut necessitate, ob diversitatem Temperamentorum & naturarum: quia etiam hac ratione Bonum illud promoveri potest.

Et quamvis dici possit, ideo etiam non bonum esse, Hominem esse solum; quia Homo est animal sociale & πολιτικόν, cui non bene est solitario, omnibus licet bonis afflueret, sed qui ad felicitatem suam opus habeat socio & solatio in solitudine ad colloquendum, ad convivendum, ad cooperandum, vel etiam ad bestiis imperandum; certum tamen est, principaliter intelligendum hoc esse de priore Bonitate; quia hæc incommoda absque fœmina levari poterant.

Quin & licet concedamus Conjugium ideo institutum esse, ut Homini melius in eo sit, quam extra illud; non tamen sequitur, si iste eventus non sequatur semper, statim dirimendum esse. Nam intelligendum hoc de Conjugio quale est ex Institutione Dei, & ex ejus benedictione; qualeque fuisset inter Homines, si in statu integritatis permansissent, in quo institutum est conjugium; non quale jam est post corruptionem Hominis, & sæpe ex maledictione Dei. Conjugii natura in se talis est, & manet, ut homini melius sit in eo multis modis, quam in vita solitaria: quod aliter sæpe eveniat, ex accidenti est, culpa sc. ipsius hominis, qui hanc etiam calamitatem sibi per peccatum attraxit.

Loca Scripturæ allegata nihil prorsus etiam ad rem faciunt. Testantur illa, molestum, grave, & calamitosum esse, cum Muliere morosa, mala, contentiosa, rixosa habitare: Nullo autem verbo docent, illam expellendam & abjiciendam esse: quia non decet Flagella Dei, quibus ipsi nos castigare lubet, hac ratione excutere.

XV. *Quartum Argumentum*, quod a *Finibus conjugii* deducit, ejusdem est monetæ & ponderis cum præcedentibus. Dicit:

Omnes Actiones hominum in hoc mundo respiciunt ad aliquem ex quinque istis finibus; vel Utilitatem circa Bona temporalia, vel Honorem & Gloriam, vel Voluptatem corporalem, vel Perfectionem animæ, vel Liberorum Bonum. Et hi fines omnes obtinentur in Conjugio æquali, ubi Vir & Mulier ejusdem sunt Naturæ, Temperamenti, Animi, &c. Primo *in mutua & concordi sua societate bona sua augent. Cum enim homo non natura acquirat vestimenta & alimenta sua, sed opere & labore suo, multisque ad hæc indigeat, certum est uxorem commodam magnum ad hæc præstare subsidium.* Secundo, *Honorem quoque consequuntur tales Conjuges; quia ab homine, qui sine uxore vivit, gloria recedit: & Gloria hominis est habitare in domo*, (i. e. in conjugio, ex Jesa. 44. vers. 13.) *Uxor etiam continet maritum, ne seipsum, cum scortis conversando, prostituat, dum animam ejus implet, cum esurit.* Tertio, *Voluptas quoque corporalis capitur ex conjugio concordi & æquali: quia Uxor adjuvat Virum in omni labore ipsius, & in omnibus, quæ tam ad necessitatem, quam ad voluptatem corporalem spectant.* Quarto, *Animæ quoque perfectio promovetur: nam Conjunctio viri cum Uxore cohibet eum a peccando, & a concupiscentiis suis inordinatis: hac etiam conjunctione & consortio implet præceptum Fructificationis & Multiplicationis, præter alia præcepta, quæ huic societati cohærent.* Quinto, *denique Liberorum Bonum juvat; Uxor enim est causa liberorum, eosque enutrit & educat.*

Atqui isti fines, & istæ utilitates non sequuntur in Conjugio inæquali, in quo conjuges non sunt ejusdem, quoad fieri potest, temperamenti & naturæ. Ergo per divortium dirimendum.

Resp. Nulla est in Argumento consequentia. *Primo* enim Major propositio

laborat; Non ſequitur, quod conjugium ſit dirimendum ob non aſſequutos fines illius. Finis enim, ceu cauſſa externa, non eſt de eſſentia conjugii: unde fruſtratio finis, non deſtruere poteſt eſſentiam conjugii. Poſſunt enim plures eſſe cauſæ, propter quas finis non conſequatur.

Deinde confunduntur Finis Principalis, & Fines minus principales. Principalis finis eſt Liberorum procreatio. Unde ſi propter ceſſationem finis conjugium eſſet dirimendum, hujus cauſa maxime id faciendum eſſet. Atqui nullum eſt teſtimonium Scripturæ, in quo doceatur, Matrimonium ſterile eſſe dirimendum, vel Uxorem ſterilem eſſe repudiandam. Liberi ſunt donum Dei, & ex benedictione ejus. Liberorum defectus eſt privatio ſeu carentia talis benedictionis, at non ſimpliciter cauſa repudii. Quod ſi vero ſublato fine principali non tollitur conjugium; quanto minus ob ceſſantes fines minus principales.

Tertio; magna ex parte falſa eſt Minor propoſitio. Quamvis enim diſcordia & inæqualitas conjugum multum poſſit impedire; non tamen ſemper, nec neceſſario id facit. Reperiuntur enim ſæpe hujuſmodi conjugia, quæ & prole ſunt fœcunda, & tum bonis temporalibus, tum honoribus & gloria, affluentia & ſecunda. Et licet ex parte iſti fines impediantur, non tamen totaliter, neque etiam ſemper finaliter. Adde quod prudentia, patientia, manſuetudo & lenitas mariti multum hic poſſit corrigere, & hujuſmodi malis occurrere.

XVI. Quintum Argumentum: *Si Divortia ob quamlibet cauſam, non fuerunt vel a Deo præcepta, vel ſaltem honeſta & legitima, tum utique Prophetæ ſine dubio reprehendiſſent Iſraelitas, quavis de cauſa uxores ſuas repudiantes, & ab hoc facto eos revocaſſent, ſicut eos reprehenderunt ob conjugia contracta cum alienigenis, & alias tranſgreſſiones, ſaltem officii ipſorum fuiſſet, populum hac de cauſa redarguere, & peccatum eorum ipſis indicare.*

Atqui nullibi legimus, Prophetas hoc feciſſe: neque cogitari poteſt, illos hac in parte officio ſuo defuiſſe. Ergo.

Reſp. 1. Negatur ſumti Conſequentia. Non ſequitur omne id a Deo eſſe præceptum, vel per ſe honeſtum & legitimum, de quo non expreſſe Iſraelitas a Prophetis reprehenſos fuiſſe legitur. Sic enim ob Polygamiam quoque non legimus illos omnes eos reprehendiſſe, qui ea utebantur. Satis habuerunt, eos ob ea peccata reprehendere, quæ directe contra Leges a Deo poſitas incurrebant. Audivimus autem ſupra, Deum divortia non prohibuiſſe diſerta Lege, vel pœna, ſed ad ea conniviſſe, propter σκληροκαρδίαν Judæorum. Unde ſicut Moſes Legislator in Lege hoc quaſi diſſimulavit, & in medio reliquit; ita etiam potuerunt Prophetæ idem facere, ut tamen officio ſuo non defuerint. Sed

2. Negari poteſt, Prophetas nullibi improbaſſe Divortia talia arbitraria, qualia Judæi ſibi ſumebant, uti ſupra vidimus in loco Prophetæ Malachiæ, quem multi præſtantes Interpretes ita exponunt; ut teſtetur Propheta, ſibi diſplicere & exoſa eſſe divortia.

Excipit ad priorem reſponſionem Abarbenel, *qua dicitur* ob σκληροκαρδίαν Judæorum, Moſen & Prophetas ad divortia conniviſſe, illiſque ea permiſiſſe; *hanc non eſſe ſufficientem cauſam, propter quam aliquid Homini concedi & permitti debuerit, quod non rectum: Perinde hoc eſſe, ac ſi quis diceret; Quia figmentum cordis humani malum eſt a pueritia ſua, & proclive ad fraudes & rapinas; atque propter rapinas ad Homicidium; idcirco concedendum eſt homini, & permittendum, ut libere & pro lubitu proximum ſuum defraudet & diripiat. Melius enim eſt, ut rapiat bona & facultates ejus, quam ut eum occidat. Atqui hoc plane eſt illicitum & inconveniens ſecundum Legem Dei.*

Reſp. Exceptio quoque hæc ad evertendam Reſponſionem datam eſt inſufficiens. Quis enim hic cum Deo ſummo Legislatore contendet? quis poteſtatem ejus limitabit? Homini, non ſibi, Legem dedit. Si aliquid minus cum Ordinatione ſua poſitiva conveniens ipſemet tolerare velit, certas ob cauſas, & circa illam diſpenſare, quis cum ipſo diſputabit, vel litem ei intendet? Actiones ejus omnes ſunt juſtæ, licet ratio illarum nobis non ſemper conſtet. Hominibus id non licet, qui Legi ſunt ſubjecti, ſed Deo, qui Legem condidit.

Deinde obſervandum, Divortium quidem fuiſſe malum, ſed non indiſpenſabile, ei qui Legem condidit. Ratio, quia non eſt contrarium Imagini Dei, ſed tantum ſanctioni liberæ a Deo inſtitutæ; *Erunt duo in carne una: Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Sic reſpondet Clar. D. Spanh. Dub. Evangelic. par. 3. Dub. cxx. ubi etiam addit Diſtinctionem Philippi Melanthonis, qui diſtinguit inter *Honeſtum æternum*, & illud *quod non tale*; quorum iſtud mutationi obnoxium, illud non.

Tertio attendendum, quomodo permiſſa fuerint Divortia; videlicet non quod certo aliquo præcepto, ut quædam alia, con-

concessa fuerint exserte homini; sed quod nulla Lege impedita, nec sub ulla pœna prohibita fuerint, ut supra latius est explicatum, quo Lectorem remittimus.

Quarto, qui minus hæc ratio hic quadrare potest, quam in aliis similibus, De Regis petitione, De Fœmina formosa, in bello capta; ubi, ut supra visum, hanc rationem reddunt Talmudici, & ex illis Abarbenel ipse?

XVII. Sextum Argumentum: *Si Divortia fuerunt res per se coram Deo abominabilis, & permissa tantum, non prohibita, propter concupiscentiam malam hominis; sicut Usura, quæ vetita est tantum erga Fratrem, non erga Alienigenam, ad satisfaciendum aliquo modo cupiditati hominis, tum non ita accurate præscripsisset Modum & Formam Dimissionis, sicuti id factum legimus. Nam non eadem ratione descripsit Formam & Modum Usurarum ab alienigena, quantum singulis mensibus de tali vel tali summa sit accipiendum.*

Item; *Si eadem est ratio Divortiorum, quæ Usurarum, quare nuspiam legimus in Sacris, quod is laudetur & commendetur, qui non dimittit Uxorem, sicut laudatur is, qui Argentum suum non dat in Usuram?* Psalm. 15.

Resp. 1. Non dicimus, eandem esse rationem Divortiorum, quæ Usurarum. Neque necesse est, ut quæstionem illam de Usuris hinc ingrediamur.

2. Quod sumitur & præsupponitur, Deum præscripsisse accurate Modum & Formam Dimittendi Uxorem; id nos negamus. Verba illa neque continent præceptum aliquod Divinum, neque permissionem aut concessionem approbativam, nihil etiam vel Dei vel Mosis nomine de forma Dimittendi præscribunt, sed factum Judæorum tantum formula loquendi hypothetica & συγχωρητικῇ supponunt, ut superius explicatum. Accurata illa forma & modus, de quo loquuntur Judæi, qui ex Verbis Mosis decem conditiones & requisita necessaria elicuerunt, ex ipsorum est glossematis, non ex mente Mosis. Negato autem hoc sumto, per se ruit consequentia.

3. Quod dicitur, nullibi laudari eum, qui Uxorem non dimittit, sicut laudatur is, qui Argentum suum non dat in Usuram, antea jam diximus, nos non in eodem censu & ordine duo hæc constituere. De non accipiendis Usuris a fratre, præceptum disertum est in Lege. De repudianda vel non repudianda Uxore, nullum ejusmodi expressum præceptum extat. Usuræ habent turpitudinem intrinsecam contrariam Legi naturali, qualem Divortium non habet, ut Clar. Spanhemius docet in Dubb. Evang. part. 3. Dub. cxxvii. Non itaque tanta fuit ratio laudandi eum, qui non dimittit uxorem, ut qui non accipit Usuram. Sed negari quoque potest, nihil tale in Sacris literis reperiri. Nam sunt Interpretes, qui locum *Malachiæ* cap. 2. supra adductum ita exponunt, ut Propheta illic testetur, Deum odisse repudia ea, quæ fœminis dabantur ex sola caussa infæcundi uteri, cætera innocentibus; & ut facti hujus iniquitatem ostendat, exemplo uti *Abrahami*, quem *Unius* nomine indigitari volunt, qui cum justissimo teneretur prolis desiderio, tamen uxorem sterilem in matrimonio retinuerit. Vide Grotium ad *Matth.* cap. 5. Adde quod si non legamus encomia eorum, qui non dimittunt Uxores; nulla tamen etiam legamus laudata exempla Patriarcharum vel Prophetarum, qui repudium miserint uxoribus suis.

Objici posset Abrahami exemplum, *qui Hagarem, quam suasu conjugis suæ Saræ duxisse legitur* Genes. 16. 2. *ejusdem instinctu ejecit & expulit una cum filio Ismaele*, Genes. 21. 10. 14. Sed illud nihil ad rem facit.

Nam 1. Hagar non fuit vera uxor, sed Ancilla Concubina. Hinc dicit Sara; *Ejice ancillam istam*: & Genes. 25. 6. vocatur Concubina: illa enim quoque, ex sententia præstantissimorum Interpretum, & ipsius Abarbenelis, comprehenditur, quando dicitur; *Filiis vero Concubinarum dedit Abraham dona*. Concubinæ autem, ut supra visum, nullas habebant literas dotis, quæ ad veras & legitimas nuptias requiruntur, ac proinde non erant veræ uxores. Deterioris etiam conditionis fuerunt Ancillæ concubinæ, quam ingenuæ & liberæ, quæ in matrimonium duci potuerunt. Unde illarum filii non hæredes fuerunt patrum suorum, sed spontaneas & liberas donationes ab illis acceperunt. Vide *Majemon.* in הלכות נחלות cap. 1. ubi diserte dicit; *Filius ex Ancilla aut Extranea, non est ulla ratione filius*, ואינו יורש כלום *nec ullam hæreditatem capit*. Unde & D. Paul. ad Gal. 4. vers. 30. *Nequaquam enim hæres esse potest filius ancillæ, cum filia liberæ*. Ab eo itaque, quod circa hujusmodi concubinam factum, ad veram & legitimam uxorem, non valet consequentia. Et, si pro vera uxore agnoscenda esset Hagar, probandum esset prius, Polygamiam esse licitam & bonam. 2. Quod Abraham Saræ hac in re morem gessit, ejus mandatum accepit a Deo, cujus singulares & graves etiam redduntur rationes. Ita singulare est hoc exemplum, quod nihil pro-

probare potest pro arbitrariis & promiscuis hujusmodi Divortiis.

XVIII. Septimum Argumentum: *Si Divortia non sunt a Deo præcepta, neque secundum Legem, & ritum Mosis & Israelis, sequitur, Mulierem perpetuo desponsatam manere viro suo, nec unquam ab eo separari posse. Quod si vero res ita habeat, quæritur, Quare Deus permiserit Uxorem dimissam seu repudiatam Viro secundo, cum continuo sit ac maneat Uxor mariti prioris?*

Resp. 1. Non docemus nos, Omnia Divortia esse illicita & prohibita, sed Arbitraria illa, quasvis etiam levissimas ob causas, pro lubitu mariti, fieri solita. In talibus, coram Deo, vinculum matrimonii, etiam post dimissionem consuetam, manere asserimus; adeoque tum maritum adulterum fieri, tum uxorem, si alii post divortium tale nupserit.

2. Probandum, Deum in lege allegata permisisse Uxorem quavis de caussa dimissam Viro alteri. Verba illa, ut supra vidimus, ex ipso etiam Abarbenele, hypothetice sunt a Mose prolata, & nil aliud docent, quam quid facti fuerit inter Judæos, non quid Juris Divini; quid Deus tunc dissimulando q. toleraverit, non quid præceperit, vel approbative concesserit, & permiserit. Objectio vero nulla, nisi talis concessio & approbatio demonstrata fuerit.

XIX. *Octavum Argumentum* ducit a Fine institutorum Sponsalium;

Philosophus, inquit, *docet in Politicis, hoc fine instituta esse Sponsalia ante nuptias; quo, tempore hoc intermedio, desponsati se invicem probent: &, siquidem deprehendant, Pacem, Concordiam & Amorem inter ipsos sequi, ex similitudine & convenientia Temperamentorum, ad Nuptias quoque progrediantur; si secus, a Nuptiis abstineant, neque Vir uxorem eam ducat: quia satius est eam repudiare* בתולה Betulah *Virginem, quam* בעולה Beulah *Nuptam & ductam. Quod si vero etiam jam duxerit, nec ulla ratione concordes vivere possint, præstare, ut eam postea expellat, quam cum suo dolore retineat, & in perpetuis jurgiis & rixis cum ea vivat; & ut alia infinita incommoda prohibeantur:* כי בחירת הרע במיעוטו *Nam inter duo mala minus eligendum. Hac ratione enim poterit Ipse ducere uxorem aliam, sibi convenientiorem, & ipsa quoque nubere Viro alteri; sicque utriusque bonum promoveri, & multa mala præcaveri.*

Resp. 1. Probandum est alia, quam Aristotelis aut Platonis, authoritate, eo fine instituta esse Sponsalia, ut Sponsus interea Sponsæ suæ naturam, indolem, mores, &c. demum probet; & si tum eam minus sibi placentem aut convenientem deprehendat, repudiet. Magnum postulatum est, quod hic sibi sumit. Concedimus equidem, præter alias causas, hanc quoque unam esse, cur instituta sint Sponsalia, ut hoc temporis intervallo tempestive dispiciatur, num aliquid fortassis existat, quod matrimonii consummationem impedire possit: Sed quamvis hic causam a Sponso prætensam, & quidem ab ipsius placito, judicio, & arbitrio suspensam, id facere posse, id nos negamus. Causam oportet esse justam, sufficientem, & legitimam. Supra ex Abarbenele audivimus, eandem esse Sponsæ hic rationem, quæ Uxoris jam in thalamum traductæ. Ergo non alia ratione dimitti potest.

2. Quod ulterius dicitur, *Inter duo mala, minus esse eligendum*, ac proinde satius esse, si quis talem jam duxerit, cum qua non concorditer vivere possit, sed in perpetuis jurgiis & rixis, ad hæc & alia majora mala præcavenda, & utriusque tranquillitatem juvandam, ut eam expellat, & aliam ducat, quam ut eam retineat, &c. quod, inquam, hic dicitur, acceptamus, quatenus supponitur, Divortium tale esse malum, sc. vel Legi, vel Sanctioni & ordinationi Dei repugnans, ac proinde opponimus Regulam aliam, *Non esse facienda mala, ut eveniant bona*. Deinde dicimus, Actionum nostrarum regulam non esse, nostra vel commoda, vel incommoda, sed voluntatem Dei, ejusque ordinationem verbo expressam. Commoda enim & incommoda illa sæpe sunt tantum δοξαςικά, non vera, & qualiacunque illa sint, inprimis corporalia, Voluntati Dei sunt subjicienda. Voluntas autem Dei est, ut quod ipse legitime conjunxit, homo non separet, ut Vir, parentibus relictis, uxori suæ (legitime ductæ) adhæreat, & sint caro una; sine clausula, & sine conditione hac adjecta; *siquidem uxor illa fuerit ejusdem cum ipso naturæ, animi, voluntatis, &c.* Si hæc admitterentur, quæ quæso in mundo foret confusio? ut supra jam vidimus. Morositati mulieris, opponenda a viro Lenitas, Mansuetudo, Prudentia, qua mores illius studebit vel corrigere & diminuere, aut certe tolerare, tanquam crucem a Deo sibi impositam, juxta illud Varronis:

Uxoris vitium tollas opus est aut feras:
Qui tollit vitium, uxorem commodiusculam

Sibi

Sibi præstat: qui fert, sese meliorem facit.

XX. *Nonum & Ultimum* Abarbenelis Argumentum;

Scribit: הורתינו הקרושה מדרכת אותנו בדרכי הטבע החכם בהסכמת בוראו: h. e. *Lex nostra sancta deducit nos secundum Vias Naturæ Sapientis. Jam vero constat, omnes creaturas inferiores compositas esse ex Materia & Forma; Materiam item vocari* Fœminam, *& Formam vocari* Virum, *in Parabolis Prophetarum, & ænigmatis ipsorum. Quemadmodum ergo Forma non requiescit in Materia, nisi certis conditionibus, veluti* primo *est* רושם השמימי *Signatura cœlestis, & Motus cœli, tanquam causa generationis illius;* secundo, *Dispositio Materiæ, ejusque temperamentum ad recipiendam formam: sic Hominis societas cum Uxore non est prospera, nisi sit a Deo ex cœlis, & Uxor, in natura & temperamento suo, disposita fuerit, ad consentiendum cum eo. Et quemadmodum, mutato temperamento, Forma a Materia separatur, neque permanet, nisi secundum dispositionem & æqualitatem temperamenti Materiæ, recipientis eam: sic quando Vir in Uxore sua videt Turpitudinem aliquam, excessumque temperamenti ab æqualitate & perfectione necessaria ac requisita, tum expellet ac dimittet eam e domo sua, sicut Forma separatur a Materia. Quemadmodum etiam Generatio & Corruptio primo attribuuntur Formæ, utpote a qua Actio provenit (Materia enim recipit tantum Formam): sic in Conjugii dissolutione Facultas expellendi & dimittendi dependet tantum a voluntate Viri: Quemadmodum vero Corruptio venit a parte Materiæ: sic Turpitudo deprehensa in Muliere, causa est Divortii. Quemadmodum porro Materia, cum exuit Formam unam, statim recipit aliam, neque sine Forma manet: sic etiam Mulier repudiata nubere potest Viro alii. Quemadmodum denique, juxta ordinariam & consuetum naturæ cursum, Forma prima non redire solet ad Materiam illam, posteaquam ea exuit jam Formam secundam & tertiam: sic Maritus qui dimisit Uxorem, quæ postmodum ab alio ducta, & iterum dimissa ac repudiata est, non potest eam reassumere, &c.*

Resp. Argumentum hoc est symbolicum: Theologia autem symbolica non est argumentativa, sicut Hebræi ipsi fatentur, quando ajunt, אין מקשין בהגדה. Si hic ingenio indulgere liberet, alia possent dari similia ex Natura desumta, quibus probari posset, repudia vel divortia nequaquam esse Naturæ convenientia, & quidem ex ipsa Scriptura. Annon uxor cum Viro est caro una? annon os ex ossibus ejus, caro ex carne ejus? An autem naturæ conveniens est, ut quis carnem suam odio habeat? ut quamvis leviculam ob causam membrum aliquod suum, & quidem nobile, a corpore suo abscindat & abjiciat?

Multa talia speciose & jucunde possunt proferri, sed non solide. Omne enim simile est etiam dissimile. Lex quidem non est contra naturam, sed potius naturæ conformis: at nititur præcipue Voluntati Dei.

Et probandum esset, eandem esse per omnia rationem Conjugii, quæ Generationis & Corruptionis in natura.

Conjugii potius ea est ratio, quæ *Fœderis*, & quidem Sacrosancti, Proverb. 2. vers. 17. *Quæ* (mulier extranea) *deserit ducem adolescentiæ suæ: & fœderis Dei sui oblita est*; Conjugii nimirum contracti, advocato Dei nomine. Unde Uxor vocatur אשת בריתך *Confœderata viri*, Malach. 2. 15. Habet rationem *Societatis* & *Amicitiæ*, unde ibidem vocatur חברת *Socia mariti*. Quemadmodum ergo fœdera, societates, & amicitiæ, debent esse perpetuæ, constantes, & utrinque inviolabiles: ita etiam Conjugium. Quæ similitudo longe est aptior & convenientior, quam illa, & insuper in Sacra Scriptura fundata.

Imo dici potest Abarbeneli, annon Conjugium corporale inter homines, sit כדבוק האלה עם האומה *Typus Conjugii Spiritualis inter Deum & populum Israeliticum?* Nunquam autem ille concedet, Deum huic suæ sponsæ & conjugi *absolutum &* totalem libellum Dimissionis seu Repudii dedisse vel daturum, sed perpetuo ei fidem semel datam servare & servaturum, nec unquam eam totaliter repudiaturum, vel libertatem alii Viro nubendi concessisse aut concessurum. Sic enim Deus apud Prophetam Jesaiam loquitur cap. 50. v. 1. כה אמר יי׳ אי זה ספר כריתות אמכם אשר שלחתיה *Sic dicit Dominus, Ubi est libellus dimissionis matris vestræ, quo dimiserim eam? vel, Qualis est? &c.* Et quamvis postea eodem versu dicatur, הן בעונותיכם נמכרתם ובפשעיכם שלחה אמכם *Sed propter iniquitates vestras venditi estis, & propter prævaricationes vestras, dimissa est mater vestra*: & apud *Jeremiam* cap. 3. vers. 8. וארא כי על כל ארות אשר ניאפה משבה ישראל שלחתיה ואתן את ספר כריתתיה אליה *Et vidi, quod* (licet) *propter fornicationem omnem qua fornicata est aversa* (decem tribuum) *Israel, dimisi eam, & ei dedi libellum repudii sui, tamen non timuit prævaricatrix Jehudah soror ejus, sed ivit, & scortata est etiam ipsa;*

ipſa; tamen non vult Abarbenel hæc inter ſe pugnare, vel hæc loca de totali & finali repudio loqui. Sic enim ille, poſt aliorum adductas explicationes, ſcribit & hæc loca conciliat *Jeſa.* 50. ויותר נכון אצלי לפרש שהנביא ישעיהו דבר מאומה בכללותה ולוה אמר אי זה ספר כריתות אמכם אשר שלחתיה להגיד שהש״י לא עזב עמו ונחלתו עזיבה מוחלטת אמנם ירמיהו דבר מהשבטים אותם עצמם שהלכו בגולה שמהם בפרטיותם לרוב פשעיהם שלחם יי׳ מעל פניו ונתן בידם ספר כריתות וכו׳ *Rectius autem eſt in oculis meis hæc ſic explicare, quod Propheta Eſaias loquatur de populo in univerſalitate ſua* (in genere) *atque ideo dicat*, Ubi eſt ille libellus dimiſſionis, quo dimiſerim matrem veſtram; *ad indicandum, quod Deus non dereliquerit populum ſuum, & hæreditatem ſuam derelictione abſoluta: Jeremias autem de decem tribubus illis quæ in captivitatem abierunt, & quos ex illis in particularitate ſua* (in ſpecie) *propter multas prævaricationes ipſorum dimiſit a facie ſua, & in quorum manus dedit libellum dimiſſionis, ut in deſerto captivitatis conſummerentur, & illic moreventur: Quod autem ad ſemen illorum attinet, illud non comprehenſum fuit ſub illa ſententia, ideo dicit Jeremias nomine Dei*; Et vidi, quod propter omnem fornicationem, qua fornicata eſt averſa Iſrael, & ei libellum repudii dedi; *dum enim dicit*, כריתתיה Repudii ſui, *innuit, ſe loqui de illis duntaxat, qui abierunt in captivitatem, non de toto populo in genere, quem vocat* אם Matrem: *hinc dicit mox Jeremias*; Et dixit Dominus ad me, Juſtificavit animam ſuam magis rebellis Iſrael, quam prævaricatrix Jehudah: Vade, & exclama ſermones, ad Aquilonem, & dic, Revertere rebellis Iſrael, dicit Dominus, & non faciam cadere iram meam in vos, quia miſericors ſum, dicit Dominus, nec ſervo iram in ſæculum. *His enim verbis ſignificat, ſi tribus Iſraelis, quæ abductæ fuerunt in Aquilonem, ſe convertant, Deum non ſervaturum eſſe captivitatem ipſorum in ſæculum, eo quod non dederit libellum dimiſſionis toti populo, ſed iis duntaxat, qui in captivitatem abducti fuerunt.* Sed & alio modo loca iſta poſſunt explicari, quaſi diceret (Propheta Eſaias) הביטו וראו נוסח הגט אשר נתתי לאמכם שהיא הכנסיא ותראו בו אם הוא מוחלט או על תנאי כי בלי ספק הוא על תנאי וכו׳ *Inſpicite & videte exemplar libelli repudii, quem dedi matri veſtræ, quæ eſt Synagoga vel Eccleſia, & ex eo videbitis, num abſolutus ſit, an conditionatus? procul dubio enim eſt conditionatus, de eo videlicet tempore, quo futuri ſunt mali & peccatores coram Domino, non abſolutus: hoc ſibi vult dum ait*: Et propter prævaricationes veſtras dimiſſa eſt mater veſtra; *vult enim dicere*: Cum conditione prævaricationum ſcriptus eſt libellus ille, non aliter. *Et huc referenda ſequens querela* verſ. 2. Cur veni ego, & nemo adfuit? *ſicuti expoſui. Et cum hoc conſentit etiam quod Jeremias ſcripſit. Dicit enim primo* verſ. 1. Si dimiſerit vir uxorem ſuam, & diſceſſerit ab eo, & fuerit viri alterius, num revertetur ad eam amplius? annon prævaricando prævaricata eſt terra iſta? tu autem fornicata es cum amatoribus multis, ſed revertere ad me, dicit Dominus. *Vult quippe dicere*: Divortium illud non eſſe derelictionem abſolutam, ſed conditionatam, quandiu ſcil. duraverit prævaricatio illa, & peccatum illud. *Hinc dixit porro ad eum Dominus in diebus Joſiæ Regis*, v. 6. Vidiſtine quæ fecerit rebellis Iſrael? abit ipſa ſupra omnem montem excelſum, & ſub omnem arborem viridem, & fornicatur ibi: Et dixi, poſtquam fecit omnia iſta, Revertere ad me, & non eſt reverſa; *quaſi diceret: Totum malum inde fuiſſe, quod perſtiterint decem tribus in peccato ſuo, neque ſe converterint; quinimo etiam filii Jehudah, vias ipſorum malas didicerint: hoc eſt quod ait*, Et vidit prævaricatrix ſoror ejus Jehudah. *Propter hoc ait*, Et vidi etiam, quod licet videret, quod propter omnes fornicationes, quibus prævaricata eſt rebellis Iſrael, dimiſi eam, dedique ei libellum repudii ſui. *Vult enim dicere*: Libellum repudii ejus non fuiſſe abſolutum, ſed *propter omnes fornicationes quibus fornicata eſt*, q. d. *quamdiu perſtituri ſint in peccato ſuo, tamdiu duraturam dimiſſionem, & vim ſuam habiturum libellum repudii. Hinc præcepit Prophetæ, ut moneret eos*; Revertere rebellis Iſrael, dicit Jehovah, & non cadere faciam iram meam in vos, (*quo intelligitur continuatio & perpetuitas libelli divortii* (quia ſanctus ego, neque in perpetuum ſervo iram. Hactenus ille. In hunc ſenſum ſcribit in Argumento capitis 34. Prophetæ *Ezechielis* fol. 200. col. 2. *Quemadmodum Edomæi* (Chriſtiani) *lætantur in ruina Iſraelis: ſic illi, & cæteræ gentes, quæ poſſident terram Iſraelis, reportabunt ignominiam & vaſtationem ſuam; terra autem Iſrael benedicetur in populo & proventu ſuo*; כי הנה לא ניתן לה מאת האלהים ספר כריתות אבל היה ענינה כטומאת הנדה שבזמן רמה יתרחק ממנה בעלה ואחרי טהרתה חשוב לימי עלומיה *nam ecce non datus eſt illi a Deo libellus divortii, ſed ea eſt ejus ratio quæ mulieris immundæ, a qua tam diu ſe maritus ejus ſeparat, quamdiu immunditia*

ejus

ejus durat, redeunte autem ejus munditia, redit maritus, &c.

His ergo ſic poſitis & præmiſſis, dicimus; cum Lex Dei nos potius מדרכה בדרכי האלהים *incedere doceat & jubeat in Viis Dei*, quam בדרכי הטבע *in viis Naturæ*; Deus autem, ex ſententia Abarbenelis, Eccleſiam ſuam nunquam totaliter & finaliter a ſe expellat, nec unquam abſolutum ei libellum repudii mittat, annon ſic potius Dei ductum ſequi, & ejus extemplo abſtinere debeamus a libello divortii dando, quam ad imitationem Materiæ & Formæ naturalis, ſubinde mutare? hæc enim ſimilitudo nuſpiam nobis in Sacra Scriptura proponitur, neque ullibi per eam Conjugii corporalis ratio & conditio declaratur, ut id fit per typum Conjugii Spiritualis inter Deum & Eccleſiam.

Et ſic diſcuſſæ quoque ſunt Rationes iſtæ Abarbenelis, qui ubique cæteris Hebræis vult eſſe oculatior & acutior. Satis etiam, pro inſtituti noſtri ratione, de Secunda hujus Diſſertationis parte. Breviter etiam aliquid jam dicendum, de Tertia quæſtione propoſita.

PARS TERTIA.

I. **Q**ua forma, quove jure, Joſephus (Sponſus) Mariam deſponſatam ſuam, non παραδειγματίσαι, ſed λάτρα ἀπολῦσαι, clam dimittere voluerit? Matthæi cap. I.

Variæ hic Interpretum occurrunt ſententiæ; ob ambiguitatem verbi ἀπολῦσαι, & additum adverbium λάτρα, *Clam*.

Certum & indubitatum puto, cum Joſephus uterum Mariæ animadvertiſſet, illum de Caſtitate ejus primo dubitaſſe, & proinde de Repudio, ſeu de non copulanda ſibi, per Nuptiarum ſolennitatem, deſponſata ſua, cogitaſſe. Hinc enim dicit Angelus ad eum: Μὴ φοβηθῆς παραλαβεῖν Μαρίαμ. *Ne metue accipere Mariam*. Cur enim *metuebat* Joſephus? 1. quia parum honeſtum erat ſponſam fornicariam ducere, & ut Hebræi ajunt, ova colligere quæ non pepererat: *deinde*, quia ſupra vidimus, Lege inter Judæos cautum fuiſſe, ne quis cum uxore fornicaria aut adultera cohabitaret, ſed eam dimitteret.

Incertum & dubium, Quale nam fuerit illud divortium, quod moliebatur Joſephus?

1. *Quidam* ergo exiſtimant, Joſephum de Maria deſerenda, & ſibi exilio q. ſpontaneo indicendo, conſilia animo ſuo agitaſſe, ut & Mariæ honori conſuleret, & ipſe quoque ignominiam evitaret.

2. Alii de Maria clam dimittenda, & a ſe ableganda, id accipiunt. Hoc ipſum vero iterum diverſimode intelligunt.

Nonnulli enim de Maria vel domum Parentibus remittenda, vel alio, ubi ſc. ignota eſſet, ableganda; & ſic Sponſione clam inter Joſephum & Ipſam reſcindenda: Alii autem, de illa, ſecundum Leges & conſuetudines Judæorum uſitatas, dato ſc. libello, repudianda, dictum hoc volunt.

Singulæ hæ ſententiæ ſuos habent Patronos. Nobis, citra cujuſquam tamen præjudicium, Ultima ſententia maxime vero ſimilis & conſentanea videtur.

II. Nam quod ad Primam ſententiam attinet, illa neque cum Ritibus & Legibus Hebræorum congruit, neque Rationi eſt conſentanea. Ubi enim quæſo traditum, ut in tali caſu hujuſmodi quis conſilium capiat? Et num hac ratione vel Mariæ vel Joſephi honori conſultum fuiſſet? Non Mariæ honori certe; quia uterus ſic nec occultari, nec excuſari potuiſſet, quin illa paſſim in ore vulgi traduceretur, imo ad Judices adduceretur. Inquirendum utique fuiſſet & in Graviditatem Mariæ, & in Cauſam diſceſſus Joſephi. Quis hic prætextus obtendi potuiſſet? An profectio aut peregrinatio longinqua? Atqui hanc legitime ſuſcipere non potuiſſet ſine ſcitu & conſenſu Sponſæ ſuæ, adeoque etiam Parentum ipſius. An vero cuiquam perſuaderi potuiſſet, Mariam vel Parentes ipſius, veniam ei diſcedendi conceſſuros fuiſſe, a quo imprægnata poſtmodum credi debuiſſet? Hoc enim faciendum fuiſſet, ſi Mariæ crimen, de quo ſuſpecta erat, honeſto aliquo velo tegi debuiſſet. Quin imo neque hoc ſatis fortaſſe fuiſſet ad ipſius excuſationem. In Ritualibus enim Hebræorum reperio Canonem, quo cavetur, ſi quis longinquam & diuturnam peregrinationem ſuſcipiat, ut diſceſſurus, in omnem eventum Libellum repudii uxori ſuæ ſcribat. Sic legitur in שלחן ערוך parte 4. Tit. הלכות גטין Num. 154. §. 8. אם ידוע שהאיש רוצה לילך לארץ אחרת ישביעוהו שלא ילך או יכפוהו שקודם שילך יגרש אותה לזמן *Si conſtet, quod vir velit proficiſci in terram aliam, adjurabunt eum, ne abeat, aut ſaltem adigent eum, ut primo eam ad tempus in omnem eventum expellat*. Si aliter, clam videlicet, inſcia Maria & parentibus ejus, diſceſſum molitus fuiſſet, omnem culpam in ſe derivaſſet, quod non eſt viri boni, famam ſuam innocenter ita proſtituere & prodigere.

III.

III. Quod ad Secundam sententiam attinet, neque illa probabilitatis aliquam habet speciem. Sponsam, solenniter in præsentia testium, solenni benedictione, & festivitate, desponsatam, fama publica pro tali agnitam, habitam, & celebratam, occultare, aut clam ablegare, qui potuisset? An cum deprædicata Josephi integritate congruisset, hac ratione Mariæ crimen tegere & occultare? Aut, si maxime voluisset, non potuisset. Obstabant enim hic Leges, quibus cautum est, ne quisquam, etiam desponsatam suam, aliter quam in præsentia testium & tradito libello repudii, dimittat & expellat, ut sic non potuissent sponsalia inter ipsos clam & privatim rescindi. Et, si Leges hæ maxime non fuissent, annon & amici, & Ecclesia, & Magistratus, annon Desponsationis testes, inquisivissent, quid de Maria factum esset, & quonam sponsa ista devenisset, &c. Parentibus clam remitti domum non poterat, sine vel libello repudii, vel actionis alicujus intentatione.

IV. Tertia itaque sententia omnium mihi videtur verisimillima, quod Josephus Mariam, secundum Leges & consuetudines Judæorum, dato libello repudii, dimittere & repudiare voluerit. Rationes sunt hæ:

1. Quia Sponsa legitima, ut supra vidimus, non aliter dimitti potuit. Non est autem probabile, Josephum, virum justum, pium, & Legum observantem, Leges Judæorum receptas transgredi voluisse; sed id potius facere, quod illæ vel præcipiebant, vel permittebant.

2. Quia iterum diserta extabat Traditio juris, si quis in Uxore vel Sponsa reperiat ערות דבר Turpitudinem aliquam, maxime Pudicitiæ virginali vel muliebri adversam, & eam propterea expellere a se velit, ut id faciat Libello repudii, & iis ceremoniis, quæ ex parte supra fuerunt expositæ. Cum itaque Josephus hic hujusmodi Turpitudinem in Maria deprehendisset, quæ Castitatem & Pudicitiam ejus ipsi suspectam redderet, an credibile quæso est, illum de alia via eam deserendi cogitasse, quam de ea, quam Leges & statuta Mosis & Doctorum ei ostendebant, & præscribebant.

3. Favet huic sententiæ verbum Ἀπολύειν, quod Evangelista adhibet, quod in Causis matrimonialibus vix aliam significationem admittit, quam *Dissolvere*, sc. conjugium vel sponsionem, modo legitimo & usitato, h. e. *Dimittere per legitimum divortium, secundum Leges sc. & consuetudines*. Vocabula autem sunt pro subjecta materia accipienda & intelligenda. Qui privatim aliquam deserit & derelinquit de facto, is non bene dicitur ἀπολύειν *Dissolvere*, vinculum sc. matrimonii, præsertim in gente Judaica, Legum & statutorum tenacissima. Id potius est Rumpere, quam Solvere. Neque etiam alio sensu Scriptores Novi Testamenti vocem hanc usurpant. Vide *Matth.* 5. vers. 31. 32. & 19. vers. 3. 7. 8. 9. *Marci* 10. vers. 2. 4. 11. 12. *Lucæ* 16. vers. 18. Quin &, si ad voces Hebraicas attendamus, quibus hæc vox respondet, sive in Stylo Biblico & pure Hebraico, sive in stylo, tempore Christi inter Judæos familiari & usitato, iterum non alium poterimus ex hac voce sensum elicere. Ἀπολύειν Græce hic idem est quod alias ἐξαποστέλλαι, Hebraice שלח. Hoc vero in materia Conjugii & Divortii iterum non aliud significat, quam legitime, dato libello a se dimittere, amittere, *Deut.* 22. vers. 19. 29. & 24. vers. 1. 2. 4. *Jer.* 3. vers. 1. 8. *Jes.* 50. vers. 1. in quibus locis LXX. Græci usurparunt verbum ἐξαποστέλλαι, eodem sensu. Sic Chaldæi & Rabbini usurpant *verbum* פטר, quod eundem sensum habet, ut in Lexico videre est. De Desertione vel Dimissione alia, ista verba nunquam leguntur in hac materia.

V. *Qui vero*, inquiat aliquis, *dicit Evangelista, Josephum voluisse* clam *dimittere Mariam, si hæc dimissio de Libello divortii intelligenda?*

Ratio dubitandi est, quod nec ratione Sponsalium, nec ratione Repudiorum, clandestina Dimissio locum habere queat.

Desponsatio enim fiebat adhibitis testibus, datis arrhis, consecratione, confirmabatur conviviis & aliis festivitatibus. Itaque clam retractari aut tolli non poterat.

Repudii etiam libellus scribendus erat solenniter, in præsentia testium tradendus: persona repudiata permittebatur iterum alii cuivis sponso seu marito, &c. uti hæc omnia supra ex Hebræis sunt explicata. Quomodo ergo *clam* hoc fieri potuisset, ut non statim omnibus & toti q. mundo innotesceret? quid clandestina traditio libelli juvisset, cum res celari non posset?

Resp. Particula seu Circumstantia hæc (λάθρα *Clam*) non respicit proprie ad sequens Verbum Ἀπολῦσαι; sed opponitur præcedentibus verbis, quibus dicitur, quod Josephus noluerit eam παραδειγματίσαι *Publice & ignominiose traducere*. Itaque ut intelligamus, quid illud λάθρα *Clam* sibi velit, prius tenendum quid sit hoc παραδειγματίσαι. Hoc vero quid sit, non tam ex vi vocis seu verbi ipsius intelli-

telligimus, quod *Publicam & exemplarem alicujus, eamque ignominiosam & cum infamia conjunctam, expositionem* significat, & Hebræis גלה vel פרסם (quamvis generalioribus, neque ita emphaticis) respondet; quam si consideremus, Quid in tali casu, de Sponsa sic deprehensa, & ad Judices delata, secundum Leges & statuta Hebræorum, fieri debuerit? Casus talis est: Josephus cum hæc animo secum volveret, omnino adhuc de Castitate sponsæ suæ dubitasse, & suspectam eam habuisse videtur, quod ab alio gravida facta fuerit. Quid itaque faciendum ipsi erat? Vel *Ducenda* erat, & injuria hæc concoquenda atque tegenda, vel *Dimittenda*.

Ducere scienter gravidam ab alio, nec licitum erat, nec honestum. Non licitum: supra enim vidimus, cum Uxore sive sponsa (nam utriusque eadem est ratio) notorie adultera, in matrimonio vivere non licere Judæo: gravidam etiam ab alio ducere non licebat, nisi postquam peperisset, & infantem quoque ablactasset. Non honestum; quia, si res hæc in vulgus emanasset, quod Josephus sponsam duceret ab alio gravidam, & spurium fœtum scienter sibi vendicaret & educaret, id summa cum ipsius infamia & dedecore conjunctum fuerat. Hinc est, quod nonnulli volunt, illum, hujus ignominiæ vitandæ causa, se subducere, & in regionem aliquam, in qua ignotus fuisset, conferre se voluisse.

Dimittere itaque voluit eam. Hic vero duas præ se vias habebat, *Rigoris*, seu *Stricti juris* unam, Ἐπιεικείας alteram.

Rigoris via erat, Rem ad judices deferre, & illis cognitionem ejus committere, ut pro qualitate criminis in ipsam animadverteretur. Sic Josephus Mariam coactus fuisset Judici indicare, eam accusare, probationes dein suas proferre, suam innocentiam asserere, & sufficienter demonstrare, atque ipsam ream Judici sistere. Judicis officium fuisset, inquirere, num ante vel post desponsationem Maria compressa fuerit! Si ante desponsationem, actionem amissæ Virginitatis Mariæ intentare poterat, & Parentibus ejus, qui vitiatam pro Virgine ipsi venditarint, de qua *Majemonides* in הלכות אישות cap. 11. Quamvis enim hæc actio proprie sit eorum, qui per nuptiarum solennia, & carnalem conjunctionem, fraudem hanc deprehendunt; tamen & hic locum habere poterat: quia amissam Virginitatem uterus prodebat & probabat. Et hac ratione, secundum Legem, ad ostium domus Patris sui ducenda, & lapidanda illic fuisset, *Deuter.* 20. vers. 20. 21. aut certe illi tradenda, a quo vitium passa & gravida facta fuerat, si mitissime agendum fuisset, *Ibid.* vers. 28. 29. Si post desponsationem, dispiciendum erat, num in urbe, vel in agro; Si in urbe, & ipsa volente, nec clamante, ad portam urbis educenda, & lapidanda fuisset; Si in agro, & vim ipsa passa fuisset invita & reluctans, ipsa quidem impunis erat, & dimittebatur; Josephus tamen ex alio gravidam, Sponsam habere, vel ducere, honeste non poterat, nec proculdubio volebat. Videatur *Deut.* 22. 23. & seqq. Hæc omnia utique sine insigni & publica infamatione, exemplarique traductione Mariæ, sine maximo etiam Parentum, & totius familiæ ipsius probro fieri non poterant. Josephus itaque tanquam vir δίκαιος, h. e. pius, bonus, lenis, mansuetus, id vitare voluit, partim quod veteris vestigia flammæ adhuc sentiens, commiseratione proculdubio erga Mariam tangeretur, & hinc ex ejus vel infamia vel pœna, non voluptatem ullam capere posset; partim quod non sine propriæ quoque famæ dispendio, sine magnis etiam molestiis, negotium hoc a se suscipi posse animadverteret. Atque hoc est, quod hic intelligitur, quando dicitur, *Josephum noluisse Mariam* παραδειγματίσαι. Quid itaque? Cum via hæc juris & rigoris ipsi non placeret, voluit sequi mitiorem.

Mitior autem & Ἐπιεικείας via erat *Repudii*, per Libellum solennem & usitatum. Hac enim Mariæ honori atque saluti, quantum in se erat, & bono titulo poterat, consulere aliquo modo potuit, crimenque, cujus, sua quidem opinione, rea tenebatur, tegere & occultare. Via hæc non solum mitior ac lenior, sed & comparate vel opposite ad alteram, *Clandestina* recte dici potest: quia sic non necesse habebat Rem ad Judices deferre, Mariam diffamare, aut Caussam Repudii & dimissionis exponere. Ea enim, ut supra vidimus, non exprimi solebat in Libello, neque etiam rigide requirebatur a marito, nisi forte sponte eam diceret. Simile aliquo modo exemplum legi in Quæstionibus & Responsis sive Consiliis R. Meir Paduani fol. 80. ubi talis ei casus propositus; *Uxor Rubenis narravit marito suo, quod cum Simeone ante multos annos rem habuerit, cum hucusque habita fuisset a Rubene pro pudica & casta: Dubius itaque, num verbis illius credere debeat, nec ne, consuluit quosdam Doctores, qui consuluerunt ei, ut ejiciat seu repudiet eam, quod fecit;* ולא אמר לה משום עם רע אני מגרשך *Non tamen dixit, quod propter Nomen malum seu impudi-*

pudicitiam ejiciat eam; volens ſc. honori ipſius conſulere hoc medio.

Iaque λάθρα ἀπολῦσαι *Clam Dimittere*, nihil aliud eſt, quam quod Joſephus noluit Mariæ crimen ignominioſe divulgare, ad Judices deferre, accuſatorem ejus agere; ſed, *nulla expoſita cauſſa*, niſi quod ſic ipſi videretur, *ſine infamia*, eam conſueto more, dato Libello repudiare, & res ſuas ſibi habere jubere, negotiumque totum, ſeu regendum, ſeu tegendum, vel excuſandum, Mariæ ipſi, aut Parentibus & Amicis ejus committere. Et ſic faciebat, quod ſecundum Leges Judæorum juſtum & rectum, ſecundum Legem charitatis humanum erat. Unde & hoc reſpectu non immerito nomen Δικαίυ ipſi tribuit Evangeliſta.

VI. *An vero, inquiat aliquis, Juſtitiæ Joſephi hic celebratæ, ejuſque Pietati non adverſatur, quod Crimen Mariæ, cujus ipſe conſcius erat, non indicare, ſed quantum in ſe erat, occultare potius ſtuduerit?*

Ratio dubitandi eſt, quod *Levit.* cap. 5. verſ. 1. doceri videatur, quod ſi quis criminis alicujus ſpectator, aut alia ratione conſcius, teſtiſque fuerit, & illud non indicaverit, portet iniquitatem ſuam.

Reſp. Scio varie hunc locum ab Interpretibus exponi; præcipui tamen Interpretes illum exponunt de eo, qui pro teſtimonio dicendo a Judice compellatus, dicere renuit id quod vel vidit, vel audivit, vel intellexit: quamvis & hi diverſimode in eo, quod *alii* vocem אלה *Juramenti*, *Execrationis*, ſumant pro *Adjuratione*, qua Teſtis a Judice ad teſtimonium dicendum adjuratur; *alii*, pro *Juramento*, *Execratione* per Abuſum Nominis divini, quam teſtis audiverit, aut intellexerit, explicent.

Qui priori ſenſu accipiunt, ſic locum illum explicant; ונפש כי תחטא ושמעה קול אלה והוא עד או ראה או ידע אם לא יגיד ונשא עונו *Anima cum peccaverit, & audiverit vocem Adjurationis*, (vel Jurisjurandi a Judice ſibi propoſiti) *ut ſit Teſtis, qui aut viderit aut ſciat aliquid, tum, ſi non indicaverit, feret iniquitatem ſuam*. Sic explicat Abarbenel: והמצוה הזאת היא נכ׳ לעם הארץ ששמע קול אלה ר״ל שישביעוהו בשבועת האלה אם ידע בעדות או אם ראה שאם לא יגיד מה שראה או שמע ונשא עונו וזהו כשיהיה במזיד מכסה עדותו ולא יגידהו *Præceptum hoc*, inquit, *itidem eſt datum homini privato, qui audit vocem Execrationis, quod ſcilicet adjurent ipſum* (Judices) *per Juramentum execrationis, utrum ſciat teſtimonium, aut viderit; ut, ſi non indicaverit id quod vel vidit vel audivit, ferat iniquitatem ſuam; ſi nimirum obſtinate & proterve occultet teſtimonium ſuum, & id non indicet*. Sic etiam Ramban, R. Levi Ben Gerſon, R. Bechaj, Aben Eſra, & alii. Probant hanc expoſitionem inde, quod hic ſermo ſit de Teſte: Teſtis autem nullus ſit extra Judicium: neceſſe itaque eſſe de Judicis adjuratione ad Teſtimonium dicendum, hoc intelligere.

Qui poſteriori ſenſu vocem אלה ſumunt, ſic interpretantur; *Anima quum peccaverit, & audiverit Vocem Juramenti, Blaſphemiæ; & ſit Teſtis*, (& pro Teſte producatur, vel appelletur, ſc. coram Judice) *quo* (*eam*) *vel viderit, vel cognoverit; tum, ſi non indicaverit, feret iniquitatem ſuam*. Quomodocunque ſumatur, ſenſus eodem redit, de eo ſc. qui pro teſtimonio dicendo vocatus, teſtimonium ſuum ſcienter ſupprimit. Nihil itaque ad rem.

Cæterum, quod ad *Juſtitiam* Joſephi hic celebratam attinet, certum eſt, non ſtricte hic ſumi pro ea virtute, qua ſuum cuique tribuitur, vel id quis facit, quod ſecundum rigorem juris requiritur, ſed latius more Hebræorum, ut id ſatis ab eruditis in Evangeliſtam Interpretibus eſt demonſtratum. Addemus hic tantum, quod de vocis צדקה ſignificatione ſcripſit R. Moſes ben Majemon in More nevochim par. 3. cap. 53. צדקה Juſtitia, inquit, *derivatur a* צדק, *quod ſignificat* יושר *ſeu Rectitudinem.* יושר *autem, ſeu Rectitudo eſt, ut unicuique relinquatur & tribuatur, quod ei debetur, & ut unicuique enti tribuatur ſecundum quod ei convenit. In libris Prophetarum non vocantur ea, quæ ſecundum priorem ſenſum aliis dare & præſtare teneris*, Tzedakah *Juſtitia, quando ea perſolvis: nam cum ſolvis mercedem mercenario, vel creditori reddis debitum, id non vocatur* צדקה Juſtitia; *ſed illud, quod Virtutis & Honeſtatis ſolius cauſſa facis; ut cum pauperem aliquem a ſuo vulnere curas & ſanas, id vocatur* צדקה Juſtitia. *Hac de cauſa dicitur de reſtitutione pignoris*; Et erit tibi צדקה Juſtitia, *Deuteron.* 24. verſ. 13. *Nam cum in via honeſtorum morum & virtutum incedis, Juſtitiam exerces erga animam tuam intelligentem: quia perſolvis ipſi debitum ejus. Hinc omnes Virtutes vocantur* צדקה Juſtitia; *ut*, Et credidit Deo, & reputatum eſt ei pro Juſtitia, *Geneſ.* 15. 7. *ubi* Fides *vocatur* Juſtitia. *Sic dicit Moſes*; Et juſtitia erit nobis, cum cuſtodiverimus, ut faciamus omnia præcepta iſta, &c. *Deuter.* 6. 25. Et mox. *Sic itaque patet*, Chesed *dici de mera Beneficentia & Benignitate*: Zedakah *de Bono, quod fit Virtutis & Honeſtatis cauſſa, ad perfectam reddendam animam*. Hæc ille.

In

In gratiam Rabbinismi Studiosorum & Cultorum, placuit hic subjungere aliquot Formulas Desponsationum & Divortiorum, quarum in Dissertatione facta mentio & promissio:

נוסח שטר הרשאת שידוכין

מעידים אנחנו ח״מ מה שהיה לפנינו
היום יום פלו׳ כך לחדש פלו׳ כך לפ״ק למנין
שאנו מונין פה ויניציאה מתא דיתבא על
נהרי פלו׳ ופלו׳ איך בא לפנינו הנשא כמ״ר
פלו׳ בכמ״ר פלו׳ ואמר לנו היו עלי עדים
נאמנים וקנו ממני בקנין גמור ואגב סודר
וכתבו בכל לשון של זכות וראיה וחתמו
ותנו ליד פלו׳ בכמ״ר פלו׳ למען יהיה בידו
לעדות זכות ולראיה ברורה איך מרצון נפשי
הטוב בלי שום אונס והכרח כלל רק בלב
שלם ובנפש חפצה ובדעת צלולה ומיושבת
הנני מקנה לו ארבע אמות קרקע בחצרי
בכל מקום שהם ואגבן ואגב קנין סודר
הפקדתיו והשלטתיו ומניתיו שליח ומורשה
ממני לשדך ולארס לי מרת פלו׳ בת כמ׳ פלו׳
הדר בעיר פלו׳ ומעתה ומעכשיו הנני נותן
לו רשות ושולטנות הכות ויכולת עלי לידור
בעדי ובשמי ולשעבדני בכל התנאים השייכים
בין המשדכים הן לחת זמן וגבול לנשואין
בע״ה הן מכל יתר הענינים הנהוגים באיטאליה
הן מסך הנדוניא ומכל דבר אחר כיר ה׳
הטובה עליו וכפי ראות עיניו ובכל מכל כל
ההיה ידו כידי כפיו כפי ושעבודו כשעבודי וכל
מה שיעשה בשמי בעסק הנ״ל יהיה מאושר
ומקויים ממני כאילו עשיתיו אני ממש וימשך
זמן הרשאה הזאת בידו עד כל זמן פלו׳
וכך אמ׳ לנא עדים ח״מ כמ פלו׳ הנ״ל שאר
הרשאה זו כתבוהו בשוקא וחתמוהו בברא
כי היכי דלא ליהוי כמלתא טמירתא אלא
גלוי ומפורסם לכל וכתבוהו וחתמוהו אפילו
עד מאה פעמים עד דליפוק מתחות ידיכון
שטר הרשאה חד עשוי ככל תקון חז״ל
וימטי ליד כמ׳ פלו׳ דלא כאסמכתא ודלא
כטופסא דשטרי ויעשה ממנו דין נחוץ בכל
מקום ובכל זמן בין בד״י בין בר״אה בדיני
ישראל כאלו נעשה בכל תקון חז״ל ובדינהם
נ״כ כאלו נעשה בכל תקוניהם בחצריהם
ובטירוהם על ידי ספרא דמתא מפורסם ובפני
שופט העיר ובמקום המשפט ולא יפסל ולא
יבטל ולא יגרע כח הרשאה זאת לא מחמת
חסור או יתור לשון או תיבה או אות או
מחק או גרר או טפת דיו או קרע שאינו
קרע בד׳ או משום דבר אחר שבעולם ולא
מחמת לשון דמשתמע לתרי אנפי אלא הכל
יהיה נדון לזכות ולתועלת ויפוי כח השטר
וזכות ויד ושם לכ״מ פלו׳ הנ״ל או הבא
מכחו׳ ואחריות חמר שטר זה קבלתי עלי
כאחריות חמר כל שטרי הודאות ושעבודים
הנהוני׳ בישראל העשויין ככל תקון חז״ל
וכתנאי דבני גד ובני ראובן עוד בפנינו עדים
ד״מ בטל כמ״ר פלו׳ הנ״ל כל מודעי ומודעי
ומודעי דמודעי ומודעי דנפי מנו מודעי
דמודעי עד סוף כל מודעי דסלמ׳ ושמסר או
שעתיד למסור נגד שטר הרשאה הזא מן
יומא דנן ולעלם בכל לישני דאמרי רבנן
דמבטלי בהון מודעי ותנאי וקנינא מיד כמ״ר
פלו׳ הנ״ל ליר פלי׳ הנ״ל במנא דכשר למיקניא
ביה ביום וחדש ופרט הנז׳ והכל שריר
וקים:

פלנ׳ עד

ופלו׳ עד

EXEMPLAR LITERARUM

Quibus quis Potestatem alteri dat, aliquam suo nomine ambiendi, & sibi desponsandi per שדוכין *Desponsationem privatam.*

NOS infra scripti testamur, accidisse coram nobis hodie, die N. mensis N. juxta supputationem minorem, qua numeramus hic Venetiis, ube sita ad fluvios N. N. ut venerit ad nos Excellentissimus Dominus Doctor N. filius Excellentissimi Domini N. (*Procurator scil. qui potestatem dedit*) dixeritque ad nos; Estote mihi testes fideles, & emite a me emtione absoluta cum Sudario, scribiteque (eam) in omni optima forma (*de verbo ab verbum*; in omni lingua justitiæ & probationis) & obsignate atque date eam in manum τοῦ N. filii N. quo sit in manus ejus pro testimonio sufficientissimo, & probatione clarissima; quod ego liberrima mea voluntate, sine ulla vi & coactione, corde perfecto, animo lubentissimo, & mente clarissima atque constante; quod, inquam, emtione tradam ei quatuor jugera terræ in villa mea, in qua illa sunt: & cum illis, cumque emtione sudarii solenni, constituam, & ordinem illum Procuratorem & plenam a me potestatem habentem, ambiendi & desponsandi mihi Martham filiam τοῦ N. habitantem in urbe N. & ab hoc instanti do ipsi facultatem, potestatem, & potentiam meo loco, pro me, & meo nomine spondendi, meque subjiciendi vel obligandi: (*Hebraice* ולשעבדני *Et servituti me subjiciendi*) omnibus inter despondentes convenientibus conditionibus, tum de tempore & termino nuptiarum, & reliquis rebus omnibus in Italia consuetis, tum de summa dotis, cæterisque omnibus, prout Deus ipsi gratiam daturus est, & bonum ipsi videbitur: In omnibus, & per omnia, erit manus ejus sicut manus mea, & os ejus, sicus os meum, & obligatio ejus sicut obligatio mea: (*Hebr.* ושעבודו כשעבודי *Et subjectio servitutis ipsius, sicut servitutis subjectio mea,*) quicquid nomine meo fecerit in negotio supra dicto, erit a me fir-

mum & ratum, perinde ac ſi ego ipſemet feciſſem illud, durabitque tempus poteſtatis hujus in manu ejus uſque ad tempus tale & tale N. N. Dixit itaque nobis teſtibus ſupra memoratis; Diploma hoc ſcribite in platea, & obſignate illud in agro, (*publice*) ne res ſit in occulto, ſed publica & nota quibuſvis; ſcribiteque & obſignate illud centenis etiam vicibus, donec egrediatur e manibus veſtris diploma factum ſecundum omnia præſcripta ſapientum noſtrorum, perveniatque in manum τῷ N. (Procuratoris) non inſtar vulgaris formulæ, vel copiæ literarum: & ex eo decernatur prompte & celeriter in quovis loco, & quovis tempore, tum in curiis & judiciis Iſraelis, tum in judiciis Chriſtianorum; & in judiciis quidem Iſraelitarum habeatur, ac ſi eſſet conforme omnibus ſtatutis & juribus Sapientum noſtrorum; in judiciis Chriſtianorum, ac ſi factum eſſet ſecundum omnia ſtatuta conſueta in atriis & curiis ipſorum, per manum Secretarii publici urbis, coram prætore & judicio: neque vel irrita reddatur, vel tollatur, vel imminuatur vis Poteſtatis hujus ulla ſpecie aut prætextu; non propter aliquid vel deficiens vel redundans in formula Sermonis, nec propter dictionem, aut literam aliquam; propter nullam lituram, vel raſuram, vel maculam atramenti; non propter ſciſſuram quæ non ſit facta in judicio; non propter ullam aliam rem in mundo; imo nec propter formulam aliquam loquendi, quæ alium ſenſum poſſit admittere: ſed omnia judicentur pro valore, utilitate, & bonitate Poteſtatis in diplomate comprehenſæ, & pro manu & nomine τῷ N. (Procuratoris) aut ejus ſubdelegati, qui ab ipſo venerit. Et ſponſionem atque cautionem omnis damni, hujus diplomatis cauſa, ſuſcepi in me juxta vim cautionum & ſponſionum omnium Contractuum, confeſſionum, & obligationum (*Hebr.* שעבודים *Servitutis ſubjectionum*) conſuetarum inter Iſraelitas, factarum accuratiſſime ſecundum omnia requiſita Sapientum, & ſecundum conditiones filiorum Gad & filiorum Ruben. Inſuper in præſentia noſtra, teſtium nimirum, renuntiavit ὁ N. (Poteſtatem largiens) omnibus aliis confeſſionibus ſuis, & confeſſionum confeſſionibus, &c. in infinitum, quas vel tradiderit jam, vel traditurus ſit & tradere poſſet contra hoc diploma, a die hoc & uſque in perpetuum, omnibus optimis formis, quas Rabbini noſtri habent, quibus omnes obligationes vel confeſſiones, & conditiones abrogantur. Hæc emtio (tradita eſt) e manu τῷ N. (Poteſtatem largientis) in manum τῷ N. (Procuratoris) prout fieri decet, die & menſe ut ſupra. Omniaque hæc ſint firma & rata.

Nomina teſtium, N. N.
N. N.

נוסח שטר שירוכין

אלה דברי הברית אשר כרתו ובאו בפשרה אחת יחד המפואר ר׳ ° פלו׳ מורשה כנמ״ר פלו׳ ° כנראה בשטר הרשאה ועשה בכל תקון ח״ל כך לחרש פלו׳ למנין שאנו מונין פה ויניציאה וחתום שטר הרשאה הנ״ל ° מיד פלו׳ ופלו׳ על אודות הבחורה מרת פלו׳ ° להשיאה אל הבחור כמ״ר פלו׳ ממקום פלו׳ ובעה נבאר ונפרש פרטי התנאים אשר התנו ביניהם החלקים הנ״ל א׳ לא׳ למצוא חשבון ואל ישראל יצו את ברכתו במעשה ידיהם ויזכו לראות בבנים זרע ברוכי ה׳ : ואלה התנאים ראשונה וכו׳ שנית וכו׳ שלישיה וכו׳ רביעית וכו׳ עד שירצה ואלו הם הדברים אשר דברו באזנינו אותנו ח״מ כמ״ר פלו׳ וכמ״ר ° פלו׳ ואותנו צוו להעלות על ספר מזכרת מאת כל פרטי תנאיהם למען לא תחיה האמת נעדרת וחפץ ה׳ בידם יצלח: וכך אמרו לנו עדים ח״מ כמ״ר ° פלו׳ הנ״ל וכ״מר פלו׳ הנ״ל שטר פרטי תנאים אלו כתבוהו בשוקא וחתמוהו בברא כי היכי דלא ליהוי כמלתא טמירתא אלא גלוי ומפורסם לכל וכתבוהו וחתמוהו אפילו עד מאה פעמים עד דליפוק מתחות ידיכון שטר תנאי חד עשוי בכל תקון ח״ל ויעשה ממנו דין נחוץ בכל מקום ובכל זמן בין ב״די בין ברא״ה ולא יפסל ולא יגרע כח שטר זה לא מחמת חסור או יתור לשון ולא לשום סבה אחרת רק הכל יהיה נדון ליפוי ולתועלת ולזכות לחלק המקיים ותמיד יהיה ידו על העליונה ובקנס מאה דוקטי מחצית לחלק המקיי׳ וחציים לבית דין היוצא לכל אשר ימרה וימאן לבלתי הקים את כל פרטי הכתוב הזה: גם בפנינו עדים ח״מ בטלו כל א׳ מן החלקים הנ״ל כל מודעי ומודעי דמודעי ומודעי דנפקי מנו מודעי דמודעי עד סוף כל מודעי דעלמא שמסרו או שעתיד להמסר נגד שטר זה בכל לישני דאמרי רבנן דמבטלי בהון מודעי ותנאי: קנינא מן דין לדין ומן דין לדין במנא דכשר למקני ביה ומה שהיה בפנינו ח״מ היה ביום פלו׳ כך לחרש ° פלו׳ כך לפ״ק למנין שאנו מונין פה ויניציאה וכתבנו וחתמנו פה שמותינו לעדות ולזכות ולראיה לכל זמן המצטרך לחלק המקיים ולתוספת חזוק יחתמו החלקים הנ״ל את שמם אחרי חתימתנו והכל שריר וקים:

ואחר זה יחתמו העדים ובעל התנאי הנזכר:

FOR-

FORMULA DIPLOMATIS

Deſponſationis privatæ.

HÆC ſunt verba fœderis, quod pepigerunt, & de quo transegerunt, Ornatiſſimus Rabbi N. Procurator, & Dominus N. (*Principalis, poteſtatem largiens*) uti videre eſt in Diplomate ſuperiore facto ſecundum omnia requiſita Sapientum noſtrorum, die & menſe anni, ut hic Venetiis numeramus, & a teſtibus N. N. ſubſignato, propter Virginem Martham N. ad deſponſandam eam Juveni N. N. ex loco N. Quod itaque bono fiat omine, explicabimus conditiones particulares, de quibus convenerunt partes ſupra nominatæ, ſigillatis, eaſque numeris comprehendemus. Deus Opt. Max. præcipiat benedictionem ſuam in opera manuum ipſarum, digneturque eos, ut videant filios, ſemen benedictiorum a Domino: Hæ autem ſunt conditiones, 1. 2. 3. 4. & quouſque illis viſum fuerit.

Hæc autem ſunt verba, quæ loquuti ſunt audientibus nobis infra ſubſignatis, Dominus N. & Dominus N. nobiſque mandarunt, memoriæ cauſa ſcripto conſignare omnes illas conditiones ſpeciales, ne veritas teſtimonio deſtituatur, ſed voluntas Domini in manu ipſorum proſperetur. Sic ergo dixerunt nobis teſtibus infra ſubſignatis, Dominus N. & Dominus N. ſupra commemorati; Diploma particularium conditionum harum ſcribite in platea, & obſignate illud in agro, ne res ſit in occulto, ſed publice nota omnibus: deſcribite quin etiam & ſubſignate illud etiam centies; donec egrediatur e manibus veſtris Diploma conditionum unum, factum accurate ſecundum omnia requiſita: ſecundum illud pronuntietur ſententia promte in omni loco, & omni tempore, tam in Curiis Iſraelitarum, quam Chriſtianorum: neque illegitimum reddatur, vel diminuatur vis hujus diplomatis, propter aliquam redundantiam vel defectum in formulis, nec propter ullam aliam cauſam, ſed omnia judicentur pro bonitate, commoditate & utilitate partis (conditiones) ſervantis, cujus manus ſemper ſit ſuperior; idque ſub mulcta centum ducatorum, cujus dimidium cedat parti ſervanti, alterum dimidium, domui judicii, quod illud exiget a quovis qui contra egerit, & ſtare noluerit omnibus comprehenſis ſcripto hoc. Quin & in præſentia noſtra, quævis contrahentium pars aboleverunt & abrogarunt omnes confeſſiones, & obligationes, in infinitum, ſi quas vel jam dederint, vel daturi ſint, repugnantes diplomati huic, omnibus optimis formis, quibus hæ aboleri & irritæ pronuntiari ſolent a Rabbinis noſtris. Atque hic mutuus contractus, factus legitime, quæque reliqua coram nobis ſubſcriptis peracta ſunt, acta ſunt die N. menſis N. juxta ſupputationem minorem, qua numeramus hic Venetiis, ſubſcripſimuſque & ſubſignavimus nomina noſtra in teſtimonium, confirmationem, & probationem, qua omni tempore uti poſſit, ſi neceſſitas exigat, pars ſervans: quin & majoris certitudinis & confirmationis loco, ſubſignabunt etiam partes contrahentes commemoratæ nomina ſua, poſt ſubſignationem noſtram. Omnia ſunto rata & firma.

N. N.
N. N. &c.

נוסה שטר אירוסין

בכך כשבת בכך ימים לירח ° פלו׳ שנת כך וכך לבריאת עולם למנין שאנו מונין וכו׳ בן ° פלו׳ אמר לה ° לפלונית בת פלו׳ הוי לי ארוסה כדת משה וישראל ויהיבנא ליכי מוהר בתולייכי כסף זוזי מאתן דחזו ליכי מדאוריתא וצביארת ° פלונית דא והוות ליה לארוסה וכן חתנה לפלונית ארוסתו לכתוב לה כתובתה בימי נישואיה כך וכך אמר ° ופלו׳ דנן אחרת שטר אירוסין זה קבלתי עלי ועל יורשי אחרי לפרוע שטר אירוסין זה ואפילו מן גלימא דעל כתפאי כחיים ובמות וקבל עליו פלו׳ ° זה אחריות וחומר שטר ארוסין זה כאחריות וחומר כל שטרי ארוסין די נהיגין בבנות ישראל וקנינא מיד ° פלו׳ ליד פלו׳ בכל מה דכתיב ומפרש לעיל וכו׳:

DIPLOMA DESPONSATIONIS

Publicæ & Solennis.

IN tali ſabbato, tali die, menſis N. Anni talis & talis, a Creatione mundi, juxta ſupputationem, qua nos utimur, &c. teſtatum facimus, qua ratione N. filius τῦ N. dixerit τῦ N. filiæ τῦ N. Eſto mihi deſponſata juxta ritum Moſis & Iſraelis, & do tibi dotem virginitatis tuæ, in pecunia ducentos florenos, quæ tibi debentur ex Lege; & acquievit iſta Virgo N. fuitque ei deſponſata. Similiter etiam pactus eſt cum illa ſponſus ejus, ſe dotem debitam quoque ipſi ſcripturum in die Nuptiarum. Sic & ſic dixit ὁ N. iſte; Cautionis loco diploma hoc ſponſalium recepi in me, & pro hæredibus meis poſt me, ſolvendo iſtud diploma, etiam ex (pretio) pallii mei, quod eſt ſuper humeros meos, in vita & in morte: atque ita recepit N. (ſponſus) iſtam obligationem vel cautionem, gravita-

vitatemque diplomatis hujus, ſecundum cautionem & valorem quorumvis diplomatum ſponſalitiorum, conſuetorum inter filias Iſraelis: contractuſque hic factus eſt ſecundum omnia ſupraſcripta, &c.

נוסח שטר כתובה

ברביעי בשבת בכך לחדש פלו׳ ° כך וכך לפ״ק למנין שאנו מונין פה ויניציאה מתא אריתבא על נהרי פלו׳ ופלו׳ איך כמ״ר פלו׳ ° יצ״ו אמ׳ לה למרת פלונית בתולתא ברת כמ״ר פלו׳ הוי לי לאנתו כדת משה וישראל ואנא אפלח ואוקיר ואזון ואפרנס יתיכי כהלכות גוברין יהודאין דפלחין ומוקרין וזנין ומפרנסין לנשיהון בקושטא ויהיבנא ליכי מחר בתוליכי כסף זוזי מאתן דחזו ליכי מדאורייתא ומזונייכי וכסותייכי וספוקיכי ומועל לותיכי כאורח כל ארעא וצביאת מרת ° פלונית בתולתא דא והות ליה לר׳ ° פלו׳ חתן דנן לאינתו והא נדוניא דהנעלת ליה בין בכסף בזהב בין בתכשיטין בין בשימושי דירה בין בשמושי ערסא סך הכל קבל עליו ר׳ פלו׳ חתן דנן בסך כך וכך דוק״אטי מהשמש טבי ותקולי וצבי ר׳ פלו׳ חתן דנן ואוסיף לה הן דיליה סך כך דוק״אטי מהשמש טבי ותכולי במתנה כי היכי דלהוו לה בין הכל סך ° כך דוק״אטי מהשמש טבי ותקולי בכתובתה וכך אמר לנא ר׳ ° פלו׳ חתן דנן אחריות וחומר שטר כתובתא דא קבולית עלי ועל ירתאי בתראי לאתפרעה מן כל שפר ארג נכסין וקנינין דאית לי תחות כל שמיא דקנינא ודעתיד אנא למיקני נכסין דאית להון אחריות ואגבן דלית להון אחריות כלהון יהון אחראין וערבאין למפרע מנהון שטר כתובתא דא קבילית עלי ועל ירתאי בתראי בבחריות ובחומר כל׳ שטרי כתוגות דנהיגי בבנות ישראל העשויים כתקון חז״ל מן יומא דנן ולעלם דלא כאסמכתא ודלא כטופסי דשטרי וקנינא מן ר׳ פלו׳ חתן דנן למרת ° פלונית בתולתא דא על כל מה דכתיב ומפורש לעיל במנא דכשר למיקני ביה והכל שריר וקים:

EXEMPLAR LITERARUM DOTIS.

DIE quarto Septimanæ, qui eſt N. menſis N. Anni N. juxta ſupputationem, qua hic Venetiis numeramus, urbe ſita ad fluvios N. N. Præſtantiſſimus D. N. (quem Deus & redempror ejus cuſtodiat) dixit Marthæ N. Virgini, filiæ τῷ N. Eſto mihi in uxorem, ſecundum ritum Moſis & Iſraelis; ego vero colam, honorabo, nutriam, & ſuſtentabo te, ſecundum conſuetudinem Virorum Judæorum, qui colunt, honorant, nutriunt, & ſuſtentant uxores ſuas, in veritate, & do tibi dotem virginitatis tuæ in pecunia ducentos florenos, qui tibi ex Lege debentur, alimenta item tua, veſtimenta tua, & ſufficientiam tuam (cætera neceſſaria): conſuetudinem item, ſecundum viam omnis terræ: Ad hoc Martha N. Virgo iſta, acquievit & conſenſit, fuitque ipſi D. N. Sponſo huic in uxorem. Hæc vero eſt Dos quam illa attulit ad ipſum N. N. tum in argento, tum in auro, tum in ornamentis, tum in ſuppellectile domeſtica, & lectorum: quam ſummam totam accepit ſuper ſe D. N. Sponſus iſte, in tali & tali ſumma ducatorum ſolarium bonorum & juſti ponderis, cui ipſe de ſuo addidit ei talem & talem ſummam ducatorum ſolarium bonorum & juſti ponderis, pro donatione, ita ut (ſponſa) habeat in univerſum talem ſummam ducatorum ſolarium bonorum & juſti ponderis, in Dote ſua. Porro ſic nobis dixit Dn. N. Sponſus iſte; Hanc cautionem & gravitatem (vim, valorem) literarum harum dotalium recepi ego pro me & meis hæredibus, me ſoluturum ex omnibus optimis meis facultatibus, quas ſub toto cœlo habeo, & quas ſum comparaturus. Facultates tam illæ, quæ habent reditum vel certam cautionem (quales ſunt fundi & bona immobilia) quam illæ, quæ non habent (ut ſunt bona mobilia); omnes illæ erunt oppigneratæ & hypothecæ nomine datæ, ut ex illis ſolvatur ſcriptum hoc dotale. Ita recepi pro me, & pro hæredibus meis poſt me, ſecundum cautionem, vim & efficaciam omnium literarum dotalium, uſitatarum inter filias Iſrael, factarumque ſecundum omnia requiſita Sapientum noſtrorum, a die hoc in ſeculum, non tanquam vulgarem epiſtolam, vel apographum literarum. Sic ſpondetur a Dn. N. ſponſo, ipſi Marthæ N. Virgini huic, ſecundum omnia ſupra ſcripta & expoſita, prout legitime id fieri oportet: Omniaque ſunt rata & firma.

נוסח שטר גט

בשלישי בשבת בתשעה ועשרים לירח
מרחשון שנת חמשה אלפים
ושמנה עשרה לבריאת עולם למנין שאנו
מנין כאן בפאריש מתא
דיתבא על נהרי שיינא ובייברא אנא פלוני
דמתקרי פלו׳ בר ר׳ פלו׳
הכהן העומד היום בפריש מתא דיתבא
על נהרי
שיינא ובייברא צביתי ברעות נפשי בדלא
אניסנא ושבקית
ופטרית ותרוכית יתיכי ליכי אנת אבת אנתתי
פלונית דמתקריא
פלונית ברת ר׳ פלוני הכהן דהוית אנתתי
מן קדמת דנה וכדו
פטרית ושבקית ותרוכית יתיכי ליכי די תיהויין
רשאה ושלטאה
בנפשיכי

בנפשיכי למחך להתנסבא לכל גבר די תיצביין ואנש
לא ימחא בידיכי מן יומא דנן ולעלם והרי את מותרת לכל אדם
ודן די ידוי ליכי מינאי ספר תרוכין ואגרת שבוקין וגט פטורין
כדת משה וישראל:

EXEMPLAR LIBELLI REPUDII.

TErtio (die) Septimanæ, vigesimo nono mensis Octobris, Anni quinquies millesimi & decimi octavi, a Creatione mundi, juxta supputationem, qua nos numeramus Parisiis, urbe sita ad fluvios Sequanam & בייברא, ego N. qui vocor N. filius R. N. Sacerdotis, habitans hoc tempore Parisiis, urbe sita ad fluvios Sequanam & בייברא, volui voluntate libera animi mei, sine coactione, & repudiavi, dimisi, atque expuli Te, Te, inquam, uxorem meam, quæ vocaris N. filia R. N. Sacerdotis, quæ fuisti antehac uxor mea: nunc vero repudio, dimitto, & expello Te, Te, inquam, ut facultatem potestatem habeas, pro lubitu tuo, abeundi & nubendi omni viro cui volueris, nec quisquam possit impedire manum tuam, a die hoc & usque in sæculum; atque sic ecce permissa es cuivis. Et hic sit tibi a me libellus expulsionum, & literæ repudii, & diploma dimissionis, juxta ritum Mosis & Israelis.

ISAACI ABARBENELIS
DISSERTATIO
De כרת sive Excidii Pœna, cujus frequens in Lege mentio;

Excerpta ex Commentario ejus in Legem,
ad Num. cap. xv. vers. 30.

ואמנם מהו הכרת שזכרה התורה במקום הזה ובמקומות רבים אחרים ראיתי להרחיב בו הביאור כי יש בו דעות חלוקות לחכמינו ז'ל וכלם לא ימלטו מן ספקות: ואחשוב שהקרה השם לפני דעת ישר ונכון בדרוש הזה: ואומר שהגאון רב סעדיה אומר שחופש שזכרה התורה ונכרתה הנפש ההיא ונכרתו הנפשות העושות: הוא שם נאמר על הבשר והגוף ושהוא על דרך נפש כי תגע בכל טמא והנפש אשר תאכל כל דם נפש כי תאכל כל נבלה שמבואר הוא שהנפש אינה אוכלת דם ולא נבילה ולא דבר אחר: ואינה נוגעת בכל דבר טמא: אבל הנפש הנאמר כאן הוא הגוף כמו שנ'כ יאמר שם בשר על הנפש יבא כל בשר להשתחוות לפני ויברך כל בשר כי ההשתחואה והברכה וההלול לא תפול) על הבשר כי הם מפעולות הנפש ומסכים לזה כתב הרא"בע כאן על הכרת תכרת הנפש ההיא ו"ל הנפש אינה הנפש המשכלת כדברי תועי רוח רק הוא חבור הנפש עם הגוף עד כאן: ולפי זה יהיה העתם שענין הכרת הוא קצור ימי החוטא ומיתתו קודם קצו בעולם הזה לא דבר אחר: ויתחייב מזה שיהיה ענין הכרת הוא עצמו ענין המיתה בידי שמים וכן נראה מדברי הגאון שאין הפרש ביניהם כלל: והדעת הזה הוא בלתי נכון לפי שבפרק אלו הם הנשרפים מנו חכמינו זכרונם לברכה אותם שמיתתם בידי שמים אחד לאחד אבל לא זכרו בכללם אחד מכל הלו כריתות:

וכן כשמנו במשנת כריתות אותם הלו ממחוייבי מיתה בידי שמים: והוא המורה שאין ענין הכרת כענין המיתה בידי שמים: ושהם מתחלפים בעצמם ובדינם: אף שנאמר שבא בתורה הנפש במקום בשר וגוף במקום נפש:

ושדברה בזה בדרך העברה והשלוח: והוא זר מאד ובנאי גדול בחקה חלילה לי מלהאמינו: ועינינו הרואות כאשר רצתה התורה לדבר באדם המורכב יקראהו בשם איש ואיך תקרא לנפש גוף ולגוף נפש:

ולכן ראוי שנחשוב שכאשר יכנה הכתוב את האדם בשם נפש אינו אלא להיות האזהרה או הצווי או הספור ההוא בבחינת הנפש המשכלת וכ'ש שאמר הנפש האוכלת את הדם או אשר תגע בכל טמא לא אמר נפש אלא בבחינת הנפש השכלית המיוחדת באדם במה שהוא אדם: האמנם מפני שיש עונו' אשר יעשה אותם האדם מפני רוע אמונותיו והפסד דעותיו עם היות העונות ההם מעשים גשמיים יתלה אותם הכתוב בנפש לפי שהיא הפועלת אותם ברוע דעותיה ואמונותיה כי הנה האוכל את הדם אין ספק שיעשה זה להיותו נמשך אחרי הדעת הנפסד שרוח הדים כרוח הבהמה ושנושאו הוא הדם וכדי להסיר הדעת הזה אסרה

אסרה התורה אכילתו : ולכן באה אזהרתו בשם נפש : וכן הענין בטמא האוכל בקרשים או הנכנס טמא במקדש שבאה אזהרתו בשם נפש לפי שאם היתה הנשמה ההיא חוששת על קרושת המקרש ומאמינה שרות השכינה שמה שהרברים הנקרבים לגבוה היו מקורשים בעצמם לא היתה עושה כן : הנה אם כן נתלו העונות ההם במקום הפעולות ושרשם שהיא הנפש ואליה ייוחס העונש כמו שאמר הנפש החוטאת היא תמות נראה לי להיות כל זה כפי חוזק אמונתה וחו שתה : ולפי שירדה תורה לסוף דעתו של אדם שלא היו העונות ההם מתוקף היצר והתגבורת התאוה אלא מפני שנכנס בו רוח שטות או רוח אפיקורוסות המיוחס לנפש : וכן נמנו בני יעקב ועם אלהי אברהם : ובהפך נאמר באומות הסכלות ונפש אדם מן הנשים לא תחיה כל נשמה לפי שבהיותם חטאים בנפשותם נתחייבו להרוג ולאבד הנה א"כ מה שזכרה התורה בשם נפש הוא מאמ' מרוייק בלי ספק ולא נאמר הכרת על הנפש החיובית כרברי הראב"ע כי בירוע הוא שתכרת ותפסר עם הגוף כפי טבעה והיה כצריק כרשע אלא על הנשמה השכלית שבחרה באותו עון שהיא תענש עליו : אמנם שאר העונות שיעשה אותם האדם מתוקף היצר הרע והתאוו' רגשמיות וחברות בני אדם לא ייחס אותם הכתוב לנפש אלא לאיש או לאדם כי לא ייחס לנפש אלא מה שהוא מיוחס באמרת אליה לא לבשר ולגוף מה שהוא מפעולות הנפש ומה שאמר יבא כל בשר להשתחוות פני הוא כפשוטו כי הגוף הוא אשר יבא וישתחוה בפשוט ידיו ורגליו וכן ויברך כל בשר שתחלת הפסוק מורה על סופו שהוא תהלת יי' ידבר פי ויברך וכו' פי שהניף בפיו וברצונו יהלל ויברך ורמו גם כן הכתוב במאמרים האלה שלעתיד לבא בימים ההם יסיר את לב האבן מבשרם בענין שגם הגוף והבשר יהיו כל תאותיו ותכונותיו לשום שמים לבא לשחחות בבית יי' ולברך בשמו והוא על דרך כל עצמותי תאמרנה יי' מי כמוך שייחס זה לעצמות והענין בלו הכנע הכחות הנשמיות אל הנפש הנה אם כן הרעת הזה הראשון מהגאון והרא"בע בענין הכרת הוא בטל בעצמו :

כרת *Kereth*, h. e. *Excidium*, cujus Lex mentionem facit in hoc, & quamplurimis aliis locis, quid ſit, viſum eſt mihi latius nonnihil explicare. Sunt enim variæ ac diverſæ de eo ſententiæ Sapientum noſtrorum, quarum tamen ſingulæ ſua habent dubia. Exiſtimo autem, Deum mihi ſententiam rectam ac veram de hac quæſtione monſtraſſe.

Prima Sententia eſt *Rabbi Saadiæ*, qui dicit, quod *Anima*, cujus meminit Lex, quando ait, *Et exſcindetur anima illa*, vel, *Et exſcindentur animæ illæ*, *quæ fecerint hoc vel illud*, quod, inquam, in his locis *Animæ* vocabulum dicatur de Carne & Corpore, ſicut nimirum illic, *Et anima quæ contigerit ullum immundum*, Levit. 7. 19. Item, *Omnis anima*, *quæ comederit cadaver*, Levit. 17. 15. Quibus in locis Animam pro Corpore ſumi, manifeſtum eſt, quia anima nec ſanguinem, nec cadaver, nec aliam rem comedit: neque etiam contingit ullam rem immundam. Proinde *Anima* in his locis eſt *Corpus*, ſicut vice verſa Nomen *Carnis* dicitur de *Anima*: ut, *Veniat omnis caro*, *ut ſe incurvet coram me*, Jeſa. 66. 23. Item: *Benedicet omnis caro nomini ſancto ejus*, Pſal. 145. 21. Benedictio quippe & Laudatio non competunt carni: quia ſunt ex operationibus animæ. Et cum hoc conſentit, quod Aben Eſra ad hunc locum ſcribit; *Anima hic non eſt Anima intelligens*, *uti exiſtimant nonnulli vertiginoſi ſpiritus*, *ſed eſt Conjunctio Animæ cum Corpore*. Itaque mens & ſententia horum eſt, Excidium ſignificare Abbreviationem dierum peccatoris, & mortem ejus in mundo hoc, ante tempus ipſius, nec quicquam aliud. Unde etiam conſequitur, Verbo *Exſcindendi* ipſo, ſignificari *Mortem per manus Cœli*, nullaque erit inter hæc duo differentia.

Verum ſententia hæc non eſt recta, quia in Talmud, in capite quod incipit: אלו הם הנשרפים (*Sanhedrin* cap. 9.) ubi ſigillatim Sapientes (Talmudici) enumerant illos, quorum ſupplicium eſt Mors per manus Cœli, non numerant ullum ex omnibus triginta ſex delictis, quibus Lex כרת ſeu Excidium interminatur: Neque vice verſa, dum in Miſchna libri כריתות ſeu de Excidiis, recenſent triginta illa ſex Excidia, Lege denunciata, inter illa referunt vel unicum ex illis, qui rei ſunt Mortis per manus cœli. Quod ſane nos ſatis docet, τὸ *Kereth* ſeu Excidium, non eſſe Mortem per manus cœli, ſed diverſa eſſe tum in Seipſis, tum in Judiciis, h. e. pœnis ſuis.

Quod etiam dicitur; *Animam* pro *Carne & corpore*, & vice verſa, *Corpus* pro *Anima*, quodque Lex hic loquatur Tropice; id alienum eſt prorſus, & procul a Legis mente, nobis nequaquam credendum. Oculi enim noſtri vident, quando Lex vult loqui de Homine compoſito, illam uti vocabulo *Viri*, quomodo itaque vocaret Corpus Animam, & animam *Corpus*? Unde dicendum eſt, quod cum Lex Hominem cognominat nomine *Animæ*, illud nihil aliud ſit, quam Admonitio, aut Præceptum, aut Narratio, reſpiciens Animam Intelligentem; ac proinde multo magis quando dicit; *Anima comdens ſanguinem*, aut *cadaver*, &c. non dicit

dicit illud nisi respectu Animæ intelligentis, homini propriæ, quatenus est Homo.

Quia ergo sunt Iniquitates quædam, quas committit homo ex malitia fidei suæ, & corruptione sententiarum suarum quas tenet, licet illæ iniquitates sint opera corporalia, suspendit eas Scriptura ab Anima; quia illa est Caussa efficiens illarum, per malitiam sententiarum suarum quas tenet, & rerum quas credit. Nam ecce, qui Comedit Sanguinem, non est dubium quin illud ideo faciat, quia sequitur sententiam istam corruptam, quod Spiritus hominis, sit sicut Spiritus bestiæ, quodque subjectum ejus sit Sanguis. Ad tollendum itaque sententiam istam, prohibuit Lex comedere Sanguinem: & ideo venit Prohibitio ejus sub nomine *Animæ*. Eadem est ratio Immundi, comedentis Res sanctas, aut ejus qui immundus ingreditur in Sanctuarium, quorum Prohibitio itidem venit sub nomine *Animæ*. Nam si anima illa sollicita esset & cogitaret de Sanctitate Sanctuarii, crederetque, Spiritum Majestatis Divinæ illic esse, atque Res oblatas Altissimo esse Sanctas in se, nunquam ita faceret. Unde concludimus, Iniquitates illas poni loco Actionum, & Radicis earum, quæ est Anima, eique attribui Pœnam, sicut dicitur; *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur, Ezech.* 18. *vers.* 4. 20. Unde mihi videtur, hæc omnia ita dici vel efferri, respectu vel Fortitudinis, vel Debilitatis fidei ipsius (sc. animæ); & quia Lex descendit ad imum quasi animi vel mentis Hominis; quod iniquitates illæ non patrentur a Vi Concupiscentiæ & cupiditatis, sed quod Hominem ingressus sit Spiritus aliquis Stultitiæ, aut Profanitatis, quæ attribuitur Animæ. Sic numerantur Filii Jacobi, *Septuaginta Animæ*, quia ratione Animæ illi fuerunt Filii Jacobi, & Populus Dei Abrahami. Contra dicitur de Populis Stultis; *Et animarum hominis de mulieribus, &c.* Numeror. 31. vers. 35. Item, *Non vivificabis ullam animam*, Deuteron. 20. vers. 17. quod, peccatores existentes in animabus suis, digni sint, qui perdantur & occidantur.

Itaque, quod hic Lex mentionem facit *Animæ*, sine dubio singulari accuratione & studio ita loquitur, neque utitur verbo Excidendi de Anima vitali, ut vult Aben Esra: quia de illa constat, quod exscindatur & corrumpatur una cum corpore, secundum naturam suam, &, quod ejus respectu, eadem sit conditio Justi & Impii; sed de Anima intellectuali, quæ suo arbitrio elegit illam iniquitatem, propter quam punitur.

Reliquas autem iniquitates, quas committit homo ex parte Concupiscentiæ suæ malæ, & Cupiditatum corporalium, vel ex Conversatione mala; illas non attribuit Scriptura Animæ, sed Viro, aut Homini: Animæ enim nihil attribuitur, nisi quod revera ei, non Corpori aut Carni competit, quod vere est ex operationibus Animæ. Quod autem dicitur; *Veniat omnis caro ad se incurvandum coram me*, Jesa. 66. 23. id secundum literam est intelligendum: Corpus enim est quod venit, & quod se incurvat, per expansionem manuum & pedum suorum: Sic, quod dicitur; *Benedicet omnis caro nomini Sancto ejus*, Psalm. 145. 21. initium illius versus docet de fine ejus, quod est; *Laudem Domini loquetur os meum, & benedicat, &c.* Sensus enim est; quod Corpus Ore suo, & voluntate sua, vel sponte sua laudaturum sit, & benedicturum. Præterea indicare etiam vult Scriptura dictis illis, quod tempore futuro, in diebus illis, Deus remoturus sit cor lapideum a carne ipsorum, adeo ut etiam omnes Cupiditates, & dispositiones Corporis & Carnis sint futuræ ad gloriam Dei, ad incurvandum in domo Domini, & benedicendum Nomini ipsius; estque; juxta illud; *Omnia ossa mea dicent, Quis sicut tu?* Psalm. 35. 10. ubi hoc idem attribuitur *Ossibus*, quod omnes facultates corporales Animæ sint subjiciendæ, vel subjectæ futuræ.

Quo circa, cum hæc omnia ita sese habeant, sententia hæc prima Rabbi Saadiæ Gaon, & R. Aben Esræ, futilis est & vana.

והרעת הב׳ הוא לרשי שכתב שהכרת שורעו נכרת וימיו נכרתים כמו שכתב בפרשת מילה ובפרשת המעלה בחוץ: והוא וס כן בריש מסכת כריתות:
וכפי דבריו אלה כל כרת הוא ערירי שימות בלי בנים: ויובדל גם כן הכרת מהמיתה בידי שמים כשהמיתה היא לחוטא בלבד והכרת הוא גם כן לזרעו וכבר הקשו התוספות בריש מסכת יבמות על רשי בזה ונמנו וגמרו כל אותם החכמים שנזכרו שמה שאין בכרת כריתת הזרע אלא בשתים מהעריות שאמרה התורה בהם בפיר׳ ערירי וכבר נזכר זה גם כן בתוספות בפרק במה מדליקין וכן הוא דעת הרמבם והרמבן חלוקים על רשי: וגם הסברא תורה עליו לפי שאם היה החוטא אדם עקר בטבעו יתחייב שלא יפול בו הכרת כי קודם שחטא כבר היה ערירי בטבעו:
או אם חטא אחרי היותו בן שמונים שנה איך נאמר שלא יגיע אליו מהעונש בזקנתו ויענשו בניו הגדולים שלא חטאו: וגם התחייב לרב ספק אחר והוא שיהיה עונש

הכריתות שוה בהיות ביניהם הפרש גדול
בחומרת החטא וקלותו:

Secunda Sententia, eſt *Rabbi Salomenis Jarchii*; qui vult *Excidium* de illis dici, quorum Semen exſcinditur, una cum Vita & diebus ipſorum; ſicuti eam explicat in Sectione מילה h. e. de Circumciſione. *Geneſ.* cap. 17. & de offerente extra, *Levit.* 17. verſ. 9. & in principio Tractatus Talmudici Kerithut. Itaque juxta ejus mentem *Exſcindi*, dicitur ille, qui moritur abſque liberis: & diſtinguitur quoque *Kereth*, ſive *Excidium*, a Morte per manus cœli: quia Mors iſta infligitur tantum Peccanti; Excidium extenditur quoque ad Semen ejus.

Contra R. Salomonem hic jam ſe oppoſuerunt Additiones Talmudicæ, in principio Tractatus Jevammoth, & unanimiter decreverunt & concluſerunt omnes Sapientes, qui enumerantur illic, quod in *Kereth*, ſive *Excidio*, non ſit Exciſio ſeminis, niſi in duobus illis congreſſibus inceſtuoſis ſive illicitis, in quibus Lex diſerte vocem illam ערירי h. e. *Sine liberis*, uſurpat. Idem hoc quoque repetitur in Additionibus Talmudicis, in capite במה מדליקין (*Tract. de Sabbatho* c. 2.) Quin & Rabbi Moſes ben Majemon, & Rabbi Moſes bar Nachman diſſentiunt a R. Salomone. Sed & ipſa Ratio idem docet: Nam ſi peccans eſſet ſterilis natura ſua, ſequeretur, Excidium nullum in ejus perſona habiturum locum: quia antequam peccat talis, jam natura ſua eſt ערירי liberis orbatus: aut, ſi quis peccaret poſt octogeſimum annum, quomodo dici poſſet, quod ad illum non pertineat iſta pœna in ſenectute, & puniendos eſſe liberos ejus adultos, qui non peccarunt? Denique, ſequeretur etiam ex ejus ſententia, pœnam τȣ̃ *Kereth* eſſe æqualem in omnibus; cum tamen magna ſit inter illa differentia, pro ratione gravitatis vel levitatis delicti.

והדעת הג׳ הוא לתוספות במקום הנזכר
שאמרו שהיה ההפרש בין המחוייבי כריתות
למחוייבי מיתה בידי שמים כשהיה הכרת
לחמשים שנה והמיתה לאחר ששים שנה
ואמרו שכך הוא בירושלמי שהכרת הוא
לחמשים שנה ומפיק ליה מן אל תכריתו
את שבט משפחות הקהתי ועבודתם היתה
לחמשים שנה והמיתה בידי שמים היא
לששים שנה כמתי המדבר: וכבר התחייבו
לדעה הזה גם כן ספקות אם מדרך הסברא
לפי שהאדם שבבחרותו אכל כל מחמצת
בפסח או שאכל כל חלב וכל דם או בעל
העריות וטמא את המקדש אם היה הכרת
מוגבל לחמשים שנה ימצא חוטא נשכר
שיגיע בהכרת לחמשים שנה ואם מדבריהם
ז״ל לפי שבמסכת יבמות שנינו חמשים זו
מיתת כרת: חמשים ושתים זו מיתתו של
שמואל הרמתי: ששים זו מיתת כל
אדם: אמר מר זוטרה מאי קראה תבא
בכלח אלי קבר בכלח הכי הוו: ואם מיתת
ששים זו מיתת כל אדם איך יאמרו שהיא
מיתה בידי שמים ואם אמרו שזה יובן
כשימות קודם עתו: הנה לזה אין צריך
הגבלת זמן כי לפי רוב השנים וכפי מעוטם
יהיה נכרת כל מי שימות קודם זמנו וכן בידי
שמים: גם יתחייב על הדעת הזה הספק
הקודם והוא שבהיות הכריתות מתחלפות
חלוף גדול בחמרת החטא וקלותו יהיה ענשם
שוה מבלי חלוף: וזה לא יתכן בחק היושר
האלהי:

Sententia Tertia eſt *Additionum Talmudicarum*, in loco commemorato, ubi dicunt, fuiſſe differentiam inter Reos Excidii & Reos Mortis per manus Cœli, quod *Kereth* ſeu *Excidium*, ſit uſque ad Annum quinquageſimum; *Mors per manus cœli*, poſt quinquageſimum annum. Dicunt ſic extare in Talmud Hieroſolymitano, quod Excidium ſit uſque ad annum quinquageſimum, idque probari ex eo quod dicitur; *Ne excidatis tribum familiarum Kehathitarum e medio Levitarum*, *Numeror.* 4. verſ. 18. Cultum enim ſeu miniſterium illorum duraſſe uſque ad annum quinquageſimum; Mortem vero per manus Dei eſſe poſt annum quinquageſimum, uſque ad ſexageſimum, ſicut mortuorum in deſerto.

Verum ex hac quoque ſententia ſequuntur varia dubia, tum ex vi rectæ Rationis, tum ex Dictis Rabbinorum.

Ex Ratione; Nam, ſi Ex. gr. homo in Juventute ſua comederit Fermentum in Paſchate, vel Adipem & Sanguinem: aut, ſi duxerit aliquam Lege ſibi prohibitam: aut, ſi polluerit ſanctuarium; & *Kereth* ſive Excidium determinatum ſit uſque ad quinquageſimum annum; tum Peccator hujuſmodi conductus quaſi erit, ut neceſſario ad quinquageſimum uſque annum pertingat.

Ex *Verbis* etiam *Rabbinorum ſeu Talmudicorum* oriuntur circa hanc ſententiam dubia. Nam in Tractatu Jevammoth legimus; *Quinquageſimo anno eſt mors Excidii: quinquageſimo ſecundo, fuit mors Samuelis Ramathæi: ſexageſimo anno eſt mors omnium* (plerorumque) *hominum*. *Dixit Mar Sutra, quænam hujus rei probatio eſt ex Scriptura?* (Id ubi dicitur;) Ingredieris בכלח (*Jobi* 5. verſ. 26.) in ſenectute ſepulchrum; בכלח (*in ſenectute*) id eſt, *anno ſexageſimo*; quia hæc vox in numeris valet *ſexaginta*. (Legitur hoc in *Moed Katon* fol. 28. 1.) Et, ſi mors in anno ſexageſimo eſt mors communis omnium

nium hominum, quomodo dicunt, quod sit Mors per manus cœli? Quod si dicant, hoc ita intelligendum, quod si sc. moriatur ante tempus suum; dico, sic non opus fore determinatione certi temporis: quia pro ratione ætatis vel provectioris, vel minus provectæ, excindetur, quisquis morietur ante tempus suum. Præterea sequitur ex hac sententia etiam præcedens dubium, quod cum Excidia sint diversa, magnaque sit inter illa differentia, pro gravitate vel levitate peccati, sic inter pœnam illius nulla foret differentia, quod æquitati & justitiæ Divinæ non est congruum.

והדעת הד׳ זכרו גם כן בתוספות במקום הנזכר והוא שהכרת יבחן כפי ימי החולי כי כאשר ימות האדם ביום הג׳ מחליו יהיה נכרת מעמו וכן הוה בלשון הגמרא בפרק ואלו מגלחין באותה ברייתא תנו רבנן מרת פתאום זו היא מיתה חטופה: יום אחד זו היא מיתה דחופהי ר׳ חנינא בן גמליאל אומר זו היא וכו׳ ולפי זה יהיה ההפרש בין הכרת למיתה בידי שמי׳ שמיתה בידי שמים בבחינ׳ השנים והכרת הוא בבחינ׳ ימי החולי: וגם הדעת הזה בלתי נכון הוא אם מדרך הסברא לפי שהמוכן למות בחליו מה יתן לו ומה יוסיף לו שיארך חליו ויהיו כל ימיו מכאובים על מטתו למעצבה ישכב הלא טוב לו שיתמעט צערו וחליו וימות מהרה כי הנה לתקן עניני נפשו ותשובתו די לו לשלשה ימים: והמשנה אמרה שוב יום אחד לפני מיתתך: והנה חסידי ישראל ונביאיהם לא האריכו ימים בחלייהם ויעקב אבינו יוכיח שמיד כשחלה ברך בניו: ונאמר ויכל יעקב לצוות את בניו ויאסף רגליו אל המטה ויגוע ויאסף אל עמיו וכן באהרן ובמשה לא חלו חליים כלל: ואיך יהיה אם כן עונש הכרת שבבא קץ האדם ועת מותו הטבעי ימות ליום הג׳ למחלתו והוא הטוב לו שאפשר לו שיצערו בניו מתוך חליו ובשרו עליו יכאב ונפשו עליו תאבל:

ועוד כי אם היה הדבר כן היתה המיתה בידי שמים עונש יותר קשה מהכרת כיון שהוא בקצור שנות חיי האדם והכרת אינו אלא בקצרות ימי החולי והוא בחלוף מה שנוסדנו עליו וגם מדבריהם ז״ל שעשו הכרת לבן חמשים ומיתה בידי שמים לבן ששים: ועוד כי באותה ברייתא שזכרו המיתה כפי הימים לא כונו ז״ל שלא היה ענין הכרת אלא בימי החולי בלבד: אבל אמרו שהיה הכרת כפי ענינו בעצמו: ושימנה בו גם כן מהירות החולי לאותת הימים שזכרו: תראה זה ממה שאמרו שם רב יוסף כי הוה בר שתין עבד יומא טבא לרבנן אמר ליה אביי נהי דנפיק מר מכרת דשני מכרת דיומי מי נפק מר נקוט מיהא פלגא בידך הנה ביארו שלא היה הכרת בלבד בימים כי אם בשנים גם כן וגם ממה שאמר הכתוב כאן חכרת חכרת הנפש ההיא מבואר נגלה שהכרת הוא מן העולם הזה בקוצר שנים לא לבד בקוצר ימי החולי:

הלא אלה הד׳ דעות שזכרתי לך עד פה כלם השתתפו כשענין הכרת הוא לגוף בלבד בעולם הזה ושאינו מגיע דבר ממנו לנפש ואתה הראית לדעת הספקות שיתחייבו לכל אחד מהדעות האלו:

Sententia Quarta est cujus etiam in Additionibus Talmudicis, loco allegato, fit mentio, videlicet; *Quod* Kereth probetur ex numero dierum morbi. Nam si homo die tertio morbi sui moriatur, dici eum *Excisum a populo suo*. Sic loquitur Gemara, in capite, ואלו מגלחין, (*Moed Katon* cap. 3.) in illa Barajetha; *Tradiderunt Rabbini nostri; Si quis repente moriatur, est mors* חטופה *rapta, repentina: die primo, est mors* דחופה *impulsa, cita. R. Chanina, filius Gamalielis, dixit, hæc est, &c.* Sic inter Excidium, & Mortem per manus Dei, hæc erit differentia, quod Mors per manus cœli, dignoscatur ex notione annorum; Excidium vero ex notione dierum morbi.

Sed neque hæc ratio recta est.

Nam *primo*, si quis sit ordinatus ad mortem in morbo suo, quid ei proderit si diu protrahatur morbus ejus, si omnes ejus dies sint dolorum pleni, si diu super lecto suo in dolore decumbat? Annon satius ei erit, si diminuatur dolor & morbus ejus, & si celeriter moriatur? Nam ad ordinandas vel disponendas res animæ suæ, & pœnitentiam agendam, sufficit ei trium dierum spatium. Imo Mischna dicit; *Pœnitentiam age die uno ante mortem tuam*. Sancti Israelis, & Prophetæ olim non diu languerunt in morbis suis. Jacobus Patriarcha, quamprimum ægrotare cœpit, benedixit filiis suis: *Et cum absolvisset benedicere*, legimus, *quod collegerit pedes suos in lectum, obierit, & aggregatus sit ad populum suum*, Genes. 49. vers. 33. Sic de Aharone & Mose non legimus, quod ullo morbo laborarint, aut extincti sint. Itaque, quomodo Pœna excidii hæc esse poterit, quando homo, cujus tempus mortis naturale & terminus vitæ advenit, moritur tertia morbi sui die; cum hoc ipsi bonum sit? quod si enim diutius protraheretur morbus, liberi ejus majori mœrore, ipsius caro majori dolore, anima denique ejus majore luctu, afficerentur.

Deinde, si res ita esset, tum Mors per manus cœli pœna esset durior Excidio; eo quod illa fiat per Abbreviationem annorum vitæ hominis; Excidium vero nonnisi per abbreviationem dierum morbi; quod

quod contrarium eſt ei, quod nos pro fundamento hic habemus & ponimus.

Sed neque cum Verbis Rabbinorum congruit hæc ſententia. Nam illi determinarunt vel aſſignarunt Excidium Quinquagenario; Mortem per manus cœli, Sexagenario.

Præterea, in illa Barajetha, ubi meminerunt Mortis diverſæ, ſecundum numerum dierum, non hoc voluerunt dicere, quod *Kereth*, ſive Excidium non ſit, niſi tantum reſpectu dierum morbi: ſed dicunt, quod Excidium, quod ſuam habet peculiarem rationem, etiam aliquando fiat per celeritatem morbi, ad illos uſque dies, quorum meminerunt. Apparet hoc ex eo, quod ibi dicunt; *Raf Joſeph, cum ſexagenarius eſſet, fecit diem bonum* (inſtituit convivium ſolenne) *Rabbinis, eo quod egreſſus eſſet ex annis* (quibus infligitur) *Kereth; Dixit ei Avaj; Gratulamur Domino, quod egreſſus ſit ex Kereth, ſive Excidio annorum: ex Kereth vero, ſive Excidio dierum num egreſſus vel liberatus eſt Dominus?* Dixit ei, נקוט מיהא פלגא בירך *Hinc tamen collige, me dimidium ſaltem evaſiſſe* (excidium ſc. annorum). Vides, illos hic ſtatuere, quod Excidium non tantum ſit reſpectu dierum, ſed etiam annorum.

Et ex eo quod Scriptura dicit; *Exſcindendo exſcindetur anima illa*; clarum & manifeſtum eſt, Excidium vel Exciſionem eſſe ex hoc mundo, per abbreviationem annorum, non tantum per abbreviationem dierum morbi.

Atque iſtæ quatuor hactenus recenſitæ ſententiæ conveniunt in hoc, quod Excidium duntaxat referatur ad corpus in mundo hoc, nec quicquam de eo pertingat vel pertineat ad animam: ſed ſimul etiam tibi oſtenſum eſt, quænam & qualia ex ſingulis oriantur dubia.

והדעת הה׳ הוא לרב הגדול המיימוני שכתב בפי׳ המשנה אשר לו בסנהדרין פרק אלו הם הנשרפים: ואלו הם דבריו המיתה בידי שמים הוא פחות מן הכרת לפי שהמחוייב כרת ישאר עליו עונש גם לאחר המיתה כמו שנבאר בפרק שאח״ז:

והמחוייב מיתה בידי שמים נתכפר לו כשמת עד כאן: ובפרק חלק כתב ו״זל והנקמה הגדולה הוא שתכרת הנפש ותאבד ושלא תהיה חייה וקיימת והוא הוא הכרת שכתוב בתורה שנ׳ הכרת תכרת הנפש ההיא ואר״זל הכרת בעולם הזה תכרת לעולם הבא עד כאן: ואין כוונת הרב בזה להשוות ענין הכריתות כלם לכרת המגדף שאמרה התורה בלבד בו הכרת תכרת הנפש ההיא וגם לא כיון הרב בזה למה שחשבו אנשים חכמים מבני עמינו שיהיה בענין כרת הנפש מדרגות

זו קשה ורעה מזו בעולם הבא: ושעונש הכרת הנפשיי במגדף היה יותר קשה משאר הכריתות כי כל זה הוא טעות מבואר כהכנת דבריו: כי הוא יסבור שעונש הכרת לנפש הוא העדרה והפסד׳ ההחלטי: ולכן כתב בספר המדע ו״זל שפרעון הרשעים הוא שלא יזכו לחיים אבל ימותו ויכרתו וכל מי שאינו זוכה לחיים אלו הוא המת שאינו חי לעולם אלא נכרת ברשעו ואבד כבהמה וזהו הכרת הנז׳ בתורה שנ׳ הכרת תכרת הנפש ההיא: אמנם מה שכתב הרב שמה כל הרשעים שעונותיהם מרובים דנין אותם כפי חטאתיהם ויש להם חלק לעולם הבא שכל ישראל יש להם חלק לעולם הבא: ואלו שאין להם חלק לעולם הבא אלא נכרתים ואובדים כפי גודל רשעתם וחטאתם לעולם ולעולמי עולמים האפיקורוסים והכופרים בתורה וכו׳ לא אמר הרב זה על הכריתות אלא על שאר החטאים שבהיותם קלים יקבל החוטא עליה׳ עונש בגהינם זמן מוגבל: ועכ״פ יהיה להם חלק לעולם הבא האפיקורוסים שזכר הם הנכרתים ואובדים בין שיהיו מכלל הלו כריתות או שאינם מהכריתו׳ שגם הם יהיו אובדי׳ כפי חומר חטאתם: אבל כרת הנפש אצל הרב הוא העדרה לגמרי ובידוע שאין בהעדר מדרגות: ולכן קרא הרב את הכרת בשם מיתה ואבוד כבהמה: ואמנם מה שכתב בפי׳ המשנה כמו שזכרתי שהמחוייב כרת ישאר עליו העונש לאחר המיתה: רוצה לומר שענשו אינו בעולם הזה אבל הוא אחר המות: ולפי שהרב במקום ההוא לא ביאר איכות העונש ההוא אמר כמו שנבאר בפרק שאחר זה ושם כתב בביאור שהכרת הוא הנקמה הגדולה שתאבד הנפש ולא תהיה חיה וקיימת: ראה גם ראה איך ביאר דעתו שהכרת הוא העדר ההשארות והקיום על כן אמרתי שהיה דעת הרב שהכרת מזכרה התורה לנפש אינו אלא הפרדה מחיי העולם הבא: אמנם במגדף מפני חומרת חטאו הוסיף׳ בו התורה מלבד הכרת הנפשיי הכולל והשוה בכל הכריתות שגם כן תכרת בקצור ימי חייו בעולם הזה ולכך דרשו ז״ל בו הכרת בעולם הזה תכרת לעולם הבא: והדעת הזה התחייבו לו גם כן ספקות: אם מדרך הסברא שיהיה עונש הכריתו׳ כלם שוה בעני׳ הנפש והאוכ׳ בזית חלב ודם או שבא על הערוה מפני שתקפו יצרו תמות ותעדר נפשו כנפש העובד עכו״ם והמגדף את השם: והנותן מזרעו למולך והוא זר מאד: ויקשה עוד לרב מה שאמרו חז״ל שהכרת הוא לחמשים שנה כיון שהוא אומר שהכרת הכללי הוא דנפש בלבד ואינו לענין הגוף אם לא שיאמר הרב שמה שאמרו לז״ל מחמשים שנה על כרת המגדף בלבד אמרוהו שהוא כולל לגוף ולנפש הוא בחלוף האמת ועוד יקשה לרב אם היה ענין כל כרת עונש הנפש עד שמפני זה אמרה תורה ונכרתה הנפש ההיא ונכרתו הנפשות: למה א״כ פרשת המעלה בחוץ באה כלה בלשון איש החטא והעונש דם יחשב לאיש ההוא ונכרת האיש ההוא: ולא יסור הדם בא בכל הפרשה בלשון

בלשון נפש ונתתי פני בנפש האוכלת את הדם כל נפש מכם לא תאכל דם וכל נפש אשר תאכל נבלה אין ספק שלא בא כל זה בקרי והזדמן ועכז יראה שהדעת הזה אינו נכון:

Sententia Quinta, eſt maximi Viri *Majemonidis*, qui in explicatione Miſchnajot, in Sanhedrin, capite אלו הן הנשרפין his ſcripſit hac de re verbis: *Mors per manus cœli eſt levior Excidio: nam eum, qui reus eſt Excidii; manet adhuc pœna etiam poſt mortem, ſicut explicabimus capite ſequenti: ejus autem, qui reus eſt mortis per manus cœli, expiatio abſolvitur, quando moritur*. Hactenus ille. Et in capite חלק hæc ejuſdem ſunt verba: *Vindicta maxima eſt, quando exſcinditur & perditur anima, ut non permaneat viva, quod eſt Kereth, ſive Excidium, de quo in Lege ſcribitur, ſicut dicitur;* Exſcindendo exſcindetur anima illa. *Rabbini noſtri dixerunt*; Exſcindendo; *in hac ſc. vita*, exſcindetur, *in vita altera*. Hactenus iterum ille. Non eſt Majemonidis mens, omnia excidia æquare cum excidio denuntiato Blaſphemo, de quo ſolo dicitur; *Exſcindendo exſcindetur anima illa*: Non etiam voluit his verbis id dicere, quod quidam ex noſtræ gentis Sapientibus cenſent, quod in Excidio Animæ gradus dentur, quorum unus alio ſit durior & deterior, in ſæculo futuro; quodque Excidium animale Blaſphemantis, cæteris Excidiis ſit gravius. Errant enim, qui hanc ejus verborum mentem & ſententiam eſſe volunt. Hoc quippe ille exiſtimavit, quod Pœna excidii animæ, ſit privatio & deſtructio ejus abſoluta. Unde ſic ſcriptum reliquit in libro מרע: *Ultio impiorum eſt, quod illorum memoria non ſit futura ad vitam, ſed quod moriantur & exſcindantur; & quicunque non eſt dignus vita, ille mortuus eſt, qui non vivit in ſæculum, ſed in impietate ſua exſcinditur & perit inſtar jumenti. Et hoc eſt Excidium commemoratum in Lege, quando dicitur;* Exſcindendo exſcindetur anima illa. Quod vero idem Majemon illic ſcribit; *Omnes impii, quorum iniquitates plures ſunt* (quam juſtitiæ) *eos judicant ſecundum peccata ipſorum, & eſt ipſis pars in ſæculo venturo: quia omnes Iſraelitæ habent partem in ſæculo venturo. Hi vero ſunt qui nullam habent partem in ſæculo venturo, ſed exſcinduntur & pereunt juxta magnitudinem impietatis, & peccati ipſorum in ſæculum, & ſæcula ſæculorum; Epicuræi, Hæretici, &c.* iſtud non dixit de Excidiis, ſed de reliquis peccatis, propter quæ, cum leviora ſint, peccator recipit pœnam in gehenna, tempore certo & definito; & tamen eſt ei pars in ſæculo venturo. *Epicuræi*, quorum meminit, illi ſunt qui exſcinduntur & pereunt, ſive ſint ex illis triginta ſex Excidiis, ſive non ſint ex illis: quia illi propter gravitatem peccati ſunt certo perituri: Sed Excidium Animæ juxta Majemonidem, eſt privatio ejus ſimpliciter; conſtat autem in privatione non dari gradus, Ideo vocavit Excidium nomine Mortis & Perditionis ad inſtar beſtiarum. Quod in Commentario ſeu Explicatione Miſchnajoth ſcripſit, *quod Reum excidii maneat adhuc pœna poſt mortem*; vult dicere, Pœnam ejus non eſſe in hoc ſæculo, ſed poſt mortem. Et quia in loco illo non explicavit qualitatem pœnæ illius, dixit; *Sicuti explicabimus in capite ſequenti*. Ibi vero clare & diſerte ſcripſit, quod *Excidium ſit Ultio maxima, perdens animam, ut non viva & ſuperſtes maneat*. Quibus verbis attende, quomodo ſententiam ſuam exponat; quod nimirum Kereth ſeu *Excidium*, ſit Privatio Remanentiæ & Subſiſtentiæ. Idcirco dixi, mentem Majemonidis eſſe, quod Excidium Animæ, cujus Lex mentionem facit, nihil aliud ſit, quam Separatio a Vita mundi venturi: Verum de Blaſphemante, propter gravitatem peccati ipſius, ſuperaddidiſſe Legem præter Excidium animale generale, & æquale in omnibus Excidiis, quod talis etiam Exſcindendus ſit per abbreviationem dierum vitæ ſuæ in mundo hoc: Et hac de cauſa ſcripſiſſe Sapientes noſtros de illa phraſi הכרת הכרת *Exſcindendo exſcindetur*; quod prius intelligendum ſit de Excidio in mundo hoc; alterum de Excidio in mundo venturo.

Verum hæc ſententia quoque ſua habet dubia.

Nam *primo* ſi rectam rationem conſulamus, ſequitur hinc, quod omnia Excidia ſint æqualia, quo ad animam, & proinde, æquales erunt; Comedens vel tantillum adipis, aut Sanguinis; &, Qui rem habet cum muliere, Lege prohibita; quia propter vehementiam concupiſcentiæ ejus, anima ipſius morietur & privabitur, ſicut Anima Idololatræ, & Blaſphemantis Nomen Dei, vel Molecho offerentis de ſemine ſuo, quod abſurdum valde eſt.

Deinde contrariatur Majemonidi, quod Sapientes noſtri ſcripſerunt; *Excidium eſſe uſque ad quinquageſimum annum*; cum ipſe dicat, quod Excidium generale ſit Animæ tantum, nullaque ratione pertineat ad Corpus, niſi quod dicat, id quod Rabbini noſtri dixerunt de Anno quinquageſimo, dictum ab illis eſſe de Excidio

dio Blaſphemantis tantum, quod eſt generale tam animæ, quam corporis, quod vero eſt a veritate alienum.

Tertio, Si omne Excidium complectitur Pœnam animæ, adeo ut hujus rei cauſa Lex dixerit; *Et exſcindetur anima illa: Et exſcindentur animæ illæ*; ſi inquam, res ita habet, quare *Levit.* c. 17. ubi agitur de Offerente & Mactante extra, tantum uſurpatur vocabulum *Viri* tam in peccato, quam in pœna: ut, *Sanguis imputabitur viro illi*: Item, *Et exſcindetur vir ille*, Levit. 17. 4. 9. In prohibitione autem Sanguinis occurrit ubique vocabulum *Animæ*; ut, *Et dabo faciem meam in animam quæ comederit ſanguinem: Omnis anima ex vobis non comedet ſanguinem: Omnis anima quæ comederit diſcerptum*, Levit. 17. verſ. 10. 12. 15. Hæc omnia cum ſine dubio non fortuito & per accidens ita ſint dicta; non videtur hæc ſententia eſſe recta.

והדעת הו׳ שראיתי בזה הוא לחר״מנז בפירושו לפרש׳ אחרי מות והחזיק בו בספר תורת האדם אשר חבר בשער הגמול ממנו: ועניננו שאין הכרת בכל החייבי כריתות שוה אבל הוא בג׳ מינים כי יש ממנו כרת גשמיי בלבד והוא למי שזכיותיו מרובים מעונותיו אף על פי שיש בהם מחייבי כריתות העונש מגיע לו לגופו בלבד והוא מת בחצי ימיו כמו שאמרו ח״ל מת בן חמשים שנה זו מיתת כרת ולאחר שמת כיון שרזבו וכיות אינו יורד לגיהנם אבל זוכה למעלה הראויה לו בגן עדן ועל׳ זה נאמר בתורה ונכרת האיש ההוא שמיחס הכרת לגוף בעולם הזה ולא לנפש: ויש מין אחד מהכרת שהוא נפשיי כלו בלבד והוא למי שעונותיו מרובים ועגשו הוא נפשיי שיכרת מחיי ג״ע בעולם הנשמות: וגם מחיי העולם הבא שהם לאחר תחיית המתים ועל זה אמר ונכרתה הנפש ואבדתי את הנפש ההיא ורשעים הללו אין להם כרת בגופם שהם מאריכים ימים כמו שאמר ויש רשע מאריך ברעתו: ויש מהכרת מין ג׳ יותר קשה והוא הכולל לגוף ולנפש שיכרת גופו בעולם הזה ונפשו בע״ה וזה ייוחד לבד לעובר ע״כום ומגדף את השם שנאמר הכרת תכרת הנפש ההיא עונה בה: הנה התבאר ששני הרבנים המיימוני והנחמני מסכימי׳ אם בענין הכרת הנפשיי שהיה ענינו העדר הנפש והפסדה לגמרי ויסכימו בכרת הכולל בעכ״ום והמגדף שהוא לגוף ולנפש ולבד יתחלפו בכרת הגופני שקבל אותו הרב הנחמני ולא יקבלהו הרב המיימוני: והדעת הזה מהרמב״ן עדין יקשו בו דברים: הא׳ שיתחייב ממנו שלא יהיה הפרש אצלו בין המין הראשון מהכרת שהוא לדעתו גופני אל המיתה בידי שמים כיון ששניהם לענין הגוף ולא נוכל לומר שהם ענין אחד כמו שהוכחתי מדבריהם ז״ל: ושנית יקשה לרב הנחמני מה שא״ז״ל שהכרת הוא לחמשים שנה כי הנה לדעתו המין הב מהכריתות שהוא הנפשיי בלבד אין ענינו לחמשים שנה והוצרך מפני זה מאמרם ז״ל שיובן במין הראשון ובמין הג׳ מהכריתות לא כולל להם: ואינו כן כי הם לא נתנו דבריהם לשיעורים: הג׳ יקשה לו גם כן כי פעם יראה מדבריו שהוא יכנס בדעת הזה מפי הכתובים שראינו שמיחסים פעם הכרת אל האיש ופעם אל הנפש: ופעם יראה שיכנס בו מדרך הסברא במי שזכיותיו מרובי׳ מעונותיו: או שעונותיו מרובים מזכיותיו: ונראה לי ששתי ההוראות בלתי צורקות לדעתו: אם עדות הפסוקים לפי שמצינו בנותן מזרעו למולך שנאמר עליו ועל כל העריות יחד ונכרתו הנפשות: ובפרשת קרושים נאמר בענין המולך: ואני אתן את פני באיש ההוא והכרתי אותו מקרב עמו האם נאמר שיהיה עונש המולך לגוף בלבד בעולם הזה: מפני שאמר באיש ההוא במי שרובו זכיות ומעוט עונות ושאחרי מותו יזכה לחיי העולם הבא: אף שכבר מצאנו שנאמ׳ עליו ועל כל העריות יחד ונכרתו הנפשו׳ והתחייב מזה שהעונש המייוחס לגוף והמיוחס לנפש אחר הוא: ואמנם מדרך הסברא שלשה הרב הבדל ממי שרובו זכיות או רובו עונות אינה טענה מיוחדת לכל הכריתות: כי בכל הפעולות אשר יעשה אותם האדם אם היו רובם זכיות ומעוטם עונות קבלו חז״ל שנפרעי׳ ממנו ממעוט עונות שעשה בעולם הזה כדי לתת לו שכרו משלם לעולם הבא: ואם היו רובם עונות ומעוטם זכיות יפרחו כמו עשב בעולם הזה ויציצו כל פועלי און להשמדם עדי עד לעולם הבא: ובמה יבדלו א״כ הכריתות משאר העבירות כלם שענשם בידי שמים: ואין הקדוש ברוך הוא מקפח שכר כל בריה ובריה: סוף דבר שגם הדעת הזה מהרמ״בן יתחייבו לו ספקות והרחקות רבות:

Sexta Sententia eſt *Rabbi Moſis Nachmanidis* in Commentario ſuo in Legem, Sectione אחרו מות, quam etiam repetiit & confirmavit in libro quem inſcripſit תורת האדם, in illa ejus parte, quam vocat שער הגמול *Portam Retributionis*. Huc vero redit ejus ſententia; Excidium non eſſe in omnibus Excidii reis æquale, ſed tres eſſe ejus ſpecies; *Primo* eſſe Excidium Corporale tantum, ejus videlicet, cujus Merita ſeu bona opera plura ſunt, quam ejus Iniquitates; adeoque eſſe inter reos Excidii cujus pœna pertingat ad corpus tantum; ut ille qui moritur in medio dierum ſuorum, ſicuti Sapientes noſtri dixerunt, *Si quis anno quinquageſimo moriatur, ea eſt mors Excidii*: Poſteaquam autem mortuus eſt, cum plura habeat bona opera, non deſcendit in gehennam, ſed dignus fit gradu ipſi conveniente in horto Edenis. Et de hoc dicitur in Lege; *Et exſcindetur Vir ille*; quæ verba attribuit Corpori in mundo hoc, non vero Animæ. *Secundo* dicit eſſe Excidium Animale merum & tan-

tantum; Ejus videlicet cujus Iniquitates ſunt plures, ejus, inquit, pœnam eſſe Animalem tantum, Exciſionem nimirum a Vita horti Edenis in mundo Animarum, & a Vita Mundi futuri poſt mortuorum reſurrectionem. De hac dici vult; *Et exſcindetur Anima illa: Et perdam animam illam*: His impiis nullum eſſe Excidium in corpore ipſorum; eo quod prolongent dies, ſicut dicitur; *Eſt impius prolongans dies in malitia ſua*, Eccleſ. 7. 16. *Tertio* eſſe Excidium adhuc gravius, quoad Corpus & Animam, quo Corpus quidem exſcindatur in hac vita; Anima autem in vita futura: Hoc Excidium aſſignari duntaxat Idololatræ, & Blaſphemanti Nomen Dei, ſicut dicitur; *Exſcindendo exſcindetur anima illa, iniquitas ejus in ea eſt*.

Ex quibus vides, quod duo iſti Sapientes, Majemonides & Nachmanides, conſentiant tum in Excidio Animali, quod conſiſtit in privatione animæ, & corruptione vel deſtructione ejus totali; tum in Excidio illo, quod dictum eſt in Idololatram & Blaſphemantem, quod eſt Corporis & Animæ.

Sed in hac quoque Nachmanidis ſententia, quædam adhuc occurrunt dubia. *Primo* enim conſequitur ex ea, juxta ipſum nullam eſſe differentiam inter primam ejus Excidii ſpeciem, quam vult eſſe Corporalem, & Mortem per manus cœli; cum utraque ſint corporis. Non poſſumus autem dicere, quod ſint una eademque res, ſicut argui ex verbis Rabbinorum.

Secundo obſtat Nachmanidi, quod Sapientes noſtri dixerunt; *Excidium eſſe uſque ad annum quinquageſimum*. Nam, juxta ſententiam ejus, ſecunda Excidiorum ſpecies, quæ eſt Animalis tantum, non poteſt eſſe vel referri ad annum quinquageſimum. Unde dicendum erit, dictum illud Rabbinorum intelligendum eſſe tantum de prima & de tertia ſpecie, nec omnes comprehendere. Res autem non ita habet: verba enim illorum non ſunt ita per conjecturas explicanda.

Tertio, dubium movet, quod nonnunquam ex verbis ejus videatur; quaſi hauſerit hanc ſententiam ex *Scriptura*, quas videmus attribuere Excidium quandoque *Viro*, quandoque *Animæ*: nonnunquam videtur in hanc deſcendiſſe ſententiam ex Vi *Rationis*: quod quidam ſint, quorum bona opera ſuperant iniquitates ipſorum: alii quorum iniquitates excedunt bona ipſorum opera. Mihi vero videtur, has duas rationes non convenire cum ejus ſententia: Non *Teſtimonia* illa *Scripturæ*, quia invenimus de eo, qui de ſemine ſuo dat Molecho, & de omnibus Concubitibus illicitis, dici; *Et exſcindentur animæ illæ*. Et in ſectione קרושים dicitur in negotio Molechi; *Et ego dabo faciem meam in virum illum, & exſcindam eum e medio populi ſui*, Levit. 20. 5. An dicemus, pœnam ejus, qui liberos ſuos offert Molecho, eſſe corporalem tantum in hoc mundo; quia ſc. dicitur; *In virum illum*; ceu de tali, cujus opera bona plura ſunt, quam mala, & illum poſt mortem ſuam participem fore vitæ æternæ? Ut ne dicam, quod, cum inveniamus de illo, ut & de Congreſſibus illicitis ſimul, *Et exſcindentur animæ illæ*, Levit. 18. 29. hinc ſequeretur, Unam eandemque eſſe pœnam attributam Corpori, & Animæ. Quod ad *Rationem* Nachmanidis attinet, qua conſtituit differentiam inter eum cujus bona opera, & eum, cujus iniquitates plures ſunt, illa ratio non competit omnibus excidiis. Nam de omnibus actionibus, quas facit homo, ſi major earum pars fuerint bonæ, minor vero malæ, tradunt Rabbini noſtri, quod pœna de eo ſumatur ſecundum partem minorem, iniquitatum ſc. quas fecit in mundo hoc, ad dandum ei mercedem perfectam in ſæculo venturo: quod ſi vero major illarum actionum pars fuerint iniquitates, & minor Bona opera, tum florebunt ſicut herba in mundo hoc, & germinabunt omnes operantes iniquitatem, ut deſolentur in æternum, in ſæculo venturo. Quod ſi autem res ita habeat, quomodo Excidia, i. e. peccata Excidii pœnam promerentia, diſcernentur a reliquis tranſgreſſionibus, quarum pœna eſt per Manus Cœli? Neque Deus præcidit aut ſubtrahit mercedem ullius Creaturæ. Summa: Ex iſta quoque Nachmanidis ſententia conſequuntur dubia & abſurda multa.

ומפני זה כלו נראה לי בדרוש הזה דעת שביעי אותו ראיתי צדוק לפני בדבר הזה: שביעי אותו ראיתי ה"לו כריתות כולל לגוף ולנפש אם לגוף בעולם הזה שיקצרו ימי החוטא וימות קוד׳ עתו שהיה ראוו לו כפי טבעו: ואם לנפש שאחרי הפרדה מן הגוף בעולם הנשמות תתרחק מזיו השכינ׳ ומקבול השפע העליון לנפשות הזוכות שמה מצרור החיים ולכך נקרא העונש ההו׳ כרת שהוא הלשון הנופל על הענף הנכרת מן האילן שממנו יקבל ההזנה והחיות בהיותו דבק בו בצמיחתו כן הנפש תכרת מאותו צרור החיים העליון ולא יקבל זיו השכינה שהוא העונג והשכר הנפשיי אבל אין זה לנפש העדר גמור והפסד מוחלט כי הוא עצם רוחני קיים בעצמו בלתי נפסד בטבעו: אך הכרת הוא עונש וצער גדול לנפש תקבל בו הפחות והיתר ואחרי קבול העונש תשוב לקבל העדון והעונג

והעונש וכ״מש אם יכרת ועוד יחליף ויונקתו
לא חחרל: ועם היות שאמרו ר״זל שעונש
הרשעים בגיהנם עשר חדש לא אמרו זה
בענין הכריתות כי בהם ענשם לנפש זמן
יותר ארוך מזה ואין כל הכריתות שוים בעונש
הנפשיי אבל יתחלפו בהתמדת זמן העונש בין
רב למעט כפי חומר החטא או קלותו ויהיה
ענין הכרת לפי זה שמי שרובו זכיות ומעוטו
עונות שכפי המדה האלהי׳ נפרעים ממנו
ממעוט עונות שעשה בעולם הזה כדי לתת
לו משלם שכרו לעולם הבא הנה אם היה
בכלל אותו מיעוט עונות שעשה כרת מן
הכריתות אף על פי שיקבל ענשו בעולם הזה
לא ינקה משתקבל נפשו עונש בעולם הבא
אם מעט ואם הרבה כפי החטא: וכן אם היה
רובו עונות ומעוט זכיות שכפי המדה נותנים
לו שכר זכיותיו בעולם הזה כדי ליפרע ממנו
מרוב עונותיו בעולם הבא: הנה אם היה
אחד מהכריתות מכלל אותם העונות שעשה
התחייב ע״כפ שגם בעולם הזה יקבל עונש
גשמי בקצור ימיו כי זו חמר׳ היא כרת עם כל
שאר הכריתות שלא יהוה נדון כפי כללות׳
אלא כפי פרטיותם או חוכרת בין בעונש
העולם הזה בין חעונש עולם הבא: ובזה
לפי דעתי מערו רגלי חכמת הרב הנחמני
שלא הבדיל בין הכרת לשאר העבירות בענין
המדה הזאת הנזכרת: הנה אם כן כל כרת
בין שיחסו הכתו׳ לאיש החוטא או לנפש
להיותה סבתו: הנה גדר הכרת ורשומו הוא
הפסק וקצור החיים בעולם הזה והפסק העונג
הנפשיי לעולם הבא: ולענין זה אח״זל שהיה
הכרת לחמשים שנה: ואמנם מה שנאמ׳
במגדף הכרת תכרת הנפש ההיא שדרשו חז״ל
הכרת בעולם הזה תכרת לעולם הבא אינו
עונש מיוחד למגדף כמי שחשב הרב הנחמני
אבל הוא ביאור ענין כל כרת וגדרו: ואעידה
לי בזה עדים נאמנים כי מצינו במשנה בריש
כריתו׳ מהמילה ומחמץ בפסח והמחלל קדשי
ומעריות ועובדי עכום והמגדף מכללם ולא
שמו הבדל כלל בין כרת לכרת והוא המוכיח
שעונש כל הכריתו׳ בזה שוה: והעד הב׳
ממה שאמרו שם אחרי זכרון הכריתות
במשנה השנית: אלו חייבים על זדונם כרת
ועל שגגתם חטאת ועל לא הודע שלהם
אשם תלוי וכמו שבשגג ובלא הודע אין
הפרש בין כרת לכרת ככה בזדון אין ראוי
לומ׳ שיהיה הפרש בין כרת לכרת לענין
העונש: והעד הג׳ מהמגדף בספורי עצמו לא
אמר הכתוב אלא ונכרתה הנפש ההיא בלשון
עצמו שאמר באוכל דם ובעריות ובחמץ
בפסח והוא המוכיח שענין הכרת בכלם שוה
ולכן אמרו במשנה שזדון כל הכריתות הוא
הכרת בלבד: אמנם מה שאמר עוד הכתוב
כי דבר יי׳ בזה ואת מצותו הפר הכרת תכרת
הנפש ההיא עונה בה: אינו אלא נתינת
טעם למה שאמר ונכרתה הנפש ההיא כלומר
וראוי הוא שתכרת נפשו בשני העולמות
לפי שדבר יי׳ בזה ואת מצותו הפר ולכן ראוי
שיענש גופו כפי מעשיו ונפשו כפי רוע
אמונותיה: וזהו הכרת תכרת: ודרשתם ז״ל
הכרת בעולם הזה תכרת לעולם הבא שהוא
פירוש הכרת שזכר לא תנאי מיוחד בכרת

המגדף: והעד הד׳ במה שכתוב בתוספתא כי
דבר יי׳ בזה זהו פורק עול והמפר ברית בשר
והמגלה פנים בתורה שלא כהלכה: והנה
המפר ברית בשר הוא הכרת הנזכר בכרים
מילה שנאמר וערל בשר אשר לא ימול
את בשר ערלתו ונכרתה הנפש ההיא מעמיה
את בריתו הפר ואיך א״כ יוכלל כהכרת תכרת
שהוא בעולם הזה ובעולם הבא אלא שוה
היה משפט כל הכריתו׳ כמו שאמרתי וכל
זה ממה שיוכיח תוכחת מגולה אמתת דעתי
שכל הכריתות הם בעולם הזה ובעולם הבא:
ושמה שנזכר ביחוד במגדף הוא להיותו בנין
אב לכלם: וכבר יסופק על זה ממה שמצאנו
ראינו שאונקלוס תרגם כל מקום שנאמר
ונכרתה הנפש ההיא ואישתצי אינשא וזה
יורה שאין הכרת מגיע לנפש אלא לגוף
שע״כ תרגמו אינשא וגם כן במגדף תרגם
הכרת תכרת הנפש ההיא עונה בה אישתצאה
אישתצי ינשא ההוא חוביה ביה והוא זר
מאד: כי איך יחשב על השלם אנקלוס שקבל
מרבי אליעזר הגדול ומרבי יהושע ועל פיהם
עשה תרגומו כמו שהיה אצלם הלכה למשה
מסיני שיסכל אמתת הכרת וענינו: וכבר
חשבו אנשים שעשה זה מפני ההמון שאינם
מרגישים בענין הנפש: ומה יאמרו למה
שתרגם בסוף סדר אחרי מות ונכרתו הנפשות
העושות וישתצון נפשתא דעבדן ולא תרגם
אינשא כתרגומו: עוד תשוב תראה פרשה
של מעלה בחוץ שתרגם על איש איש גבר
גבר וכן בכל התורה שתרגם ונכרת האיש
ואישתצי אינשא ולמה לא תרגמו ואישתצי
גברא אבל הנראה לי בזה כלו הוא שאנקלוס
תרגם שהיה הכרת לגוף ולנפש כמו שביארתי
ולכך תרגם בו תמיד אינשא שהיה כורת
האנושות שהו׳ כולל לגוף ולנפש כי אין
האנושות אלא חבור הנפש המשכלת עם
הגוף האנושי: ומפני זה שלא נחשוב שהיה
הכרת לנפש בלבד ולא לגוף לא תרגם
נפשתא: וכדי שלא נחשוב שהיה הכרת
לגוף לבד ולא לנפש לא תרגם בו גברא
אבל תרגם אנשא שהוא כולל לגוף ולנפש:
אמנם בסוף אחרי מות תרגם ונכרתו הנפשות
ואישתצי נפשתא כדי לפרש הפסוק באשר
הוא שם שאמר ולא תקיא אתכם הארץ
בטמאכם אותה כאשר קאה את הגוי אשר
לפניכם שפירושו כמו שביררתי שם אל תחשבו
אתם בני ישראל בעשותכם כתועבות הגוים
תקיא הארץ אתכם כאשר קאה את הגוי
ויהיה ענשכם מיתה בעולם הזה בלבד לא
יהיה כן כי מלבד העונש ההוא הגשמי
שתקבלו כמוהם הנה עוד כל אשר יעשה
מכם מכל התועבות האלה יענש עונש נפשיי
והוא אמרו ונכרתו הנפשות מקרב עמם:
ולפי שבא הכתוב הזה לבאר להם העונש
הנפשיי הנוסף להם בבחינת הדת הוצרך
אנקלוס לתרגם הפסוק ההוא על הנפשו
עצמם שהוא הצריך אליו כפי מקומו: הנה
ביארתי הדרוש הזה כפי אמתתו: ואני
הרחבתי בו הדבור יותר בספר צדק עולמים
מ״ב פ״ו אשר אני עשה:

His itaque de causis, videtur mihi superesse adhuc *Septima* in hoc negotio sen-

ten-

tentia, eaque congrua & conveniens, hæc videlicet; Quod Excidium in genere, in omnibus triginta sex casibus, commune sit Corpori & Animæ; Corpori in mundo hoc, per decurtationem dierum Peccatoris, ut moriatur ante tempus suum, quo secundum naturam suam debuisset mori: Animæ; quod ea, post separationem a corpore, in mundo Animarum, elonganda sit a Splendore Majestatis Divinæ, & a Receptione Influentiæ supernæ descendentis in animas justas illas ex fasciculo vitæ. Hac de causa venit hæc Pœna nomine כרת hoc est, *Excidii*, quod proprie competit Ramo, qui exscinditur ab arbore, a qua accipit nutrimentum & vitam, quamdiu ei conjunctus manet: Sic Anima exscinditur ex illo fasciculo vitæ superioris, neque recipit splendorem Majestatis Divinæ, quæ est Voluptas & Merces Animalis. Hæc tamen non est Privatio animæ mera, aut destructio totalis: est enim Substantia spiritualis, per se subsistens, & natura sua incorruptibilis: Sed כרת sive Excidium est Pœna & Dolor magnus Animæ, recipiens magis & minus: & postquam accepit pœnam, recipit etiam Oblectationem & Voluptatem, sicut dicitur; *Est enim de arbore spes, si præcisa fuerit, & adhuc pullulabit, & propago ejus non deficiet*, Jobi 14. 7.

Et quamvis Rabbini nostri dicant, pœnam impiorum in gehenna, durare duntaxat per duodecim menses; tamen non dixerunt hoc de Excidiis: quia Excidiorum pœna animalis durat longiore tempore: neque omnia Excidia sunt æqualia quoad pœnam animalem: Sed variant in duratione temporis, quoad magis & minus, pro gravitate vel levitate peccati. Ita hæc erit ratio τῦ כרת: Si quis fuerit, qui plura habeat merita seu bona opera, & pauciores iniquitates, juxta proprietatem Divinam sumetur de ipso Ultio, secundum paucitatem iniquitatum quas fecerit, in mundo hoc, ut detur ei perfecta merces ejus in mundo futuro. Quod si jam inter illas paucas iniquitates quas patravit, fuerit כרת Excidium aliquod; tum etiamsi acceperit pœnam suam in mundo hoc, non evadet tamen, quin anima ejus quoque accipiat pœnam in mundo futuro, sive magnam, sive parvam, pro peccati ratione. Sic, Si habuerit plures iniquitates, quam bona opera, tum secundum proprietatem Divinam datur ei merces meritorum bonorum in mundo hoc, ut ultio de eo sumatur ob multitudinem iniquitatum ejus, in mundo futuro: quod si autem inter illas iniquitates fuerit aliqua sub pœna Excidii prohibita, tum omnino etiam reus est, qui in hoc quoque mundo pœnam sustineat corporalem, per abbreviationem dierum suorum. Nam hæc est ratio communis Excidiorum omnium, quod non judicentur secundum Universalitatem, sed secundum particularitatem eorum, aut quod excidium fiat, tum per pœnam in mundo hoc, tum per pœnam in mundo futuro. Et in hoc, meo judicio, vacillarunt pedes Sapientiæ Rabbi Nachmanidis; quod non discrevit inter Excidium, & reliquas transgressiones, respectu proprietatis hujus commemoratæ.

Itaque, omnis *Kereth* sive Excidii, (sive illud attribuat Scriptura Viro, sive Animæ, tanquam ejus causæ) omnis, inquam, Excidii definitio & descriptio erit, quod sit Abruptio vel Abscissio & Decurtatio Vitæ in mundo hoc, & Abscissio voluptatis animalis in mundo venturo. Et hoc sensu dixerunt Sapientes nostri b. m. quod Kereth sit ad annum quinquagesimum. Quod autem de Blasphemante dicitur; *Exscindendo exscindetur anima illa*; quod Rabbini nostri ita exposuerunt, ut alterum acceperint de Excisione in mundo hoc; alterum, de Excisione in mundo venturo; ea non est Pœna singularis vel propria Blasphemantis, uti quidem existimavit Nachmanides, sed est ratio & definitio communis omnis Excidii.

Testes hujus meæ sententiæ producam fideles. Nam *primo* invenimus in Mischna in principio Tractatus כריתות seu de Excidiis, quod idem Excidium decernant, Spernenti circumcisionem, Comedenti fermentum in Paschate; Profananti res sanctas, Congressibus illicitis; Idololatræ, Blasphemo; neque ullam differentiam constituant inter Kereth unum & alterum. Quod arguit, pœnam omnium Excidiorum in hoc esse æqualem. *Secundo*, arguo id ex eo, quod ibidem, post commemorata omnia Excidia, in Mischna secunda dicunt; *Propter ista tenentur propter Superbiam suam* (propter transgressionem ex Superbia commissam) *de Excidio; propter errorem suum* חטאת *de Sacrificio pro peccato, & quod res ipsis non nota facta fuerit,* אשם תלוי *de Reatu seu Sacrificio dubio pro reatu*. Nam sicut in casu Erroris & Ignorantiæ, non est differentia inter unum Kereth & alterum: Sic nec in Casu Superbiæ dicendum est esse differentiam inter Kereth unum & alterum, quoad pœnam. *Tertio* idem arguo ex circumstantiis textus ipsius de Blasphemante. Nam Scriptura illic duntaxat dicit; *Et exscindetur anima illa*; non aliter, quam dicit de Comedente san-

ſanguinem, de Congreſſibus illicitis, de Fermentato in Paſchate. Quod iterum arguit, eandem eſſe Excidiorum rationem. Ideo dicunt in Miſchnah; quod Pœna ſuperbiæ omium peccatorum, ſub Excidio prohibitorum, ſit Excidium tantum. Quod vero inſuper hic dicitur: *Quia verbum Domini ſprevit, & præceptum ejus irritum fecit, exſcindendo exſcindetur anima illa, iniquitas ejus erit in ipſa*; iſtis verbis redditur tantum ratio ejus quod antea dixit, *Et exſcindetur anima illa*, q. d. Æquum & conveniens eſt, ut hujus anima exſcindatur in utroque mundo; eo quod verbum Domini ſprevit, & præceptum ejus irritum fecit: Ideo decet, ut puniatur Corpus ejus ſecundum opera ſua, & Anima ejus ſecundum malitiam fidei ſuæ. Hoc ſibi vult iſta Geminatio; *Exſcindendo exſcindetur*. Quin & Allegorica illa Sapientum noſtrorum expoſitio nihil aliud eſt, quam Expoſitio Excidii, ſeu quid ſit illud Excidium, non Conditio ſingularis Excidii Blaſphemantis. *Quarto*, confirmat hanc meam ſententiam id quod ſcriptum eſt in Toſaphta; *Quod dicitur in Lege de Blaſphemante*; Quia verbum Domini ſprevit, *intelligendum eſt de eo, qui rumpit jugum, & irritum facit fœdus carnis, quique revelat faciem in Legem contra ſtatuta & jura* (qui impudenter & præfracte agit contra Legem). *Iſtud autem*; Qui irritum facit fœdus carnis; intelligendum eſt de Excidio, cujus mentio fit in præcepto de Circumciſione, ſicut dicitur; *Incircumciſus autem maſculus, qui non circumciderit carnem præputii ſui, utique exſcindetur anima illa de populis ſuis, fœdus meum irritum fecit*, Geneſ. 17. 14. Quomodo vero hic comprehenderetur iſtud ſub, *Exſcindendo exſcindetur*, quod eſt Excidium in mundo hoc, & in mundo futuro, niſi hæc eſſet communis omnium Excidiorum ratio, ſicut dixi? Hæc omnia aperte arguunt veritatem ſententiæ meæ, quod omnia Excidia ſint intelligenda de pœna tam hujus, quam futuræ vitæ. Quod vero iſtud in peccato Blaſphemantis duntaxat ſingulariter proponitur & commemoratur; ideo factum, quia hic eſt principalis locus, ex quo cæterorum ſimilium locorum ſenſus & explicatio petenda.

Huic vero repugnare videtur, quod Onkelos in omni loco, ubi dicitur; *Et exſcindetur anima illa*; tranſtulerit; *Et exſcindetur Homo ille*. Hoc enim docet, Excidium, ex ejus mente, pertingere tantum ad corpus, non etiam ad animam: ideo enim tranſtulit, *Homo ille*. Et ſic de blaſphemante, ubi Scriptura dicit; *Exſcindendo exſcindetur anima illa*, ipſe transfert; *Exſcindendo exſcindetur Homo ille, iniquitas ejus in eo erit*.


Sed hoc eſt valde alienum. Nam quomodo cogitare poſſemus de doctiſſimo Onkelo, (qui ſuam doctrinam accepit a R. Eleaſare magno, & a R. Jehoſua, quique ſecundum præſcriptum eorum fecit Targum ſuum, ſicuti nimirum tum apud ipſos fuit traditio Moſis de monte Sinai) quod ignoraverit veritatem Excidii, ejuſque rationem? Quidam putant, illum hoc feciſſe propter vulgus, qui non ſentiunt vel intelligunt conditionem Animæ. Et quid dicent ad id, quod transfert in fine ſectionis אחרי מות, *Et exſcindentur animæ facientes hoc*; non vero; *Viri*, uti alias ſolet. Iterum videbis, quod *Levit.* cap. 17. transferat, איש איש itidem per גבר גבר *Vir*, & in tota Lege, ubi occurrit; *Et exſcindetur Vir*, transfert ואשתיצי אנשא *Et exſcindetur homo*; Quare non tranſtulit per גברא *Vir*? Mihi itaque videtur, quod Onkelos ideo ſic tranſtulerit, quod exiſtimarit Excidium referri tam ad Corpus, quam ad Animam, ſicuti expoſui. Ideo ſcilicet ſemper uſus eſt vocabulo אינשא *Hominis*, quod ſit Exciſio Humanitatis, quæ complectitur Corpus & Animam (Humanitas enim eſt Conjunctio Animæ rationalis cum corpore humano): Et ne exiſtimemus, Excidium eſſe Animæ tantum, non etiam corporis, ideo non uſurpavit in ſuo Targum hic vocabulum Animæ: Ne item exiſtimemus, eſſe Corporis tantum, non etiam Animæ, ideo non uſus eſt vocabulo גברא *Viri*, ſed אנשא Hominis, quod comprehendit Corpus & Animam. At in fine ſectionis אחרי מות tranſtulit; *Et exſcindetur Anima illa*, ut explicet, quomodo verſus ille iſthic ſit intelligendus, in quo dicitur; *Et non evomet vos terra, quod contaminaveritis eam, quemadmodum evomuit gentem, quæ ante vos*; Levit. 18. 28. cujus expoſitio eſt, ſicuti illic ſcripſi; *Ne cogitetis vos, o filii Iſrael, ſi feceritis ſecundum abominationes gentium illarum, quod vos evomitura ſit terra illa, ſicuti evomuit gentem illam, & quod pœna veſtra futura ſit tantum per Mortem in hac vita: nequaquam enim ita erit: ſed præter pœnam illam corporalem, quam accipietis ſicut illi, ſinguli, qui ſecundum abominationes illarum peccaverint, punientur inſuper pœna animali, juxta id quod dicitur*; Et exſcindentur animæ illæ e medio populi ſui. Quia itaque Scriptura hæc explicat Pœnam animalem, quæ ratione Legis ipſis ulterius infligetur, ideo neceſſe habuit Onkelos explicare verſum illum de animabus ipſis, pro ratione loci illius.

Et

Et sic explicavi tibi, Lector, Quæstionem hanc juxta veritatem suam: Latius vero ista declaravi in libro צרק עולמים, par. 2. cap. 6. quem facio.

Hactenus Abarbenel, qui ut in singulis de Excidio sententiis dubia invenit, ita ejus quoque sententia non pauciores forte habet scrupulos. Hæc tamen ex eo, hoc loco, & hac occasione, producere volui, ut Hebræorum hac de re expositiones videantur. Christianorum nonnulli de Excommunicationis seu Relegationis pœna accipiunt: cui sententiæ phrases quædam non male videntur favere; veluti, cum dicitur; Excindetur ex Israele: e medio populi sui: e cœtu Israelis: e medio congregationis, *& similes. In ea vero quosdam hoc dubios reddit, quod nuspiam dicatur in persona secunda;* Et exscindes, *vel,* Et exscindetis; *sed ubique vel in tertia persona,* Et exscindetur vir ille, anima illa; *vel in prima;* Et exscindam eum, vel eam, ut *Levit.* 17. 10. & 20. 3. 6. *ubi Deus sibi ipsi hanc pœnam vindicare & reservare videtur. Apud Hebræos etiam nulla hujus expositionis vestigia reperio. Sed non est præsentis nostri otii,* ἐπίκελσιον *aut* διακελσων *hujus rei nunc instituere. Lector ipse judicet, & has expositiones omnes probet, conferat, atque eam, quæ ipsi magis consentanea videbitur, retineat, vel etiam aliquid aliud ex Scripturarum collatione quærat, hisque, quæ nunc dedimus, benevole utatur, & studiis nostris faveat.*





BLASII UGOLINI

UXOR HEBRÆA.

CAPUT PRIMUM.

De vetitis connubiis.

VXOREM Hebræam ex una S. Scriptura, & veterum Hebræorum disciplina & traditione, quæ in primis deprehenditur in *Mekiltha*, *Siphra*, *Siphri*, *Pesiktha* vetustissimis, atque eruditissimis in *Exodum*, *Leviticum*, *Numeros*, & *Deuteronomium* commentariis antiquitate atque autoritate Philologorum omnium judicio tantopere celebratis illustrandam suscepi. Netopere erit tam iniquus, qui veteribus scriptoribus Hebræis in rebus suis, in quibus mentiri neque licuit neque profuit, eam fidem denegandam putet, quam omnes Græcis & Romanis autoribus in rebus patriis merito habendam esse censuerunt.

Levitic. XVIII. Agitur de conjugiis, quæ sive consanguinitatis, sive affinitatis causa ex Lege divina vetita sunt. וידבר יהוה אל משה לאמר רבר אל בני שראל ואמרת הלהם אני יהוה אלהיכם כמעשה ארץ מצרים אשר ישבתם בה לא תעשו וכמעשה ארץ כנעז אשר אני מביא אתכם שמה לא תעשו ובחקתיהם לא תכלו את משפטי תעשו ואת חקתי תשמרו ללכת בהם אני יהוה אלהיכם ושמרתם את חקתי ואת משפטי אשר יעשר יעשה אתם הארם יחי בהם אני יהוה איש איש את כל שאר בשרו לא תקרבו לגלות ערוה אני יהוה ערות אביך וערות אמך לא תעלה אמך הוא לא תגלח ערותה ערות אשת אביך לא תעלה ערות אביך הוה ערות אחותך בת אביך או בת אמך מולדת בית או מולדת חוץ לא תגלה ערותן ערות בת בנך או בת בתך לא תעלה ערותן כי ערותך הנה ערות בת אשת אביך מולדת אביך אחותך הוא לא תעלה ערותה ערות אחות אביך לה תגלה שאר אביך הוא ערות אחות אמך לא תגלה כי שאר אמך הוא ערות אחי אביך לא תגלה אל אשתו לא תקרב דרתך הוא ערות כלחך לא תגלה אשת בנך הוא לא תגלה ערוחה ערות אשת אחיך לא תגלה ערות אחיך הוא ערות אשה ובתה לא תגלה את בת בנה ואת בת בתה לא תקח לגלות ערותה שארה הנה זמה הוא ואשה אל אחתה לא תקח לצרר לגלות ערותה עליה בחייה: *Locutus est Dominus ad Mosen dicendo; Loquere ad filios Israel ac dices eis: Ego Dominus Deus vester. Secundum opus terræ Ægypti in quo habitastis, non facietis, & secundum opus terræ Chanaan, quo ego introducturus sum vos, non facietis; & in statutis eorum non incedetis. Judicia mea facietis, & statuta mea observabitis, ut incedatis in eis; Ego Dominus Deus vester. Observabitis statuta mea, & judicia mea, quæ si fecerit homo, tam vivet in eis; ego Dominus. Vir vir ad omnem propinquam carnis non accedetis ad denudandum turpitudinem; Ego Dominus. Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non denudabis, mater tua est ipsa, non denudabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non denudabis, turpitudo patris tui est ipsa. Turpitudinem soro-*

ſororis tuæ filiæ patris tui, aut filiæ matris tuæ, natæ domi, vel natæ foris, non denudabis turpitudinem earum. Turpitudinem filiæ filii tui, aut filiæ filiæ tuæ, non denudabis turpitudinem earum, turpitudo tua eſt earum. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, natæ patris tui (ſoror tua eſt) non denudabis turpitudinem ejus. Turpitudinem ſororis patris tui non denudabis; propinqua patris tui eſt ipſa. Turpitudinem ſororis matris tuæ non denudabis, quia propinqua matris tuæ eſt. Turpitudinem fratris patris tui non denudabis, ad uxorem ejus non accedes; amita tua eſt ipſa. Turpitudinem nurus tuæ non denudabis, uxor filii tui eſt ipſa, non denudabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris fratris tui non denudabis; turpitudo fratris tui eſt ipſa. Turpitudinem mulieris & filiæ ejus non denudabis; filiam filii ejus, & filiam filiæ ejus non decipies ad denudandum turpitudinem ejus, propinquæ ſunt; Scelus eſt illud. Jonathan ומליל יי׳ אל משה למימר דבר מליל עם בני ישראל ותימר להון אנא הוא יי אלהכון כעובדין בישין דעמא דארעא דמצרים דיתיבתון בה לא תעבדון והיכעובדין בישין דעמא דארעה דכנען דאנא מעיל יתכון לתמן לא תעבדון ובנימוסיהון לא תהכון ית סדרי דיניי תעבדון וית קיימי תיחרין להלכא בהון אנה יי אלהכון ותמרון ית קיימי וית סררי דיניי דאין יעבד נתהון אינשא וייחי בהון בחיי עלמא וחולקיה עם צדיקיא אנא יי גבר טלי וגבר ריב לכל קריבה בישסיה לא תקרבון לבזאה עירייתא בתשמישתא ובפרסומי עירייא אנא יי עריית אביך ועריית אמך לא תיבזי איתא לא תשמש עם אבהא וגבר לא ישמש עם אמיה איםך היא ערית איתת אבוך לא תבזי מטול דעריתא דאבוך היא ערית אחתך ברת אביך או ברת אמך מה דיוליד אבך מן איתא אוחרי או מן אמך או מה גילידת אמך מן אבך אוסן גבר חורן לא תבזי עריתהן עירית ברת בנך או ברת ברתך לא תבזי עריותהן ארום הי בעיריתך הינין עירית ברת איתת אבוך דילידת מן אבך אחתך הוא לא תבזי עירויתה ערות אחת אבך לא תבזי קריבת בשר אבך היא עיריית אחת אמך לא תבזי ארום קריבת בשר אמך היא עיריית אחבוך לא תבזי ולית אינתתיה לא תקרב בתשמיש ערסא איתת אחבוך היא עירית כלתך לא תבזי איתת ברך היא לא תבזי עריתה עירית איתת אחוך לא תבזי בחיי אחוך ובתר מותיה אין אית ליה בנין עירייתא דאחוך היא עירית איתא וברתא לא תבזי יתברת ברה וית ברת ברתה לא תיסב לבזאה עררייתה קריבה בישרא הינון וני היא ואיתתא בחיי אחתא לא תיסב לאעקא לה לבזאה עררייתה עלה כל יומי חייתא: *Et locutus eſt Dominus cum Moſe dicendo. Loquere cum filiis Iſrael, & dices illis. Ego ſum Dominus Deus veſter. Juxta opera mala terræ Ægypti, in qua habitaſtis, non facietis, & ſicut opera mala populi terræ Chanaan, quo ego introduco vos, non facietis, & in ſtatutis eorum non ambulabitis. Ordines judiciorum meorum facietis, & pacta mea obſervabitis ad ambulandum in eis; ego Dominus Deus veſter. Cuſtodietis itaque ſtatuta mea, & ordines judiciorum meorum, quæ ſi fecerit homo, vivet in eis vita ſeculi, & portio ejus cum juſtis erit: Ego Dominus. Vir juvenis aut ſenex, ad ullam propinquam carnis ſuæ non accedetis ad contemnendum turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non contemnes; mulier non rem habebit cum patre ſuo, & vir non coibit cum matre ſua; mater tua eſt; non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non reteges, quia turpitudo patris tui eſt. Turpitudinem ſororis tuæ, filiæ patris tui, aut filiæ matris tuæ, quam genuit pater tuus ex uxore alia, aut ex matre tua, aut quam peperit mater tua ex patre tuo, aut ex viro alio; non reteges turpitudinem eorum. Turpitudinem filiæ filii tui, aut filiæ filiæ tuæ, non nudabis turpitudinem earum, quoniam ſicut turpitudo tua ſunt. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam perperit ex patre tuo ſoror tua eſt, non nudabis turpitudinem ejus. Turpitudinem ſororis patris tui non reteges, quoniam propinqua carnis patris tui eſt. Turpitudinem ſororis matris tuæ non revelabis, quoniam propinqua carnis matris tuæ eſt. Turpitudinem fratris patris tui non revelabis, & ad uxorem ejus non accedas concubitu lecti; uxor patrui tui eſt. Turpitudinem nurus tuæ non reteges, uxor filii tui eſt; non revelabis turpitudinem ejus: Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, vivente fratre tuo, aut poſt mortem ejus, ſi habeat filios; turpitudo fratris tui eſt. Turpitudinem mulieris & filiæ ejus non revelabis; filiam filii ejus aut filiam filiæ ejus non accipies, ad affligendum eam, ad revelandam turpitudinem ejus ſuper ipſam omnibus diebus vitæ ejus.*

Peſiktha h. l. 23. 3. וידבר יי׳ אל משה לאמר דבר אל בני ישראל ואמרת אליהם דבור ואמירה להזהיר גדולים על הקטנים אני יי׳ אלהיכם אני הוא שקבלתם מלכותי על הר סיני כשאמרתי אנכי יי׳ אלהיך אני הוא שאמרתי והיה העילם אני דיין ומלא רחמים אני דיין להפרע אני נאמן לשלם שכר במעשה ארץ מצרי׳ מלמד שהתעיבו המצרים מעשיהם על כל אומה וביותר מקום שהיו ישראל יושבין שנ׳ אשר ישבתם בה וכמעשה ארץ כנען מלמד שהתעיבו הכנענים מעשיהם מכל אומה וביותר מקום שבאו בני ישראל שנ׳ אשר אני שביא אתכם שמה ובחוקותיהם לא תלכו מלמד שחקות הגוים הבל הם וכן ירמיהו אומ׳ כי חוקות העמי׳ המי׳ הבל המה תר׳ ובחקותיה׳ לא תלכו לא אמורתי אלא

בחוקי תועבותיהם ומה היו עושין האיש
נושא לאיש ואשה נושאת אשה והאשה
נישאת לשנים והאיש נושא אשה ובתה ד"א
ובחקותיהם לא תלכו אלו שמנו חכמים שהם
מדרכי האמורי את משפטי תעשו אלו
הדינין ואת חקותי תשמרו ללכת בהם לא
המדרש הוא העיקר אלא המעשה אני יי'
אלהיכם נאמן לשלם שכר ושמרתם את
חוקותי ואת משפטי אשר יעשה אותם
האדם וחי בהם ליתן שמירה ועשייה לחוקים
ושמירה ועשייה למשפטים וחי בהם לעולם
הבא אני יי' נאמן לשלם שכר ד"א ושמרתם
את חקותי אלו מצות הדעת ואת משפטי
אלו שאומות העולם משיבין עליהם כגון
לבישת שעטנז וכלאים ואכילת חזיר איש
איש להביא הגוים שהן מוזהרין על העריות
כישראל לא תקרבו לגלו' אחד האיש ואחד
האשה מוזהרין על העריות ד"א לא תקרבו
לגלו' קריבה של גלוי עריות אסור אבל
שאינה של גלוי עריות מותר שהרי אדם
מנשק ומחבק את אחותו ואת דודתו ואת
אמו עולא אמר אפילו שום קריבה אסור
לך לך אמרין נזירא סחור סחור לכרמא לא
תקרב אני יי' שאם אין מכיר בו אלא בוראו
הוא פורע ממנו שנ' ומתר פנים ישים כלומר
יושב בסתר עליון פנים ישים אני יי' לשלם
שכר טוב לשומרי מצותי ואלו הן העריות
שחייבין עליהן כרת אמו ואשת אביו
ואחותו בין מן האב בין מן האם בתו בת
בנו בת בתו בת אשתו בת בנה ובת
בתה חמותו ואם חמותו ואם חמיו ואחות
אביו ואחות אמו בין מן האב בין מן האם
ואשת אחי האב מן האם וכלתו ואשת
אחיו בין מן האב בין מן האם ואחות אשתו
בין מן האב בין מן האם הבא על אחת
מכל העריות האלה הוולד ממזר ועשאה זונה
ופסולה לכהונה ואינה צריכה הימנו גט לפי
שאין תופשין בה קידושין ערות אביך וערות
אמך אביך ממש מלמד שחיוב עליו שתים
משום זכור ומשום ערות אב וערות אמך
זו האם לא תגלה בין בחיי האב בין אחר
מיתת האב אמך היא משום אמו אתה
מחייבו ואי אתה מחייבו שתים משום אמך
ומשום אשת האב דברי רבי יהודה ד"א אמך
היא בין מן האירוסים בין מן הנישואין
ערות אשת אביך זו אשת האב אעפ'
שנתגרשה הימנו לא תגלה ערותה ערות
אביך היא אפי' לאחר מיתת אביך ערות
אחותך בת אביך או בת אמך זו בת אביו
שלא בת אמו ובת אמו שלא בת אביו
מולדת בית או מולדת חוץ והוא מפורש
על בת אביך או בת אמך ד"א מולדת
בית או מולדת חוץ בין שאומרין לאביך
הוציא כגון אלמנה לכהן גדול גרושה וחלוצה
לכהן הדיוט וכו' ד"א מולדת בית או מולדת
חוץ בין מן הנישואין בין מן האירוסין
אסורה משום אחות שאעפ' שאנס אביו אשה
וילדת לו בלא קידושין אסורה היא להם
משום שחותו ערות בת בנך או בת בתך
לא תגלה ערותן כי ערותך הנה ולא זכר
בתו אלא למדנו בתו מגזירה שוה כתיב
הכא כי ערותך הנה וכתי' שארה הנה זמה
היא מה להלן ג' דורו' בתה ובת בתה ובת
בנה אף כאן ג' דורות בתו ובת בתו ובת
בנו תדע שהרי בעונש לא אמר הכתוב איש
אשר יקח את אשה ואת בתה זמה היא
אלא אשר יקח את אשה ואת אמה זמה
היא אלא ללמד מהם גזירה שוה בתו וכת
אשתו מה להלן ג' דורות אף כאן ג' דורות
ומה ג' דורות למטה בת אשתו ובת בתה
אף ג' דירות למעלה חמותו ואם חמותו ואם
חמוי ערות בת אשת אביך מולדת אביך
מה בא ללמדינו אם על אחותו בת אביו
שלא בת אמו או בת אמו שלא בת אביו
הרו כבר נאמ' ערות אחותך בת אביך או
בת אמך אלא זו היא בת אשת אביו מאביו
שהיא נת אמו מאביו ומהו אשת אביך שיש
לה אישות ממנו לכך נאמר אחותך היא
שהיא אחותך ממש ללמדך שאין מזהרים
מדין קו' לומר אם על אחותו בת אביו שלא
בת אמו בת אמו שלא בת אביו חייב בת
אמו ובת אביו לה כש' אלא לומר שאין
מזהירין מן הדין ולכך הפריש בין האחיות
ללמדך כשם שאין בתו נלמדת מדין קו'
אלא בפירוש ובתו אתיא ליה מדרשא כדרבא
דאמר רבא אתיא הנה הנה מה להלן ג'
דורית אף כאן ג' דורות אתיא זמה זמה לגבי
עונש כת' הכא שארה הנה זמה היא וכתיב
בעונש באש ישרפו אותו ואתהן מה להלן
בשריפה אף כאן בשריפה אבל בת אשת
אביו שלא בת אביו מותרת לו ערות אחות
אביך וגומ' ערות אחו' אמך וגומ' שאר אביך
היא כי שאר אמך היא לפי שיצאו מבשר
אחר נקראין שאר על שם ואשר אלו שאר
עמי וגו' כי אמיתת שאר הוא בשר לפיכך
אמרו שארו זו אשתו שהיא בשר אחד עם
בעלה שנ' והיו לבשר אחד ערות אחי אביך
זה דודו וחייב עליו שתים משום זכור ומשום
דוד אל אשתו לא תקרב דודתך היא למדנו
לענין עריות שהשה כבעלה וכן אמרו רבותינו
במסכת סנהדרין דודתך היא בתמיהה אשת
דודו היא אלא מלמד שהאשה כבעלה
ערות כלתך זו אשת הבן אשת בנך היא
שחייב עליה בין בחיי בנו בין לאחר מיתת
בנו ערות אשת אחיך לא תגלה ערות אחיך
היא פרט לשמת אחיו בלא בן ערות אשה
ובתה שיש לה אישות הימנו שארה הנה זמה
היא ללמד מכאן גזרה שוה לחמותו ואם
חמיו ואם חמותו ג' דורו' למעלה מג' דורות
למטה ואשה אל אחותה לא תקח לצרור
לא אותה ולה את צרתה לגלות ערותה
עליה עליה מה תל' לפי שנ' יבמה יבא עליה
שומע אני אפילו במקום ערוה שנ' ואשה אל
אחותה לא תקח אפילו במקום עליה שאם
נשאו שנים אחים שתי אחיות ומת אחד
מהן הן בלא בן אסור לישא את אחותה
ואפילו צרת אחו' אשתו אסורה לו שנ' לצרור
לא היא ולא צרתה מכאן אמרו חמש
עשרה נשים פוטרות צרותיהן וצרות צרותיהן
מן החליצה ומן היבום עד סוף כל הדורות
ושאר כל העריות למדי מאחות אשה מה
אחות אשה ערוה ופוטרת צרתה מן החליצה
ומן חבום אבל לאחר מיתתה מותר באעות'
אף כל העריו' ששנינו במסכת יבמות בתו
ובת

ובת בתו וכו׳ פוטרות צרותיהן מן החליצה ומן היבום בחייה׳ אסור אבל לאחר מיתתה מותר באחותה׳ שלא אסרה תורה אלא בזמן שנעשו צרות זו לזו ושאמר שתי נשים בעל בעלא אסורו׳ בידוע שאין להם לא דרת ולא חוק שהתי כמה צריקים נשאו שתי נשים כגון אלקנה ודוד ושלמה ובדברי הימים כמה נמאו בשתי נשים אלא ודאי כשם שטעו בשתי נשים כך טעו בשתי אחיות בני ישבו אחים יחדי שגם אלו אחיו׳ ורבותי׳ חקרו ודרשו התורה על בוריה כנתינתה מהר סיני׃

Et locutus est Dominus ad Mosen dicendo. Loquere ad filius Israel, & dices eis. Allocutio & dictio est ad præmonendum majorennes pro minorennibus. *Ego Dominus Deus vester.* Ego sum ille; cujus regnum recepistis super monte Sinai, quando dixi. *Ego Dominus Deus tuus.* Ego sum qui dixi; & fuit mundus. Ego judex, & plenus miserationum. Ego judex ad ulciscendum, ego fidelis ad compensandum mercedem. *Secundum opus terræ Ægypti.* Docemur quod abominabiles facti fuerint Ægyptii in operibus suis præ omnibus gentibus & multo magis ubi habitarunt Israelitæ. Dictum est enim. *In quo habitastis. Et secundum opus terræ Chanaan.* Docemur quod abominabiles facti sint Chananæi in operibus suis præ cunctis gentibus, & multo magis in locis, quo venturi erunt filii Israel. Dictum est enim. *Quo ego introducturus sum vos. Et in statutis eorum non incedetis.* Docemur, quod statuta gentilium vana essent. Et sic *Jeremias* dixit: *Quia statuta populorum vana sunt.* Tradiderunt sapientes nostri. *Et in statutis eorum non incedetis.* Quid faciebant? Vir nubebat viro, & fœmina nubebat fœminæ, & fœmina nubebat duobus; & vir nubebat mulieri, & ejus filiæ. Alia expositio: *Et in statutis eorum non incedetis.* Hinc statuerunt sapientes quod essent instituta Amorrhæorum. *Judicia mea facietis.* Hæc sunt judicia; *Et statuta mea observabitis ut incedatis in eis.* Meditatio non est fundameutum sed operatio. *Ego Dominus Deus vester.* Fidelis ad compensandam mercedem. *Et observabitis statuta mea, & judicia mea, quæ si fecerit homo, tum vivet in eis.* Ut tribuatur observatio & operatio statutis, & observatio & operatio judiciis; *tum vivet in eis.* In seculo futuro: *Ego Dominus.* Fidelis ad compensandam mercedem. Alia expositio: *Et observabitis statuta mea:* Hæc sunt præcepta scientiæ. *Et judicia mea.* Hæc sunt de quibus disputant nationes: Hoc est de induendo heterogeneo lanæ & lini, & de heterogeneis, & de comedendo porco. *Vir, vir;* ad includendum gentiles, qui sicut Israelitæ præmonentur de præcepto: *Non accedetis ad denudandum.* Tam vir quam fœmina præmonentur. Alia expositio: *Non accedetis ad denudandum.* Accessio turpitudinum interdicta est, verum si non fuerit accessio turpitudinis causa, permissa est. Etenim potest homo osculari, & amplexari sororem & amitam, & matrem suam. Ela dicit: Vel causa accessionis interdictum est. Veni, veni, dicunt Nazyreo: Circumcirca vineam non accedes. *Ego Dominus.* Si non cognoscat in eo mihi creatorem suum, ipse de illo ulciscetur. Dictum est enim *Job* XXIV. 15. *Et operiat vultum suum:* Quasi dicat, sedens in abscondito excelsus faciem ponet. *Ego Dominus:* Ad solvendam mercedem: Bonum erit observantibus præcepta mea. Istæ sunt turpitudines, quarum causa rei sunt excidii: Si concubuerit cum matre sua, & uxore patris sui, & cum sorore sua tam ex patre quam ex matre, si cum filia sua, & filia filii sui, & filia filia suæ, & filia uxoris suæ, cum socru sua, & matre socrus suæ, & cum matre soceri sui, & cum sorore patris sui, & cum sorore matris suæ tam ex patre, quam ex matre, & cum uxore fratris patris ex matre, & cum ejus sponsa, & cum uxore fratris tam ex patre quam ex matre, & cum sorore uxoris suæ tam ex patre quam ex matre; Si quis cum aliqua ex his turpitudinibus congrediatur, filius est spurius, & illa fit meretrix, & illegitima est sacerdotio, neque repudium necessarium est, quia in eo non comprehenduntur sponsalia. *Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ. Patris tui* absolute. Docemur, quod in hac bis teneatur; propter: *memento.* Et propter turpitudinem patris. *Turpitudinem matris tuæ.* Hæc est mater. *Non denudabis.* Tam vivo quam mortuo patre. *Mater tua est ipsa.* Propter matrem tu obligaris; at bis non obligaris propter matrem, & propter uxorem patris. Verba R. Jehuda. Alia expositio: *Mater tua est ipsa.* Sive fuerit ex desponsatis, sive ex nuptis. *Turpitudinem uxoris patris.* Hæc est uxor patris: Vel si ab eo fuerit repudiata. *Non denudabis turpitudinem ejus. Turpitudo patris tui est ipsa.* Vel post mortem tui patris. *Turpitudinem sororis tuæ, filiæ patris tui, aut filiæ matris tuæ.* Si sit filia patris sui, ut non matris suæ, aut filia matris suæ, at non patris sui *natæ domi, vel natæ foris.* Et hæc est expositio de filia patris tui, & de filia matris tuæ. Alia expositio: *Natæ domi, aut natæ foris.* Si dicunt patris tui; excludatur ego vidua summo sacerdoti, repudiata & quæ calceum exuit, sacerdoti vul-

vulgari &c. Alia expositio. *Natæ domi, aut natæ foris*. Sive fuerit ex nuptis sive ex desponsatis interdicta est titulo sororis, vel si pater coegerit mulierem, & nata sit sine sponsalibus, interdicta est illi titulo sororis. *Turpitudinem filiæ filii tui, aut filiæ filiæ tuæ non denudabis turpitudinem earum, turpitudo tua est earum*. Non memorat filiam suam, nisi ut doceamur de filia sua a pari. Scriptum est hic. *Quoniam turpitudo tua est earum*. Pariterque scriptum est: *Propinquæ sunt; scelus est illud*. Sicut ibi intelligitur de tribus generationibus, sc. de filia sua, & de filia filiæ suæ, & de filia filii sui, ita pariter hoc loco de tribus generationibus, sc. de filia sua, de filia filiæ suæ, & de filia filii sui. Scito quod in pœna non dixerit textus. *Vir qui acceperit mulierem & filiam ejus: scelus est illud*. Sed hoc dicit. *Vir qui acceperit mulierem & matrem ejus: scelus est illud*. Ut ex his doceare a pari de filia sua & de filia uxoris suæ; sicut ibi intelligitur de tribus generationibus, ita pariter hoc loco de tribus generationibus; Sicut tres generationes descendentes comprehendunt filiam uxoris suæ, & filiam filiæ suæ, ita pariter tres generationes adscendentes comprehendent socrum suam, & matrem socrus suæ, & matrem soceri sui. *Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, natæ patris tui*. Quid venit ad nos docendum? Si de sorore sua filia patris sui, quæ non sit filia matris suæ, aut de filia matris suæ, quæ non sit filia patris sui; ecce jam scriptum est: *Turpitudinem sororis tuæ filiæ patris tui, aut filiæ matris tuæ*. Verum hæc est filia uxoris patris sui ex patre suo, quæ sit filia matris suæ ex patre suo; Quid significat: *uxoris patris tui?* Ut sit illi ex eo matrimonium. Idcirco dictum est: *Soror tua est*: Ut sit illa absolute tua soror. Ut doceare, quod argumento a minori ad majus non præmonerentur. Si propter sororem suam filiam patris sui, quæ non sit filia matris suæ, aut sit filia matris suæ, at non sit filia patris sui, reus est, pro filia matris suæ & pro filia patris sui quanto magis? Sed dicit quod argumento a minori ad majus non præmoneantur. Ideoque distinguit inter sorores; ut doceare; sicut filia sua non demonstratur argumento a minori ad majus, sed tantum explicatione: & filia sua probatur demonstratione justa sententiam Raba; Dicit enim Raba; adducatur הנה הנה: Sicut ibi comprehendit tres generationes, ita pariter hoc loco tres generationes; Probetur זמה זמה. De pœna scriptum est hoc loco. *Propinquæ sunt; scelus est illud*. Et scriptum est in pœna *Levit*. XX. 14. *Et igne combures illum & illas*. Sicut ibi combustione, ita pariter hoc loco combustione. Verum filia uxoris patris sui, quæ non sit filia patris sui, est illi permissa *Turpitudinem sororis patris tui &c. Turpitudinem sororis matris tuæ &c. Propinquæ patris tui est ipsa; quoniam propinqua matris tuæ est ipsa*. Quia ex una carne egressæ sunt, vocantur propinquæ. Ex eo quod dictum est *Mich*. III. 3. *Qui comederunt carnem populi mei &c*. Quia vere שאר est caro: Idcirco dixerunt: *caro sua*; hæc est ejus uxor, quia est una caro cum suo marito: Dictum est enim *Genes*. II. 24. *Eruntque in carnem unam. Turpitudinem fratris patris tui*: Hic est patruus; & ejus causa bis tenetur; propter præceptum; *memento*; & propter patruum. *Ad uxorem ejus non accedes; amita tua est ipsa*. Docemur respectu turpitudinum, quod uxor consideretur sicut maritus. Et sic dixerunt sapientes nostri f. m. in tractatu *Sanhedrin*. *Amita tua est ipsa*. Cum admiratione. *Uxor patris tui est ipsa*: Sed docemur quod uxor consideretur sicut maritus. *Turpitudinem nurus tuæ*. Hæc est uxor filii. *Uxor filii tui est ipsa*: Ut pro illa reus sit tam vivo, quam mortuo filio. *Turpitudinem uxoris fratris tui non denudabis. Turpitudo fratris tui est ipsa*. Excludit si ejus frater sine filiis mortuus fuerit. *Turpitudinem mulieris & ejus filiæ*. Quæ sibi nupta sit: *Scelus est illud*. Ut hinc doceat de socru sua, de matre soceri sui, & de matre socrus suæ. Ut demonstrentur tres generationes adscendentes ex tribus generationibus descendentibus. *Et mulierem cum sorore sua non accipies ad æmulandum*. Non ipsam, neque ejus æmulam; *ad denudandum turpitudinem ejus super eam; super eam*. Cur dictum est? Quia dictum est *Deut*. XXV. 5. *Levir ejus ingredietur ad eam*. Crederem vel in turpitudine? Idcirco dictum est: *Et mulierem cum sorore ejus non accipies*. Si duo fratres duxerint duas sorores, & unus ex iis mortuus fuerit sine filiis, prohibetur ducere ejus sororem; vel æmula sororis uxoris interdicta est. Dictum est enim. *Ad æmulandum*. Neque illam neque ejus æmulam. Hinc dixerunt: Quindecim mulieres liberant æmulas suas, & æmulas æmularum suarum a discalceatione, & a leviratu usque ad finem omnium generationum: & reliquæ omnes turpitudines demonstrantur a sorore uxoris; sicut soror uxoris propter turpitudinem est interdicta, & liberat æmulam a discalceatione, & a leviratu, tamen post ejus mortem licita est ejus soror, ita pariter in reliquis turpitudinibus, de quibus legimus in tractatu

Jeva-

Jevamoth, filia ſua, & filia filiæ ſuæ &c. liberant æmulas a diſcalceatione & a leviratu. In vita interdicitur, at poſt ejus mortem permiſſa eſt ejus ſoror, quia lex non interdixit niſi quando fieri poſſint inter ſe æmulæ; & quando dicit; Duæ uxores vulgo interdictæ ſunt; conſtat quod illis non ſit decretum, neque ſtatutum. Etenim quam multi juſti duxerunt duas uxores? e. g. Elcana, David, & Salomon; & in *Chronicis*; quam multi duxerunt duas uxores? Verum certum eſt, ſicut ſcortati ſunt in duabus mulieribus, ita pariter ſcortati ſunt in duabus ſororibus. Ex quo habitarunt fratres, ſimul cum iis fuerunt ſorores, & ſapientes noſtri optime perſcrutati ſunt, & inveſtigarunt legem, ſicut data eſt de monte Sinai &c. Ibi legimus in tractatu turpitudinum: Siquis deſponſet mulierem, ecce ſibi interdictæ ſunt ſeptem turpitudines propinquæ uxoris ſuæ, ſcil. mater ſua, & mater matris ſuæ, & mater patris ſui, filia ſua, & filia filiæ ſuæ, & filia filii ſui, & ejus ſoror; quando fuerit conſiſtentia; ſi cum aliqua ex his concumbat, ejus uxor non profanatur; ſi per virum concubitum paſſa fuerit, illi permittitur ad eum redire cum beneplacito; ejus interdictum eſt ſicut reliqua interdicta. Propter interdictum turpitudinis, quo concumbit cum illis, non opus habet libello repudii, excepta ſorore uxoris ſuæ; & uxore fratris ſui, & uxore viri, quæ opus habent libello repudii, quia illis poſt aliquod tempus poteſt eſſe permiſſio. Iſtæ ſunt turpitudines, mater ſua, & mater patris ſui, & ſoror ſua tam ex patre quam ex matre, filia ſua, & filia filiæ ſuæ, uxor ſua, & filia ſua, & filia filiæ ſuæ; & ſocrus ſua, & mater ſocrus ſuæ, & mater ſoceri ſui, & ſoror patris ſui, & ſoror matris ſuæ tam ex patre quam ex matre, & ſoror uxoris ſuæ, dum vivit, & uxor viri, & menſtruata; & iſtæ ſunt ſecundariæ, mater patris ſui, & mater matris ſuæ, & uxor patris ſui, & uxor patris matris ſuæ, & uxor filii filii ſui, & uxor fratris matris ſuæ, & uxor fratris patris ſui ex matre, mater patris patris ſui, & mater patris matris ſuæ. De cunctis ſecundariis quas numerarunt ſapientes, ſi nubat, filius erit legitimus; & in iis non eſt interdictum turpitudinis. Et uxor fratris matris ſuæ eſt ſecundaria tam ex patre, quam ex matre; filius eſt legitimus, & requiritur libellus repudii. Uxor ſoceri ſui, & uxor privigni ſui interdicta eſt, propter aſpectum oculi. Filia privigni eſt interdicta; & uxor privigni permiſſa eſt. At dixerunt ſapientes; Filia quæ adolevit inter fratres, eſt interdicta propter aſpectum oculi; Mulier adulterii ſuſpecta eſt interdicta huic, illi, & illi: Si dederit facultatem legato deſponſandi, & non redierit legatus, iſti vetitæ ſunt omnes mulieres, quæ ſunt in mundo, donec inveniatur mulier, quæ non habeat neque matrem, neque ſororem, neque filiam, neque ullam ex ſeptem turpitudinibus de quibus ſupra diximus; Etenim dubitamus, quod forte ejus legatus aliquam ex iis deſponſaverit.

Levit. XX. 11. 23. Iterum recenſentur
ואיש אשר ישכב אשת אביו ערות אביו
גלה מות יומתו שניהם דמיהם בם ואיש
אשר ישכב את כלתו מות יומתו שניהם
תבל עשו דמיהם בם וגו׳ ואיש אשר
יקח את אשה ואת אמה זמה הוא באש
ישרפו אתו ואתהן לא תהיה זמה בתוככם
וגו׳ ואיש אשר יקח את אחתו בת אביו או
Saul; qui fuit vir insignis in lege, & conjecit David oculos suos in illum, ut eum salvaret ab eorum manibus. Dixit David: Ecce eum traducam coram altare, & quemcunque recepit altare, meus erit. Traduxit eum coram altare, & cum orasset pro eo, & abiisset, recepit eum altare: Hinc scriptum est. *Clamabo ad Dominum altissimum, Deum qui benefacit mihi.* Quia convenit Deus S. B. cum David. *Et ipsi occisi sunt in diebus messis primis.* Scriptum est: *Messis hordeaceæ. Tollens autem Respha filia Ajab saccum, substravit sibi super terram.* Quid significat על הצור? Dicit R. Osajah; eo quod diceret. *Fortis; perfectu est opus ejus.* R. Abau bar Zemina nomine R. Osajah: Major est benedictio nominis præ maledictione nominis: De eo qui maledicit nomen Dei scriptum est: *Non erit suspensum cadaver ejus super ligno.* Et de illo, qui benedicit nomen Dei scriptum est: *A principio messis, donec stillaret aqua super eos:* Docet; quod fuerint appensa eorum cadavera a die decima sexta Nisan usque ad diem decimam septimam Marchesvan. Et prætereuntes dicebant. Quid isti peccarunt, quod in iis immutetur proprietas judicii? Et illi respondebant: Eo quod extenderint manus suas in proselytos attractos. Dixerunt: Si isti, qui non facti sunt proselyti nomine Dei, digni facti sunt, ut Deus S. B. requisierit eorum sanguinem; Qui fiat proselytus nomine Dei, quanto magis? Non est Deus sicut Deus vester; neque est gens sicut gens vestra; & non adhærebimus, nisi vobis. Multi peregrini proselyti facti sunt eo tempore. Hinc scriptum est: *Numeravit igitur Salomon omnes viros proselytos, fecitque ex eis septingenta millia, qui humeris onera portarent, & octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent.* R. Huna dicit: Diebus R. Eliefer ben Azaria voluerunt eos admovere: R. Abau protulit sententiam suam in diebus R. Eliefer. Dixit. Quis purificabit partem altaris? Hoc dicit: Josue eos removit. Vel si dicas, quod Josue eos removerit. Num omnes removit? Non removit nisi familias profanatas. Si dicas propter profanatas per peccata: Hinc probatur; si quis concumbat cum Nethinæa, non erit illi mulcta. Atqui legimus; siquis concumbat cum Nethinæa, erit illi mulcta: Dicit R. Eliefer. Erunt maledicti sicut serpens. Dictum est enim: *Et nunc maledicti vos:* Et scriptum est: *Et dixit vir Israelita ad fratrem suum.* Num erat ejus frater? At ea de causa, quod fecerint opus fratris. Dixit: Ego scio, quod dixerit Deus S. B. eo die quo ve-

ומר סה בהן והן אוכלין ונענשין ואני יורש
את הארץ לעצמי כך עשו אילו אמרו יודעין
אנו שהקב"ה אמ׳ לישראל כי החר תחרימם
החתי והאמורי והפרזי כאשר צוך יי׳ אלהיך
וכתיב לא תכרת להם ברית הרי אנו הולכין
ומרמים בהן והם כורתין עמנו ברית מה
נפשך יהרגו אותנו עברו על השבועה יקיימו
אותנו עברו על הגזירה בין כך ובין כך הן
נענשין ואנו יורשין הארץ רב נחמן בר יעקב
אמר מקבלין גרים מן הקרדויים ומן התר מוריים
ר׳ אבהו בשם ר׳ יוחנן מתניתא אמרה כן שגירי
תרמור כשירין דתנינן תמן כל הכתמים
הבאין מרקם טהורים הא גירי תרמור כשירין
רבי יעקב בר אחא אמר שמועתא רבי חנינה
רבי יהושע בן לוי חד מכשיר וחד מקבל
מאן דמכשיר מקבל ומאן דמקבל לא מכשיר
רבי יוסה בי רבי בון בשם רב נחמן בכל
ליוחסין עד נהר יזק ר׳ יוסי בי רבי בון אמר
רב ושמואל חד אמר עד נהר יזק וחד אמר
עד נהר יואני אמר רב יהודה בין הנהרות
כגולה ליוחסין א״ר חנינה בן ברוקה בשם
רב יהודה בני מישא לא חשו להם אלא
משום ספק חללות כהנים ששם לא הקפידו
על הגרושו׳ תמן אמרין מישא מתה מדין
חולה אילם וגביי גוססות חביל ימא תבבילתא
דבבל שנייא וגבביא וצרריא חבילתא
רחביל ימא ר׳ יעקב בר אחא בשם ר׳ יאשיה
דור אחד עשר שבממזר כר״ש כשר דלא
דריש עשירי עשירי תני רבי לעזר בי ר״ש או׳
דור אחד עשר שבממור זכרים אסורים
ונקיבות מותרות ר׳ שמואל בריה דרי יוסי בי
ר׳ בון אתיא דר׳ אלעזר בי רבי שמעון כר׳
מאיר כמה דר׳ מאיר אמר גזירה שוה במקום
שבאת בן ר׳ לעזר בי ר׳ שמעון אמר גזירה
שוה במקום שבאת מה להלן זכרים אסורין
ונקיבות מותרות אוף הכא זכרי׳ אסורין
ונקיבות מותרות מעתה אפי׳ מיד ובלבד
מעשירי ולמעלה שאלו את רבי אליעזר דור

vesceris ex eo, moriendo morieris. At ego vadam, & eos decipiam; & ipsi comedent, & punientur, & ego mihimetipsi hæreditabo terram: Ita fecerunt; illi dixerunt. Nos scimus, quod Deus S. B. dixerit Israeli. *At anathemata delendo anathemata delebis eas, Hittæcum, & Emorræcum, & Pherizzeum, sicut præcepit Dominus Deus tuus*. Pariterque scriptum est: *Non percuties cum eis fœdus:* Ecce nos ibimus, & decipiemus eos, & illi percutient nobiscum fœdus. Quid putas? Si nos occiderint, violabunt juramentum. Si nos conservent, transgredientur decretum: Sive hoc sive illo modo; illi punientur, & nos hæreditabimus terram. R. Nachman bar Jacob dicit: Recipiunt proselytos a Charduiim usque ad Thadmoræos. Rabi Abau nomine R. Jochanan. Misna ita dicit; quod proselyti Thadmor sint legitimi. Etenim ibi legimus. Omnes maculæ venientes ex Rekam sunt puræ; Ecce proselyti Thadmor sunt legitimi. R. Jacob bar Acha dicit: Traditio R. Chanina, R. Jehosua ben Levi. Alter probat, & alter recipit; qui probat, recipit, & qui recipit, non probat. R. Jose discipulus R. Bon nomine R. Nachman. Omnes genealogiæ usque ad fluvium Jozach. R. Jose discipulus R. Bon dicit R. Samuel; alter dicit usque ad fluvium Jozach, & alter dicit usque ad fluvium Joani. Dicit R. Jehuda. *Spatium inter fluvios reputatur ut* captivitas pro genealogiis. Dicit R. Chanina bar Beroka nomine R. Jehuda. Filii Miscia non sunt soliciti nisi propter dubium profanationum. Sacerdotes, qui ibi sunt, non sunt soliciti de repudiatis. Ibi dixerunt. Miscia Matha Mudin, Chola, Elam, & Gababai, Gosasoth, Chavilimah, Thaviltha Babel, Sceniah, & Gababiah, & Isarajah, Ihabiltha limo Chavil. R. Jacob bar Acha nomine R. Josia: Generatio undecima, quæ fit in spurio, juxta mentem R. Simeonis, est legitima, qui non interpretatur decimam decimam. Traditio. R. Eliesser discipulus R. Simeonis dicit: In generatione undecima, quæ est in spurio, mares sunt interdicti, & fœminæ sunt licitæ. R. Samuel bar R. Jose discipuli R. Bon. Consentit R. Eliesser discipulus R. Simeonis cum R. Meir. Sicut dicit R. Meir a pari e loco unde tu adducis, ita pariter R. Eliesser discipulus R. Simeones dicit; a pari a loco unde tu adducis; Sicut ibi mares sunt interdicti, & fœminæ sunt licitæ: Hinc probatur vel statim; dummodo sit a generatione decima & ulterius; Quæsierunt a R. Eliesser. Generatio undecima in spurio quid erit?

אחר עשר שבממזר מהו אמר להן הביאו לי
דור שלישי ואני מטהרו מאי טעמא דר
אליעזר דלא חיי ואתייא דר' אליעזר בר' חנינה
דאמר רבי חנינה אחת לס' לע' שנה הקב"ה
מביא דבר בעולם ומכלה את הממזרים
ונוטל עמהן כשירים שלא לפרסם לחטאים
ואתייא כההיא דאמר ר' לוי בשם ר' שמעון
בן לקיש במקום אשר תשחט העולה תשחט
החטאת לפני יי' שלא לפרסם את החטאים
וגם הוא חכם ויבא רע לא מסתברא דלא
וגם הוא חכם ויבא טוב אלא ללמדך אפילו
רעה שהקב"ה מביא לעולם בחכמה הוא
מביאה ואת דבריו לא הסיק וקם על בית
מריעים ועל עזרת פיעלי און רב הונה אמר
אין ממזר חיי יותר משלשים יום ר' זעירא
כד סלק להכא שמע קלין קריי ממזרא
וממזרתה אמר לון מהו כן הא אזלה ההיא
דר' הונא דרבי הונא אמ' אין ממזר חיה יותר
משלשי יום אל ר' יעקב בר אחא עמך הייתי
כד אר' אבא רב הונא כשם רב אין ממזר
חיי יותר משלשים יום אימתי בזמן שאינו
מפורסם אבל אם היה מפורסם חיי הוא ר'
יסא בשם ר' יוחנן אף לעתיד לבוא אין
הקב"ה נזקק אלא לשבט לוי מה טעמא וישב
מצרף ומטהר כסף וטיהר את בני לוי וזיקק
אות' וגו' אר' זעירא כארם שהו' שותה
בכוס נקי אר' הושעיה בגין דלית אנן לויים
נפסיד אר' חנינה בריה דרבי אבהו אף לעתיד
לבוא הקב"ה עושה עמהן צדקה מה טעמא
היו ליי' מגישי מנחה בצדקה אר' יוחנן כל
משפחה שנשתקע בה פסול אין מדקדקין
אחריה אר' שמעון בן לקיש מתניתא אמרה
כן משפחת בני צריפה היתה בעבר הירדן
וריחקה בן ציון בזרוע ועוד אחרת היתה שם
וקרבוה בני ציון בזרוע ולא ביקשו חכמים
לפרסמן אבל חכמים מוסרין אותן לבניהן
ותלמידיהן פעמיים בשבוע אר' יוחנן העבודה
שאני מכירן ומה נעשה ונשתקעו בבן גדולי
הדור אר' יהושע בן לוי חמשה אלפים עבדים
היו לפשחור בן אימר וכולם נשתקעו בכהונה

Respondit: Afferant mihi generationem tertiam, & ego eam purificabo. Quænam est ratio R. Eliesèr? Quod non vivat. Hæc est sententia R. Eliesèr bar Chanina, qui dicit: Sexagesimo aut septuagesimo quoque anno Deus S. B. adducit pestem in mundum, & absumit omnes spurios, & sumit cum illis legitimos, ne publicentur peccatores: Et statuitur juxta illud, quod dicit R. Levi nomine R. Simeonis ben Lakisch. *In loco ubi mactatur holocaustum, mactabitur sacrificium pro peccato coram Domino*; Ne publicentur peccatores. Atque etiam ipse cum sit sapiens adducit malum; nonne erit probabile, cum sit sapiens, ut adducat bonum? Sed ut doceare, vel si malum Deus S. B. adducat in mundum; non ex ea ratione: *Cum sapientia ipse adduxit malum, & verba sua non abstulit, & consurget contra domum pollutam, & contra auxilium operarium iniquitatem*: Rabi Huna dicit. Spurius non vivit ultra triginta dies. R. Zehira quando huc adscendit, audivit voces dicentes: spurius & spuria. Dixit illis; quid hoc est? Ecce venit R. Huna; etenim R. Huna dicit: Spurius non vivit ultra triginta dies. Respondit illi R. Jacob bar Acha: Tecum eram, quando dixit R. Aba, R. Huna nomine Rab; Spurius non vivit ultra triginta dies. Quandonam? Quando non fuerit publicatus; at si fuerit publicatus, vivit. R. Jose nomine R. Jochanan; Similiter tempore futuro Deus S. B. non mundabit nisi tribum Levi: Qua de causa? Quia dictum est: *Et stabis quasi defæcans, & purgans argentum, & mundabit filios Levi, & expurgabit eos &c.* Dicit R. Zehira; Quasi homo, qui bibat in poculo puro. Dicit R. Osajah; propterea quod ne nos, cum simus Levitæ, corrumpamur. Dicit R. Chanina bar R. Abau; In tempore futuro Deus S. B. facturus erit cum iis justitiam. Qua de causa? Quia dictum est: *Et erunt Domino admoventes munus in justitia*: Dicit R. Jochanan; De omni familia, cujus profanatio immergatur in eam, non inquiritur post eam. Dicit R. Simeon ben Lakisch. Misna ita dicit. Familia pura erat trans-Jordanem, & cum violentia filius Sion eam removit; & præterea ibi erat alia familia, & eam cum violentia filius Sion admovit; & noluerunt eam sapientes publicare; At sapientes tradiderunt eos filiis suis, & discipulis suis bis in hebdomada. Dicit R. Jochanan: Per ministerium, quod eos cognosco: Quid faciemus? Immergantur cum iis magnates generationis. Dicit R. Jehosua ben Levi. Quinque millia servorum erant τῷ Pe-

גדולה הן הן עזי פנים שבכהונה א"ר אלעזר עיקר טירונייא שלהן ועמך כמריבי כהן א"ר אבהו שלש עשרה עיירו' נשתקעו בכותים בימי שמר אשרין הדא עדן רמשאה מינהון א"ר חנינה מתניתא דלא כר' יודה דר' יודה אמר ארבע קהילות הן קהל כהנים קהל לויים קהל ישר' קהל גרים מתיבין לרבי יהודה והכתיב לא יבוא פצוע דכא וכרות שפכה בקהל יי' פסולי גוף אינון והכתיב בנים אשר יוולדו להם דור שלישי יבא להם בקהל יי' בעשה אינון ורבנין אמרין שלשה קהילות הן קהל כהנים קהל לוי קהל ישראל לא יבא לא יבא לא יבא.

הלכה ב' אי זהו שתוקי כו מהו ברוקי ברוק אחריו אחוי דר' יהודה בר זבדי בשם רבי תינוק כל זמן שהוא מושלך בשוק או אביו או אמו מעידין עליו נאסף מן השוק צריך שני עדים אביו ואמו בשני עדים הן רבנון דקיסרין בשם רב הסדא הדא דארת אמר בתינוק שאינו מרגיע אבל בתינוק שהוא מרגיע צריך שני עדים ואביו כשתי עדים הן ואתייא כההיא דא"ר ינאי עגלים וסייחין המקפצין אין להן חזקה רבי בא בשם רב חסדא שלשה הן שהן נאמנין על אחר היה ושיירה והמטהרת חברותיה היה ותקח המיילדת ותקשר על ידי שני לאמר זה יצא ראשונה ושיירה כההיא דאמר ר' אבא אחוי דיהודה בר זבדי בשם רב תינוק כל זמן שהוא מושלך לשוק או אביו או אמו מעידין עליו נאסף מן השוק צריך שני עדים אביו ואמו כשני עדים הן והמטהרת חברותיה כההיא דתנינן תמן שלש נשים ישינות במיטה אחת נמצא דם תחת אחת מהן כולן טמאות בדקה אחת מהן ונמצאת טמאה היא טמאה ושתים טהורות אמר רבי בא ובלבד מעת לעת.

Pesachor filio Emmer, & omnes immersi sunt in summo sacerdotio: Illi erant impudentiores in sacerdotio. Dicit R. Eliesser: Fundamentum ejus tyrannidis erat. *Populus enim tuus, sicut hi qui contradicunt sacerdoti*. Dicit R. Abau. Tredecim civitates immersæ sunt cum Cuthæas; tempore decreti. Dixerunt. Adan Ramascia fuit ex illis. Dicit R. Chanina. Missna non est juxta mentem R. Jehuda, etenim R. Jehuda dicit: quatuor congregationes erant, congregatio sacerdotum, congregatio Levitarum, congregatio Israelitarum, & congregatio Proselytorum. Opponitur τῷ R. Jehuda; Nonne scriptum est. *Non ingredietur fissus testiculos, aut sectus virgam in congregationem Domini?* Isti sunt corpore vitiati. Atqui scriptum est. *Filii, quos sibi generabunt, generatione tertia ingredientur in congregationem Domini.* Ex præcepto affirmativo illi sunt: At sapientes dicunt: Tres congregationes sunt; congregatio sacerdotum, congregatio Levitarum, & congregatio Israelitarum: *Non ingredietur, non ingredietur, non ingredietur.*

Constitutio II. Quinam est Schetuki? Quinam est Beduki? Inquiret post eum. Frater R. Jehuda bar Zebedi, nomine Rabi. Puer quandiu incedit per plateam, aut ejus pater, aut ejus mater de illo testificantur. Qui colligitur ex platea opus habet duobus testibus, ejus pater & mater reputantur duo testes. Sapientes Cæsarienses nomine R. Chasda, quod dicis, intelligitur de puero, qui non sit in momento, at puer, qui sit in momento, opus habet duobus testibus; & pater & mater reputantur duo testes; & statuitur juxta id, quod dicit R. Inai. Vitulis & asellis, qui exiliant, non est illis præsumtio. R. Ba nomine R. Chasda; Tres sunt, qui sunt fide digni pro alio; Obstetrix, & turma & quæ purificat sociam suam. Obstetrix. *Et accepit obstetrix, & alligavit ad manum ejus filo coccineo dicendo: iste egressus est prior.* Iste primus prodiit juxta illud quod dicit R. Aba frater Jehuda bar Zebedai nomine Rab. Puer quandiu incedit per plateam, aut ejus pater, aut ejus mater de eo testificantur: Collectitius ex platea, opus habet duobus testibus; & ejus pater & mater reputantur duo testes; & quæ purificat sociam suam, juxta illud quod ibi legimus; Si tres mulieres dormiant in lecto uno, si sub una earum deprehendatur sanguis, omnes sunt immundæ: Si una ex illis se exploret, & deprehendatur immunda, ipsa erit immunda, & duæ erunt mundæ. Dicit R. Ba; dummodo se exploret de hora in horam.

Con-

הלכה ג׳ כל האסורין לבוא בקהל וכו׳. רבי
ירמיה אמר כללא פצוע דכא ישראל מותר
לו לישא ממזרת א״ר יוסי ובלבד פסול משפחה
הא פסול גוף לא חייליה דרבי יוסי מן הרא
דא״ר חלקיה ר׳ סימון בשם ר׳ יהושע בן לוי
לא שנו אלא פצוע דכא ישראל אבל פצוע
דכא בהן דאת אמר תמן כהן ברור אסור לו
לישא גיורת אף הכא ישר׳ ברור אסור לו
לישא ממזרת נישמעינה מן הרא דא״ר אימי
תני ר׳ יעקב גבולייא קומי ר׳ יוחנן ר׳ יצחק
בר טבלייי בשם רש״בל דברי ר׳ יהוד׳ ממזר
לא ישא ממזרת כדי שיכלו ממזירין מן
העולם ודכוותה עמוני לא ישא עמונית א״ר
יוסי בי רבי כון על דרבנין צריכה אין יסבור
ר׳ יהודה גירים פסולים בקהל יי׳ אינון לישא
עמונית אינו יכול שהיא קהל יי׳ אצלו לישא
מצרית אינו יכול שהוא קהל יי׳ אצלה א״ר
מתנייה משחררין שפחה ומשיאין לו ודכוותה
מצרי לא ישא מצרית נישמעינה מן הרא
תני ר׳ אבהו קומי רבי יוחנן א״ר יהודה
בנימן גר מצרי היה מתלמידי רבי עקיבה
אמר אני גר מצרי נשוי גיורה מצרית בני
בן גר מצרי ואני משיאו לגיורת מצרי ונמא
בן בני כשר לבוא בקהל אמר לו רבי עקיבא
לא בני אלא אף אתה השיאו לבת גיורת
מצרית כדי שיהו ג׳ דורות מיכן ושלשה
דורות מיכן רב יהודה בשם רב הלכה כר׳
לעזר דברי חכמי׳ רבי ירמיה בשם רבי שמוא
בר רב יצחק לא יבא ממזר בקהל יי׳ בקהל
ברור אינו בא בא הוא בקהל ספק תמן תנינן
ספק בן תשעה לראשון ספק בן ז׳ לאחרון
יוציא והוולד כשר וחייבין אשם תלוי תני
הראשון כשר להיות כהן והשני ממזר בספק
ר׳ אליעזר בן יעקב או׳ אין ממזר בספק מודה
ר׳ אליעזר בן יעקב בספק כותים ובספק חללים
כההיא דתנינן תמן עשר׳ יוחסין עלו מבבל
על דעתיה דר׳ אליעזר בן יעקב שמונה על

Constitutio III. Omnibus, quibus interdictum est, ingredi in congregationem &c. R. Jeremia dicit. Si fuerit fissus testiculos Israelita, erit illi licitum nubere spuriæ. Dicit R. Jose: Dummodo sit illegitimus ex familia, at non vitiatus corpore. Argumentum R. Jose eruitur ex eo quod dicit R. Chalchia, R. Simeon nomine R. Jehosua ben Levi; non legimus nisi de Israelita fisso testiculos; At de sacerdote fisso testiculos sicut tu ibi dicis: Sacerdoti certo prohibitum est nubere proselytæ; ita pariter hoc loco Israelitæ certo prohibitum est nubere spuriæ. Addiscimus ex eo quod dicit R. Amme; Docuit R. Jacob Gabuljiah coram R. Jochanan: R. Isach bar Tablai nomine R. Simeon ben Levi; verba R. Jehuda. Spurius non nubet spuriæ ut absumantur spurii ex mundo; & similiter Ammonita non nubet Ammonitidi; Dicit R. Jose discipulus R. Bon; juxta mentem Sapientum necesse est. Non putat R. Jehuda; Proselyti illegitimi sunt in congregatione Domini. Si nubat Ammonitidi, non poterit esse congregatio Domini apud eam. Si nubat Ægyptiæ, non poterit esse congregatio Domini apud eam. Dicit R. Nathania; Libertate donant ancillam, & illi nubunt; & similiter Ægyptius non nubet Ægyptiæ. Percipimus ex eo quod docuit R. Abau coram R. Jochanan; Dicit R. Jehuda. Benjamin proselytus Ægyptius erat ex discipulis Rabi Akiba; dixit: Ego proselytus Ægyptius nupsi proselytæ Ægyptiæ; filius meus erit filius proselyti Ægyptii, & ego eum nubam proselytæ Ægyptiæ, deprehendetur filius mei filii dignus ut ingrediatur in congregationem. Dixit illi R. Akiba; Non fili mi, sed etiam tu nube filiæ proselytæ Ægyptiæ, ut sint hinc & illinc tres generationes. R. Jehuda nomine Rab. Constitutio est juxta mentem R. Elieser ex verbis sapientum. R. Jeremia nomine R. Samuel bar R. Isaach. *Non igredietur spurius in congregationem Domini;* In congregationem certam non ingredietur; at ingredietur in congregationem dubiam; Ibi legimus. Si fuerit dubium utrum sit filius novem mensium, erit primo marito, si dubium sit utrum sit septem mensium, erit secundo marito, & ejus causa tenentur sacrificio pro delicto dubio. Traditio: Primus est legitimus, ut sit sacerdos, & ultimus erit spurius ex dubio. Convenit R. Eliezer ben Jacob in dubio Cuthæo, & in dubio profanato, juxta illud quod ibi legimus. Decem familiæ adscenderunt de Babylone; Ex mente R. Eliezer ben Jacob, fuerunt octo; ex mente R. Gamaliel, & R. Eliezer fuerunt no-

רעתיה דר"נ ור' אליעזר תשעה על דעתיה דרבנין עשרה.

הלכה ד' הנושא אשה כהנה וכו'. א"ר יותנן דר' מאיר היא דתני אי זו היא עיסה כשירה כל שאין בה לא חלל ולא ממזר ולא נתין ר"מ אומר כל שאין בה אחה מכל אילו בתה כשירה לכהונה אבל משפחה שנשתקע בה פסול רבי מאיר אומר בורק עד ארבע איסהות ומשיא וחכמים אומרי' בודק לעולם רב אמר זו דברי רבי מאיר אצל חכמים אומרים בודק מאי זו משפחה ששיאין לכהונה ומשיא ביד מי הוא בודק רבי חגיי בשם ר' יאשיה בודק ביד קרובותיו ר' חמא אהא סכא א"ל משיאין לכהונה מן הדא זרעיתא א"ל אין ואסיב על פומיה רב אמר לחייה ברי הנחות דרג וסב איתא אמר רבי אידי שכיחא הא מילתא בפומהון דרבנן ואם לא נטמאה האשה וטהורה היא מכיון שלא נטמאה טהורה ולא ביהודה בן פפוס שנועל דלת בפני אשתו א"ל נהוגין הון אבהתך עברין כן חד כהן אתא לגבי רבי יוחנן אמ' ליה עברית מתניתא נשאתי אשה כהנת ובדקתי אחריה ארבעה אימהות שהן שמונה א"ל אין הוא עיקרא לקי מן דאמה מן מודע לך לויים וישר' מוסיפין עליה עוד אחת ולא נמצאת מחמיר בישר' יותר מן הכהנים א"ר יוסי בי ר' בון אחת זו ואחת זו קנס קנסו חכמים בהן כדי שיהא אדם דבק בשבטו ובמשפחתו.

הלכה ה' אין בודקין לא מן המזבח ולא מעלה כו' כתיב שום תשים עליך מלך אין לי אלא מלך מניין לרבות שוטרי הרבים וגבאי צדקה וסופרי דיינין ומכין בר צועה מניין ת"ל מקרב אחיך תשים עליך מלך כל שתמניהו עליך לא יהא אלא מן הברורין שבאחיך רבי שמואל בר נחמן בשם ר' יונתן כתיב והתיחשם בצבא במלחמה זכות יחסיהם עומדת להם במלחמה עד כאן מן הקבלה מדברי תורה לא יבא ממזר בקהל יי' לא יבא פצוע דכא וגו'. מה כתיב בתריה כי תצא מחנה על אויביך וגו'.

novem, ex mente sapientum fuerunt decem.

Conftitutio IV. Si quis nubat fœminæ facerdoti &c. Dicit R. Jochanan; Hæc eft fententia R. Meir, qui docet. Quænam ut maffa legitima? Omnis, in qua non fit profanatus, neque Nethinæus. R. Meir dicit: Omnis in qua ifta non fint, ejus filia eft legitima facerdotio; At fi ancilla in ea immergitur, reprobat: R. Meir dicit; inquirendum erit usque ad quatuor matres, & nubet; & fapientes dicunt; inquirendum erit in perpetuum. Rab dicit: Hæc funt verba R. Meir. At fapientes dicunt; inquirendum erit, ex quanam familia fit, quæ nubat facerdotio, & nubet. Per quem erit inquirendum? R. Haggæus nomine R. Jofia; per ejus propinquos erit inquirendum. R. Chama venit Sabam; Refpondit: Nubuntne facerdotio ex hoc femine? Refpondit: utique; Et recepit ex ejus ore. Rab dixit τῷ Chijah: Fili mi defcende de gradu, & accipe uxorem. Dicit R. Idi: Hoc laudatum fuit ab ore fapientum. *Et fi non fuerit polluta mulier, & munda illa fit.* Poftquam non eft polluta, erit munda; Quod non eft juxta mentem R. Jehuda ben Puppus, qui claufit januam coram ejus uxore. Dixit: Confueverunt ita placere patres tui? Quidam facerdos convenit R. Jochanan. Illi dixit: De Hebræa agit Mifna; Nupfi mulieri facerdoti, & inquifivi poft eam quatuor matres, quæ funt octo: Refpondit illi. Si radix læfa eft ex parte mulieres, tibi innotefcet. Levitæ & Ifraelitæ addunt præterea unam. Nonne deprehenditur, quod aggraves magis in Ifraelitis, quam in facerdotibus? Dicit R. Jofe difcipulus R. Bon. Tam in hoc quam in illo mulcta mulctarunt fapientes, ut homo inquirat de tribu fua, & de familia fua.

Conftitutio V. Non inquirunt ab altari & ulterius &c. Scriptum eft: *Ponendo panes fuper te regem*. Non probo nifi de rege, unde probatur de miniftris publicis, de exactoribus elemofynarum, de fcribis Judicum, & de iis qui loro verberant, unde probatur? Ex eo quod dictum eft: *De medio fratrum tuorum pones fuper te regem*. Omnes, quos præfeceris fuper te, non erunt nifi ex illuftrioribus, qui fint in fratribus tuis: R. Samuel bar Nachman nomine R. Jochanan: Scriptum eft: *Principes cognationum electi in exercitu in bello*. Illuftres familias ftatuebat fibi in bello. Hactenus ex traditione. Nunc ea verbis legis. *Non ingredietur fpurius in congregationem Domini. Non ingredietur fiffus tefticulos*: Quid poftea fcriptum eft? *Cum egredieris cum caftris contra hoftes tuos &c.*

Con-

הלכה ו׳ בת חלל זכר וכו׳ ·רב המנונא בשם
רב בת בת בת לעולם רבי יוחנן בשם
ר׳ ישמעאל בעמיו מה בעמיו שנ׳ להלן
זכרים אסורין ונקיבות מותרות אף בעמיו
שנאמר כאן זכרי׳ אסורין ונקיבות מותרו׳ מה
נפק מביניהון כהן שבא על הגרושה והוליד
בן והלך הבן והוליד בן ובת על דעתיה דרב
בן ובת בן ובן בת ובת אסורה על דעתיה
דרבי יוחנן בת בן אסור ובת בת מותרת
מתניתא פליגא על רב ישמאל שנשא חללה
בתו כשירה לכהונה צתר לה חללה מבנה
מתניתא על רבי יוחנן ר׳ יהודה אומר בת
גר זכר כבת חלל זכר פתר לה לא בא רבי
יודה אלא להוסיף אילו אמר בת חלל כבת
גר יאות דלמא רבי הושעיה רבא ור׳ יודה
נשייא הוון יתבין רהיט ר׳ יוחנן ולחיש לר׳
הושעי׳ באורניה פצוע דכא כהן מהו שישא
בת גרים א״ל מה אמ׳ לך א״ל אמ׳ לי מילה
דנגר בר נגרין לא מפריק לה לא אמר לי
גיורת שהיא כזונה אצלו ולא בת ישראל
שהיא מחללה לא אמר לי אלא בת גרים
ובת גרים לא כישר׳ היא פתר לה כר׳ יודה
אמר בת גר זכר כבת חלל זכר כהן שבא
על הגרושה והוליד בת בת בת מה היא רבי
חנניה ור׳ מנא חד אמר כשירה וחד אמר
פסולה מתיב מאן דאמר כשירה למאן דאמר
פסולה בת חלל זכר אינ׳ פסולה וחללה מבנה
אינה פסולה משם מה היא פסולה רבי אליעזר
בן יעקב אומר כו׳ תמן תנינן רבי אליעזר
בן יעקב אומר האשה בת גרים לא תינשא
לכהונה עד שתהא אמה מישראל וכולהו
מקרא אחד דרשו כי אם בתולות מזרע בית
ישראל ר׳ יודה או׳ עד שיהא אביה מישראל
ר׳ ליעזר בן יעקב אומר עד שיהא או אביה
או אמה מישראל ר׳ יוסי אומר עד שיוולדו
בקדושת ישראל רבי שמעון אומר עד שיבואו
בתולים בקדושת ישראל תני בשם ר׳ שמעון

Conſtitutio VI. Filia profanati maris &c. R. Ammenuna nomine Rab; Filia, filia, filia in perpetuum. R. Jochanan nomine R. Samuel; *in populis ſuis*. Sicut *in populis ſuis*, de quibus eo loco dicitur, mares ſunt interdicti, & fœminæ ſuæ licitæ, ita pariter *in populis ſuis*, de quibus hoc loco dicitur, mares erunt interdicti, & fœminæ erunt licitæ. Quid ex his eruitur? Si ſacerdos concumbat cum repudiata, & generet filium, & abiens filius generet filium & filiam; ex mente Rab; filius & filia, filius & filius, filia & filia erit interdicta. Ex mente R. Jochanan, filia filii erit interdicta, & filia filiæ erit licita. Miſna contraria eſt τῷ Rab. Si Iſraelita nubat profanatæ, ejus filia erit legitima ſacerdotio; exponit profanatam ex ejus filio: Miſna contraria eſt τῷ R. Jochanan. R. Jehuda dicit: Filia proſelyti maris reputatur ſicut filia profanati maris. Exponit de ea. *Non veniet*: R. Jehuda. Niſi id augendum: Quoniam dicit: Filia profanati reputatur ſicut filia proſelyti. Concedatur: Forte R. Joſia Rab, & R. Jehuda princeps conſidebant; R. Jochanan accurrens, muſſivit τῷ R. Joſua in ejus aurem; Fiſſus teſticulos ſacerdos num nubet filiæ proſelytorum? Dixit illi. Quid tibi dixit? Reſpondit: Mihi dixit rem, quam artifex, filius artificum ſolvere non poſſit. Si ſacerdos nubat filiæ proſelytorum, quid erit? Reſpondit. Non mihi dixit; quod proſelyta ejus reſpectu ſit ſicut meretrix; neque quod filia Iſraelitæ ſit ſicut profanata; Non dixit mihi; ſed filia proſelytorum, & filia proſelytorum non eſt legitima; hoc exponit juxta mentem R. Jehuda, qui dicit: Filia proſelyti maris reputatur ſicut filia profanati maris &c. Si ſacerdos concumbat cum repudiata, & generet filiam, filia filiæ quid erit? R. Chananjah, & R. Mena: Alter dicit; erit legitima, & alter dicit; erit illegitima. Oppoſuit qui dicit quod ſit legitima, contra illum, qui dicit, quod ſit legitima; Filia profanati maris, non eſt illegitima, & profanata a filio ſuo non erit illegitima, ex eo quod ſit illegitima. R. Elieſer ben Jacob dicit &c. Ibi legimus. R. Elieſer ben Jacob dicit. Filia proſelytorum non nubet ſacerdotio, donec ejus mater ſit ex Iſraelita. Et omnes eundem textum exponunt: *Sed tantum virgines de ſemine domus Iſrael*. R. Jehuda dicit; Donec ejus pater ſit Iſraelita. R. Elieſer ben Jacob dicit: Donec ſit aut ejus pater aut ejus mater Iſraelita. R. Joſe dicit: Donec naſcantur in ſanctitate Iſrael. R. Simeon dicit. Donec adducantur virgines ad ſanctitatem Iſrael. Tradit R. Simeon. Pe-

גיורת שנתגיירה פחותה מבת שלש שנים ויום
אחר כשירה לכהונה מה״ט טעם׳ וכל הטף
נשים אשר לא ידעו משכב זכר החיו לכם
ופינחס עמהן מה עבדין ליה רבנין החיו לכם
לעבדים ולשפחות ר׳ יוסה ר׳ יסא בשם רבי
יוחנן רבי יונה ר׳ חייה בשם ר׳ יוחנן הלכה
כר׳ יוסה חנין בר בא בשם רב הלכה כר׳ יוסי
והכהנים נהגו בר׳ אליעזר בן יעקב חד כהן
נסב בת גרים אתא עובדא קומי ר׳ אבהו
וארבעיה אספסליה א״ל ר׳ ביבי לא כן אלפן
רבי הלכה כרבי יוסי א״ל ולא נהגו הכהנים
בר׳ אליעזר בן יעקב א״ל רבי על המנהג לוקין
א״ל אין ביני את חמי מפייס ואנא מוקים
ליה מן דקיימי א״ל ר׳ הואיל וחותרה הרצועה
אף אני מותר בה רבי יעקב בר אידי בשם
ר׳ יהושע בן לוי מעשה בשפחה בדרום שהיו
קורין עליה ערר ושלח רבי את רומינוס
לבודקה ובדק ומצא שנתגיירה זקינתה פחותה
מבת שלש שנים ויום אחד והכשירה לכהונה
רב הושעיה אמר בר׳ שמעון הכשירוה א״ר
זעירא דברי הכל היא הכא דא״ר זעירא
בשם רב אדא בר אחוה ר׳ יודן מטי בה בשם
רב ר׳ אבהו בשם ר׳ יוחנן וולד בוגרת כשר
שהוא בלא תעשה שהוא מכח עשה והוא
אשה בבתוליה יקח לא בוגרת כל לא תעשה
שהוא בא מכח עשה עשה הוא ודכוותה
כי אם בתולה מעמיו יקח אשה לא גיורת כל
לא תעשה שהוא בא מכח עשה עשה הוא
התיב ר׳ הושעיה הרי דור שני של מצרי הרי
הו׳ בלא תעשה שהוא בא מכח עשה עשה
הנא חזר ר׳ הושעיה ואמר לא הוטה עשה
שבישראל לעשה שבכהנים עשה שבישרא

Peregrina si proselyta fiat minor ætate trium annorum & diei unius, legitima est sacerdotio: Qua de causa? Quia dictum est: *Omnem autem pubem ex fœminis, quæ non cognoverint masculum, vivam relinquite vobis;* Et Pinchas cum iis: Quomodo explicant sapientes *vivam vobis*? In servos, & in ancillas. R. Jose, R. Isa nomine R. Jochanan, R. Jona, R. Chijah nomine R. Jochanan; constitutio juxta mentem R. Jose. Chanen bar Ba nomine Rab constitutio juxta mentem R. Jose. At sacerdotes facere consueverunt juxta mentem R. Eliеser ben Jacob. Quidam sacerdos nupsit filiæ peregrinorum. Allatum fuit factum coram R. Abau, & conjunxit sellas *ut vapullarent:* Dixit illi R. Bibi. Nonne nos docuit Rab constitutionem esse juxta mentem R. Jose? Respondit: Nonne facere consueverunt sacerdotes juxta mentem R. Eliеser ben Jacob? Respondit Rab; at propter consuetudinem vapulant. Dixit, si ita res se habet; videas ut places, & eam confirmabo; postquam confirmavit, dixit illi, quoniam soluta est corrigia, ego quoque eam permitto. R. Jacob bar Iddi nomine R. Jehova bar Iddi nomine R. Jehova ben Levi. Narratur factum de familia in plaga australi, de qua maledicebant; & misit R. Romanos ut inquireret & inquisivit, & invenit quod anus proselyta facta fuerit, dum esset ætate minor trium annorum & diei unius, eamque probavit pro sacerdotio. R. Osajah dicit juxta mentem R. *Simeonis*; Eam approbant. Dicit R. Zehira: Omnes consentiunt in hoc quod dicit R. Zehira nomine R. Ada filii fratris sui R. Jodan exponebat nomine Rab, R. Abau nomine R. Jochanan. Filius adultæ est legitimus; Eo quod præceptum negativum, quod procedit per præceptum affirmativum, est affirmativum: *Mulierem in virginitatibus suis accipiet.* Omne præceptum negativum, quod procedit propter præceptum affirmativum, est affirmativum. Et similiter dictum est: *Sed tantummodo virginem de populis suis accipiet uxorem:* Non proselytam: Omne præceptum negativum, quod procedit per affirmativum, est affirmativum: Opposuit R. Osajah. Ecce generatio secunda Ægyptii: Ecce præceptum negativum, quod procedit propter affirmativum, est affirmativum. Opposuit iterum R. Osajah. Non est simile præceptum affirmativum, quod deprehenditur in Israelita, affirmativo, quod deprehenditur in sacerdotibus; Præceptum affirmativum, quod deprehenditur in Israelitis, prohibet in omnibus; præceptum affirmativum, quod de-

אסור בכל עשה שבכהנים אסור בכהנים ומותר
בלויים בישראל.

הלכה ז׳ האומר בני זה ממזר אינו נאמן וגו׳.

תתן תנינן האומר בני זה נאמן רבי אבהו
בשם רבי יוחנן לתת לו אבל לא ליקח ממנו
א״ר יוסי ולא מתניתא היא אפי׳ שניהן
אומ׳ על העובר שבמעיה ממזר הוא אינן
נאמנין דילמא על דר׳ יהודה איתאמרת
דר׳ יודה אומר נאמנין עליה רבי אבהו בשם
רבי יוחנן לתת לו אבל לא ליקח ממנו אמ׳
חזקיה עוד היא מתניתא כי את הבכור בן
השנואה יכיר היו מחזיקי׳ בו שהוא בנו ובשעת
מיתתו אמר אינו בנו אינו נאמן שאינו בנו
ובשעת מיתתו אמר בני הוא נאמן אית תניי
תני על קרמייתא נאמן ר׳ חזקיה רבי זריקן
בשם רבי הונא היו מחזיקין אותו שהוא
משפחתו נאמן היה עומד בצד המוכסין
ואמ׳ בני הוא וחזר ואמר עברי הוא נאמן
עברי הוא וחזר ואמר בני הוא אינו נאמן
אית תניי תני נאמן א״ר מנא בגין אילין
כותאי דינון משעברין בבניהן תני נאמן על
הגדול ואינו נאמן על הקטן אי זהו גדול
ר׳ זעירא אמ׳ כל שיש לו אשה ובנים ר׳ אבהו
בשם רבי יוחנן כל שיש לו אשה מתניתא
פליג׳ על ר׳ אבהו גר שמל ולא טבל והיו לו
בני ואמ׳ מלתי ולא טבלתי נאמן ומטבילין
אותו בשבת משם מה נבייה דברי רב יודה
מה עבד לה ר׳ אבהו פתר לה משם מה בכך.

הלכה ח׳ מי שנתן רשות לשלוחו וגו׳.

תני איש ואשה שבאו ממדינת הים הוא
אומ׳ אשתי היא והיא אומרת בעלי הוא
אין הורגין עליהן משום אשת איש הוחזקו
הורגין עליהן משום אשת איש עד כמה
היא חזקה ר׳ יונה ר׳ בא ר׳ חייה בשם ר׳ יוחנן
עד שלשים יום תמן תנינן תינוק שנמצא
בצד העיסה ובצק בידו ר״מ מטהר וחכמי
מטמאין שדרך תינוק לטפח בעיסה ישורפין
על החזקות ר׳ יוסי בשם ר׳ זעירא איתפלגון

deprehenditur in sacerdotibus, prohibet in sacerdotibus, & permittit in Levitis atque in Israelitis.

Constitutio VII. Si quis dicat: Iste filius meus est spurius, non est fide dignus &c. Ibi legimus: Si quis dicat: Iste est meus filius, erit fide dignus. R. Abau nomine R. Jochanan; ut illi det, non autem ut ab illo auferat. Dicit R. Jose. Nonne extat Misna: Vel si ambo dicant de fœtu, qui est in ejus visceribus, quod sit spurius, non erunt fide digni? Forte hoc quod dicis non erit juxta mentem R. Jehuda; Etenim R. Jehuda dicit: Erunt in hoc fide digni. R. Abau nomine R. Jochanan; *fide dignus erit*, ut illi det, non autem ut ab illo auferat: Dicit R. Ezechia; Præterea extat traditio. *Sed primogenitum filium exosæ agnoscet*. Si fuerit præsumtio quod ille sit ejus filius, & in hora mortis dicat; non est meus filius; non est fide dignus; Si dicat, quod non sit ejus filius, & in hora mortis dicat; est meus filius; erit fide dignus: Est qui docet, quod in priore sit fide dignus. R. Ezechia, R. Zerichan nomine R. Huna; si fuerit præsumtio, quod ille sit de ejus familia; erit fide dignus: Si consistat in latere publicanum, & dicat: Filius meus est ille, & iterum dicat; servus meus est ille; est fide dignus. Dicit R. Mena; eo quod isti Cuthæi in servitutem redigerent filios suos. Traditio: Fide dignus est de majorenni, at non est fide dignus de minorenni. Quinam est majorennis? R. Zehira dicit: Omnis, cui sint uxor & filii: R. Abau nomine R. Jochanan; omnis, cui sit uxor. Misna contraria est דְּ R. Abau; Si peregrinus circumcidatur, & non baptizetur, & fuerint illi filii & dicat: Circumcidi, at non baptizavi; erit fides dignus; & eum baptizant in Sabbatho. Verba R. Jehuda: Quomodo explicat? R. Abau hoc modo explicat.

Constitutio VIII. Siquis det facultatem legato suo &c. Traditio: Si vir & uxor ejus venerint de civitate maritima; Si ille dicat: Hæc est mea uxor; & illa dicat; hic est maritus meus: Eorum causa non occidunt propter uxorem viri; Si fuerit præsumtio, eorum causa interficiunt propter uxorem viri: Quandiu erit præsumtio? R. Jona, R. Ba, R. Chijah nomine R. Jochanan usque ad triginta dies. Ibi legimus. Si puer inveniatur in latere massæ, & pasta sit in ejus manu; Rabi Meir purum existimat; & sapientes impurum; eo quod puer soleat pastam colligere manu; Et comburunt propter præsumtionem; R. Jose nomine R. Zehira; Dissentiunt R. Jochanan, & R. Simeon ben

ר׳ יוחנן ורש״בל ר׳ יוחנן אמר הורגין על החזקות ורש״בל אמר אין הורגין על החזקות ר׳ יוסי בי ר׳ בון בשם ר׳ זעירא כל עמא מודיי שהורגין על החזקות מה פליגין בשריפה ר׳ יוחנן אמר הורגין על החזקות ואין שורפין על החזקות רש״בל אומר כשם שהורגין על החזקות כך שורפין על החזקות ומניין שהורגין על החזקות רבי שמוא׳ בריה דר׳ יוסי בי רבי בון אמר כתיב ומכה אביו ואמו מות יומת וכי דבר בריא הוא שזה הוא אביו והלא חזקה היא שהוא אביו ואת אמר הורגין אף הבא הורגין.

הלכה ט׳ וכן האשה שנתנה רשו׳ וכו׳. ולית הדא פליגא על ר׳ יוחנן דר׳ יוחנן אמ׳ אדם מבטל שליחותו כדברים פתר לה משום חומרא דעריות ר׳ יוסה בי ר׳ בון שמע לה מן דבתרה וכן האשה שנתנה רשות לשלוחה לקדשה והלכה היא וקידשת את עצמה ולית הדא פליגא על רבי יוחנן דר׳ יוחנן אמ׳ אדם מבטל שליחותו בדברים פתר לה משו׳ חומרא הוא בערית.

הלכה י׳ מי שיצא הוא ואשתו למדינת הים וכו׳. ר׳ אבהו בשם ר׳ יוחנן איש ואשתו עשו אותן כשני עדים חזקה אשה שותקת על בני חבירתה ר׳ אבון שמע לה מן דבתרה אשה נשאתי במדינת הים הרי זו ואילו בניה רבי אבהו בשם ר׳ יוחנן איש ואשתו עשו אותן כשני עדי׳ חזקה אין האשה שותקת על בני חבירתה.

הלכה יא׳ אשה שנשאתי במדינת הים תני הביא ראייה על הגדולים יביא ראייה על הקטנים ליירא מילת א״ר יונה אני אומר שמא נתגרשה בנתיים לא יתייחד איש אחד עם שתי נשים וכו׳. א״ר אבין בדא בכשירין אבל בפרוצין לא תתייחד אפי׳ במאה איש תני בן יומו שמת הרי הוא לאביו ולאמו ולכל קרוביו כחתן שלם לא סוף דבר בן יומו חי

ben Levi. R. Jochanan dicit: Occidunt propter præsumtionem; & R. Simeon ben Levi dicit: Non occidunt propter præsumtionem. R. Jose discipulus R. Bon nomine R. Zehira: Omnes conveniunt, quod occidant propter præsumtionem. In quo dissentiunt? In combustione: R. Jochanan dicit: Occidunt propter præsumtionem; at non comburunt propter præsumtionem; R. Simeon ben Levi dicit; Sicut occidunt propter præsumtionem, ita pariter comburunt propter præsumtionem; Et unde probatur, quod liceat occidere propter præsumtionem? R. Samuel bar R. Jose discipuli R. Bon dicit: Scriptum est: *Siquis percusserit patrem suum, & matrem suam, interficiendo interficietur.* Num res clara & manifesta est, quod ille sit ejus pater? Atqui est præsumtio, quod ille sit ejus pater; & tu dicis, quod occidant; ita pariter hoc loco occidunt.

Constitutio IX. Et similiter si mulier det facultatem legato suo &c. Atqui hoc non est contrarium τῷ R. Jochanan; etenim R. Jochanan dicit: Homo verbis abolet legationem suam; hoc exponit propter ea quæ sunt graviora in turpitudinibus. R. Jose discipulus R. Bon probat ex eo, quod sequitur. Et similiter mulier, quæ dederit facultatem legato suo, ut se ipsum desponset, & illa abiens semetipsam desponset; Ne hoc quidem contrarium est τῷ R. Jochanan; etenim R. Jochanan dicit: Homo verbis abolet legationem suam; hoc exponit de iis quæ sunt graviora in turpitudinibus.

Constitutio X. Si quis abeat, & ejus uxor in provinciam maritimam &c. R. Abau nomine R. Jochanan; Vir & ejus uxor considerantur sicut duo testes, præsumtio est, quod mulier non taceat de filiis sociæ suæ. R. Abin probat ex eo quod sequitur; Mulieri nupsi in civitate maritima; Ecce ipsa, & ejus filii. R. Abau nomine R. Jochanan: Vir & ejus uxor faciunt semetipsos sicut duos testes. Præsumtio est quod non taceat mulier de filiis sociæ suæ.

Constitutio XI. Hæc mulier cui nupsi in civitate maritima. Traditio: Si afferat probationem pro majorennibus, afferet probationem pro minorennibus, ut res confirmetur. Dicit R. Jona: Ego dico: Fieri potest, quod fuerit repudiata inter ea tempora. Non erit solus vir unus cum duabus mulieribus &c. Dicit R. Abin: De quo hæc dicta sunt? De legitimis, ac de lascivis, non erit solus ne quidem cum centum. Traditio: Filius unius diei si moriatur, ecce erit patri suo, & matri suæ, & omnibus propinquis suis sicut sponsus perfectus: Non erit rei finis; filius

לא אפי' יצא ראשו ורובו בחיים ויוצא בחיק
ונקבר באשה אחת ובשני אנשים אבא שאול
אומר אף באיש אחד ובשתי נשים מסתברא
ר"ש מודיי לאבא שאול אבא שאול לא מודי
לר"ש שאין יצר הרע מצוי בבית הקברות רבי
יוחנן בשם רבי שמעון בן יוחי כי יסיתך
אחיך בן אמך או בתך או בנך או אשת חיקך
אמך בסתר בתך בסתר מתייחד אדם עם
אמו ודר עמה עם בתו ודר עמה עם אחותו
ואינו דר עמה וישן עמהן בקירוב בשר תני
ר' חלפתא בן שאול הבת אצל האב עד בת
שלש שנים ויום אחד הבן אצל האם עד בן
תשע שנים ויום אחד הגדילו זה ישן בכסותו
וזה ישן בכסותו תני שנים שהיו ישיני' במיטה
אחת זה מתכסה בכסות עצמו וקורא וזה
מתכסה בכסות עצמו וקורא אם היו בנו ובתו
קטנים מותר תמן אמרין איש ואשתו מותר
רבי יעקב בר אחא בשם רבי לעזר לאיש
ואשתו נצרכה. ולא ילמד רווק סופרים
ולא הלמד אשה סופרים וכו'. תני רבי לעזר
אומר אף מי שיש לו אשה ובנים ואינן עמו
באותו מקום לא ילמד סופרים ר' יודן בי רבי
ישמעל עבר חד מתניין הכן. ר' יהודה אומר
לא ירעה רווק את הבהמה ולא ישנו שני
רווקין בטלית אחד וחכמים מתירין יאות
אמר רבי יודה מה טעמא דרבנין חס ושלום
לא נחשדו ישרל לא הזכור ולא על הבהמה
והתנינן לא ילמד רווק סופרים משם שאמו
באה עמו אחותו באה עמו. לא ילמד אדם
את בנו אומנות בין הנשים וכו'. תני לא
ילמד אדם את בנו חמר וגמל וספן קדר
קדר רועה חנווני מפני שאומנותן אומנות
ליסטין אבא אוריין איש ציידן אומ' משום
אבא שאול וכו'. רוב חמרים רשעים רוב
גמלין כשירין רוב ספנים חסידים רוב ממזירין
פקחין רוב עבדים נאים רוב בני אבות בויישני'
רוב בנים דומין לאחי האם בשר שברופא:

lius unius diei si vivat; vel si educat caput suum, & majorem sui partem, & vivat si educatur in sinum, & sepeliatur cum muliere una, & cum duobus viris. Aba Saul dicit vel cum viro uno, & cum duabus mulieribus: Videtur, quod R. Simeon consentiat cum Aba Saul; at Aba Saul non consentit cum R. Simeone: Eo quod concupiscentia mala non invenitur in sepulcris. R. Jochanan nomine R. Simeon ben Jochai. *Cum dolum adhibuerit tibi frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, aut filia tua, aut uxor sinus tui. Matris tuæ* in abscondito; *filia tua* in abscondito; Potest homo esse solus cum matre sua, & habitare cum ea; cum filia sua, & habitare cum ea; cum sorore sua, at non habitabit cum ea; & dormiet cum eis sicut propinquus carnis. Traditio R. Chalphta ben Saul. Filia prope patrem, donec filia sit trium annorum & diei unius. Filius prope matrem, donec filius sit novem annorum & diei unius. At si fuerint majorennes, dormiet quilibet in tegumento suo. Traditio: Si duo dormiant in lecto uno, iste se teget tegumento suo & leget, & ille se teget tegumento suo & leget: Si fuerint filii & filiæ minorennes, erit licitum. Ibi dicunt: Viro & mulieri licitum est; R. Jacob bar Acha nomine R. Elieser. Viro & mulieri erit necesse. Cœlebs non erit magister puerorum, neque mulier docebit pueros &c. Traditio. R. Elieser dicit: Vel si illi fuerint uxor & filii, quandiu in eo loco non fuerint, non docebit pueros. R. Jodan discipulus R. Ismael ita hanc lectionem explicabat. R. Jehuda dicit: Cœlebs non pascet pecus, neque simul dormient duo cœlibes in uno pallio. At sapientes permittunt. Concedatur; dicit R. Jehuda. Quænam est ratio sapientum? Absit; non sunt suspecti Israelitæ de concubitu cum masculo, & cum bestia. Atqui legimus: Cœlebs non docebit pueros. Ratio est, quod ejus mater veniat cum eo, sc. *cum filio*, & ejus soror veniat cum eo, sc. *cum fratre*. Non docebit homo filium suum suum opificium inter mulieres. Traditio: Non docebit homo filium suum ministerium agasonis, camelarii, & nautæ, tonsoris, balnearii, pastoris, & tabernarii, quia eorum opificia sunt opificia latronum. Aba Gorion vir Sachaniensis dicit nomine Aba Saul &c. Agasones maximam partem sunt impii; Camelarii maximam partem sunt boni; Nautæ maximam partem sunt pii; Spurii maximam partem sunt sagaces. Servi maximam partem sunt pulchri; Filii patrum maximam par-

לניהנם הכשר שבטבחין שותף עמלק חני רבי
שמעון בן יוחי הכשר שבנוים הרוג הטוב
שבנחשים רצף את מוחו הכשירה שבנשים
בעלת כשפים אשרי מי שעושה רצון המקום
רבי מאיר אום׳ מ׳מ אדם מתפרנס אשרי מי
שרואה את הוריו באומנות מעולה אוי לו
למי שרואה את הוריו באומנות פגומה: רבי
מאיר או׳ לעולם שתדל אדם ללמד את בנו
אומנות נקייה ובו׳. מה יעשה אדם ישתדל
וילמד את בנו אומנות קטנה ויתפלל ויבקש
רחמים ממי שהעושר שלו שאין לך אומנות
שאין בה עניים ועשירים לא הכל לפי זכות
האדם ר׳ש בן אלעזר משום רבי מאיר
ראית מיסך ארי סבל ארי קייץ שועל חנווני
זאב מוכר קדירות והן מתפרנסין בלא צער
ולמה נבראו לשמשיני ואני נבראתי לשמש
את קוני והרי הדברים קל וחומר ומה אם אילו
שנבראו לשמשיני כך הן מתפרנסין בלא
צער אני שנבראתי לשמש את קונו אינו דין
שאהא מתפרנס בלא צער ומי גרם לי להיו׳
מתפרנס בצער הוי או׳ חטאיי על שהירעתי
מעשיי קיפחתי פרנסתי.

הלכה יב׳ רבי נהוריי אומ׳ מניח אני כל
אומניות שבעולם ואיני מלמד את בני לא
תורה שכל אומנות אינו עומדת לו לאדם
לא בימי נערות בזמן שכוחו עליו אבל אם
בא לידי חולי או נכנס לידי זקנה או למידה
של יסורין ואינו יכול לעשות מלאכה הרי
הוא מת ברעב אבל התורה אינה כן לא
מכברתו ומשמרתו מכל רע בנערותו ונותנת
לו אחרית ותקוה בזקנותו בנערותו מהו
אומר וקויי יי׳ יחליפו כח יעלו אבר אבר
כנשרים ירוצו ולא ייעפו ילכו ולא ייגעו
ובזקנותו מה הוא אומר עוד ינובון בשיבה
דשינים ורעננים יהיו וכן אתה מוצא כאבינו
אברהם ששימר את התורה עד שלא באת
לעולם שנא׳ עקב אשר שמע אברהם בקולי
וישמר משמרתי מצותי חוקותי ותורותי אף
גידלו ובירכו בנערותו ונתן לו אחרית ותקוה

partem sunt verecundi. Filii maximam partem sunt similes fratri matris. Optimus medicorum dignus est Gehennæ. Optimus lanionum est socius Amaleck. Tradit R. Simeon ben Jochai. Optimus gentilium est homicida. Optimi serpentum contundatur ejus cerebrum; Optima mulierum est præstigiatrix: Beatus ille, qui facit voluntatem Dei. R. Meir dicit: Omnimode homo aletur. Beatus ille, qui videt patres suos in artificio optimo; Væ illi qui videt patres suos in artificio turpi. R. Meir dicit: Semper homo operam dabit ut doceat filium suum opificia pura &c. Quid faciet homo, det operam ut doceat filium suum opificia parva? ut oret & petat misericordiam eo, cui sunt opes; quia non est tibi opificium in quo non sit paupertas & divitiæ. At omnia juxta merita hominis. Vidistine unquam leonem bajulum, leonem colligentem æstivos fructus, vulpem tabernariam, lupum ementem ollus? Verumtamen illi nutriuntur sine labore. Qua de causa creati sunt? Ad meum servitium: At ego, qui creatus sum ad servitium creatoris, multo magis. Si illi qui creati sunt ad meum servitium, nutriuntur sine labore; ego qui creatus sum ad servitium creatoris, non erit æquum ut nutriar sine labore? Quid effecit ut ego nutriar cum labore? Dicam; Peccatum meum; quia mala feci opera mea amputavi alimentum meum.


Constitutio XII. R. Nehorai dicit: Intermisi ego omnia mundi opificia, & non docui meos filios nisi legem; eo quod omnia opificia non prosunt homini nisi in diebus juventutis suæ, quo tempore est robustus, at si cadat in infirmitatem, aut ingrediatur in senectutem, aut in castigationem, & non possit facere opificium suum, tum fame morietur. At Lex non ita se habet, quoniam illum honorat, & eum conservat ab omni malo in juventute sua, & bonum dat eventum ac spem in senectute. De juventute quid dictum est? *Qui expectant Dominum renovabuntur vires ejus, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Et de senectute quid dictum est? *Adhuc multiplicabuntur in senectute uberi, & bene patientes erunt, ut annuncient.* Et sic invenimus in patre nostro Abraham, qui observavit legem, priusquam data esset in mundo. Dictum est enim: *Eo quod audierit Abraham vocem meam, & custodivit custodiam meam, præcepta mea, statuta mea, & legem meam.* Similiter magnificavit eum, & benedixit ei in juventute sua, & dedit illi eventum bonum ac spem in senectu-

בזקנותו בנערותו מהו אומ׳ ואברהם כבר מאד
במקנה בכסף ובזהב ובזקנותו מהו אומר
ואברהם זקן בא בימים ויי׳ ברך את אברהם
בכל ר׳ חזקיה ר׳ כהן בשם רב אסור לדור
בעיר שאין בה לא רופא ולא מרחץ ולא
בית הין סכין וחובשין א״ר יוסי בי ר׳ בון אף
אסור לדור בעיר שאין בה נינוניתא של ירק
ר׳ חזקיה ר׳ כהן בשם רב עתיד אדם ליתן
דין וחשבון על כל מה שראת עינו ולא
אכל ר׳ לעזר חשש להדא שמועתא ומצמית
ליה פריטין ואכיל בהון מכל מילה חדא
בשתא.

nectute sua. De juventute quid dictum est? *Abraham insignis erat valde in gregibus, argento, & auro*. Et de ejus senectute quid dictum est? *Et Abraham erat senex, atque ætate provectus, & Dominus benedixit Abrahamo in omnibus*. R. Ezechia, R. Chaen nomine Rab. Vetitum est habitare in civitate, in qua non sit medicus, neque balneum, neque synhedrium, flagellator, & carcer. Dicit R. Jose discipulus R. Bon. Similiter vetitum est habitare in urbe, in qua non sit hortus olerum. R. Ezechia, R. Choen nomine Rab: Futurum est, ut homo det judicium, & rationem in ea omnia, quæ inspiciet ejus oculus, & non comedet. R. Eliefer solicitus fuit de hac traditione, & expendebat prutas ut comederet de his omnibus semel in anno.



TRA-



TRACTATUS SOTAH

SEU

DE MULIERE ADULTERII SUSPECTA

Gemara Hierosolymitana illustratus.

Nunc primum a BLASIO UGOLINO ex Hebraico Latine reddita.

CAPUT PRIMUM.

א׳ המקנא לאשתו רבי אליעזר אומר מקנא על פי שנים ומשקה על פי עד אחד או על פי עצמו רבי יהושע אומר מקנא על פי שנים ומשקה על פי שנים.

ב׳ כיצד הוא מקנה לה אמר לה בפני שנים אל תדברי עם איש פלוני ודיברה עמו עדיין מותרת לביתה ומותרת לוכל בתרומ׳ נכנסה עמו לבית הסתר ושהת כדי טומאה אסורה לביתה ואסור׳ לוכל בתרומה ואם מת חולצת ולא אתייבמת.

ג׳ אילו אסורות לוכל בתרומה האומרת טמיאה אני לך ושבאו לה עדים שהיא טמיאה והאומרת איני שותה ושבעלה אינו רוצה

I. QUI zelotypus est in uxorem suam, R. Eliezer dicit, zelotypus erit coram duobus testibus, & potabit eam ex dicto testis unius, aut ex dicto sui ipsius. R. Jehosua dicit: Zelotypus erit ex dicto duorum, & potabit ex dicto duorum.

II. Quomodo zelotypia fungetur? Dicet illi (sc. uxori) coram duobus. Ne loquaris cum viro N. & illa cum eo loquatur; adhuc licita est domui suæ, & ei licebit comedere de separatione. Si in secretius conclave cum eo ingrediatur, & cum conversetur, quandiu polluatur; interdicta est domui suæ, & interdictum est ut comedat de separatione. Si ille moriatur, calceum exuet, at a Leviro non ducetur.

III. Istis interdicitur, ut comedant de separatione; Si quæ dicat (*marito*). Polluta ego tibi sum; & adveniant testes, quod ea sit polluta; & quæ dicat: Nolo bibe-

להשקיתה ושבעלה בא עליה בדרך כ״צה הוא עושה לה מוליכה בבית דין שבאותו המקום ומוסרין לו שני תלמידי חכמים שמא יבוא עליה בדרך רבי יהודה אומר בעלה נאמן עליה.

ד׳ היו מעלין אותה לבי׳ דין הגדול שבירושלם ומאיימין עליה כדרך שמאיימין על עידי נפשות ואומ׳ לה בתי הרבה יין עושה הרבה שחוק עושה הרבה ילדות עושה הרבה שכינים הרעים עושין אל תעשי לשמו הגדול שנכתב בקדושה שיימחה על המים ואו׳ לפניה דברים שאינה כדיי לשומען היא וכל משפחת בית אביה.

ה׳ אם אמרה טמאה אני שוברה כתובתה ויוצאה אם אמרה טהורה אני מעלין אותה לשערי מזרח שעל פתח לשערי ניקניר ששם משקין את הסוטות ומטהרין את היולדות ומטהרין את המצורעין וכהן אוחז בבגדיה אם נקרעו נקרעו ואם נפרמו נפרמו עד שהוא מגלה את לבה וסותר את שערה ר׳ יהודה אומר אם היה לבה נאה לא היה מגלהו ואם היה שערה נאה לא היה סותרו.

ו׳ היתה מכוסה בלבנים מכסה בשחורים היו עליה כלי זהב קטליאות נזמים וטבעות מעבירים ממנה כדי לנוולה ואחר כך מביא חבל מצרי וקושרו למעלה מדדיה וכל הרוצה לראות בא ורואה חוץ מעבדיה ושפחותיה מפני שליבה גס בהן ושאר כל הנשים מותרות לראותה שנ׳ ונוסרו כל הנשי׳ ולא תעשינה כזמתכינה.

ז׳ במידה שאדם מודד בה מודדין לו היא קישטה את עצמה לעבירה והמקו׳ ניוולה היא גילתה את עצמה והמקום גילה עליה הירך התחילה בעביר׳ תחילה ואחכ׳ הבטן לפיכך תלקה הירך תחילה ואחר כך הבטן ושאר כל הגוף לא פלט.

ח׳ שמשון הלך אחר עיניו לפיכך ניקרו פלשתים את עיניו אבשלום נתגוה בשערו לפיכך נתלה בשערו לפי שבא על עשר פילגשי אביו לפיכך ניתנו בו עשר לונביות

bibere; & illi, cujus maritus nolit eam bibere, & illi, cujus maritus in itinere cum ea concumbat. Quid illi faciet? Adducet eam ad Synhedrium, quod est in eo loco, & eam tradunt duobus discipulis sapientum, ne cum ea in itinere concumbat; R. Jehuda dicit: Ejus marito fide dignus habetur.

IV. Adducebant mulierem adulterii suspectam ad Synhedrium magnum, quod est Hierosolymis; eamque deterrerebant, sicut deterrebant testes in judiciis capitalibus; eique dicebant: Filia mea; plurimum vinum effecit, plurima petulantia effecit, nimia adolescentia effecit. Multitudo improborum vicinorum fecit. Ne facias ut nomen illud magnum, quod scriptum est in sanctitate, deleatur in aquis. Et dicebant coram illa, quæ nec ipsa, neque universa familia domus patris sui audire digna erat.

V. Si dicat: Polluta ego sum: Prescindens instrumentum sum dotale, abibat. Si diceret: pura sum; faciebant eam adscendere ad portam orientalem, quæ erat super ostium Nikanoris, ubi potabant mulierem adulterii suspectam, & purificabant puerperas, & leprosos mundabant, & sacerdos apprehendebat ejus vestes; si finderentur, finderentur, si dissuerentur, dissuerentur, quoad sinum ejus denudaret, & crines dissolveret; R. Jehuda dicit; Si ejus sinus erat venustus, illum non denudabat; & si coma esset elegans, non dissolvebat.

VI. Si fuerit induta vestibus albis, induebatur nigris. Si ornamentis aureis, ut monilibus, inauribus, & annulis ornata esset, ab ea removebantur, ut deturparetur. Et posthæc afferebatur funis Ægyptius, quo supra mammas præcingebatur; & omnes, qui eam vellent inspicere, veniebant ut eam inspicerent, exceptis ejus servis, & ancillis, quia in illis confidebat: Et omnibus mulieribus licebat illam inspicere: Dictum est enim. *Ut erudiantur omnes fœminæ, ne faciant juxta scelus vestrum.*

VII. Mensura qua homo metitur, remetientur ei. Illa ornavit se ad peccandum, Deus illam deturpabat; Illa se denudavit ad peccatum, Deus illam denudabat. Femur incepit peccare, & deinde venter; idcirco a principio femur pœnam luit, & deinde venter; nec omne reliquum corpus fuit immune.

VIII. Samson incessit post oculos suos, idcirco Philistæi ejus oculos effoderunt. Dictum est enim: Absalom elegantia comæ superbiit, idcirco sua coma appensus est; Atque eo quod concubuit cum decem pellicibus patris sui, idcir-

שנאמר ויסובו עשרה נערי נושאי כלי יואב ולפי שגנב שלש גניבות לב אביו ולב בית דין ולב ישר׳ לפיכך נתקעו בו שלש שבט שנ׳ ויקח שלשה שבטים בכפו ויתקעם בלב אבשלום.

ט׳ וכן לעניין הטובה מרים המתינה למשה שעה אחת שנאמר ותתצב אחותו מרחוק לפיכך נתעכבו לה כל ישר׳ שבעת ימים במדבר שנאמר והעם לא נסע עד האסף מרים. וסף זכה לקבור את אביו ואין באחיו גדול ממנו שנאמר ויעל יוסף לקבור את אביו מי לנו גדול מיוסף שלא נתעסק בו אלא משה משה זכה בעצמות יוסף ואין בישר׳ גדול ממנו שנאמר ויקח משה את עצמות יוסף עמו מי לנו גדול ממשה שלא נתעסק בו אלא הקדוש ברוך הוא שנאמר ויקביר אותו בגיא מול בית פעור וגו׳ ולא על משה בלבד אמרו אלא בכל הצדיקים שנאמר והלך לפניך והלך לפניך.

סליק פירקא.

הלכה א׳ המקנא לאשתו וכו׳ כתי׳ ועבר עליו רוח קנאה וקנא את אשתו וגו׳. שלא יקנא לה לא מתוך שחוק ולא מתוך שיחה ולא מתוך קלות ראש ולא מתוך מתוך אלא מתוך דבר של אמה עבר וקינא לה באחד מכל הדברים הללו מה איתאמרת למצוה לעיכוב אין תימר למצוה קינויו קינוי אין תימר לעיכוב אין קינויו קינוי אתייא כהדא בל מקום שנאמר חוקה תורה מעכב הקינוי רבי יהושע אמר בשם רבי ליעזר חובה רבי יושוה אמר רשות אמר רבי לעזר בן רבי יוסי קומי רבי יוסא אתייא דרבי ליעזר כבית שמאי ודר יהושע כבית הלל׳ דרבי ליעזר כבית שמאי דבית שמאי אומר׳ לא יגרש אדם את ישתו אלא אם כן מצא בה ערוה מצא בה דברים באורין לגרשה איני יכול שלא מצא בה ערוה

idcirco projecerunt in eum decem lanceas. Dictum est enim: *Et circumdantes decem pueri, armigeri Joab*. Et quoniam furatus est tria corda, sc. cor patris sui, & cor Synhedrii, & cor Israel. Dictum est enim: *Furabatur Absalom cor Israel*. Idcirco tribus lanceis confossus est. Dictum est enim: *Et assumens tres lanceas transfixit eas in cor Absalom*.

IX. Similiter respectu boni. Mirjam per horam unam ad Mosis curam morata est. Dictum est enim: *Stabat soror ejus a longe*. Idcirco Israelitæ septem dies morati sunt in deserto. Dictum est enim: *Et populus non est profectus, donec aggregaretur Mirjam*. Dignus factus est Joseph ut sepeliret patrem suum; & inter fratres suos nemo illo fuit major. Dictum est enim: *Adscendit Joseph ad sepeliendum patrem suum &c. Adscenderuntque cum eo tam currus, quam equites*. Quis nobis est major Joseph, in quo non fuit occupatus nisi Mose? Mose dignus factus est ut colligeret ossa Joseph; & nemo in Israel eo fuit major. Dictum est enim: *Et accepit Mose ossa Joseph secum*. At quis fuit major Mose, in quo non fuit occupatus nisi Deus? Dictum est enim: *Et sepelivit eum in valle*. Non de Mose tantum dixerunt, sed de omnibus justis. Dictum est enim: *Et anteibit te justitia tua, gloria Dei congregabit te*.

Finis capitis.

Constitutio I. Qui zelotypus est in uxorem suam &c. Scriptum est: *Et transierit super eum spiritus zelotypiæ, & zelotypus fuerit in uxorem suam &c.* Ne sit zelotypus propter risum immodicum, neque propter loquacitatem, neque propter lasciviam, neque propter moram, sed propter rem veritatis. *Transierit, & zelotypus fuerit*: propter aliquam ex his omnibus rebus: tu dicis propter præceptum. Ad impediendum: Si dicis propter præceptum zelotypia erit zelotypia. Si dicas ad impediendum zelotypia non erit zelotypia. Statuitur juxta illud quod dicitur. Ubicumque dictum est *statutum legis*: impedit zelotypiam. R. Jehosua dicit nomine R. Elieser: ex debito. R. Jehosua dicit ex arbitro: Dicit R. Eliefer ben R. Jose coram R. Isa; Consentit R. Eliefer cum schola Schammai, & R. Jehosua cum schola Hillel. Consentit R. Eliefer cum schola Schammai; etenim schola Schammai dicit: Nemo repudiabit uxorem suam, nisi quando invenerit in ea turpitudinem. Si in ea invenerit res, propter quas digna sit ut repudietur, tamen

לקיימה אינו יכול שמצא בה דברים כאורין
לפום כן הוא אומר חובה והא תני משום
בית שמאי אין לי אלא היוצאת משם ערוה
מניין היוצאה וראשה פרוע וצדדיה מפורמין
וזרועותיה חלוצות תלמוד לומר כי מצא בה
ערות דבר אמר רבי מנא קיימתיה בעדים
וכאן שלא בעדים ודרבי יהושע כבית הלל
דבית הלל אמ׳ אפילו הקריחה תבשילו לפום
כן הוא אומר רשות רצה לקנאות יקנא רצה
לגרש יגרש ומה טעמא דרבי ליעזר כי מצא
בה ערות דבר ערוה זו סתירה דבר זה קינו
דבר דבר מה דבר האמור להלן על פי שנים
עדים אף דבר האמור כאן על פי שנים עדים
ומשקה על פי עד אחד או על פי עצמו
ומעלה בו בתנאים שהיתנה עמה על פי
אחרים תני רבי יוסי בי רבי יודה אומר משום
רבי ליעזר מקנא על פי עד אחד או על פי
עצמו ומשקה על פי שנים נאמר כאן כי
מצא בה ערות דבר ואין מציאה בכל מקום
אלא בעדים מה מקיים רבי ליעזר דבר דבר
שהוא מרגיל לבוא לידי ערוה עד אחד מהו
שישקה מה אם פיו שאינו זוקקו לשבועת
ממון הרי הוא משקה עד אחד שהוא זוקקו
לשבועת ממון לא כל שכן קריב מהו שישקה
מי קרוב מבעלה עד מפי עד מהו שישק
מה בינו לבין הקרוב קרוב אעפ׳ שאינו כשר
עכשו כשר הוא לאח׳ זמן עד מפי עד אינו
כשר לא עכשיו ולא לאחר זמן מה טעמ׳
דר׳ יהוש׳ כי מצא בה ערות דבר דבר זה
בקינוי כי מצא אין מציא׳ אלא בעדי׳ ומקנא
עפ׳ עד אחד או על פי עצמו ומעלה בו
בקינוי מה מקיים רבי יהושע ערוה ערוה
שהיא באה מכח דבר השיבו על דברי רבי
יוסי בן יודה אם כן אין לדבר סוף הכל
מטנו לקנאות לה בשנים ולהביא עדים

men non poterit eam repudiare, nisi in ea inveniat turpitudinem: At non poterit eam retinere, quando in ea inveniat res. Idcirco dicit ex debito: Atqui est traditio nomine scholæ Schammai; Non probo, nisi quando protulerit nomen turpitudinis. Unde probatur vel si prodeat nudato capite, & fucata minio, & discissis vestibus, & nudatis? Ex eo quod dictum est: *Quando invenerit in ea turpitudinem rei*. Dicit R. Mena: Ejus confirmatio fit testibus. At hoc loco sine testibus. Et R. Jehosua consentit cum schola Hillel. Etenim schola Hillel dicit: Vel si adusserit decoctum: ea de causa dicit ex arbitrio. Si velit zelotypia fungi, zelotypia fungetur; si velit repudiare, repudiabit. Quænam est ratio R. Eliesér? Quia dictum est: *Quando invenerit in ea turpitudinem rei*. *Turpitudinem*: Hæc est occultatio; *rei*. Hæc est zelotypia דבר דבר. Sicut דבר eo loco dicta coram duobus testibus, ita pariter hoc loco. Et potabit ex dicto unius testis, aut ex dicto sui ipsius. *Et prævaricata fuerit in eum*: In conditionibus, quas pactus sit cum ea coram aliis. Traditio: Rabi Jose discipulus Rabi Jehuda dicit nomine Rabi Eliesér; Zelotypia fungetur ex dicto unius testis, aut ex dicto sui ipsius; & potabit ex dicto duorum. Dictum est hic: *Quando invenerit in ea turpitudinem rei*. At inventio ubicunque non est nisi in testibus. Quomodo explicat R. Eliesér דבר. Scilicet res quæ soleat devenire ad statum turpitudinis: Num unus testis faciet potare? Si os ejus, quod non obligat ad juramentum nummorum, ecce facit potare, testis unus, qui obligat ad juramentum nummorum, nonne multo magis? Propinquus num faciet potare? Quis propinquior marito? Testis ex ore testis num faciet potare? Quod erit discrimen erit inter illum & propinquum? Propinquus licet nunc non sit legitimus, in posterum poterit esse legitimus. At testis ex ore testis neque hoc tempore neque in futuro erit legitimus. Quænam est ratio R. Jehosua? *Quando invenerit in ea turpitudinem rei*. דבר Hæc est zelotypiæ &c. *Quando invenerit*. Non est inventio nisi per testes. *Et zelotypus fuerit*: Ex dicto unius testis, aut ex dicto sui ipsius: *Et adscenderit super eum zelotypia*. Quomodo explicat R. Jehosua, *turpitudinem, turpitudinem? Turpitudinem*, quæ veniat propter rem. Opposuerunt ad verba R. Jose ben Jehuda: Si ita sit; non erit rei finis. Omnes consentiunt, quod zelotypia fungatur in duobus, atque ut adducat testes, quod fuerit occultata, ut amittat dotem. Dicit

שנסתרה ולפוסלה מכתובה אמר ר׳ יוסי מה
טיבה להיסתר אלא אתיא די על דמתניתין
הכל׳ ממנו לקנות לה מפיו ולומר שנסתרה
ולפוסלה מכתובתה אמר רבי מנא אפילו
כהדין תנייא אתייא היא כמאן דמר מקנא
לה מאביה ומבנה הכל ממנו לקנות לה מאביה
ומבנה ולהביא עדי׳ שנסתרה ולפוסלה
מכתובתה אין תימר מאי טיבה להיסתר
תורה התירה להיסתר דמר רבי יוחנן משום
רבי שמעון בן יוחי כתיב כי יסיתך אחיך
בן אמך וגו׳. בתך בסתר אמך בסתר מתייחד
אדם עם אמו ודר עמה עם בתו ודר עמה
עם אחותו ואינו דר עמה עידי קינוי שנמצאו
זוממין לוקין עידי סתירה שנמצאו זוממין
אחה אמרת לוקין מהו שישל׳מו לאמכוחן
היא מפסדת כתובתה או ייבא ביי דמר רבי
בא רבי יהודה בשם שמואל אין למידין דבר
מדבר בעדים זוממין והכא כן נסתרה בעד
אחד בשחרית ובעד אחד בין הערבים ייבא
כהדא נתייחדה עמו בפני שנים צריכה היִמינו
גט שיני באחד אינה צריכה חימינו גט שיני
באחד בשחרית ואחד בין הערבים זה הים
מעשה ושאל ר׳ לעזר בן תדאי את החכמים
ואמרו אין זה ייחוד קינא לה בעד אחד
בשחרי׳ ובעד אחד בין הערבים מאחר שהוא
איש והיא אשה אין קינויו קינוי ייבא כהדא
אין מקבלין מן העדים אלא אם כן ראו
שניהן כאחת רבי יהושע בן קרחה אומר
ואפילו באו_ זה אחר זה רבי ירמיה רבי
שמואל בר יצחק בשם רב מודין חכמים לרבי
יהושע בן קרחה בעידי הבכורה ובעידי החזקה
רבא בשם רבי ירמיה אף בעידי סימנין כן
מה דא פשיטה שזה אמר ראיתי שתי שערות
בגבו וזה אומר ראיתי שני שערות בגבו זה
אומר ראיתי שערה אחת בגבה וזה אומ
ראיתי שערה אחת בגבה לאו כלום כל שכן
גבו וגבו זה אומר ראיתי ב׳ שערות בגבו
וזה אומר ראיתי שערה אחת בכריסו רבי

cit R. Jose; quid ei proderit, ut se occultet? At hoc non statuitur contra id, quod traditur, ut zelotypia fungatur ex ejus dicto, & dicat, quod se occultaverit, ut amittat dotem. Dicit R. Mena. Vel juxta hanc tarditionem statuitur juxta mentem illius qui dicit; poterit esse zelotypus ex patre suo, & filio suo: Omnes consentiunt quod possit esse zelotypus a patre suo, & filio suo, ut adducat testes, quod se occultaverit, ut amittat dotem. Si dicas, quid proderit ut se occultet? Lex præmonet de occultatione. Etenim dicit R. Jochanan nomine R. Simeon ben Jochai; Scriptum est. *Quum dolum adhibuerit tibi frater tuus filius matris tuæ. Filia tua*. In occulto. *Matris tuæ*: In occulto. Potest esse solus homo cum matre sua, & habitare cum ea; cum filias sua & habitare cum ea; cum sorore sua, at non poterit habitare cum ea. Si testes zelotypiæ falsi deprehendantur, vapulant: Si testes occultationis falsi deprehendantur, tu dicis quod vapulent: Num perficient, ut eorum amittat dotem? Si statuatur juxta id quod dicit R. Ba, R. Jehuda nomine Samuelis; Non probatur res a re in testibus falsis; & hoc loco ita se res habet? Si se occultaverit, dicente uno teste mane, & altero teste dicente inter vesperas: Ita statuitur: Si cum eo fuerit segregata ex dicto duorum, requiritur ab eo libellus repudii, si ex dicto unius, non requiritur ab eo libellus repudii. Testante uno mane, & altero testante inter vesperas; hoc fuit factum quod quæsivit R. Elieser ben Thadæi a sapientibus; & dixerunt: Hæc non est segregatio. Si zelotypia fungatur cum teste dicente mane, & altero dicente inter vesperas; si alter fuerit vir, & altera fœmina, hæc zelotypia non est zelotypia. Sic statuitur: Non accipiunt a testibus, nisi quando simul ambo viderint. Rabi Jehosua ben Charcha dicit: Vel si venerint alter post alterum. Rabi Jeremia, Rabi Samuel bar Josadech nomine Rab: Consentiunt sapientes cum Rabi Jehosua ben Charcha in testibus primogenituræ, & in testibus præsumtionis. Raba nomine R. Jeremia; Similiter in testibus signorum. Hoc certum est, quod si alter dicat: Vidi duos pilos in ejus dorso, & alter dicat; vidi duos pilos in ejus dorso. Si alter dicat: Vidi pilum unum in ejus dorso; & alter dicat: Vidi pilum unum in ejus dorso: Nihil inservit: multo magis in ejus dorso, & in ejus dorso; si alter dicat: Vidi duos pilos in ejus dorso, & alter dicat: vidi duos pilos in ejus ventre. R. Jose discipulus R.

יוסי בי רבי בון ורבי הושעיה בריה דרבי שמי חד אמר פסול וחד אמר כשר מאן דמר פסול כמעיד על חצי סימן ומאן דמר כשר אני אומר שמא נשרו שנים אומ' ראינו שערה אחת בו ושנים אומ' ראינו שערה אחת בכריסה רבי חגיי אמר דברי הכל פסול רבי בא אמר דברי הכל כשר רבי יודן אמר במחלוקת רבי יוסי אמר במחלוות אמר רבי יוסי לרבי חגיי והא רבי יודן סבר כוותי אמר ליה על רבית אנא פליג לא כל שכן עילויה אמר רבי מנא יאות אמר רבי הגיי אילו שטר שהוא מחותם בארבעה עדים וקרא עלוי ערער זה מעיד על שנים וזה מעיד על שנים שמא כלום הוא ואין כל חתימה וחתימה צריכה שני עדים וכה כל סימן וסימן צריכה שני עדים רבי חנניה יליף לה משני הזקה אילו אחד מעיד שאכלה שנה ראשונה ושניה ואחד מעיד שאכלה רביעית חמישית וששית שמא כלום הוא ואין כל חזקה וחזקה צריכה שני עדים וכה כל סימן וסימן צריך שני עדים.

הלכה ב' כיצד הוא מקנא לה כו' סוף דבר עד שתדבר עמו הא אם נסתרה עמו ולא דיברה אין סתירתה כלום דיברה אתא מימור לך אפילו דיברה עמו ולא נסתרה אדיין היא מותרת לביתה ומותרת לוכל בתרומה לשון נקי הוא מתניתא אל תתייחדי עם איש פלוני מהו שיקנא לה משני בני אדם באחרת רבי יודן אמר במחלוקת מאן דמר מקנא לה מאביה ומבנה מקנא לה משני בני אדם כאחת רבי יוסי בעי מקנא לה ממאה בני אדם אמר רבי יוסי בי רבי בון אמר לה אל תיכנסי לבית הכנסת נכנסת עמו אמר רבי מנא לא אמ' אלא עמו הא זה אחר זה לא רבי אבין אמר אפילו זה אחר זה מכל מקום יש רגלים לדבר לפלטיא בלילה לחורבה ביום למבואות אפילות ביום שאלו את בן זומא מפני מה ספק רשות היחיד טמא אמר לון סוטה מהיא אמר ליה רשות היחיד אמר לון מצינו שהיא אסורה לביתה מיליהון דרבנן פליגין דמר רבי זעיר רבי יסא בשם רבי יוחנן קטנה שזינתה אין

Bon, & R. Osajah bar R. Same, alter dicit; erit illegitimus; & alter dicit; erit legitimus. Qui dicit esse illegitimum, reputatur perinde ac innitatur dimidio signo; & qui dicit esse legitimum; ego dico, quod fortasse exciderit. Si duo dicant: Vidimus in eo pilum unum; & duo dicant; vidimus in eo pilum unum in ejus ventre. R. Haggæus dicit; omnium consensu est illegitimus. R. Ba dicit: omnium consensu est legitimus. R. Jodan dicit: Est dissensio: R. Jose dicit: est dissensio. Dixit R. Jose, R. Haggæo. Atqui R. Jodan mecum consentit. Respondit: Ab ejus magistro ego dissentio, nonne ad multo magis ab eo? Dicit R. Mena: concedatur; Dicit R. Haggæus: Si scriptura obsignanda est a quatuor testibus; & legit contra illum contentionem. Alter testatur de duobus, & alter testatur de duobus; fortasse nihil inserviet. Num singulæ obsignationes requirunt duos testes? Num etiam hoc loco singula signa requirunt duos testes? R. Chananjah probat ex duobus testibus præsumtionis: Si alter testetur, quod comederit anno primo & secundo, & alter testetur, quod comederit anno quarto, quinto & sexto; nihil inserviet: Atqui singulæ præsumtiones requirunt duos testes; & similiter hoc loco singula signa requirent duos testes.

Constitutio II. Quomodo zelotypia fungetur? Rei finis erit, ut possit cum eo loqui, si se occultaverit cum eo, & non fuerit locuta, occultatio nihil inservit, vel si cum eo fuerit locuta, & se non occultaverit; Adhuc domui suæ licita est, & ei licet comedere de separatione. Locutione pura utitur Misna. Ne occulteris cum viro N. Quid erit, si zelotypus sit in duobus hominibus eodem tempore? R. Jodan dicit: Est dissensio: Qui dicit, quod possit esse zelotypus a patre suo, & a filio suo; poterit eodem tempore esse zelotypus a duobus hominibus. Rabi Jose contendit quod possit esse zelotypus a centum hominibus. Dicit Rabi Jose discipulus Rabi Bon; Si illi dicat: Ne ingrediaris in domum congregationis. Si cum eo ingrediatur. Dicit R. Mena: Non dixit nisi cum eo; at minime cum alio post alium. Omnimode sunt soliciti in re. In platea noctu; in solitudine interdiu; In ambulacris vel interdiu. Quæsierunt a ben Zoma: Qua de causa dubium loci privati est immundum? Respondit illis. Mulier adulterii suspecta quid est? Dixit: Locus privatus. Dixit illis: Reprehendimus quod sit domui suæ interdicta. Sapientes dissentiunt; Etenim dicit R. Zehira, R. Jose nomine R. Jochanan? Si puella stuprum fa-

להּ רצון להיאסר על בעלה והא תנינן כל
שאין בו דעת לישאל ספיקו טהור הא אם
יש בו דעת לישאל ספיקו טמא ברם הכא
אף על פי שיש בו דעת לישאל ספיקו טהור
מפני מה ספק רשות הרבים טהור אמר לון
מצינו שהציבור עושין פסחיהן בטהרה בשעה
שרובן טמאין מה טומאה ידועה הותרה לציבור
קל והומ׳ ספק טומאה תמן תנינן כל העריות
עשה בה את המערה כגומר וחייב על כל
ביאה וביאה החמיר בשפחה שעשה בה את
המזיד כשוגג ר׳ ירמי׳ ר׳ בא בר ממל בשם
רב שכבת זרע עד שיפלוט הכא כתי׳ שכבת
זרע והכ׳ כתי׳ שכבת זרע הכא אמ׳ שכבת
זרע עד שיפלוט והכא את אמ כן אר׳ יוסי
שנייה היא דכתי׳ ונסתרה והיא נטמאה כיון
שנסתרה התורה קראה טמאה ברם הכא
שכבת זרע עד שיפלוט ליידא מילה כתיב
שכבת זרע לשעורין כהדא דתני ונסתרה והיא
נטמאה כמה היא סתירה כדי טומאה כמה
היא כדי טומאה כדי ביאה וכמה היא ביאה
כדי העריה כמה היא העריה רבי ליעזר או׳
כדי חזירת דקל רבי יהושע אומר כדי מזיגת
הכוס בן עזאי אומ׳ כדי לשתותו רבי עקיבה
אומר כדי גילגול ביצה רבי יודה בן בתירה
אומר כדי לגימת שלש בצים מגולגלות זו
אחר זו רבי אלעזר בן פינחס אומר כדי
שיקשור גירדי את הנימה מיניימין אומ׳ כדי
שתושיט ידה ותטול בכר לחם מן הסל אף
על פי שאין ראייה לדבר זכר לדבר יש כי
בעד אשה זונה עד ככר לחם וגו׳. אמר רבי
יוסי כל אילין שיעוריא לאחר התרת הסינר
אמר רבי יוחנן כל אחד ואחד בעצמו שיער
ובן עזאי נשא אשה הימיו אית דבעי מימר
נתחמם ואית דבעי מימר בעל ופירש אית
דבעי מימר סוד יי׳ ליריאיו ובריתו להודיעם

faciat, non est ei voluntas, ut interdicatur marito suo. Atqui legimus: Cui non est scientia ad quærendum, ejus dubium est purum: At si illi fuerit scientia ad quærendum, ejus dubium erit immundum. At hoc loco, vel si illi fuerit scientia ad quærendum, ejus dubium erit purum. Qua de causa dubium loci publici est mundum? Respondit: Deprehendimus, quod cœtus faciat Pascha suum in puritate, quando major ejus pars fuerit immunda. Sicut immundities quæ nota sit, est permissa cœtui, multo magis dubium immunditiei. Ibi legimus: In omnibus turpitudinibus consideratur denudans perinde ac perficiens, & tenetur pro singulis congressibus: At gravius est in ancilla, in qua consideratur prudens æque ac imprudens. R. Jeremia, R. Ba bar Mimal nomine Rab: *Concubitu seminis*: Donec ejiciat semen. Hic scriptum est: *Concubitu seminis*; Et ibi scriptum est: *Concubitu seminis*. Hic tu dicis: *Concubitu seminis*; donec ejiciat semen; Et hoc loco tu ita dicis? Dicit Rabi Jose: Diversum est: Scriptum est enim: *Et absconditum fuerit, ipsaque polluta fuerit*. Postquam se abscondit, lex eam appellat pollutam. At hoc loco *concubitu seminis*, intelligitur priusquam ejiciat semen: Hac de causa scriptum est *concubitu seminis*, propter mensuras; Sicut docetur? *Et absconditum fuerit, ipsaque polluta fuerit*. Quanta erit mensura occultationis; Tantum temporis, quamdium polluatur: Quantum tempus erit pollutionis? Quantum ut se denudare possit. Quantum erit tempus denudationis? Rabi Elieser dicit; quantum ut arbor a vento succutiatur. Rabi Jehosua dicit: Quantum calix temperetur. Ben Asai dicit; quandiu calix bibatur; R. Akiba dicit: quandiu ovum convolvatur. R. Jehuda ben Bethera dicit; quandiu tria ova convolvantur unum post aliud. R. Elieser ben Pinchas dicit: quandiu textor licium innodare possit. Minimiin dicit; quandiu quis manum extendens possit sumere panem e canistro. Quamvis non sit rei demonstratio, tamen ut rei monimentum. Dictum est enim. *Pretium enim scorti vix est unius panis*. Dicit R. Jose: Omnes istæ mensuræ, Postquam dissolverit succintorium. Dicit R. Jochanan: Singulæ seorsim sunt mensuræ. Et ben Azai. Siquis ducat uxorem a diebus suis: Est qui dicendum putat; Postquam caluerit; & est qui dicendum putat; Concumbat & se separabit. Et est qui dicendum putat quod dictum est: *Firmamentum est Dominus timentibus eum, & fœdus ipsius, ut manifestetur illis*. Tra-

חני רבי אומר שלש טמאות אמורות בפרש
אחרה לבעל ואחת לבועל ואחת לתרומה
לתרומה מצינו אשה שהיא אסורה לביתה
ומותרת בתרומה למה לא אילו בת כהן
שנישאת לישר' ונאנסה שמא אינה מותרת
לביתה ואסורה לאכול בתרומה לא מצינו
אשה שהיא אסורה לביתה ומותרת לוכל
בתרומה אמר ר' אבין איתאמרת אחת לבעל
ואחרת לבועל ואחת ליבם אמר רבי יוסי בי
רבי בון מתניתא אמרה כן ואם מת חולצת
ולא מתייבמת תנא רבי יעקב בר אידי קומי
רבי יונתן ואת כי שטית תחת אישך פרט
אונסין מה את שמע מינה אמ' ליה מה
תחת אישך לרצון אף כאן לרצון סוטה כשם
שהיא אסורה לבעל כך אסורה לבעול כשם
שהיא אסורה לאחיו של בעל כך היא אסורה
לאחיו של בועל יכול כשם שצרת סוטה
אסורה לאחיו של בעל כך אסורה לאחיו של
בועל נישמעינה מן הדא האשה שהלך בעלה
למדינת הים ובאו ואמרו לה מת בעליך הויא
לה יבם כאן ויבמ' ומת ואחר כך בא בעלה
אסור בה ומותר בצרתה אסור בה ומותר
באשת אחיו ואשת אחיו לא כצרת סוטת
היא הדא היא אמרת שצרת סוטה מותרת
לאחיו של בועל אמר רבי יודן אתייא כרבנן
דתמן דמר רבי הילא תניי תמן כל העריות
אינן צריכות גט חוץ מאשת איש בלבד רבי
עקיבה אומר אף אחות אשתו ואשת אחיו
כרם רבנן דהכא רבי חייה בשם רבי יוחנן
הכל מודין באשת אחיו שהיא צריכה הימינו
גט משו' הילכות אשת איש קנה בה ערוה
היא וערוה פוטרת צרתה אמר רבי חיננא
אפילו כרבנן הכא אתיא היא בה קנסו לא
קנסו ביורשיה אמר רבי חנניה בריה דרבי
הילל אין כרבנן דתמן יהא מותר בה רבי
זעירא בשם רבי יוחנן צרת סוטה אסורה
וצרת גרושה מותרת לביתה ר' יעקב בשם
רבי יוחנ' כל הצרו' מותרו' חוץ מצרת סוטה

Traditio. Rabi dicit: Tres pollutiones dictæ sunt in sectione, altera in marito, alter in adultero, & alter in separatione. De separatione deprehendimus, quod sit domui suæ interdicta, & ei liceat comedere de separatione. Qua de causa non? Si filia sacerdotis nupta fuerit Israelitæ, fortasse non erit licita domui suæ, & interdicta erit, ut comedat de separatione. Dicit R. Abin, quod dicis *de pollutionibus*, altera erat in marito, altera in adultero, & altera in leviro. Dicit R. Jose discipulus R. Bon: Misna ita dicit: Si moriatur, calceum exuet, at non leviratu fungetur. Docuit R. Jacob bar Iddi coram R. Jonathan. *Et si declinasti sub marito tuo*. Excludit coactas. Quid inde probas? Respondit: Sicut sub *marito tuo*, intelligitur, quando fecerit libens, ita pariter hoc loco. Mulier adulterii suspecta sicut est prohibita marito, erit etiam prohibita adultero: Sicut est prohibita fratribus mariti, ita pariter erit prohibita fratribus adulteri. Crederem, sicut æmula mulieris adulterii suspectæ est prohibita fratribus mariti, ita pariter quod esset prohibita fratribus adulteri? Potest hinc probari: Si maritus mulieris abierit in civitatem maritimam, & veniant testes, eique dicant; mortuus est maritus tuus, & fuerit illi levir, & leviro nubat, & moriatur, & deinde veniat ejus maritus, est illi prohibita, & est permissa ejus æmula, illa est ei prohibita, & est permissa uxor sui fratris; at uxor sui fratris non est sicut æmula mulieris adulterii suspectæ. Hoc est quod dicis: Æmula mulieris adulterii suspectæ est permissa fratribus adulteri. Dicit R. Jodan. Statuitur juxta mentem sapientum, qui ibi dicunt. R. Ela ibi docet. Omnes turpitudines non requirunt libellum repudii excepta uxore viri duntaxat. R. Akiba dicit: excepta etiam sorore uxoris, & uxore fratris juxta mentem sapientum eo loco. R. Chijah nomine R. Jochanan: Omnes consentiunt, quod uxori fratris sit ab eo necessarius libellus repudii propter constitutiones uxoris viri: Si eam acquirat, turpitudo erit. Et turpitudo liberat æmulam suam: Dicit R. Chinna similiter juxta mentem sapientum ibi statuitur: In ea mulctant, at non mulctant in ejus hæredibus. Dicit R. Chananjah bar R. Hillel: At non juxta mentem sapientum eo loco erit illi permissa. R. Zehira nomine R. Jochanan: Æmula mulieris adulterii suspectæ est vetita, & æmula repudiatæ licita erit domui suæ. R. Jacob nomine R. Jochanan; omnes æmulæ sunt permissæ excepta æmula mulieris adulterii suspectæ.

שמואל אמר גרושה עצמה מותרת לביתה מהו פליג בנין דהוון עסיקין בצרות לא אדכרון גרושות צרת סוטה למה היא אסורה ר׳ יוחנן אמר מריח ערוה נגעו בה רב אמר מפני שכתוב בה טומאה בעריות.

הלכה ג׳ אילו אסורות מלאכל בתרומה וכו׳ מתני׳ לא כמשנה הראשונה דתנינן תמן בראשונה היו אומרים שלש נשים יוצאות ונוטלות כתובה האומרת טמיאה אני לך שמים ביני לבינך ונטולה אני מן היהודים אמ׳ ר׳ אבין ואפילו תאמר במשנה האחרונה מכל מקום שירגלי׳ לדבר תני מבלעדי אישך פרט לשקדמה שכבת זרע אחרת לאישך אמר רבי אילא בעניין שנאמר מלבד עולת הבוקר והא תנינן כשם שהמים בודקין אותה כך הן בודקין אותו כשם שהיא אסור׳ לבעל כך היא אסורה לבועל וכשם שהיא אסורה לאחיו של בעל כך היא אסורה לאחיו של בועל כשם שהמים בודקין אותה על כל ביאה וביאה שהיא מקבלת את בעלה לאחר הבועל כך הן בודקין אותו ר׳ אבין בשם רבי הילא כאן ביודע כאן בשאינו יודע רבי חייה בר יוסף שלח בתר איתתיה אמר יסקון עמה תלת תלמידין שאם יפנה אחד מהן לצורכו תתייחד שם שנים והא תנינן ומוסרין לו שני תלמידי חכמים שמא יבוא עליה בדרך אמר רבי אבין ובעלה הרי שלשה אף הוא שכר לה בית והיה מעלה לה מזונו׳ ולא היה מתייחד עמה אלא בפני בניה וקרא על עצמו הפסוק היה יגעתי באנחתי ומנוחה לא מצאתי תני ר׳ יודה אומר בעלה נאמן עליה מקל וחומר ומה אם הנדה שחייבין עליה כרת הרי הוא נאמן עליה זו שאין חייבין עליה כרת אינו דין שיהא נאמן עליה אמרו לו לא אם אמרת בנידה שיש לה היתר לאחר איסורה תאמר בזו שאין לה היתר לאחר איסורה ואומ׳ מים גנובים ימתקו וגו׳. אמר להן רבי יהודה גזירת הכתוב היא והביא האיש את אשתו אל הכהן וגו׳. אמרו לו ובלבד בעדי׳.

Samuel dicit: Repudiata ipsa licita est domui suæ. In quo dissentit? Ex eo quod cum agant de æmulis, nihil memorent de repudiatis. Æmula mulieris adulterii suspectæ qua de causa prohibita est? R. Jochanan dicit: Quia odor turpitudinis eam attingit. Rab dicit: Eo quod scriptum est de illa: Pollutio in turpitudinibus.

Constitutio III. Istis interdicitur ut comedant de separatione &c. Traditio non est juxta priorem Misnam: Etenim ibi legimus: In prima dixerunt: Tres mulieres egrediuntur, & accipiunt dotem: Si dicat: Polluta ego sum tibi. Cœlum inter me & te. Et separata sum a Judæis. Dicit R. Abin: Vel si dicas juxta Misnam posteriorem; omnimode sunt solicit de te: Traditio: *Excepto marito tuo*. Excludit, si præcesserit alius concubitus seminis; *marito tuo*. Dicit Rabi Ela: Quæsierunt: *Duntaxat holocaust m matutinum*. Atqui legimus; Sicut aquæ perscutantur ipsam, ita pariter illum perscutantur; sicut illa erat interdicta marito, ita pariter erat interdicta adultero; sicut erat interdicta fratribus mariti, ita pariter erat interdicta fratribus adulteri. Sicut aquæ ipsam perscutabantur in singulis congressibus, in quibus acceperat maritum post adulterum, ita pariter illum perscutabantur. R. Abin nomine R. Ela; hoc loco intelligitur quando erat cognitum, & ibi quando non erat cognitum: R. Chijah bar Joseph misit post uxorem suam, dicens. Comitentur eam tres discipuli; quod si unus ex iis vacet necessitatibus suis, sola sit cum duobus. Atqui legimus. Et tradunt ei duos discipulos sapientum; ne forte cum ea concumbat in itinere: Dicit R. Abin: Et ejus maritus; ecce tres. Ipse quoque locabit illi domum, & illi afferet alimentum; ne sola sola sit nisi coram filio suo, & legit de seipso hunc versiculum. *Laboravi in gemitu meo, & requiem non inveni*. Traditio. R. Jehuda dicit. Maritus de illa est fide dignus argumento a minori ad majus. Si de menstruata, cujus causa rei sunt excidii, est fide dignus; de hac, cujus causa non tenentur excidio, non erit æquum ut sit fide dignus? Responderunt illi: Minime; Si dicas de menstruata, cui est permissio post interdictum, dices de hac, cui non est permissio post interdictum? Et dictum est: *Aquæ surreptæ dulciores sunt &c.* Dixit illis R. Jehuda. Decretum scriptum est: *Et adducet vir uxorem suam ad sacerdotem &c.* Responderunt illi; verumtamen cum testibus.

Con-

הלכה ד׳ היו מעלין אותה לבית דין הגדול
שבירושלם וכו׳. כשם שמאיימין עליה
שתחזור בה כך מאיימין עליה שלא תחזור
בה ואומר לה בתי אם טהורה את דבריא לך
שארת אהורה עמדי על בורייך שאין המים
האילו דומין אלא לסם יבש שהוא נתון על
גבי בשר חי ואינו מזיקו מצא שם מכרת
התחיל מחלחל ויורד רבי זכריה חתניה
רבי לוי הוה משתעי הדין עובדא רבי מאיר
הוה יליף דריש בכנישתא דחמתא כל לילי
שובא והוה תמה חדא איתתא יליפה
שמעה קליה חד זמן אזלת בעית
מיעול לביתיה ואשכחת בוצינא מיטפי אמר
לה בעלהן ה׳ הוייתה אמרה ליה מישמעא
קליה דדרושא אמ׳ לה מכך וכך דלית ההיא
איתתא עללה להכא לבייתה עד זמן דהיא
אזלה ורקקה גו אפוי דדרושא צפה ר׳ מאיר
מאיר הקודש ועבר גרמיה חשש בעייניה
אמר כל איתתא דידעה מי לחוש לעיינה
תיתי תילחוש אמרין לה מגירתא הא עייתיך
לביתיך עברי גרמיך לחשה ליה ואת רקקהונ
עייניה אתת לגביה אמר לה חכמה את
מילחוש לעיינא מאימתיה עליה אמרה ליה
לא אמר לה ורוקקין בגויה שבע זימנין והוא
טב ליה מן דרקקת אמר לה אזלין אמרין
לבעליך חד זמן אמרת לי והיא רקקה שבעה
זימנין אמרו לו תלמידיו רבי כך מבזין את
התורה אילו אמרת לו לא הווית מייתי ליה
ומלקין לה ספסליה ומרצייה ליה לאיתתיה
אמר לון ולא יהא כבוד מאיר ככבוד קונו
מה אם שם הקודש שנכתב בקרושה אמר
הכתוב שיימחה על המים בשביל להטיל שלום
בין איש לאשתו וכבוד מאיר לא כל שכן.
ואומר לפניה דברים שאינן כדיי לשומען היא
וכל משפחת בית אביה כגון מעשה ראובן
בבל ההי ומעשה יהודה בתמר אשר חכמים
יגידו אילו ראובן ויהודה ולא כחדו מאבותם
ומה שכר נטלו על כן להם לבדם ניתנה
הארץ ולא עבר זר בתוכם בשבא משה
לברכן יחי ראובן ואל ימות וזאת ליהודה רבי
חזקיה בשם ר׳ אחא ר׳ חייה דריש שלש מקר
אות לשבח ותשב כפתח עינים ואיפשר כן
אפילו זונה שבזונות אינה עושה כן אלא

Constitutio IV. Adducebant illam ad Synhedrium magnum, quod erat Hierosolymæ &c. Quemadmodum eam perterrefaciunt, ut pœniteat, *sc. ne bibat aquas*; ita pariter eam perterrefaciunt, ne pœniteat, *sc. ut bibat*; Eique dicit: Filia mea si munda es, Deo tuo confide, & audaciter bibe, quoniam aquæ iste non sunt similes nisi veneno sicco, quod si carni vivæ imponatur, nihil lædit: Si ibi inveniat vulnus dolorem affert & penetrat; Rabi Zacharias gener Rabi Levi hoc factum exposuit: R. Meir docebat differens in synagoga Chamata cunctis noctibus Sabbati, & ipse vidit, quod quædam mulier soleret audire ejus vocem. Aliquando venit, & voluit ingredi in ejus domum, & invenit lucernam extinctam; dixit illi maritus. Ubi fuisti? Respondit: Ego fui, ut audirem vocem concionatoris. Dixit. Sive hoc sive illo modo; Hæc mulier non ingredietur in hanc domum, donec eat, & exspuat in faciem concionatoris; Exploravit R. Meir in spiritu sancto, & finxit sibi dolere oculos. Dixit: Quævis mulier quæ sciat mussitare in oculos veniat, & mussitet: Dixerunt illi ejus vicinæ. Ecce afflictio tua domui tuæ: finge te esse mussitatricem, & exspue in ejus oculos. Venit ad eum; eique dixit. Scisne mussitare in oculos? Præ timore negavit. Dixit illi: Atqui exspuunt intra illum septies, & bonum illi est. Postquam exspuit, dixit illi. Abi & dic marito tuo: Semel mihi dixisti; at ego septies exspui. Dixerunt illi discipuli; Rabi. Hoc modo contemnunt legem? Si ei dixisses; eam non adduxi: Percussisset sellam, & cum ea reconciliatus esset: Dixit illis: Num honor R. Meir, erit sicut honor creatoris? Si nomen Sanctum, quod scriptum sit in sanctitate, dicit textus, quod deleatur in aquis, ad introducendum pacem inter virum & ejus uxorem: Honor Meir nonne multo magis? Et dicebat coram illa verba, quæ non erat conveniens, ut audiret ipsa, & universa familia domus patris sui? E. g. historiam Ruben cum Belka, & historiam Juda cum Thamar. Dictum est: *Quod sapientes confitentur, & non abscondunt patres suos*. At quam mercedem ea de causa receperunt? *Quibus solis data est terra, & non transivit alienus per eos*. Quando venit Mose, ut illis benediceret: *Vivat Ruben, & non moriatur. Et hoc de Juda*. R. Ezechia nomine R. Acha. R. Chijah exponit tres textus in laudem. *Sedit in ostio fontium*. Fieri non potest, ut vel meretrix impudentissima meretri cum ita faciat. Verum

שתלת עיניה לפתח שכל העינים מצפות לו אמר׳ לפניו רבון כל העולמים אל אצא ריקם מן הבית הזה דבר אחר בפתח עינים שפיתחח לו את העינים שאמרה לו פנויה אני וטהורה אני ועלי זקן מאד וגו׳. ישכיבון כתיב שהיו הנשים מביאות קיניהין לטהר לבתיהן והיו משהין אותן הקדוש בריך הוא מעלה עליהן כאילו הן שוכבין אותן אמר רבי תנחומא הדי הוא דו מקנתר לון למה תבעטון בזבחי ובמנחתי אין תימר עבירה חמורה יש באן מבריחן מן חחמורה ומקנתרן בקלה ולא הלכו בניו בדרכיו ויטו אחרי הבצע שהיו נוטלין מעשר ודנין אמר רבי ברכיה מרכתא היתה עוברת והיו מניחין צרכיהן ישרא׳ והיו הוכין עוסקין בפרקמטיא.

הלכה ה׳ אם אמרה טמיאה אני שוברת כתובתה ויוצאה וכו׳. כתיב והעמיד הכהן את האשה לפני יי׳ זה שער ניקנור כל מקום שנאמר לפני יי׳ זה שער ניקנור כתיב אם יחטא איש לאיש וגומ׳ רבי חייה בר בא ורבי יהושע בן לוי רבי חייה בר בא פתר קריידה בבועל ורבי יהושע בן לוי פתר קרייה באשה רבי חייה בר בא פתר קרייה בבועל ההין זן ומפרנס ואת אתי על רעתך ורבי יהושע בן לוי פתר קריית באשה ההין זן ומפרנס ואת תלית עינים על חורן ומבזון על הספק אמר ר׳ שמלאי בכל מקום שאת מוצא זנות את מוצא אנדרולמסיה באה בעולם קרייא אמר מקרין ואחר כך מבזין ומתניתא אמרה מבזין ואחר כך מקרין אמר רבי אילי מכיון רכתיב והעמידה וכי יושבת היית לא מחמת עמדה הראשונה היה פורע את ראשה מחלפה שיטתיה דרבי יודן תמן הוא אמר האיש מכסין אותו מלפניו והאשה מלפניה ומלאחריה והכא הוא אמר אכין תמן מכל מקום למותרה היא מתוקנת ברם הכא שמא תימצא טהורה ויתגרו בה פירחי כהונה מחלפה שיטתהון דרבנן תמן אינון אמרין האיש נסקל ערום ואין האשה נסקלת ערומה והכא אינון אמרין הכין תמן ואהבת לרעך

rum affigit oculos suos ad portam, eo quod omnes oculi illuc observant. Dixit in ejus conspectu: Domine omnium mundorum. Ne egrediar inanis ex hac domo. Alia expositio: *In ostio fontium:* Eo quod illi aperuerit oculos, illi dicens: Libera, & pura ego sum. *Et Eli erat valde senex &c. Dormiebant* scriptum est: Eo quod mulieres adducerent nidos suos ut purificarentur domibus suis; & illi eas morabantur, & Deus S. B. illis imputabat, perinde ac cum eis concumberent. Dicit Rabi Tanchuma: Ecce eos reprehendit. *Quare calce abjecistis sacrificia mea, & munera mea?* Si dicas quod in hoc sit peccatum grave; Sunt in iis qui fugiunt a gravi, & reprehendunt in levi. *Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus, sed declinaverunt post avaritiam.* Eo quod acciperent decimam, & judicarent. Dicit R. Berakia, ex Rekata; Hoc erat peccatum quod deferebant necessitates Iraclitarum, & darent operum mercaturæ.

Constitutio V. Si dicat: Polluta ego sum: Ipsa prescindens instrumentum dotale exibat &c. Scriptum est. *Et statuet sacerdos mulierem coram Domino.* Hæc est porta Nikanoris. Ubicunque dicitur: *Coram Domino;* Intelligitur de porta Nikanoris. Scriptum est: *Si peccaverit vir in virum &c.* R. Chijah bar Ba, & R. Jehosua ben Levi; R. Chijah bar Ba explicat textum de adultero: R. Jehosua ben Levi explicat de muliere. R. Chijah bar Ba explicat textum de adultero, quod eum aluit & nutrivit. Et tu ita putas? Et R. Jehosua ben Levi exponit textum de muliere, quæ aluit & nutrivit. Et tu affixisti oculos super alium. Et contemnerunt propter dubium. Dicit R. Salmai; Ubicunque tu deprehendis scorta, deprehendis pestem, quod veniat in mundum. Textus dicit: Legunt, & postea contemnunt. Et Misna dicit; Contemnunt, & postea legunt. Dicit Rabi Elai. Postquam scriptum est; *Et statuet eam.* Num sedebat? At propter stationem priorem dissolvebat ejus comam. Diversa est sententia R. Jodan. Ibi dicitur; Tegunt virum ab anteriori parte; & mulierem tam ab anteriore, quam a posteriore. Et hoc loco ita dicit? Ibi omnimode ad mortem erat destinata. At hoc loco, ne forte deprehenderetur pura, & de ea juvenes sacerdotes contenderent. Diversa est sententia sapientum. Ibi dicunt, quod vir nudus lapideretur; at mulier nuda non lapidabatur. Ab hoc loco ita illi dicunt: Ibi agitur de præcepto. *Et diliges proximum tuum sicut teipsum.* Elige illi mortem,

במוך יבור לו מיתה קלה שבקלות ברם הכא וניוסרו כל הנשים ולא תעשינה כזימתכינה.

הלכה ו' היתה מכוסה בלבנים וכו'. מתניתא בשאינן נאין לה אבל אם היו נאין לה לא בדא מביא חבל מצרי ולמה חבל מצרי אמר רבי יצחק לפי שעשת כמעשה מצרים רבי ירמיה בעי חבל המצרי מעכב כפיפה מצרית מעכבת משל מי הן באין ייבא כיי דאמר רבי דרבי אמר אמרת המים וחומת העיר ומגדלותיה וכל צורכי העיר באין משירי הלישכה והכא כן.

הלכה ז' במידה שאדם מודד בה מודדין לו וכו'. תני בשם רבי מאיר במדה שאדם מודד בה מודדין לו מאי טעמא בסאה בסאה סאה אין לו אלא סאה מניין לרבות תרקב וחצי תרקב וקב וחצי קב ורובע ותומן וחצו תומן ואוכלא תלמוד לומר כי כל סאון סואן ברעש ריבה כאן סאות הרבה אין לי אלא דבר שהוא של מידה מניין לפרוטות קטנות שהן מצטרפות לחשבון מרובה תלמוד לומר אחת לאחת למצוא חשבון בנוהג שבעולם אדם נכשל בעבירה שחייבין עליו מיתה בידי שמים מת שורו אבדה תרנגולתו נשברה צלוחיתו נכשל באצבעו והחשבון מתמצה דבר אחר אחת מתארעה לאחת והחשבון מהמצה וכמה הוא מייעוי חשבון עד אחת תני בשם ר' מאיר כשם שיש דיעות במאכל ובמשתה כך יש דיעות באנשים יש לך אדם זבוב נופל לתוך כוסו והוא נוטלו וזורקו ושותהו זה כשאר כל האדם שהוא רואה את אשתו מדברת עם שכיניה ועם קרוביה או יש לך אדם שפורח זבוב על גבי כוסו והוא נוטלו ושיפכו ואינו טועמו זה הוא חלב רע באנשים שנתן עיניו בה לגרשה ויש לך אדם זבוב שוכן על כוסו והוא נוטלו ומניחו כסורת שהוא זה פפוס בן יהודה שנעל את הדלת כפני אשתו אמרין ליה נהיגין הוון אבהתך עבדין כן יש לך אדם זבוב מת לתוך כיוסו והו' נוטלו ומוצצו ושותיהו זה הרשע שהו'

quæ sit levis inter levissimas. At hic agitur de præcepto. *Et discent omnes mulieres, ne faciant secundum scelus earum.*

Constitutio VI. Si fuerit induta vestibus albis. Misna agit, quando illi non sint elegantes. At si fuerint illi elegantes, nihil inservit. Afferebat funem Ægyptium; Qua de causa funem Ægyptium? Dicit R. Isaach: Quia operata est juxta opus Ægyptiorum. R. Jeremia contendit, quod funis Ægyptius impediat; Canistrum Ægyptium impediebat. Unde adducebantur? Adducebantur juxta mentem Rabi; Etenim Rabi dicit. Fossa aquarum, & murus civitatus, & ejus turres, & omnia, quæ necessaria erant civitati, adducebantur ex reliquiis conclavis. Et similiter hoc loco.

Constitutio VII. Mensura qua homo metitur, remetiuntur ei &c. Traditio nomine R. Meir: Mensura qua homo metitur, remetiuntur ei. Qua de causa? In sato satum, in sato satum; Non probo nisi de sato, unde probatur ad includendum modio, & dimidio modium, cabo & dimidium cabum, & quartarium, & sextarium, & corbem? Ex eo quod dictum est: *Quia omnis pugnans pugnat tumultu.* Includit hoc loco sata multa. Non probo nisi de re in qua sit mensura, unde probatur de particulis minutis, quæ conjungantur ad computationem multorum? Ex eo quod dictum est: *Unum & alterum ut invenirem rationem.* Hæc est consuetudo in mundo, si homo cadat in peccatum, cujus causa rei sint mortis cœlitus infligendæ; moritur ejus bos, amittitur ejus gallina; rumpitur ejus scutella; impingit in suum digitum, tum ratio invenitur. Alia expositio. Unum cum altero conjungitur; & ratio instititur, & quando invenitur ratio usque ad unum? Traditio nomine R. Meir. Sicut sunt opiniones in cibo, & in potu, ita quoque sunt opiniones in viris. Est tibi homo, si musca cadat in ejus poculum, eam tollit, & spargit, & bibit: Iste est sicut ceteri homines, qui vident uxorem suam colloquentem cum suis vicinis, & propinquis. Aut est homo, cum musca evolarit super ejus poculum, & eam tollit, & effundit, & non gustat; iste partitur malum in hominibus, ut det libellum, ut eam repudiet: Est tibi homo, qui cum musca habitat in ejus poculo, tollit, & relinquit qualis illa est; Iste est Pappus ben Jehuda, qui clausit portam coram uxore sua. Dixerunt illi: Soliti sunt patres tui ita facere? Est homo, qui cum musca mortua sit in suo pocuio, eam tollit, & educit, & bibit. Hic est impius, qui videns uxorem suam con-

רואה את אשתו לבה גס בעבדיה ליבה גס
בשפחותיה והוא מצוה עליה לגרשה שנ׳
ויצאה מביתו והלכה והיתה לאיש אחר הכתוב
קראו אחר שאינו בן זוג של ראשון שהוא
הוציא את אשתו משום ערוה והלה נכשל
בה אם זכה הוא לשמים הרי הוא מגרשה
ואם לאו סוף שהיא קוברתו שנ׳ או כי ימות
האיש האחרון ראוי היה זה למיתה שהאשה
הזאת הכניס לתוך ביתו שמואל אמר פורשים
מן המזנה ואין פורשין מביתה ואתייא כיי
דמר רבי יוחנן אשת איש שזינתה הוולדות
לבעל מפני שרוב בעילות מן הבעל כתוב
אחד אומר לצבות בטן ולנפיל ירך וכתוב
אחר אומר וצבתה בטנה ונפלה יריכה וכתוב
אחר אומר בתת יי׳ את ירכך נופלת ואת
בטנך צבה מקרא אחד מכריע שני מקראות
אמר רבי מנא כאן למעשה וכאן לתנאין
אמר ר׳ אבין ואפילו תימר כאן וכאן למעשה
כאן וכאן לתנאין לצבות בטן ולנפיל ירך
לבולך וצבתה בטנה ונפלה יריכה לאשה הדעת
מכרעת ירך התחילה בעבירה תחילה ואחר
כך הבטן לפיכך תלקה הירך תחילה ואחר כך
הבטן ושאר כל הגוף לא פלט רבי אבא
בריה דרבי פפי עבד לה אפטרה מה אם
מידת הפורענות מעוטה אבר אחד לוקה
ושאר כל האיברים מרגישין מידת הטובה
המרובה על אחת כמה וכמה.

הלכה ח׳ שמשון הלך אחרי עיניו וגו׳.
תני רבי אומר לפי שתחילת קלקלתו בעזה
לפיכך עונשו בעזה והכתיב וירד שמשון
תמנתה אמר רבי שמואל בר נחמן דרך נישואין
היו כתוב אחד אומר וירד שמשון תמנתה
וכתוב אחר אומר הנה חמיך עולה תמנתה
רב אמר שתי תימניות היו אחת של יהודה
ואחת של שמשון רבי סימון אמר המנתה
אחת היא ולמה כתב בה עליה וירידה לא
של יהודה על ידי שהיתה לשום שמים לפיכך
כתיב בה עלייה ושל שמשון על ידי שלא
היתה לשם שמים כתיב בה ירידה אמר רבי
אייבו בר נגרי כגון הדא בית מעיין שיורדין
בה מפלטתה ועולין בה מטיבריה כתיב
ויבואו עד כרמי תמנתה אמר רב שמואל

confidentem in servis suis, & in ancillis suis; est illi præceptum, ut eam repudiet. Dictum est enim. *Et egressa fuerit e domo ejus, abieritque, & fuerit viro alteri*. Textus eum vocat alterum, quia non est similis primo, qui ejecit uxorem suam propter turpitudinem, & ipse impegerit in eam. Si dignus sit cœlo, eam repudiabit; Si minus, finis erit, ut eum sepeliat. Dictum est enim: *Vel cum mortuus fuerit vir ille posterior*. Dignus ille fuit morte, eo quod introduxerit eam in domum suarum. Samuel dicit: Separant ab alimento, at non separant a domo. Et concluditur juxta illud, quod dicit R. Jochanan. Si uxor viri scortetur; nati erunt marito, cum major pars concubituum sit a marito. Textus alter dicit: *Ad tumorem ventris, & dejectionem femoris*. Et alter dicit: *Intumescetque venter ejus, & cadet femur ejus*. Et alter dicit: *Quum dederit femur tuum cadens, & ventrem tuum tumescentem*. Unus textus duos textus conciliat. Dicit R. Mena. Hic agitur de facto, & ibi de conditionibus. Dicit R. Abin: Vel si dicas utrobique de facto; & similiter utrobique de conditionibus: *Ad tumorem ventris & dejectionem femoris*. Intelligitur de adultero. *Intumescetque venter ejus, & cadet femur ejus*. Intelligitur de muliere. Hic est sensus, femur incepit in peccato, & deinde venter; idcirco patitur femur a principio, & deinde venter, & reliquum corpus non erit immune. R. Aba bar Papi fecit hunc consensum. Si in proprietate pœnæ, quæ minor est, membrum unum vapulat, & reliqua omnia membra commoventur; In proprietate boni, quæ major est, quanto magis?

Constitutio VIII. Samson incessit post oculos suos &c. Traditio. Rabi dicit: Quia principium corruptionis in Assa fuit, idcirco punitus fuit in Assa. Et scriptum est: *Et descendit Samson Thimnatham*. Dicit R. Samuel bar Nachmani. Consuetudo nubentium fuit. Textus alter dicit: *Ecce socer tuus adscendit Thimnatam*. Rab dicit: Duæ sunt Thimnatha, altera Judææ, & altera Samson. R. Simon dicit. Thimnatha una erat; & cur in ea scriptum est: adscensus, & descensus. Ratio est, quod Thimnatha Judææ erat nomine cœlorum; idcirco in ea scriptum est adscensus; & Thimnatha Samson, eo quod non esset nomine cœlorum, scriptum est descensus. Dicit R. Aibo bar Nigri. Juxta illud quod dictum est. Beth Majin unde descendunt in Palathatha, & adscendunt Tiberiadem. Scriptum est: *Et venerunt usque ad vineas Thimnatha*. Dicit

בר רב יצחק מלמר שהיו אביו ואמו מראין לו
כרמי תמנתה זרועים כלאים ואומרים לו בני
כשם שכרמיהן זרועין כלאים כך בנותיהם
זרועות כלאים ואביו ואמו לא ידעו כי מיי׳
היא כי תואנה הוא מבקש מפלשתים אמר
רבי לעזר בשבעה מקומות כתיב לא תתחתן
בם אמר ר׳אבין לאסור שבעה עממין והכא
הוא אמר הכין אמר רבי יצחק אם ללצים
הוא יליץ כתיב ותחל רוח יי׳ לפעמו במחנה
דן בין צרעה ובין אשתאול תרין אמורין חד
אמר בשעה שהיה רוח הקודש שורה עליו היו
פסיעותיו במצרעה לאשתאול וחורנה אמ׳
בשעה שהיתה רוח הקירש שורה עליו היו
שערותיו מקישות כזוג וקולן הולך כמצרעה
לאשתאול ויברכהו יי׳ רבי הונא בשם רבי
יוסי שהיתה תשמישו שוה לכל ארם כתיב
ואנקמה נקם אחת משתי עיני מפלשתים
אמ׳ ר׳ אחא אמר לפניו רבונו של עולם תן
לו שכר עיני אחת בעולם הזה ושכר עיני
אחרת מותקנת לי לעתיד לבוא כתוב אחד
אומר וישפוט את ישרא׳ ארבעים שנה וכתוב
אחר אומר והוא שפט את ישרא׳ לעשרים
שנה אמר רבי אחא מלמר שהיו הפלשתים
יריאים ממנו עשרים שנה לאחר מותו כררך
שהיו יריאים ממנו עשרים שנה בחיין אבשלום
נתגווה בשערו ר׳ חנינה אמר בחרובית גדולה
יתה אמר ר׳ חנינה כד סלקית להכא נסבת
איזורה דברי ואיזורא דחמוי מקפא בורתא
דחרוביתא דארעא דישרא׳ ולא מטין וקצית חד
חרוב ונגד מלא ידויי דבש אמר ר׳ יונתן יפה
סיפסוף שאכלנו בנערותינו מפנקריסין שאכלנו
בזקנותינו די ביומוי אישתני עלמא אמר ר׳ חייא
הבר בא בראשונה היתא סאה ארבלית מוציא
סאה סולת סאה קמח סאה קיבר סאה סובין
סאה מורסן וכרון אפילו חרא בחרא לא קיימא
כתיב וכאבשלום לא היה איש יפה בכל ישרא׳
להלל אמר יכול בכל תלמוד לומר מכף רגלו
ועד קרקו לא היה בו מום כתיב ולו הורה

cit R. Samuel bar R. Isaach; Docetur, quod ejus pater & mater illi ostenderint vineas Thimnatha satas heterogeneis; eique dixerint. Fili mi; Sicut eorum vineæ sunt satæ heterogeneis; Ita pariter eorum filiæ sunt generatæ ex heterogeneis. *Et pater & mater ejus nesciebant, quod a Domino esset, & quæreret occasionem contra Philistæos.* Dicit R. Eliefer. In septem locis scriptum est. *Non facietis societatem cum eis.* Dicit R. Abin: Ad prohibendum septem populos. Et tu hoc loco ita dicis? Dicit R. Isaach. *Ipse deludit irrisores.* Scriptum est: *Et cœpit Spiritus Domini agere eum in castris Dan inter Zora & Eschthael.* Duo dicunt, alter dicit; quo tempore Spiritus Sanctus habitavit in eo, ejus gradus erant in Zora ad Eschthael, & alter dicit: Quo tempore in eo habitavit Spiritus Sanctus ejus cæsaries erat dura & fortis sicut forfex, & ejus vox incedebat a Zora ad Eschthael. *Et benedixit eum Dominus.* R. Huna nomine R. Jose. Quod ejus servitium æquale esset omnibus hominibus: scriptum est. *Et ulciscar ultionem unam ex ambobus oculis meis de Philistæis.* Dicit R. Acha. Dixit coram illo: Domine mundi; Da mihi mercedem oculi unius in hoc seculo; & mercedem oculi unius mihi præparata in seculo futuro. Alter textus dicit: *Et judicavit Israel quadraginta annis*; Et alter dicit: *Et ipse judicavit Israel viginti annis.* Dicit R. Acha: docetur, quod Philistæi ab eo timuerint viginti annis post ejus mortem, sicut ab eo timuerunt viginti annis dum viveret. Absalom superbiit cæsarie. R. Chanina dicit: Sicut siliqua magna fuit. Dicit R. Chanina: Quando huc adscendi, sumsi cingulum mei filii, & cingulum soceri, & eis præcinxi ramum siliquæ terræ Israel, & adhuc superfuit; & incidi siliquam, & ex ea diffluens mel implevit meas manus. Dixit R. Jochanan; melior fuit fructus serotinus, quem comedimus in pueritia nostra, quam primitivus, quem comedimus in senectute nostra; eo quod iis diebus consenuerit mundus. Dicit R. Chijah bar Ba. Antiquitus satum Arbelit producebat satum similæ, satum farinæ, satum furfuris, & satum furfuris ex furfure, & satum furfuris ex furfere. Et hoc tempore. Vel unum in uno non consistit. Scriptum est: *Non erat vir pulchrior ut Absalom in universo Israel decorus valde.* Crederem in omnibus? Idcirco dictum est. *A planta pedis ejus usque ad verticem ejus.* Scriptum est: *Et illi erat filius, & nomen ejus Saul electus & bonus, & non erat vir de filiis Israel melior illo.* Cre-

בן ושמו שאול בחיר וטוב ואין איש מבני
ישרא׳ טוב ממנו יכול בכל׳ תלמוד לומר
משכמו ומעלה גבוה מכל העם אבל באבנר
מהו אומ׳ הלוא תרעו כי שר וגדול נפל ביום
הזה מישרא׳ ואבנר למה נהרג רבי יהושע
בן לוי ורבי שמעון בן לקיש ורבנן רבי יהושע
בן לוי אמר על ידי שעשה דמן של נערים
שחוק יקומו נא הנערים וישחקו לפנינו רבי
שמעון בן לקיש אמר על ידי שהקדים שמו
לשמו של דוד הדא הוא דכתיב וישלח אבנר
מלאכים אל דוד תחתיו לאמר למי ארץ כתיב
מן אבנר לדוד ורבנן אמרין על ידי שלא
הניח לשאול להתפייס מדוד הדא הוא דכתיב
ואבי ראה גם ראה את כנף מעילך בידי
אמר ליה מה את בעי מן גלנוי דהרן בסירה
הוערת וכיון שבאו למעגל אמר לו והלא תענה
אבנר גבי כנף אמרת בסירה הערת חנית
וצפחת בסירה הוערת ויש אומרים על ידי
שהיתה ספק בידו למחות בנוב עיר הכהנים
ולא מיחה ולפי שגנב שלשה גניבות לב
אבין ולב בית דין ולב אנשי ישראל לב אביו
דכתיב ויהי מקץ ארבעים שנה כל עצמו של
דוד לא מלך אלא ארבעים וכאן הוא אמר
הכין אלא בשעה ששאלו ישרא׳ מלך כי נדר
נדר עבדך אמר ליה ומה את בעי כרון אמר
ליה כתוב חד פיתק דתרין גוברין דנסבינון
עימי אמר ליה אמור לי למאן ראת בעי
ואנא כתוב אמ׳ ליה כתוב לה סתם ואנא
למאן דבעי אנא נסב כתב ליה סתם אזל׳
וצמת ליה תרין תרין גוברין עד רצמת
ליה מאתן גוברין הדא הוא דכתיב ואת
אבשלום הלכו מאתים איש מירושלם קרואים
והולכים לתומם קרואים מדוד והולכים לתומם
מאבשלום נלא ידעו כל דבר מעצת אחיתופל
ר׳ הונא בשם ר׳ אחא וכולהו ראשי סנהדריות
היו וכיון דחמון מילייא אתיין לידי חילופין
אמרין רבון כל העולמים נפלה נא ביד דוד
ואל יפול דוד בידינו שאם אנו נופלין ביד דוד
הרי הוא מרחם עלינו ואם חס ושלום יפול
דוד בידינו אין אנו מרחמין עליו הוא שדוד
אמר פדה בשלום נפשי מקרב לי כי ברבים

Crederem in omnibus? Idcirco dictum est. *Ab humero & sursum eminebat super omnem populum*. At de Abner quid dictum est? *Num ignoratis quoniam princeps, & maximus cecidit hodie in Israel?* At Abner qua de causa occisus est? R. Jehosua ben Levi, & R. Simeon ben Lakisch, & sapientes? R. Jehosua ben Levi dicit: Eo quod sanguinem puerorum illuserit. *Surgant, quæso, pueri, & ludant coram nobis*. R. Simeon ben Lakisch dicit: Eo quod præposuerit nomen suum nomini David: Hoc est quod scriptum est: *Et misit Abner nuncios sua vice, dicendo; cuinam est terra? Scriptum est. Ab Abner ad David*. Et sapientes dicunt: Eo quod non permiserit ut Saul reconciliaretur cum David. Hoc est quod scriptum est. *Pater mi, vide oram clamydis tuæ in manu mea*. Dixit: Quid vis dicere, quod frustum pallii adhæserit spinæ? Et quando venerunt in circulum; *Dixit: Non ne respondes Abner?* Oram dices, quod adhæserit spinæ, num lancea & scyphus adhæsit spinæ? Et alii dicunt; eo quod esset in ejus manu decretum, ut parceretur. Nob civitati sacerddotum, & noluit parcere. Et quoniam furatus est tria furta, scilicet cor patris sui, cor synhedrii, & cor Israelitarum: Cor patris sui; scriptum est: *Et fuit in fine quadraginta annorum*. Omne tempus, quo regnavit David, non fuit nisi quadraginta annorum. Et hoc loco ita dicit? At initium faciendum est ab eo tempore, quo Israelitæ petierunt regem. *Vovens enim vovit servus tuus*. Dixit illi: Quid nunc petis? Respondit: Scribe unum pittacium duorum virorum fortium, qui periclitentur mecum: Dixit illi: Dic mihi, qua de causa hoc petis, & ego scribam? Respondit: Scribe absolute, & ego accipiam. Scripsit illi absolute; Abiit, & conjunxit binos viros fortes, donec conjunxit ducentos viros fortes. Hoc est quod scriptum est. *Porro cum Absalom erant ducenti viri de Hierusalem vocati, euntes simplici corde: vocati a David; euntes simplici corde* cum Absalom: *Et ignorantes causam consilii Achithophel*. R. Huna nomine R. Acha. Et omnes erant præfecti Synhedriorum; Et postquam rem considerarunt, quod venissent in statum innovationum. Dixerunt: Domine mundorum; Cadamus, quæso, in manum David; at non cadat David in manus nostras; Etenim si nos cadamus in manus David, miserebitur nostri, si vero cadat David in manus nostra, quod absit illius non miserebimur; Hinc David dixit: *Redimet in pace animam meam ab his qui* ap-

היו עמרי ולב בית דין ויאמר אבשלום מי ישימני שופט הארץ וגו׳. ויעש אבשלום כדבר הזה ולב אנשי ישראל ויגנב אבשלום את לב אנשי ישראל.

הלכה ט׳ וכן לעניין הטובה מרים המתינה למשה שעה אחת שנאמר ותתצב אחותו מרחוק וגו׳. לפיכך נתעכבו לה ישראל שבעת ימים במדבר שנאמר והעם לא נסע עד האסף מרים אמר רבי יוחנן פסוק זה ברוח הקודש נאמר ותתצב אחותו ראיתי את יי׳ נצב על המזבח אחותו אמור לחכמה אחותי את מרחוק מרחוק יי׳ נראה לי לדיעה כי מלאה הארץ דיעה את יי׳ מה יעשה לו כי לא יעשה יי׳ אלהים דבר כי אם גלה סודו עבדיו הנביאים.

I. CUM multoties in sacro codice judæi moneantur, ut viduarum caussas juvent in Judiciis nec illas opprimant v.g. *Es. I. v. 17. Jerem.* VII. *6. c.* XXII. 3. non existimandum est, quasi viduæ creberrime in lite vixerint, & multas caussas ad judicia detulerint; sed quæ ex maritorum hæreditate ad viduas pertinebant, (*a*) a Synedriis debebant impetrari. Nam si fato suo functus maritus esset, vidua accedebat ad Synedrium, petebatque, ut quæ ipsi pecuniæ in contractu conjugali, quem ostendebat, essent assignatæ, solverentur ab hæredibus, præterea ut de augmento dotationis, constante conjugio, promisso videretur, ut &, ut viduæ de alimentatione, de vestitu, ædibusque & aliis ejusmodi hæredes prospicerent, donec pecuniæ solutæ essent. De quibus videatur *Maimonides in libro de conjugio cap.* 12. *&* 13. *&* 18.

II. Si autem defunctus plures reliquisset viduas, quam unam, illa primo loco capiebat a Synedrio pecunias, quæ primo loco ducta erat, ut docet idem *Maim. loc. cit. cap.* 17. §. 1.

III. Quodsi autem viduæ essent pauperes, tamen appellabant Synedrium ut juvarentur, quia etiam a Synedrio vendebantur, ut ali possent vestirique, ut commentatur *idem laudatus autor l.c. c.* 13. §. 6. 7.

IV. Imo si ad secunda vellent vota post maritorum mortem progredi, licentiam nubendi quoque a Synedrio impetrabant, fide faciente *eodem*, *quem laudavimus*, *Hebræo*.

(*a*) Hoc temperamentum nec firmum est (nullo enim talo nititur) nec necessarium, quum dictorum allatorum sensus bene fluat ita: viduam (utpote personam miserabilem) nullo modo vexetis sed potius adjuvetis. Vid. *Joh. Clerici not. ad Exod.* XXII. 22.

THESIS II.

Viduarum hebræarum caussæ citius decidebantur in judiciis quam aliæ.

I. LIcet pupillorum caussæ citius adhuc deciderentur quam viduarum, in judiciis tamen viduarum caussæ citius decidebantur quam literatorum, & literatorum citius quam plebejorum; solebant quoque feminarum lites citius expediri quam virorum, ne in ruborem darentur. Vid. *Maimon. de Synedriis cap.* 21. §. 6.

II. Unde merito conqueritur divinus vates *Esaias cap.* I. *commate* 23. quod caussæ viduarum ad judices non veniant, cum tamen citissime deberent expediri, & aliorum potius in foro relinqui caussæ, quam viduarum segniter tractari.

THESIS III.

Viduæ pauperes hebrææ ut & pupilli in diebus festis alebantur de sacris victimis, qua res ad dierum festorum lætitiam referebatur.

I. PUlcherrime hanc consuetudinem alendi viduas in festis diebus describit *Maimon. in libro de comparitione in festis cap.* 2. §. 14. Ubi refert, si qui comparere coram Deo in festo vellet, & ederet suas victimas vel pro comparitione vel lætitia festi cæsas, (cujusmodi salutares appellabantur victimæ, de quibus aliqua Deo immortali obtulerat) ac de iis nil exhiberet viduabus & pupillis vel etiam proselytis, illum non lætari juxta mandatum divinum potuisse, sed potius in luctu panem cibumque suum comedisse, quia solus cum familia sua comedisset. Partem enim sacræ lætitiæ in eo rectissime ponebant, si viduæ pupillique, (quibus non suppetebat, unde alerentur) simul divitibus in re lauta versantibus gauderent; (*a*) Sicut enim unum membrum corporis minime lætatur, si dolet membrum alterum, quin potius in tristitiam doloremque conjicitur: ita etiam pii hebræi veteres minime gaudere se in festis posse arbitrabantur, si vera membra ecclesiæ hebrææ, (viduas nempe & pupillos,) non simul ad commune gaudium divinum excitarent. Quam etiam derivabant in Levitas curam quandoquidem, cum illi non haberent fundos proprios, ne propterea dolerent & a communi gaudio averterentur, eos in sancti communionem epuli recipere cupiebant, ut communes haberent lætitiæ suæ divinioris socios. Idem quoque adseritur a *Maimonide in libro de die bono sive Festo cap. 6.* §. 18.

II. Huc referebant *Hos.* IX. 4. ubi judæorum victimæ cum pane lugentium comparantur. Sicut autem in eo loco victimæ cum pane lugentium comparatæ Deo displicebant; ita etiam displicuisse Deo victimas in festis oblatas hebræi asserunt, si viduabus nihil de iisdem exhiberetur.

(*a*) *Compar. Deut.* XXVII. 7. *Nehem.* VIII. 9. 12. & *Hadr. Relandi Antiq. Hebr. part.* VI. *cap.* 2. §. 2.

THESIS IV.

Viduabus pauperibus exhibebant quatuor vini pocula in paschate.

I. CUM 4. vini pocula ad paschalem agnum requirerentur, ne paupertate exclusæ viduæ carerent vino, solebat iis a ditioribus exhiberi vinum in paschate, ut cum judæis aliis paschalem cœnam læte legitimeque celebrarent.

II. Omnes enim, sive essent divites sive pauperes, illa quatuor pocula bibebant. Vid. *Maimon de fermento & azimo cap.* 7. §. 9. Si autem essent fœminæ pauperes vel minus honoratæ, non opus erat ut accumbendo biberent ista pocula: ita informamur in *Mardochai Japhe Tom.* I. *Levusch Hachor Hilchoth Pesach* §. 472. *edit. Pragensis in fol. fol.* 169. *col.* 1.

III. Continebat autem hujusmodi poculum quartam partem Logi sive Rebhiit, id est sesqui ovum: videatur *Eduardus Bernardus de mensuris & ponderibus antiquorum lib.* I. §. 13. *p.* 13. *edit. Oxon in* 8.

THESIS V.

Viduæ sacerdotum & Levitarum prius redimebantur ex captivitate, & prius alebantur ac vestiebantur, quam viduæ aliæ.

I. SI Sacerdotes & Levitæ essent in captivitatem ducti, prius redimabantur quam aliæ personæ, sicut etiam, si devoluti ad egestatem essent, prius illis de victu & amictu prospiciebatur quam aliis. Ita edocemur a *Maimonide in libro de donis pauperum cap.* 8. §. 18.

II. Idem jus etiam ad Sacerdotum & Levitarum viduas devolvebatur, quæ itidem ex hujusmodi vitæ calamitatibus prius quam aliæ viduæ eripiebantur, sicut etiam in rebus aliis hæ viduæ præcedebant.

THESIS VI.

Viduæ si a maritis defunctis essent relictæ gravidæ & parerent primogenitum, non solvebant redemptionis ejus pretium.

I. SI primogenitus humanus redimendus esset, debebat pater infantis adhuc esset in vivis, elabique triginta a partu dies, antequam pater infantem redimendum offerret sacerdoti. Offerebat autem vel infantem ipsum una cum redemtionis pretio siclorum quinque, vel solum illud pretium sine infante; poterat quoque illud pretium vel uni sacerdoti dare vel inter plures sacerdotes distribuere. Vid. *Maimon. de primogenitis c.* I. & 5.

II. Si autem vidua offerret primogenitum post mortem patris natum, non ab ea capiebat sacerdos quinque illos siclos, ne dolorem dolori addere & oneri esse viduæ videretur. Sicut etiam pauperibus puerperis, utut vivente patre natus esset primogenitus, pretium illud siclorum quinque restituebatur.

THESIS VII.

A vidualibus non debebat accipi pignus.

I. NOn accipiebatur a vidua pignus, sive in re tenui, sive in re lauta versarentur, neque cum mutuo ei aliquid daretur, neque alio tempore, neque si Synhedrium juberet. Vid. *Maim. P.* 4. *Hilchot Malve velove c.* 3. §. 1. Nam prohibetur illud expressis verbis *Deut.* 24. *v.* 17. ubi dicitur: non pigneraberis vestem viduæ. Unde & Jobus queritur, quod loco pignoris capiant bovem viduæ *c.* 24. *vers.* 3.

II. Quodsi autem quis eripuisset viduæ pignus, & illud fateretur, debebat vel invitus illud restituere, ut docet laudatus *Maim. l. c.* §. 1. Quodsi negaret illud pignus, jurare debebat; si autem illud pignus amissum esset vel combustum, homo flagellabatur §. 1.

THESIS VIII.

Viduæ non in templo ministrabant.

I. SUnt inter eruditos, qui ministrasse Hannam viduam in templo arbitrantur; sunt etiam qui adhuc deterius in historiam veterem impingunt & viduas lavisse sacrificia existimant. Sed constans Hebræorum est sententia, nullum in templo ministerium viduarum, imo nec aliarum peragi opera fœminarum potuisse.

II. Error autem interpretum natus esse videtur ex non satis intellectis scripturæ sententiis. Licet enim de Hanna dicatur, quod non recesserit de templo, *Luc.* II. 37. tamen hoc ita intelligendum est, quod quamdiu sacra in templo peragerentur, istis sacris Hanna interfuerit, (*a*) non quod in templo ministrarit.

III. Nec 1. *Sam.* II. 22. ministrasse (*b*) fœminas coram tabernaculo asseritur in Hebræo textu, sed dicitur, filios Eli (prout erant malæ notæ homines,) consuevisse cum fœminis, quæ ante ostium tabernaculi commorabantur, i. e. cum novellis puerperis, quæ ante ostium tabernaculi exspectabant tempus, quo offerre sua sacrificia turturum columbarumque possent. Quando autem in versione germanica legitur verbum, dieneten / illud de cultu Deo sacrificiis exhibendo, non vero de ministerio in templo peragendo, accipi debet.

(*a*) Confer. vener. *Joh. Christoph. Wolfi* not. philolog. ad *Luc.* II. *v.* 36. *seqq.*

(*b*) Ad *Exod.* XXXVIII. *v.* 8. (ubi mentio quoque fit mulierum הצבאת agminatim convenientium) lege *Clerici* commentar. & *D. Andreæ Daniel. Habichorstii* disput. de mulieribus Zobheoth, quæ Tom. I. Thesauri Disputat. Amstelodamens. recusa extat.

THESIS IX.

Viduam ducere non poterat sacerdos summus.

I. SAcerdos summus, (sive esset unctus sive inauguratus vestium sacrarum induitione sive actu serviret, sive electus ad serviendum immortali Deo esset, sive etiam unctus ad bellum esset,) ducere viduam non poterat, adeoque hæ circumstantiæ personæ summi sacerdotis non attendebantur, sed lex de non ducenda vidua (*a*) manebat firma. Vid. *Maimon. de illicito connubio c.* 17. §. 1.

II. Sacerdos autem summus incurrebat pœnam, si consuevisset cum vidua, licet illam non duxisset. Vid. *l. c.* §. 3. Quodsi viduam duxisset, & simul cum ea consuevisset, bis puniebatur, partim quia viduam duxerat, partim quia se profanaverat §. 4. neque ille solum sed & illa puniebatur §. 5. Si vidua esset expulsa, & deinde facta profana (sive sacerdoti illicita, esset a sacerdote compressa) & postmodum fieret scortum, & deinde cum illa consuesceret sacerdos summus, quater puniebatur, sed si vidua aliquoties esset facta vidua, & cum ea consuevisset, non nisi semel puniebatur §. 11.

III. Licebat tamen vidua sacerdoti vulgari §. 9.

IV. Quæ omnia illustrant *Levit.* XXI. 14. ubi prohibetur, ne sacerdos summus ducat viduam vel expulsam vel profanam.

(*a*) De vetitis Pontifici summo sacerdotibusque conjugiis fusius exponit *Jo. Seldenus* in tract. de Uxore Hebraica lib. 1. cap. 7. & 8.

THESIS X.

Vidua regis duci non poterat.

I. INter dignitates regis Hebræi, (quarum a Judæis triginta recensentur,) etiam hæc reperitur, quod ejus vidua non nuberet alteri (*a*) sed in viduatu persisteret. De quibus fuse legitur in lexico *Aruth. fol.* 91. *col.* 4. *in rad.* מלך.

II. Memoratur quoque ibidem, quod si vel uxor ejus vel proles moreretur, non ex palatio suo exiret rex, neque si cibum lugentium ei afferrent, humi sederit, sicut reliqni lugentes humi sedebant, sed in lecto minore sederit. Conferatur *Maimon. de luctu cap.* 6. ubi recensentur, quæ die luctus, & quæ diebus triginta priorbus, a funere numeratis, lugentibus conveniebant.

(*a*) Hinc lucem accipit historia exposita 1. *Reg.* II. *v.* 13. 25. conferatur *Joh. Seldeni* uxor Hebraica *lib.* 1. *cap.* 10.

THESIS XI.

Virgines etiam apud Hebræos desponsatæ erant viduæ, sicut & virgines ductæ erant viduæ.

I. Solebant desponsari virgines interdum, antequam fierent nubiles, ita tamen, ut si ad annos discretionis pervenissent, & sponsum aversarentur, solvi sponsalia possent; si autem intra illud tempus, quod inter desponsationem & discretionem intercedebat, sponsus moreretur, virguncula illa desponsata fiebat vidua. Vid. *Maim. de expulsionibus uxorum cap.* II. §. 1.

II. Solebant quoque duci virgines nondum nubiles, quæ exspectabant, donec annos maturæ ætatis attigissent, & vivebant vel in domo patris, vel in domo sponsi, sarta tecta virginitate. Quodsi autem mariti citius morerentur, quam illæ ductæ virgines adolescerent, & viro maturæ fierent, vocabantur viduæ virgines. Horum mentionem injicit *Maimon. in libro de conjugio cap.* XI. §. 1. Ubi simul indicat, & sponsas virgines, & ductas virgines libello repudii ejici potuisse, licet nondum cum sponsis vel maritis consuevissent.

III. Hujusmodi vidua virgo, sive desponsata sive ducta esset, & facta vidua, etiam interdicta erat sacerdoti summo, fidem faciente toties laudato *Maimonide de illicito conjugio cap.* 17. §. 11.

IV. Ad has virgines quæ ductæ erant & vivebant cum maritis in virginitate sua, antequam ad annos nubiles pervenissent, referunt philologi Hannam, de qua luculenter asseritur, (*a*) quod juxta virginitatem vixerit. Neque Romano-Catholici exsculpere ex hoc exemplo quicquam possunt, quod servandæ perpetuæ in statu conjugali virginitati faveat.

(*a*) Luculenter falsa est hæc assertio Dassoviana. Nusquam enim Hanna in sacro codice legitur vixisse *juxta virginitatem suam*; licet illa dicatur *Luc.* II. v. 36. septem annos in matrimonio transmisisse *ἀπὸ τῆς παρθενίας αὐτῆς* inde *a statu virginitatis suæ*, ex quo fuerat virgo, sc. cum antea nondum maritata alteri, sed virgo fuisset.

THESIS XII.

Viduæ, sacerdotibus prohibitæ, edere de sacerdotum Terumis non poterant.

I. Dabatur sacerdotibus de frugibus fructibusque (antequam separarentur pro Levitis decimæ,) pars quadragesima, quinquagesima, vel sexagesima prout liberalis vel avarus erat paterfamilias. Hic cibus sacer erat & comedi non debebat nisi ab iis, qui ad sacerdotalem familiam vivente sacerdote pertinebant.

II. Sed viduæ prohibitæ edere cibum illum sacrum non poterant, v. g. si vidua sacerdotis desponsata esset sacerdoti summo, aut si persona expulsa desponsata esset sacerdoti vulgari, quia istæ desponsationes erant illicitæ, hinc illæ viduæ non edebant Terumas. Imo si jam essent ductæ, edere tamen illos cibos sacros non poterant, licet ad sacerdotalem familiam pertinerent, sed si expulsæ essent a sponsis cum adhuc essent sponsæ, poterant in statum legitimum restitui, ut illos cibos ederent; non autem si expulsæ essent, postquam ductæ erant; quia sic jam profanæ factæ erant. Vid. *Maimon. in libro de Terumis c.* 7. §. 21.

III. Ubi simul observari communis error literatorum potest, qui sacerdotibus Hebræorum fuisse datas decimas existimant, cum tamen sacerdotibus Terumæ, Levitis autem darentur decimæ.

IV. De his Terumis legitur *Deut.* 18. *vers.* 4. *primitias frumenti tui, musti tui, & olei tui, & primitias velleris ovium tuarum dato ei* (sacerdoti).

THESIS XIII.

Viduæ post maritorum mortem expectare ad minimum diebus 90. debebant, antequam aliis maritis nuberent.

I. Sive vidua expulsa a marito esset vel facta vidua, sive illa expulsio vel ille viduatus contigisset cum esset desponsata, sive cum esset ducta; licet ad pariendum esset inidonea (ut vel nimis juvencula, vel anus esset vel abortum crebrum pateretur, vel sterilitatis nomine male audiret) tamen ad minimum 90. diebus a morte mariti exspectabat, donec ad secunda vota progrederetur. Vid. *Maimon. in libro de expulsionibus fœminarum cap.* 11. §. 20.

II. Hæc inprimis propterea attendebantur, ne fœmina ex priori marito gravida duceretur. Illud autem vocabatur fœtus, quod ante dies 40. post conceptum ejiceretur, ut legitur in *Maimon. P.* 3. *de primogenitis cap.* 4. §. 12.

THESIS XIV.

Viduæ post maritorum mortem redibant ad domum patris sui.

I. Verba sacri codicis hac de re leguntur sequentia: filia *vero sacerdotis cum erit vidua aut repudiata, si*

semen non sit ei, revertaturque ad domum patris sui sicut erat in adolescentia sua, de cibo patris sui comedet, & nullus alienus comedet de eo Levit. XXII. 13.

II. Quæ verba eleganter explicantur in libro *Siphra part.* 2. *cap.* 5. *edit. Venet. fol.* 236. *seq. p.* 2. Quod nempe 1. Æque vidua quam expulsa reverteretur ad domum patris.

2. Reverteretur sive esset vidua, & non haberet semen, sive esset expulsa, & non haberet semen.

3. Semen illud potuisse esse vel filium, vel nepotem.

4. Potuisse esse vel semen ex legitimo, vel illegitimo thoro natum.

5. Non autem intelligi semen ex ancilla vel alienigena fœmina ortum. Utpote quod non vocatur semen.

6. Non rediisse ad domum patris, si expectaret levirum, neque si esset gravida.

THESIS XV.

Si vidua nuberet adolescenti, vel adolescens duceret viduam, benedictio sponsorum singulari modo recitabatur.

Si viduus viduam duceret, non nisi semel benedictio sponsorum recitabatur, sed si adolescens duceret viduam vel vidua nuberet adolescenti, omnibus convivii diebus solebat recitari sponsorum benedictio. Vid. *Maimon. de benedictionibus cap.* 2. §. 9.

II. Cujus rei cum variæ indicari caussæ possint, placet tamen, quod benedictiones (*a*) illæ ob cœlibem personam, non ob viduam, repeterentur.

(*a*) Ipsam benedictionis formulam exhibet *Joann. Seldeni* uxor Hebræa lib. 2. cap. 12. In quo tractatu multa etiam alia, ad hujus disputationis illustrationem facientia, inveniuntur.

GABRIELIS GRODDEKII
EXERCITATIO
DE ANTIQUORUM HEBRÆORUM PURGATIONIBUS CASTITATIS.

I. *Purgationem* a *purgando* ita dici, unicuique facile constare posse autumemus, neque opus est, ut prolixa terminorum evolutione, cætera, quæ ad rem ipsam magis pertinere videntur, hic negligere debeamus. Ut vero constet, qui *purgationis* vocabulo impræsentiarum indigitemus, operæ pretium erit, ut antequam ad ipsam materiæ nostræ Tractationem deveniamus, ex ipsis antiquitatis latebris illud eruamus, & quomodo olim tam apud gentiles, quam mediorum seculorum Christianos illud usurpatum sit, prius explicemus. Neque vero Gentiles modo eandem usurpasse constat, qui criminis alicujus expiationem *purgationem animæ* appellarunt, eandemque triplici imprimis modo *aere* scilicet, *igni* & *aqua* peragi putarunt, sicuti Servius *ad Virgil. Æneid. lib.* 6. *p.*496. *edit. Basil. An.* 1534. triplicem istam purgationem brevissimis verbis hunc in modum nobis descripsit: *In omnibus sacris tres sunt istæ purgationes. Nam aut tæda purgantur & sulphure, aut aqua abluuntur, aut aere ventilantur, quod erat in sacris Liberi*, quod de etiam ritu fusissime egit Tob. Pfannerus *in System. Theol. gentil. pur. cap.* 14. §. 2. *n.* 2. *pag.* 346. *seqq.* Verum etiam Christiani mediis imprimis seculis in usu illud habuerunt, ut quando castitatis vel alterius criminis innocentis declarationem dicere voluerunt, *purgationis* vocabulo usi fuisse legantur. Unde etiam in ipso Juris Canonici Corpore, *Decret. lib.* 5. *tit.* 34. sive (ut stylum curiæ observemus) x. *de purgatione*, distinctionem deprehendimus purgationis in *Canonicam* & *Vulgarem*, quarum illa duplex nominatur, altera quæ *juramento*, altera autem quæ *perceptione S. Eucharistiæ* olim facta fuit, de qua præter Juris Canonici Commentatores ad h. tit., multa scripserunt Pegma *in Not. ad Eimerici director. Inquisit.* Althusius *lib.* 2. *dicæolog. cap.* 50. Hotomannus *in comment. feud. cap.* 44. *num.* 4. Voetius *Diss. de fortis aliisque divini nominis abusibus*, *quæ Vol.* 3. *Disp. Theol. Select. pag.* 1194. *seqq.* reperitur, Spelmannus *in Glossar. Archæol.* du Fresne *in Glossar. T.* 2. *p.* 137. *seq.* Hoffmannus *in Lex. Univers. contin. T.* 1. *p.* 948. itemque Dn. Becmannus *in Diss.* de

de Judiciis Dei cap. 7. Hujus vero, quæ *Vulgaris* dicebatur, varias iterum distinctas species, quarum singulæ peculiari nomine gaudebant, fuisse constat, dum aliæ per *aquam*, aliæ per *ignem*, aliæ purgationes denique per *Duella* instituebantur. Et illa quidem, (ut de singulis pauca dicamus) quæ per *Aquam* fieri solebat, iterum duplex fuit, alia quæ per *Calidam*, quam a furibus, homicidis & servis potissimum susceptam fuisse legimus, quantumvis etiam a Regibus nonnunquam factam esse, Ludovici Germaniæ Regis exemplum confirmari possit, qui jus in regnum suum contra patruelem Carolum Calvum purgatione aquæ calidæ probare voluit, teste Sigonio *lib.* 5. *de rebus Italiæ* & Aimon. *lib.* 5. *cap.* 34. citante Zwingero *Vol.* 5. *lib.* 4. *pag.* 1361. alia autem, quæ per *Aquam frigidam* peragi solebat, cujus notabile exemplum Scriptores ex historia Gangulphi martyris referunt, cujus uxor in suspicionem alieni concubitus adducta, ad judicium hoc ab ipso adjurata fuisse fertur hunc in modum: *Divina providentia, quam nihil fugit, ut se res habeat, jam certis declarabit indicii: En fons hic propositus est, nec frigidus valde nec immodice calidus. In hunc igitur immitte manum, & e fundo lapillum extrbe & si quidem a culpa es aliena, nihil mali patieris: Sin autem polluta es, non inet Deus latere scelus tuum. Illa B. Viri sicut alios omnes ita hos quoque sermones vecordiæ adscribens, incunctanter manum in fontem injecit. Ecce autem simul atque lapillum secum retrahere conata est, membris fere omnibus obrigescit, & in digitis & brachio, quousque aqua pertigit, abstracta cute, nuda caro cernitur, nihilque aliud misera illa, nisi repentinum interitum expectat*, uti Surius ad XI. *Maii* illud memoravit, de quo etiam Sigebertum & Vincentium citat Zwingerus loc. cit. Delrius *Disquis. mag. p.* 702. Atque hæc vel per nudam tantum manuum atque brachii immersionem, vel per totius etiam corporis interdum iteratam immersionem fiebat: quemadmodum in illa, quæ per *aquam calidam* suspiciebatur, manus tantum in ferventem aquam nudato brachio immittebatur, atque si illæsam extraheret, innocens, si contra reus pronunciabatur, de quibus omnibus plura notatu dignissima legi possunt apud Hincmarum Remensem *Tr. de Divortio Lotharii & Tetbergæ*, præter quem etiam evolvi merentur, quæ Juretus *ad Ivon. Carnotens. Epist.* 74. *Disquis. Magic. qu.* 4. *sect.* 4. Spelmannus *in Glossar.* Joh. Mabillonius *T.* I. *Analect. p.* 47. *seqq.* Goldastus *Constit. Imperial.* T. III. du Fresne *Gloss. T.* I. *pag.* 278. 281. Hoffman. *Lex. Univers. Cont. T.* I. *p.* 138. *seq. T.* II. *pag.* 313. *seq.* Becmannus *Diss. de Judic. Dei cap.* 3. itemque Admod. Rever. Dn. Lic. Schimidius Fautor & Præceptor noster honoratiss. in *Diss. de probatione rer. dubiarum per aquam facta, Lipsiæ An.* 1685. proposita, annotarunt, apud quos tam ceremoniæ, quam etiam formulæ aquas consecrandi, quibus olim ad sollicitanda, ut putabant, cœlestia beneficia, opus erat, prolixius recensitæ legi possunt. Altera purgationis Vulgaris species per *Ignem* facta fuit, ubi vel manu in ignem immissa, vel etiam ferro candente, aliisque ignitis instrumentis, innocentiam suam quis tueri tenebatur. Sic enim ipsi Ignes ac Rogi, modo Prunæ, tum Ferra candentia, Chirotecæ candentes, Vomeres igniti & simil. adhibebantur, quæ consecratæ gestabantur, eventumque apud omnes similem habebant, ut si quid præternaturale admitterent, gestantemque illæsum præstarent, ille nulla ulteriore disquisitione facta, innocens pronunciaretur, quo de plura exempla collegit, Magn. Dn. D. Loscherus *Disquisit. de probatione rerum dubiarum per ignem facta. Lipsiæ An.* 1665. proposita, & Dn. Becmann. *loc. cit. cap.* 4. Antiquissimum hunc fuisse ritum, neque apud Christianos solum, sed Persas etiam aliasque gentes barbaras tum temporis viguisse, ex insigni aliquo loco, quem e MSto Persico, Abrah. Whelocus, celebris olim in Cantabrig. Academia Professor, *in Notis suis ad N. T.* quod e Græco textu in Persicam linguam traslatum vulgaverat, nobis *pag.* 10. reliquit, constare potest, quem, cum non in omnium manibus esse sciamus, hunc transscribere, eumque punctis vocalibus insuper in Philo Persarum gratiam instruere, haud ingratum erit. Duo scilicet fanatici per hujusmodi purgationem de religione coram Rege anonymo contendentes inferuntur hunc in modum: هر يكي مي

كفتند بر حقم اتفاق كردند كه هر
دو دوست (مست .l) ايشان برهم ببندند
ودر اتش برند انكه بسوزد وباطل بود چنان
كردند هيچ يك از دو نسوخت واتش
بكريخت كفتند مكر هر دو حق اند
مالك دل تنك بخانه امد روي بر خاك
نهاد ومناجت كرد كه هفتا سال قدم
در ايمان نهادم تابا دهري برابر كردم
هاتفي اواز داد كه تو ندانستي كه
دست تو دهري را حمايت كرد واكر
دهري

بهري تنها دست خود بر آتش نهادي بدبخي. Quæ latine paulisper aliter, quam Whelocus fecerat, ita vertimus: *Ambo dicebant, in veritatem suam. Convenerunt inter se, ut uterque manus suas simul colligaret, & in ignem mitteret, cujus jam arderet, ille futilis* (in religione) *esset. Quod dum faciebant, neutra ex ambabus ardebat, sed ignis fugiebat. Dixerunt* (adstantes) *num utrique veraces sunt? Rex autem corde commotus Domum ivit, faciemque super pulvere posuit, & verba fecit* (sequentia) *utique septuaginta annos pedem in fide posui* (in fide perstiti) *ut contra hæresin repugnantiam facerem. Tum vox aliqua responsum dedit: num tu ignoras, quod manum tuam hæreticam* (ignis) *calidam fecerit: quod si hæreticam solam manum tuam in ignem posuisses, vidisses.* In eundem modum de Siamensibus *in Append. ad descr. Varenii pag.* 248. & *T.* 2. *Navig. Belg. N. ult. pag.* 208. legimus, illum, qui causam apud illos obtinere voluit, manibus in fervens oleum immissis, eas vel nihil, vel minus quam alterius combustas extrahere oportuisse. Et de Ceylonensibus Joh. Jac. Saar *Itiner. p.* 55. ita scribit: wenn sie sonst insgemein was betheuren wollen / soll die Confirmation diese seyn / daß sie die Butter wollen lassen heiß machen / und die Hände drein legen: wenn sie unrecht geschworen / werde es brennen / so es aber recht sey / werde ihr GOtt nicht zu lassen / daß sie ihre Finger in dem brenn-heissen Schmalk versehren. Auf welches wir sie / inquit porro, so wir sie im Argwohn eines Diebstahls gehabt / gedrungen / und manchmahl das verlohrne wieder erlanget haben / weil sie sich besorgeten / daß sie / so sie wider besser wissen es hinterhielten / sich verbrennen solten. De *Duellis*, quæ tertia Purgationis vulgaris species erat, jam non plura addemus, cum hæc satis a D. Rivino *Diss. de Duello Lipsiæ An.* 1649. & M. Rohtio *Disput. in Gymnas. Ulmensi de Duellis An.* 1678. ventilata, itemque a Voetio *loc. cit.* & Becmano *loc. cit. cap.* 5. pertractata sint; ubi etiam nonnullas alias purgationum species per crucem, offam judicialem &c. susceptas reperire licet. Conf. etiam Seldenus *Ot. Theol. lib.* 1. *exerc.* 6. §. 24. *seq.* & Dn. Lic. Schimidius *loc. cit.*

II. Sicuti vero hos & similes ritus suos ab antiquis Judæis olim mutuare majoribus nostris licuit, ita nobis impræsentiarum, dum *originem* harum *purgationum* ex ipsis Judaismi visceribus investigare in animo habemus, ut vocem saltem ab iis mutuemur, concessum iri speramus. Neque vero nunc omnium actuum, qui forte ad purgationem hanc referri possent, rationem habebimus, sed illorum tantum, qui castitatem concernunt, ob quam antiqui Judæi aut potius fœminæ Judæorum declarandam, purgationem in se susceperunt. Horum autem actuum duos imprimis, qui omnium famigeratissimi apud Judæos olim æstimati fuere, quosque in ipsis sacris literis deprehendere licet, investigabimus, quorum alter mulieres in matrimonio jam constitutas complectitur, quas, ut ab adulterii suspicione sese liberarent, per aquas amaras castitatem suam purgasse e *Num.* v. *vers.* 12. *seqq.* constat; alter vero a virginibus, quæ pridem matrimonium contraxerant, in purganda adversus a marito denegatam virginitatem castitate susceptus fuisse, *Deut.* XXII. *vers.* 13. *seqq.* legitur. Duas illas purgationum species in sequentibus paragraphis uberius deducemus.

III. Atque ut de priori, ordine jam agere incipiamus, qua mulieres in matrimonio viventes suam, adversus mariti de adulterio ejus suspicionem, purgare castitatem debebant; quantumvis hæc a Seldeno in *uxor. Hebr.* itemque Dn. Wagenseilio *in Sota*, & Dn. Acolutho in *Tr. de Aquis amar. Zelotypiæ*, ex professo jam pertractata sint, ut præter ea vix adhuc alia addere poterimus; tamen cum præcipuus ille olim purgandæ castitatis ritus fuerit, eum in præsentis materiæ tractatione haud a nobis prætermitti potuisse, omnino existimavimus. Itaque paucissima tantum e prædictis Auctoribus delibabimus, visuri, tamen, annon ex nostris etiam addere nonnulla queamus. Ipsam vero hanc purgationem e *Num.* 5. *vers.* 12. *seqq.* repetemus, & breviter ex eo tum *subjectum*, quod potissimum purgationem illam instituere debuit; tum ipsum etiam, quo purgatio hæc peracta fuit, *actum formalem* contemplabimur. Et illud quidem in *vers.* 12. *seqq.* nobis satis clare describitur, scilicet quod fuerit fœmina, in statu conjugali vivens, quæ a vero marito suo declinata, cum altero aliquo in occulto familiariter conversata est, ibidemque vel formaliter adulterium commisit, vel tamen suspicionem haud levem marito, se ejusmodi fecisse, dedit, adeoque occasionem ei, purgationem castitatis a se exigendi, suppeditavit. Ubi accurate Thalmudici scriptores observant, non promiscue ab omni fœmina maritata hanc purgationem suscipi opus fuisse, nihilque cum hac Dei lege rei intercessisse *desponsatæ* alicui Virgini viduæque, aut etiam *Levirum expectanti*, si contra sponsi vel Leviri præceptum cum eo, cujus familiaritate interdicebantur, quid clandestini negotii habuisse, deprehensæ sunt, docente sic *cap.* 4. *Sota misch.* 1. apud Dn. Wa-

Wagenſeil. *in Sota pag.* 550. quem etiam *pag.* 381. conſulas: quemadmodum illud ipſum etiam ex Jalkut *fol.* 207. *col.* 3. & *f.* 208. *col.* 3. *Chaskuni ad voces* מבלעדי אישך *Mincha Betula f.* 136. *a. Kidduſchin. cap.* 1. *f.* 27. *b. f. Siphri f.* 4. *col.* 4. *Rabboth f.* 230. *col.* 4. *m.* allegat. Dn. Acoluth. *l. c. f.* 135. & præter has modo dictas fœminas, longe plures adhuc, quæ vel cœcæ, vel ſurdæ, vel mutæ fuerunt, ab hac purgatione immunes extitiſſe, e Rabbinorum ſcriptis *pag.* 137. *ſeqq.* deducit, quo de etiam Dn. Wagenſeil. *loc. cit. pag.* 587. legi meretur. Reliquæ itaque fœminæ tantum, in quas nulla harum conditionum quadravit, ad purgationem caſtitatis adigi potuerunt, ita ut omnino Sacerdotum etiam Eunuchorumque uxores, itemque libertæ & proſelitæ huic ſubjicerentur, fatente *Miſchna* 4. *c.* 4. *Sota* itemque Dn. Wagenſeil. *loc. cit. p.* 581. Occaſio autem hujus purgationis non modo uxoris commiſſum crimen, ſed vel nuda tantum mariti ſuſpicio, interdum etiam temeritas & vaga ſe ab uxoribus ſuis ſeparandi libido eſſe poterat, ita, ut ſi vellet maritus, omni tempore & loco hanc ab uxoribus exigere purgationem poſſet. Itaque in hoc dicto caſu, ſi vel ſemel eam cum altero familiariter collocutam vidiſſet, ipſeque libenter ab uxore ſeparari voluiſſet, hinc occaſionem, ſe ab ea vel per repudii libellum, vel etiam, ſi nollet huic conſentire, per purgationem caſtitatis liberandi, arripiebat, atque eapropter eam ad Sacerdotem, ubi purgationem hanc ſuſcipere debuit, deferebat. Ubi tamen iterum Rabbini Doctores annotant, non quemvis temere maritum ſelotypum cum querelis ſuis contra uxores ſuſpectas in judicium a LXX. Viris admiſſum fuiſſe, ſed non niſi, cum juſtis ſuſpicionis ſuæ documentis munitus compareret, id quod hunc in modum illi explicant. Nimirum, poſtquam ſemel maritus uxorem ſuam cum alio in occulto rem familiariter habuiſſe viderat, nondum juſtam, eam deferendi cauſam habebat, ſed prius, ut teſtibus præſentibus eam, ne deinceps in ſecreto eſſet, aut cum altero occultaretur, præmonuiſſet, eique illud conſortium interdixiſſet, requirebatur, quemadmodum ex Gemara illud prolixe tradidit Raſchi, ſeu ut totum nomen ejus exprimamus R. Salomon Itzchack ad *num.* v. 14. itemque in *cap.* 1. *miſchn.* 2. *Sota f.* 98. *b.* hunc in modum expreſſum eſt: כיצר מקנא לה אמר לה בפני שנים אל רברי עם איש פלוני: id eſt *qua ratione fit interdictum? In hæc verba uxori coram duobus teſtibus edicit. Ne cum Viro N. loquitor.* Quod ſi nihilominus deinceps cum viro, de quo præmonita erat in ſecretius conclave ingreſſa eſſet, ibidemque tantam, quanta ad coinquinandos ſeſe ſatis eſt, moram feciſſet, tum legitimam ſuſpicionis cauſam accipiens maritus, eam ad purgationem caſtitatis poterat adigere, ſicuti rem omnem accurate deſcriptam legimus in *Sota cap.* 1. *miſch.* 2. & *Gemara Babylon. ibid. f.* 25. itemque apud Maimonidem *Hilch. Sot. c.* 1. ubi tamen obſerva, autores in definiendo exacte hoc temporis ſpatio inter ſe non convenire, quorum diſſidia recenſita legi poſſunt in *Gemara cap.* 1. *Sota*, itemque in *Tanchuma f.* 70. *col.* 1. vel ſecundum edit. Mantuan. *fol.* 74. *col.* 3. & *Jalkut. f.* 206. *col.* 1. Sane ridiculæ hanc in rem occurrunt quæſtiones in *Rabboth. fol.* 229. *col.* 2. cujus verba adducit Dn. Wagenſeil. *Sota p.* 12.

IV. Antequam autem hanc uxoris purgationem videamus, ipſumque actum formalem hujus purgationis contemplemur, non inutilem præſtabimus operam, ſi quæ actum hunc præceſſerint, prius adducemus. Nimirum ubi ſecunda vice poſt interdictum ſuum, uxorem rem cum altero habuiſſe, cognoverat maritus, neque tamen ad confeſſionem criminis uxorem adigere poterat, eam apud Synedrium loci quem incolebat, vicinum deferebat, ſuamque quam de uxoris ſuæ pollutione habebat ſuſpicionem aperiebat: ubi jam in rite deſcribenda *Synedrii* hujus conſtitutione diutius immorari nolumus, utpote cum præter Maimonidem *in Synhedrim*, prolixe hactenus naturam ejus deſcripſerunt Seldenus *in tribus diſtinctis libris de Synedriis veterum Hebræorum*, Otto *in Lexic. Rabbin. Philol. p.* 627. *ſeqq.* & Schikardus *de Jur. Reg. p.* 9. *ſeqq.* ubi omnino confer magni Theologi *Notas*. Formulas autem, quibus accuſationem ſuam coram Synedrio maritus faciebat, nobis e MSto ſuo עיץ תחיים ſubminiſtrat Wagenſeilius *l. c. p.* 17. ſequentibus: אשה זו קנאתי לה עם פלוני ונסתרה עמו ואלו הן עדיי והיא אומרת היאה ואני רוצה להשקותה לברוק הרבר: id eſt: *Huic meæ uxori ſecretum commercium cum N. prohibui; ipſa vero ſe cum illo occultavit; ejus rei hos habeo teſtes. Interim quia illa nihilo ſecius ſe pudicam eſſe contendit, igitur curabo, ut aquas amaras bibat, quo rei veritas pateſiat*, quo de etiam vide Maimonidem *Hilch. Sot. c.* 3. §. 1. Hic itaque a Senioribus in rem ipſam inquirebatur, confeſtimque re cognita ad Synedrium magnum, quod Hieroſolymis erat, uxor cum marito mittebatur, ita, ut duo inſuper תלמידי חכמים ſive Sapientum diſcipuli illis comites in itinere aſſignarentur, qui, ne in itinere maritus cum uxore ſua commiſceretur, adeoque

que-

querelam suam irritam redderet, sedulo caverent. Mirum vero cuiquam videri posset, quare cum Synedrium minus, capitis judicium exercere poterat, in hoc tamen casu, ubi de fœmina adulterii suspecta ferri debebat, ad Synedrium magnum rem deferre tenebatur. Et Maimonides quidem, Gemaram secutus, in *notis suis ad mischnam* dubio huic ita mederi conatur, ut loca *Num.* v. 30. & *Deut.* XVII. 11. quorum altero de uxore adulterii suspecta, altero de sene apostata agitur, inter se conferat, cumque utrobique eadem vox חתורה occurrat, quæ uti ex *Talmud Sanhedrim* certum est, Senis apostatæ respectu exigat, ut illius causa in magno Synedrio dijudicetur, inde ejusdem vocis etiam circa adulterii suspectam, eandem vim esse, infert. Verum nescio, an hac ratione dubio satisfactum sit. Et videtur causa potius in ipsam negotii arduitatem conjici posse, ut, cum singulare miraculum ut Deus ederet, flagitabatur, merito supremi inter Judæos Magistratus partium esse debuerit, cavere, ne quis temere auderet Κύριον τὸν Θεὸν ἐκπειράζειν, quod facere prohibitum est *Deut.* VI. 7. Postquam autem maritus cum suis תלמידי חכמים de quibus antea diximus, uxoreque sua Hierosolymis advenisset, statim ad Synedrii Sacerdotem ivit, ibidemque oblatione prius pro uxore facta, quod in *vers.* 15. ei injunctum fuisse legimus, quem locum prolixe satis atque accurate explicuerunt Dn. Wagenseil. *loc. cit. pag.* 348. *seqq.* & Acoluth. *loc. cit. p.* 178. *seqq.* eam propter adulterii suspicionem, de novo iisdem verbis accusabat, atque ut ulterius per aquas amaras res inquireretur, eademque coram Synedrio magno purgationem castitatis suæ institueret, urgebat.

V. Jamque re satis diligenter indagata postquam לבית דין הגדול שבירושלים *in domum Judicii magni quod Hierosolymis erat*, (de quo Maimon. *Hilch. Sanhedr. cap.* 5. §. 1. agit,) adducta esset, ipse actus formalis hujus purgationis suscipi debebat, nempe ut aquarum amararum maledictarumque potu, suam uxor innocentiam probaret. Antequam autem ad extremum hoc purgandæ castitatis remedium admittebatur, prius in Synedrio, in cujus conspectu jam consistebat, a Sacerdote nonnullisque aliis seorsim sumebatur, qui ei harum aquarum vim & atrocitatem exponebant, adeoque illam modis omnibus rogabant sollicitabantque, ut si crimen cujus accusabatur commisisset, fateretur, sin minus, nihil metueret, sed intrepide castitatem suam adversus mariti sui malitiam, per maledictas illas aquas, quas potandas sibi porrecturi sint, purgaret, sicuti totus ille processus *vers.* 16. *seqq.* nobis describitur, quem etiam ex *Sota c.* 1. *Mischn.* 4. *f.* 99. *a.* clarius adducemus ואומרים לה בתי הרבה יין עושה הרבה שחוק עושה הרבה ילדות עושה הרבה שכני' הרעים עושי' עשו לשמו הגדול שנכתב בקדושה שלא ימחה על המים: *dixerunt illi: filia carissima, forte vinum immodicum* (ut delinqueres) *fecit, aut petulantia nimia, aut juventa nimia in causa fuit: fortassis multitudo malorum vicinorum occasionem præbuit. Age in gratiam nominis illius magni, quo sanctissima hæc ceremonia describitur, ne permitte, ut id aqua deleatur.* Eadem in Gemara *Sota*, itemque in R. Alphes *c.* 1. *Thosiphta* Sota, Ralbag *f.* 180. *col.* 4. *m.* & *f.*, Pesikta Sutarta *f.* 39. *col.* 3. *i.* Rabboth *fol.* 230. *col.* 4. *i.* & 234. *col.* 1. Jalkut *f.* 205. *col.* 1. *f.* & 206. *col.* 3. *m.* & 208. *col.* 3. *post m.*, Albilda *in Olath Thamid f.* 188. *col.* 4., cæterisque qui de *Hilchot Sota* scripserunt, iisdem fere verbis repetuntur, quorum summam itidem adducere placet: *filia mea, si omnino certum est, innocentem te esse, Deo tuo confide & audacter bibe: quoniam aquæ amaræ non aliter se habent, ac venenum siccum carni animalis vivi impositum. Si vulnus ibi fuerit, dolorem affert, & penetrat altissime, sin vero vulnus ibi non sit, nihil metuendum periculi.* Conf. Wagenseil. *loc. cit. pag.* 20. Ubi sæpissime evenire solebat, ut persuasionibus hisce uxor morem gerens, se ab alio pollutam esse fateretur: quo in casu, aut si etiam aquas illa bibere recusaret, (quo ipso æque, ac si palam edixisset, crimen suum prodidisse censebatur,) ad purgationem castitatis faciendam non amplius urgebatur, sed tum a marito per libellum repudii sine dote maritali libera dimittebatur, ibatque quo collibitum erat, uti *ex Sota cap.* 1. *mischn.* 5. constat, de quo ritu interim conferri potest Lightfoot *in Matth.* v. 31. *p.* 290. *seq. edit. in fol.*, Seldenus *Ux. Hebr. pag.* 310. *seqq.* Schickardus in *Jur. reg. p.* 183. *seqq.*, Otto *Lex. Rabbin. pag.* 502. *seqq.* Wagenseil. *loc. cit. pag.* 29. *seqq.* Ut alios jam taceamus. Cæterum quæ hic Doctiss. Acoluthus *loc. cit. pag.* 174. *seqq.* 304. *seqq.* contra Dn. Wagenseilium *loc. cit.* adducit, quasi non ita libere uxor dimissa, sed si crimen adulterii sui fassa fuisset, tunc æque mortis supplicio, sicut cæteræ adulteræ punita fuisset, nescio, an album satis calculum mereantur. Nobis præprimis Bonfrerii argumentum, quod in *Coment. ad Num.* v. 15. contra Tostatum allegat, arridet, scilicet, *quod alias non videatur futura ulla fuisse illecebra, quæ mulieri criminis confessionem persuaderet, nisi adesset spes & amor vitæ.* Quod si nullam his persuasionibus

nibus uxor adulterii ſuſpecta aurem præbuiſſet, ſed in propoſito ſuo, ſe & caſtitatem ſuam purgandi, pertinax manſiſſet, ad fores templi orientales ſive ad portam Nicanoris, quam Ligtfootus *Tom.* I. *p.* 600. *ſeqq.* prolixe deſcripſit, deducta fuit, *quippe ibi adulterii ſuſpectis aquas potandas dare, puerperas purificare, & leproſos mundare conſueverant*, docente *cap.* I. *miſch.* 5. *Sota*, de quibus etiam Wagenſeil. *pag.* 35. *ſeqq.* & Acoluthus *pag.* 245. *ſeqq.* fuſius egerunt: ibique a Sacerdote ſummo, quem nobis iterum appoſite deſcripſit Acoluth. *pag.* 176. & Wagenſ. *pag.* 40., coram Domino conſtituta, veſtibus ad ſinum uſque denudata fuit, tum velum capiti ablatum, crineſque diſturbati fuere; & ſi quæ albis induta veſtibus fuiſſet, nigris operta, ſi auro, monilibus, inauribus ac annulis ornata, his ablatis, laqueo ſaligno mammæ ſupra illam præcinctæ fuere, quemadmodum omnia hæc in *Sota cap.* I. *miſch.* 5. *&* 6. annotata ſunt, ad quæ etiam conferri merentur Wagenſeil. *pag.* 41. *ſeqq.* 47. *ſeqq.* Acoluth. *loc. cit. pag.* 170. *ſeqq.*; & de velandi ritu Magn. Dn. D. Carpzov. *in Not. ad Schickardi Jus reg. pag.* 356. & Seldenus *in Ot. Theol. lib.* I. *ex.* 6. §. 8. *pag.* 81. *ſeqq.* Ad hæc omnes, quotquot ſpectatum venire volebant, accerſebantur, ſervis tantum & ancillis reæ mulieris exceptis, quæ, ne forte uxoris animus in illam ſpem aliquam reponeret, aut earum præſentia diſturbaretur, non poterant adeſſe, fatente *cap.* I. *loc. cit. miſchn.* 6. Atque tum ſacerdos munus illud zelotypiarum, quod maritus pro uxore ſua in oblationem dederat, uxori in manus tradens, ipſe amaritudinis aquas, quas jam de pulvere, qui in ſolo tabernaculi erat, in vaſe fictili præparaverat, in manu ſua ei coram tenebat, ut כרי לחטיל אימה עליה: ex *earum conſpectu terrore perfunderetur*, ſicuti ex *cap.* I. *miſc.* I. *&* 2. *Sota* annotatum eſt in *Rabboth. f.* 134. *col.* 2. *i.* & Jalkut. *f.* 107. *col.* 2. *f.* itemque ap. Dn. Wagenſeil. *loc. cit. pag.* 349. *ſeqq.* De diverſis interim Oblationum ſpeciebus accurate egit Maimonides, in iis, quæ commentario ad *Miſchnam Menachot* præfatur, quæ doctiſſimus Pocockius in *Porta Moſis*, *Notis ſuis miſcellaneis pag.* 423. annexuit. Deinde eam conjurare incipiebat ſacerdos iis formulis, quales *verſ.* 19. 20. 21. 22. deſcribuntur, & prolixius a Dn. Acoluth. *pag.* 281. *ſeqq.* explicatæ ſunt, ad quæ illa iteratis vicibus *Amen* reſpondebat, atque ſic approbatoria quaſi ſententia ſacerdotis prolatam adjurationem confirmabat, ut alterum Amen adjurationem uxoris qua inſontis, alterum qua reæ reſpiceret, teſte autore *Peſikta Sutarta fol.* 39. *col.* 3. *fol.*, & Rabi Moſe Albilda in *Olath thamid fol.* 188. *col.* 4. de quo etiam vide *cap.* 2. *Sota miſch.* 5. & Wagenſeil. *loc. cit. pag.* 377. *ſeqq.* Eadem conjurationis verba a Sacerdote poſtmodum in chartula aliqua cum atramento vitriolo carente ſcribebantur, quo de iterum agit *Sota cap.* 2. *miſchn.* 3. 4. Dn. Wagenſeil. *l. c. p.* 361. *ſeqq.* 366. *ſeqq.* & Acoluthus *p.* 310. *ſeqq.*; quæ deinceps vel intincta aquis & madefacta manu ſacerdos abolebat, vel etiam e vaſculo parum aquæ, in chartam profundens, ſcripturam hoc modo abradebat, potuique amaro infundebat. Quibus omnibus rite peractis, ita ut & aqua teſtaceo vaſi decenter infuſa, pulvereque deleta, atque maledictiones illa abraſæ eſſent, nil amplius reſtabat, quam ut uxor adulterii ſuſpecta abominabilem hunc potum abſorberet, atque illo modo ſuam purgaret caſtitatem. Itaque ſacerdos, ſumto ex uxoris manibus ſacrificio, cum illo ad altare abibat, ibique munere illo coram domino oblato, (quod explicatum vide ap. Dn. Acoluth. *pag.* 324. *ſeqq.*) ad uxorem iterum rediens, eidem præparatas illas aquas maledictas in manum tradebat, hauſtumque earundem, quo innocentia ejus pateſieret, imperabat. Quo in caſu jam potare eas nullo modo recuſare poterat, ideo quod Jehovæ nomen e membrana abraſum fuiſſet. Itaque maxime invitam etiam ad id cogebant, & quemadmodum R. Juda ap. R. Alphes *cap.* 2. *Thoſ. Sot.* indicat, forcipe ferreo ejus os aperientes, patentibus faucibus, ne os recludere poſſet, bidentem injiciebant, aquas deinde gutturi infundente, de quo vide *Toſephot Sota fol.* 19. *b.* 2. Cæterum de ipſis illis aquis earundemque natura, & unde potiſſimum vires ſuas acceperint, poſt Wagenſeil. & Acoluth. *ll. cc.* nolumus hic plura repetere; ſed effectum ſaltem earundem atque operationem paucis adhuc indicabimus. Scilicet, ſi polluta uxor eſſet, eo ipſo momento, dum gutturi aquas infundebant, illæ amaritudinem ei contrahebant, ventreque intumeſcente, femur ejus procidebat, ſicuti in *verſ.* 17. indicatum eſt: ad quæ inſuper Rabbini obſervant, vel ab ipſa ſtatim bibitione, eaque ne quidem abſoluta continuo ejus vultum livorem contraxiſſe, oculos protuberaſſe, totamque venis repletam fuiſſe, atque idcirco ex metu, ne forte atrium per eam pollueretur, ſtatim foris ejectam, ipſoque momento mortuam fuiſſe, docente *Sota c.* 3. *miſch.* 4. vel etiam, ſi meritum alicujus boni operis habuiſſet, effectum iſtum aquarum ſuſpenſum fuiſſe, & poſt unum demum, duoſque aut etiam

tres

tres interdum annos suam vim feralem præstitisse, uti explicatum illud legi potest ap. Wagenseil. *p.* 434. *seqq.* qui etiam *p.* 360. *seqq.* hanc aquarum operationem omnino præternaturalem fuisse, recte annotavit. Horribile tamen videtur, quod Thalmudici scriptores fere uno ore omnes insuper hic addere solent, in ipsum etiam adulterum, ubicumque is locorum fuerit, eodem momento, modoque, quo in adulteram, prorsus simili, has aquas operatas esse, ita ut huic quoque venter intumuerit, viriliaque computruerint, quo de evolve si placet Acoluthum *p.* 356. *seqq.* Quod si vero non immunda facta esset uxor, nullum etiam aquæ istæ effectum producebant, sed feliciter purgare suam castitatem poterat, ita ut non modo omnes insontem eam pronunciarent, sed marito etiam, qui falso eam detulerat, iterum jungeretur, cum quo deinceps in summa felicitate vivebat, atque ab eodem gravidata, sine dolore liberos enitebatur, plura insuper bona a Deo consecuta, quo de adhuc semel vide Dn. Acoluthum *l. c. p.* 365. *seqq.*

VI. Ita breviter totum illum ritum, qui in purgatione castitatis fœminarum adhibitus olim fuit, contemplati sumus, quem alii spissis satis voluminibus complexi sunt. Neque vero omnia ob spatii angustiam referre huc potuimus, metuentes, ne in immensam moles dissertatiuncula hæc excresceret. His itaque filum abrumpentes, ad aliam jam purgatæ castitatis speciem, quæ non minus, quam prior illa celebris olim fuit, nos convertemus, confisi, eo nos gratiorem operam hoc ipso præstituros esse, quo pauciores hactenus materiam illam rite pertractare fuerint aggressi. Prolixe vero ipsa hæc purgatio in *Deut.* XXII. 13. 21. describitur: quæ ut tanto melius intelligantur, necesse erit, ut antequam ipsum purgationis actum adducamus, subjectum prius quod in textu נערה vocatur, videamus, & quomodo Judæi vocabulum הנער seu *puellæ*, cujus *vers.* 15. *seq.* mentio injicitur, hic explicatum velint, indagemus. Itaque nec de *minori*, nec de *majori* hic sermonem fieri dicunt, sed de הנער & נערה seu *puella* sive *juvencula*, hoc est, de illa, quæ post duodecimum annum & diem unicum absolutum incipiebat fieri Juvencula. Sciendum enim est, Judæos olim tres in Virginibus ætatis terminos numerasse, ita ut pro annorum diversitate quædam *Minores*, quædam *Juvenculæ*, quædam vero *Majores* iis nuncupatæ fuerint. *Minor* ita vocabatur, quæ nondum annum duodecimum & diem unum absolverat, qualis קטנה dicebatur. *Puella* autem seu *Juvencula* נערה dicta, ab anno duodecimo & die unico expleto incipiebat, & usque ad sextum mensem absolutum ita vocabatur. Inde *Maimonides par.* 2. *de* הלכות אישות *c.* 2. אין בין נערות לבגרות אלא ששה חרשים בלבד:, *non est*, inquit, (distantia) *inter pueritiam & pubertatem, nisi sex dumtaxat menses*. Post hos sex menses נערות expletos, pubertatem consequebatur, ideoque *major* & בוגרת dicta fuit, quæ etiam tunc e parentum potestate eximebatur, teste *Ketub. fol.* 39. *col.* 1. Hic autem iterum temperamentum aliquod adjiciunt Thalmudici Scriptores, quando scilicet minores esse desierint, & a quo tempore pubertas ista numeranda sit. Neque enim, quæ de anno duodecimo, & die unico diximus, absolute ita intellecta volunt, sed ita, ut nisi duo saltem pubis pili, quos סימן התחתון sive *signum inferius* vocabant, eo tempore scilicet anno duodecimo expleto, excreverint, (quod tamen signum cessabat, si ex mammillis sororantibus papillisque, e quibus etiam סימן העליון seu *signum superius* hic habebant, pubertas cerneretur, aut ipsa, quod utrumque signum superabat, peperisset,) pro *minoribus* seu קטנות habitæ fuerint, usque ad productionem duorum pilorum, a quo tempore statim נערות vocari incepissent. Imo addunt Rabbini, si ad unum vigesimum usque isti pili non excreverint, sed סימני עילומית sive *signa Viraginis*, veluti si mammillæ nullæ, nec muliebres affectus aut mores, tum pro viragine habitam fuisse. Quod si vero nec hæc adessent signa, in minoribus censitam fuisse, usque dum aut pubertatis, quæ diximus signa comparerent, aut annum trigesimum quintum præter diem unicum complevisset, atque tunc *viraginem* nuncupatam fuisse, etiamsi viraginis signa ei defuissent, & tam נערה sive *juvenculam*, quam בוגרת seu *puellam pubertatis plenam*, & עילומית sive *viraginem*, *majores* sive גדולות vocatas esse, quo de confer. Seldenus *de Success. in bon. defunct. cap.* 9. *p.* 34. & Autor *Aruch* cit. a Buxt. *Lex. Talm. p.* 258. qui tempus illud pubertatis definiens, scribit: לא בזמן מילתא אלא בהבאת שתי שערות: i. e. *non in articulo temporis sita est res hæc* (nempe in articulo sex mensium post duodecimum annum,) *sed in productione duorum pilorum*. Hæc in Thalmud *Nidda f.* 47. 1. paulo aliter adhuc describuntur. Ibi enim de puella tribus nominibus dicitur, quod sit פגה ,בוחל ,יצמל *grossulus*, *ficus maturescens*, & *ficus matura*. *Grossulo* assimilatur puella, antequam ubera & pubes oriantur, ceu immatura viro: *fructui maturescenti & plenius intumescenti*, quando ubera

ra extuberare incipiunt & pubes oritur: *ficui maturæ*, quando matura viro eſt, & duo iſta maturitatis ſigna, ubera ſcilicet & pubera accepit. Has & ſimiles ludicras Judæi habent meditationes, ex quibus impræſentiarum, occaſione vocabuli הנערה, quaſdam adduxiſſe non pœnitebit.

VII. Jam ad rem ipſam accedemus, virginemque hanc ſive juvenculam, quatenus purgationem caſtitatis inſtituere debuerit contemplabimur. Nimirum poſtquam juvencula illa a parentibus ſuis elocata fuiſſet, finitiſque nuptiis a novo marito ſuo in thalamum deducebatur, (quo de ut & cæteris Judæorum ritibus, quos in deſponſationibus, & nuptiis ſuis adhibere ſoliti fuerunt, impræſentiarum multa repetere nolumus, ſiquidem ea in *Tr. Kidduſchin*, itemque ap. *Maimonid. Hilch.* אשות, nec non a Buxtorfio in *Synag. Judaic.* & *Diſs. de ſponſaliis*, Seldeno *in Ux. Hebr.* Godwino *in Aaron. p.* 484. Ottone *Lez. Phil. Rabb. pag.* 413. *ſeqq.* aliiſque ex profeſſo jam ſatis fuſe pertractata ſint,) ut ibidem virgo comperiretur, neceſſe erat. Qua autem ratione illud ſcire potuerint, inferius videbimus. Itaque jam ſi in primo mariti congreſſu virginitatis ſigna non haberet, pro tali, quæ caſtitatem virgineam hactenus non ſervaſſet, reputabatur, adeoque a marito, ut purgationem caſtitatis ſuæ inſtitueret, jure meritoque compellari poterat. Sicuti vero ſæpiſſime evenire ſolebat, ut poſt primum aut aliquot congreſſus, cum libidinem ſuam ſatis expleverant mariti, uxores ſuas odio proſequi inciperent, & tamen, ne iis dotem Virginis nomine conſtitutam, quæ 50. ſiclorum, ſive 200. zuzorum, adeoque duplo major quam vitiatarum, utpote quæ 25. tantum ſiclos ſive 100. zuzos accipiebant, erat (quo de accurate egit Doctiſs. Seldenus in *Ux. Hebr. l.* 2. *cap.* 9. *p.* 115. *ſeqq.* itemque e Mſs. ſuo nonnulla excerpſit Dn. Wagenſeil. *Tr. Sota p.* 551. *ſeqq.*) ſolverent, eas prærepta virginitatis primo ſibi amplexu non compertæ poſtularent, atque eapropter, ubique male de uxoribus ſuis loquerentur; prout in *verſ.* 13. 14. indicatum eſt: idcirco a puellæ parentibus res inquirebatur, ut ſi falſo eam a marito ſuo delatam fuiſſe cognoſcebant, illum coram Senioribus ſive presbyteris civitatis, (qui LXX. Interpretibus itemque Philoni, τῆς γερουσίας, ſeu Senatus nomine veniunt, quorum teſte *Miſchna tit. Sanhedr. cap.* 1. num. XXIII. erant,) iis, quales in *verſ.* 16. 17. deſcribuntur, formulis accuſantes, filiam ſuam omnino virginitatis ſigna habuiſſe, expanſis coram ſenioribus linteis, rupti hymenis ſanguine infectis conteſtabantur.

VIII. Sed hic pauliſper nobis ſubſiſtendum erit, cum non tantum hæc obſcura eſſe videantur, adeoque explicatione aliqua indigeant, verum etiam circa ea tam a Theologis, quam a Medicis, multæ hactenus controverſiæ exortæ fuerint. Et ut communiorem ſententiam, quæ noſtro judicio omnium veriſſima eſſe videtur, hic retineamus, voluit divina providentia, ſicuti in rebus aliis, ita hic quoque ſignum aliquod certum atque manifeſtum, e quo probari innocentia ejuſmodi Virginum falſo accuſatarum poſſet, Judæis impertiri, imprimis ut libidini & nequitiæ maritorum, ex privato aliquo commodo ſuo Virginibus infenſorum, caveretur, fœminæque tanto magis a ſcortatione arcerentur. Itaque in hoc caſu ex veſtimento aliquo ſive linteo, ſuper quod hic novi conjuges prima nocte cubaſſent, de quo varias ſententias explicat Barthol. Mayerus *Philol. S. part.* 1. *p.* 291. *ſeqq.* ſignum illud, quod de novæ conjugis inventa virginitate teſtaretur, peti debuit, ita ut ſi in eodem ſanguis aliquis conſpiceretur, indubitatum ille virginitatis inventæ argumentum eſſet, ſecus autem, ſi nullus ibidem ſanguis compareret, ſicuti ex *v.* 17. ſatis illud conſtare poſſe autumamus, utpote ubi Seniores, ex expanſo linteamine demum de Virginitate inventa judicium ferre jubentur, quod aliter facere non potuiſſent, niſi ſignum aliquod manifeſtum in iſto linteo apparuiſſet. Ut autem hæc adhuc clarius conſtare queant, ipſum hunc ritum e Judæorum pandectis paulo uberius deducemus. Nimirum cum jam puella in thalamum a novo marito deducta erat, linteum aliquod, de quo hactenus mentionem injecimus, iis ſubſternebatur, ex quo puellæ Virginitas dijudicare poſtmodum debebat. Ne vero fraudis ibi aliquid cum linteo iſto committeretur, duo paranymphi, qui Hebræis שושבינים, ideſt, *ſocii*, *comites*, *amici* ſponſorum dicebantur, quorum alter e ſponſi, alter vero e ſponſæ amicis deſumtus erat, quique hactenus in nuptiis inſervierant, cubiculo iſti, in quo novi conjuges cubabant, cuſtodes apponebantur, qui tam diu, donec novi conjuges mane ſurrexiſſent, ibi expectantes, deinceps, ubi ſurrexerant, ſumto iſto linteo, illud ad parentes conjugum deferebant, in quo ſi ſanguinem parentes inveniſſent, tanquam manifeſtum Virginitatis ſignum cum ſumma lætitia, non ſine ſolenni benedictione agnoſcebant, ſicuti ejuſmodi benedictionis formula in *Seder Tephiloth Judæor. Hiſpan. p.* 351. 6. ſequentibus occurrit verbis: ברוך אתא יי' אלהינו מלך העולם אשר צג אגוז בגן ערן שושנת חעסקים בל ישמול זר במעין חתום על

על כן אילת אהבים זרע קדש שמרה בטהרה וחוק לא חפרה ברוך אתה יי' הבוחר באברהם ובזרעיו אחריו: idest: *Benedictus sis Domine Deus noster Rex mundi: qui statuisti nucem in horto Eden liliumque convallium. Non dominabitur alienus in fonte obsignato: propterea cerva amorum semen sanctum servavit in munditie, & statutum non pudefecit. Benedictus sis Domine, qui elegisti Abrahamum, & semen ipsius post eum.* De paranymphis interim istis conferri potest *Gemara Hierosolym. ad tit. Chetuboth c.* 1. *f.* 25. *col.* 1. & *Babylon. ibid. f.* 12. *a.* ubi etiam Glossa legi meretur. Eundem excubandi ritum apud Mahumedanos Africanos etiam in usu olim fuisse testatur Johannes Leo *in Descript. Afr. l.* 3. *c. qui in matrimoniis*, cujus verba allegata inveniuntur a Seldeno in *Ux. Hebr. p.* 231. Hoc deinceps linteamine puellæ parentes apud Hebræos, tanquam testimonio aliquo evidentissimo utebantur, quo mariti accusationem de non inventa filiæ suæ Virginitate coram senioribus refutabant: sive jam ipsius lintei coram senioribus expansione id fecisse, sive quod Seldeno *Ux. Hebr. p.* 230. magis arridet, testes Virginitatis sive paranymphos, ut ex linteamine isto rem hanc explicarent, in forum adductos fuisse statuamus, certissimum tamen inde Seniores Virginitatis argumentum hausisse, imo & haurire evidenter potuisse, omnino judicandum est. Cum enim divinæ benignitati, ut hac ratione innocentia probaretur, placuerit, quin idem etiam naturalibus rationibus fieri potuerit, nullum dubium est, imprimis, si tenerrimam ætatem, in qua puellæ apud Judæos elocabantur, attendamus. Neque opus est, ut vel cum Autore *Religionis medici p.* 49. hanc purgandæ virginitatis rationem Judæis a Deo præscriptam, incertam & fallacem vocitemus; vel cum recentioribus quibusdam medicis, qui omnem Virginitatis probationem inficiantur, prorsus eandem alio sensu accipiamus; aut etiam cum Theologis nonnullis allegorice & symbolice illam explicemus: siquidem prius nominato autori, qui se ab Atheismi principiis non multum abesse, in libro nominato satis aperte prodidit, ut nudæ ejus assertioni fidem adhibeamus, sicut opus non habemus; ita neque medicis illis ad hodiernam experientiam provocantibus idcirco assentimur, cum aliquid a Deo Israelitico populo in signum datum esse potuit, quod tamen hodiernum amplius vigere non oportet: imo si quod res est, dicendum, nondum hæc de Virginitatis notis controversia ab ipsis medicis composita est, aliis in hanc, aliis in aliam sententiam inclinantibus, quorum dissidia collegit & refutavit D. Melch. Sebizius, Argentor. quondam Acad. Professor in *Tr. de Notis Virginitatis*, qui conjunctim cum Pinæi aliorumque *Tract. de Virginit. not.* Lipsiæ prodiit An. 1690. Allegoricam autem expositionem nullibi, nisi ubi certissimum ejus rei testimonium adducitur, admittimus. Conf. interim Dn. D. Pfeiffer *in Dub. Vex. p.* 310. *seqq.*

IX. Ut in viam iterum redeamus, postquam pro certo hanc Virgineæ castitatis purgationem per linteaminis expansionem, susceptam fuisse, posuimus, restat, ut jam etiam, si quando castitatem suam virgo ita purgaverat, qualem tum marito, qui falso eam detulerat, eapropter pœnam injunxerint, paucis videamus. Illud vero e *vers.* 18. & 19. nobis apertum fiet, quippe ubi Senioribus injungitur, ut quando falsam mariti accusationem invenissent, eum castigare, mulctaque 100. argenteorum punire deberent, qui deinceps aut puellæ parentibus, scilicet, si ea adhuc sub parentum potestate esset, h. e. si nondum annos נערה absolvisset; aut ipsi etiam puellæ si major facta esset, traderentur. Utrum vero hic castigatio illa a mulcta distincta adhuc pœna esse debuerit, nolumus prolixe inquirere. Plerique tamen existimant, hanc castigationem mulctæ præcessisse, eandemque fuisse, quæ olim 40. una minus plagis apud Hebræos fieri solita est, sicuti Josephus etiam explicat Antiq. Judaic. *l.* 4. *c.* 8. τῷ δὲ πολμηρῶς ϗ προπετῶς ἐπενεγκεῖν αἰτίαν, ϗ διαβολῇ πρόσεμον ἐκτινέτω πληγὰς τεσσαράκοντα μίας λειπούσης λαμβάνων ϗ πεντήκοντα σίκλους ἀποτινέτω τῷ πατρί: de qua Judæorum flagellatione prolixius commentati sunt Maimonid. *Hilch. Sanhedr.* cap. XVI. 19. Drusius *l.* 6. *præter. p.* 200. *seqq.* Otto *Lex. Rabb. p.* 210. *seqq.* Magn. Dn. D. Carpzov. *ad Schikhardi Jus reg. p.* 144. & Dn. D. Pfeiffer. *Dub. Vex. p.* 313. Cæterum de centum siclis illis argenteis, quos insuper maritus ob diffamatam uxorem solvere debuit, repeti possunt, quæ superius ex Seldeni *Ux. Hebr. p.* 110. *seqq.* adduximus. Ipse postmodum maritus in uxorem eam iterum recipere tenebatur, neque posthac eam vel ullo modo poterat dimittere. Vid. *vers.* 19.

X. Aliter vero res comparata erat, multoque pejus cum uxore agebatur, si Virginitatis suæ signa non purgare potuisset, hoc est, si nullus in linteamine Sanguis apparuisset: (quod tamen rarissime factum esse opinamur, quippe non tam artificiose Hebræorum fœminæ peccatum suum celare didicerant, sicut hodie quædam illam artem callent, adeoque ex gravissimæ pœnæ metu raro illud evenisse, imo in-

instar miraculi tum temporis fuisse, ut pro Virgine deflorata obtruderetur, præsertim cum virgines non senescerent, sed quam primum maturissent, elocarentur:) Tum enim non tantum a marito suo expellebatur dotemque amittebat, verum etiam graviori pœna afficiebatur, ita ut ad portas patris sui educeretur, ibidemque si plebeja fuisset, lapidibus obrueretur, si vero sacerdotis filia, combureretur, ut ita malum ex Israele tolleretur. Quale autem pœnæ genus illud fuerit, prolixius jam explicare deberemus; sed cum vereamur, ne forte tædium aliquod B. L. hoc ipso excitemus, nolumus pro instituti ratione plura dicere, sed autores saltem, e quibus illa lapidationis pœna cognosci possit, indicabimus. Multa autem de illa scripserunt Drusius ad *Levit. loca difficil. cap.* 69. Leusden. *Philol. Mixt. Diss.* 47. *p.* 322. *seqq.* Menochius *l.* 8. *de Rep. Hebr. c.* 2. *qu.* 3. *f.* 722. Sigonius *l.* 6. *de Rep. Hebr. c.* 8. *p.* 330. *seqq.* Godwin. *in Mos. & Aaron. lib.* 5. *cap.* 7. Otto *Lex. Rabb. p.* 318. *seqq.* 618. *seq.* & quem primum omnium nominare debuissemus Magnif. Dn. D. Carpzov. *loc. cit. pag.* 264. *seqq.* aliique.

GOTTLOB FRIDERICI GUDII

EXERCITATIO PHILOLOGICA

DE HEBRAICA OBSTETRICUM ORIGINE.

SYLLABUS CONTENTORUM.

I. *Dicitur in genere de obstetricum illarum laudibus.* II. *Recensentur nonnulla ex ipsarum historia a Philologis sub examen vocata.* III. *Dispicitur de controversiæ nostræ momento, & ad tractationem via sternitur.* IV. *Profertur prima ratio adversariis contraria a S. S. silentio petita.* V. *Obviam itur eorum exceptionibus ad hanc rationem.* VI. *Provocatur ad Spiritus S. testimonium sententiæ nostræ favens.* VII. *Illud a quorundam iniquis expositionibus vindicatur.* VIII. *Ex eo de Josephi testimonio sententia fertur.* IX. *Allegatur tertia ratio ab Hebraicis obstetricum nominibus depromta.* X. *Quarta ratio desumitur ab Ægyptiorum in Hebræos superstitioso odio.* XI. *Quintam rationem Judæorum multitudo nobis suppeditat.* XII. *Examinatur Bonfrerii exceptio.* XIII. *Dispicitur de Josephi ratione.* XIV. *Provocatur ad antiquissimorum Rabbinorum consensum.* XV. *Removetur adulterina ratio a quibusdam ad Hebraicam obstetricum originem vel saltem religionem probandam allegata.* XVI. *De numero harum obstetricum agitur & finis imponitur.*

B. C. D.

I. ALias inter fœminas quarum laudes S. Pandectis inclaruerunt, ultimo loco nequaquam sunt ponendæ *obstetrices* a Spiritu S. *Exodi* I. 15. 22. commemoratæ. Quandoquidem insigni earum erga Deum pietate maximus Hebraicorum puerorum numerus in vivis conservabatur, quos diabolus infensissimus ille humani generis adversarius per violentum Pharaonis (1) mandatum interficere tentaverat, ut & Israelitarum incrementis, & impletioni divinæ promissionis de Messia ex Judæis oriundo obicem poneret. (2) Illæ enim sanctiori in Deum quam Pharaonis præceptum religione ductæ Israelitarum pueros recens natos non necabant. Unde factum est ut eas non solum vivas variis bonis cumularit Deus, sed quoque defunctas illas æterna memoria

ria condecoraverit, merita ipsarum in suam gentem S. codici inserendo.

II. Quamobrem dignæ omnino fuerunt, in quarum historiam illustrandam eruditi operam suam collocarent. Inficias enim ire non possumus varia illi inesse, quæ aut dilucidatione aut vindicatione opus habent. Neque pauci recenseri possent Philologi, atque Philosophi qui inprimis *circa illustre earum facinus* exponendum occupati modo in veritatem in modo moralitatem asserti ipsarum inquisiverunt. (3) Quibus ii etiam adjungi merentur qui *pronominis* להם *vers.* 22. *constructioni* speciatim immorati contra Pontificios, Calixtum aliosque demonstrarunt, illud non ad obstetrices, sed ad Israelitas pertinere, multo minus illud comma argumento esse, homines salutem æternam bonis operibus promereri posse. (4) Hinc neque nobis in malam partem interpretabitur ullus, quando in præsenti *de ipsarum origine* solliciti investigabimus, *utrum pro Hebraicis an Ægyptiacis mulieribus sint habendæ?* Haud quidem ignoramus Philologos in suis ad Pentateuchum commentariis hanc quæstionem ventilasse, nemo tamen eorum, quoad ejus nobis constat, illam ex instituto examinavit alterutramque sententiam solidioribus rationibus confirmandam sibi sumsit. Aut enim communi, & non a Pontificiorum pluribus tantum, sed a Nostratium quoque nonnullis receptæ hypothesi *ex Ægyptiaca gentes illas derivanti*, & pro paganis habente subscripserunt; (5) aut ab illis dissentientes, & *Hebraicæ genti easdem asserentes*, vel sine sufficientibus rationibus, & incidenter tantum Hebraicam earum originem affirmarunt, (6) vel *ad Hebraicam religionem* conversas modo fuisse statuerunt. (7)

III. Neque existimandum est hujus controversiæ disquisitionem cum *cucurbitaria illa Augustini & Hieronymi, controversia*, (8) & hodie a quibusdam recocta, vel cum certamine *de pisce Jonæ masne fuerit an fœmina*, (9) ejusdemque furfuris aliis disputationibus in eundem censum venire, ubi qui inprimis supra vulgus sapere sibi videntur in explicanda S. S. ea indagare moliuntur, quæ Deus neque κατὰ τὴν λέξιν, neque κατὰ τὴν διάνοιαν revelavit, præterea eodem cum fructu sciuntur, quam ignorantur. Quem intempestivum scrutandi fervorem cum Cl. *Rechenbergio* ad malesanam in Theologia Exegetica curiositatem, (10) & abstinentiam ab eodem cum Cl. *Barthio* ad doctam in eadem ignorantiam (11) merito retuleris. Cujus prioris autem nos in præsentia nequaquam erimus accusandi. Namque & *luculentum Spiritus S. testimonium rite expositum, & reliquæ circumstantiæ ab eodem nobis revelatæ* Hebraicam originem obstetricibus vindicant, ut ad Scripturæ literam rite explicatam impingat, qui eas Ægyptiacæ genti annumeraverit. Nihilo tamen secius a *Nostratium pluribus* in Theologiam Theticam, atque Moralem hoc exemplum fuit illatum, ut præmia vel a gentilibus opera legi naturali conformia patrantibus expectanda probent. (12) Insuper *Pontificiorum* plurimi hoc obstetricum exemplar in succum atque sanguinem quasi sibi convertant, demonstraturi, gentiles bona opera sine fide aut speciali Dei auxilio nullo peccato contaminata patrare iisque æternam salutem promereri posse (13) adeo ut & *Jacobus Salianus* eos mordacissime perstringere non dubitarit, qui obstetrices fuisse Hebræas tradunt. (14) Quod neutrum sane ab utroque factum fuisset, si ab iis *Hebraica obstetricum origo* uti decebat, explorata & cognita fuisset. Quare nos operæ pretium duximus *in harum obstetricum ortum* paulo curatius investigare, & quoniam *Hebraici illarum natales* defendendi nobis videntur, solidas & sufficientes affirmationis nostræ rationes exponere, quibus adversariorum exceptiones statim subjungentur, nostræque theseos vindiciæ addentur. Faxit Deus O. M. ut omnia feliciter eveniant!

IV. Quæ igitur primo loco *Ægyptiacæ obstetricum origini* contrariatur ratio, est *Scripturæ Sacræ silentium* illas ex Ægyptiaca gente oriundas fuisse. Equidem probe memores sumus, rebus in historicis a S. S. silentio ad earum negationem concludere nefas esse; (15) Enimvero quis est, quem hujus hermeneuticæ regulæ limitatio lateat? quod nimirum tunc demum a Scriptura tacente ad res ipsas negandas concludere non liceat, quando illa de hisce illisve factis differere noluerit. Contra vero de quibuscumque rebus Scriptura S. egit, hanc vero atque illam ejusdem rei circumstantiam non commemoravit, quæ nec ex aliis fide dignis Scriptoribus hauriri potest, tunc omnino Scriptura silens asserti alicujus veritatem labefactabit, quinimo penitus deturbabit. Atque hæc ipsa est hujus circumstantiæ conditio, quod Ægyptiacus harum obstetricum ortus in S. S. inveniri non possit, quam ob causam ejusdem affirmatio utique vacillat.

V. Enimvero satis speciosa objectione ab adversariis peti videmur, quando illi *ad comma h. c.* XVI. & XIX. confugiunt & suæ theseos probationem iisdem invenisse gestiunt. Sibi enim persuasum habent, quoniam Pharao ad obstetrices dixerit:

xerit: *quando Hebraicis mulieribus obstetricatæ fueritis*; & *illæ ipsæ vers.* 19. *haud obscure innuant se Ægyptiacis puerperis obstetrices manus ferre*; exinde Ægyptiacum earum ortum luculenter probari posse. (16.) Alias enim: I. Pharaoni dicendum fuisset, *quando vestris mulieribus obstetricaveritis*. Sed ad hanc objectionem quod attinet, liceat per Instantiam respondere. Ponamus ex hoc Pharaonis loquendi modo asserti sui veritatem dissentientibus exsculpere licere; tunc vero facili negotio ex obstetricum responso Pharaoni dato & *vers.* 29. enarrato contraria sententia stabilietur. Negant sc. *Hebræas mulieres esse sicut Ægyptiæ*; E. illæ obstetrices non fuerunt *Ægyptiæ*; alias dicere debuissent; *Hebrææ mulieres non sunt sicuti nostræ*. Quem vero lubricæ hujus argumentationis non pudeat? quasi loco pronominis possessivi ipsum nomen adhiberi non posset! (17) Nec multo firmior est altera objectio, quippe quæ nequidem ex *vers.* 19. poterit demonstrari. Quod enim illæ obstetrices diversam utriusque gentis puerperarum naturam sciverint, nondum satis probat ab utriusque populi puerperis in auxilium fuisse vocatas; Potuit alterius gentis mulierum conditio ex aliorum relatione ipsis innotescere, (18) ergo non opus fuit ut de puerperarum Ægyptiacarum natura sollicitæ, Ægyptiacæ obstetrices essent.

VI. Contrarium ipse Spiritus Sanctus perhibet qui *vers.* 15. hasce obstetrices (19) : המילדות העבריות *obstetrices Hebraicas* appellat, quibus quidem verbis pro eruenda Hebraica obstetricum origine nihil clarius esse posset. Vox enim העבריות Hebraicam ipsarum prosapiam una cum religione sua denotat. *conf. Jonæ* I. 9. *Gen.* XXXIX. 14. *Exodi* XI. 13. Ad quam posteriorem vero tantum multi easdem referre moliuntur, quorum nonnullos ad §. 2. allegavimus. Hos inter Lyranus præsertim est notandus qui Phrasin illam *vers.* 21. occurrentem ædificare domos obtorto collo huc rapit, atque interpretatur, quod illæ obstetrices in populum Hebræum receptæ illustrioribus ejusdem populi viris nupsisse & nobiliorum familiarum capita evasisse. En miros ingenii lusus, quos ipsi ejus consortes Tostatus & Pererius deriserunt & confutarunt. Multo minus Cornelius Jansenius audiendus erit qui in suo in Pentateuchum commentario (20) ab hoc loco asserere audet, *divum Augustinum* (21) hasce obstetrices objective tantum *Hebræas* appellasse quia *Hebræis* mulieribus serviverint; dum *Augustinus Hebraicam vocem* hac translatione exhaurire voluit, uti ex *seq. cap.* XVII. luculenter apparet, ubi eas *mulieres Hebræas* nominat.

VII. Sed quod firmissimum argumentum nobis apparebat, a *dissentientibus* elidi, vel saltem debilitari nunc intelligimus, quando hasce duas voces non per *appositionem tanquam Subjectum & Adjectivum* ejus, sed *subjecti* instar & *objecti* considerandas esse atque reddendas censent; *Et dixit Rex Ægyptiorum ad obstetricantes Hebræis*, id est *ad eas quæ Hebræis obstetricabantur*. Neque diffitendum est ipsum *Tremelium* aliosque a nostris partibus stantes hæc ipsa verba h. m. transtulisse. Tantum enim omnino abest, ut hac ipsa horum verborum expositione rite considerata sententia nostra infirmetur. Sint המילדות subjectum, sint העבריות objectum; nondum tamen exinde evinci poterit, obstetrices illas Ægyptiacas mulieres fuisse. Præterea vero hanc exponendi rationem minus accuratam, & tolerandam esse nunc paucis ostendemus. Si enim hæc expositio, hic locum obtinere deberet, necesse esset, ut *Subjectum* המילדות sequens nomen, non quidem per *particulam* ל *uti Johanni Clerico* visum fuit, (22) sed per *particulam* את rexisset, siquidem docente *vers.* 16. verbum ילד cum objecto suo mediante particula את construitur a quo construendi modo seu participium, seu nomen verbale ejusdem verbi hoc loco recedere credi non potest. Dicis? *per regiminis statum* hæc duo nomina conjuncta, & transferenda esse; *Et dixit obstetricibus Hebræorum*; qua sententia LXX. Vulgatus aliique hujus loci translatores fuerunt, hæc duo nomina per statum regiminis reddentes; (23) obstat *Hebræorum idiotismus*, qui requirit, ut nomina verbalia tam absoluta quam constructa radicis suæ casum adsciscant, ideo & hæc duo nomina per statum constructum interposita particula את connectenda fuissent. (24) Obstat porro ה *demonstrativum utrique nomini præmissum*, quod tamen nominibus in statu constructo positis ordinarie non præfigitur, nisi nova restrictio aut singularis emphasis illud adesse jubeat. (25) Ideo hæc duo nomina cum *Varenio* (26) per *appositionem* potius quam *regimen* reddenda esse censemus; *Obstetrices Hebraicas*.

VIII. Ex hoc ipsius *Spiritus Sanctus* testimonio de *Fl. Josephi* testimonio æquum judicium ferri poterit, quo eas obstetrices Ægyptiacæ genti annumeravit, quando Pharaonem jussisse recenset παραφυλάσσειν τε τὰς ὠδῖνας τῶν Ἑβραίων γυναικῶν Ἑβραίων γυναικῶν τοκετοὺς παρατηρεῖν τὰς Αἰγυπτίων μαίας *diligenter observare partus Hebræarum & parturitiones Ægyptiorum obstetrices*. (27) per quod plurimos etiam in illam sententiam

tiam seductos esse arbitramur, quamvis ille locus *Calovium* procul dubio fugerit. (28) At enim vero quanquam huic Judaicarum rerum Scriptori ad easdem illustrandas & supplendas plurimum debemus; tamen non inficiari possumus, *Josephum* ut hominem multis etiam erroribus obnoxium esse potuisse, quam ob rem in illius verba non jurandum erat, sed majori cum cura expendendum, utrum ejus verba S. Scripturæ ceterisque historicæ probalitatis regulis respondeant nec ne? quibus sæpius adversari jam dudum merito observarunt Critici, (29) Cujusmodi παράπτωμα Josepho circa hanc etiam narrationem accidisse ex contrario Scripturæ Sacræ testimonio jam allegato & sequentibus rationibus patebit. Quamvis enim *D. Dorscheus loc. cit. pag.* 39. *&* 40. ipsum circa hoc testimonium defensum iverit, quod ille de posteriori Pharaonis mandato tantum agat, quod ille, ubi se ab Hebraicis obstetricibus delusum videbat, integro suo populo dabat *coll. v.* 22.; attamen ipse hujus loci contextus hanc defensionem & conciliationem recusat & impugnat. Secundum *vers.* 22. mandaverat Pharao, ut suus populus Israelitarum pueros in aquam submergerent, cujuscunque obstetricis ope fuerint in lucem editi; at *Josephus* noster sequentibus verbis luculenter indicat, quid per hanc observationem intellexerit: *latam nimirum in pariendo opem*, Ἐκέλευσεν αὐτὰς μαιοῦσθαι, *jussit eas obstetricari;* Et non tantum pueros Israelitarum recens natos observare & negare, sed puerperis quoque obstetricari debuerunt obstetrices. Atque hinc est, quod Josephus non de posteriori, sed priori Pharaonis mandato loqui & historici erroris se reum reddere videatur.

IX. Excipit illud luculentum *Spiritus Sancti* testimonium non infirmius argumentum ab Hebraicis obstetricum nominibus petitum, quæ Spiritus Sanctus *v.* 15. retulit. Alteram nimirum dictam fuisse שפרה alteram vero פועה, quæ nomina hebrææ originis esse radices demonstrant, ex quibus ea tam commode derivare licet, ut Hebrææ linguæ filias in subsidium vocare & ab illis deperditas radices mendicare haut opus esse existimemus. (30) Descendit enim prioris obstetricis nomen a radice שפר *pulchrum fuit, expandit, s. explanavit in formam rotundam*. Hinc שפרה *pulchritudinem s. expansionem* significat. conf. *Jobi* XXVI. 13. ברוחו שמים שפרה quæ quidem verba post *Hieronymum* aliqui vertere voluerunt; *Spiritu suo cœlos connavit;* sed ה in voce שפרה indigitat, illam pro nomine potius habendam, & hinc verba exponenda esse: *Per Spiritum suum cœlum est pulchritudo*, i. e. *res pulcherrima*. Posterioris autem obstetricis nomen ex radice פעה *clamavit s. sibilavit* resultat, proinde vox פועה obstetrici nomen *clamantis* l. *sibilantis* indit. Hæc, inquam, *Hebraica obstetricum nomina Hebraicos* earundem *parentes* nobis non obscure produnt. Siquidem verisimile non est, Ægyptiacos parentes nomina ex Hebraico idiomate mutuata suis liberis imposuisse, nisi forte credere volueris Spiritum Sanctum Ægyptiaca illarum nomina in Hebraicam linguam modo transtulisse. Quod vero nec tibi nec aliis persuadere poteris donec hoc χεινόμενον sufficienter probaveris. Quæ *Judæorum doctores* in *Gemara* (31) de hac obstetricum denominationis origine tradunt in præsentia non moramur. Tradant, & quibuscunque libuerit credant, priorem obstetricem ab *officio* & *munere suo* שפרה fuisse appellatam שמשפרת את הולד *quia abluendo infantes recens natos* mundaverit; vel uti alii putarunt. שפרו ורבו ישראל בימי *quia ejusdem tempore Israelitæ fœtificabant & augescebant;* Porro alteram פועה nominatam; שהיתה פועה לולד *quia verborum blandimentis infantes recens natos delinaverit*, aut secundum alios; שהיתה ברוח הקדש שואמרה עתידה אמי שתלד בן שמושיע ישראל: *quia per Spiritum Sanctum loquuta fuerit, & dixerit; futurum est ut mater mea pariat filium, qui liberabit Israelitas*. Nos nequaquam latet Judæos in liberorum suorum nominibus temporis quo illi nascebantur circumstantiarum rationem habuisse, quæ origo circa alteram prioris obstetricis denominationem non plane absurda est, præterea notum est quam quod notissimum homines sæpe duobus nominibus fuisse insignitos. Hinc quæ hoc loco פועה dicitur alias etiam nomen *Mirjam* gerere, similiter Schiphrah alias Jochebed dici potuit. Utinam modo firmiora testimonia adessent! Præterimus etiam eos qui R. שמואל (32) alteram obstetricum יו׳ *Jochebed*, alteram vero *ejus nurum* fuisse autumarunt; nec non *Philonem*, (33) qui Schiphram cum Zippora uxore Mosis confundit & alterius obstetricis nomen a פוך quæ vox fucum significat, derivavit. Ταύτας μοι δοκεῖ τὰς ἀρετὰς Μωσῆς αἰνιξάμενος, μαίας Εβραίων, Σεπφώραν τε καὶ φυάν. Ἡ μὲν γὰρ ὀρνίθιον, φυὰ δὲ Ἐρυθρὸν ἑρμηνεύεται τῆς μὲ ἐνθέιας ἐπιστήμης, ὄρνιθος τρόπον τὸ ἀεὶ, μετεωροπολεῖν ἴδιον, τῆς δὲ ἀνθρωπίνης, αἰδῶ καὶ σωφροσύνην, ἐμποιεῖν ὥστε ἐρυθριᾶν, ἐφ' οἷς δεῖγμα ἄξιον ἐναργέστατον. Quæ verba interpres ita transtulit. Has virtutes, opinor, Moses subindicans obstetrices Hebræorum Sepphoram & Phuam nominat, quarum altera avicula, altera rubor interpretatur. Siquidem divinæ scientiæ proprium est, subli-

sublimia petere, humanæ vero modestiam & pudorem indere, quem erubescentia maxime indicat.

X. Quid quæso de *Vatiniano Ægyptiorum in Hebraicam gentem odio dicamus?* Hebræi Ægyptiis erant תעבה abominationi h. e. *abstinebant Ægyptii a familiari & religioso Israelitarum consortio*. (34) Hinc ne cibos quidem cum illis sumere volebant, *coll. Gen.* XLIII. 32. Id quod odium a plurimis *ex superstitione*, a quibusdam (35) vero *ex politica causa* derivatur. De illa dubitari non potest, quin *Ægyptiorum odium* in *Hebraicam gentem* provocare potuerit. Idololatriæ enim & superstitioni deditissimos fuisse *Ægyptios*, adeo ut *Romanis* aliisque gentibus risui se exposuerint, veterum Scriptorum testimonia fide digna evincunt. (36) Eaque de causa omnium illarum gentium consortia atque vasorum usum abhorrebant, quos animalibus vesci noverant, quæ religioso cultu afficiebant Ægyptii Exemplo sunt Græci quos *teste Herodoto* (37) aversabantur quia vacca ab Ægyptiis Dearum instar cultas, comedebant. Et cum harum carne una cum ovibus, a quarum cæde itidem abstinebant Ægyptii, (38) Hebræi etiam uterentur, mirum non est quod cum illis familiariter conversari religioni sibi duxerint. Quem superstitiosum animalium cultum odium in רעי צון pastores *minorum animalium*, e. g. ovium, caprarum (39) &c. progenuisse credimus. Multos pastores Ægyptum incoluisse vel ex eo colligi potest quod SS. referente Pharao, & reliqui Ægyptii gregium copia circumfluxerint, & *Diodoro* nec non *Herodoto* testibus (40) magnam Ægyptiorum partem pastores constituerint. Illorum autem omnes & singulos Ægyptiis execrabiles fuisse nullibi legitur. De *subulcis* recenset *Herodotus*, (41) quod eos Ægyptii fuerint abominati, nulla alia de causa quam quod sues immundum animal statuebant, licet illas Diis quibusdam certo tempore immolarent. (42) Eademque ratione רעי צון aversabantur, quia oves & capras colebant, istis autem Pastores vesci suspicabantur. Quæcunque autem demum hujus odii causa fuerit, Græcorum exemplum sat superque docet quo usque ipsorum odium processerit, (43) ut hinc nequaquam nobis persuadere possimus Ægyptiacas mulieres Hebraicis puerperis succurrisse illarumque tactu se polluisse, quemadmodum Ægyptiacis quoque puerperis non licuit Hebraicas vicissim obstetrices in auxilium vocare.

XI. Ecquis porro sibi persuadeat in tam numeroso populo obstetrices defuisse? Ex *Gen.* XXXV. 17. constat Patriarcham Jacobum inter famulas suas obstetricem etiam aluisse, quamvis familia illius nondum adeo excrevisset; quanto magis ab ipsius posteris mirum in modum multiplicatis illæ conductæ fuerunt? Quemadmodum antiquis temporibus neque aliis gentibus insolens fuit inter reliquas famulas obstetrices etiam conducere. De *Romanis* qui frequenti famulitio præ aliis gentibus superbire solebant clarissima Scriptorum testimonia prostant quibus in plurimis *medicarum* titulo afficiuntur. (44) *Ægyptios* eis caruisse credi non potest, quia Medicinæ inventores vulgo creduntur, licet illis famularum ad instar usos fuisse non pateat. (45) Et quanquam *Hygino* referente, (46) *Græcos* illæ initio deficiebant, tamen postea etiam introductæ & procul dubio sicut reliquæ famulæ fuerunt habitæ. Nequaquam autem vero simile est Ægyptiacas mulierculas Hebræis serviisse, tum quod illæ per superstitionem harum consuetudinem abhorrebant, tum quod hisce illis diffidendi ansa nunquam non relicta erat.

XII. Equidem *Jacobus Bonfrerius* (47) ad quæstionem; *cur Hebreæ mulieres non Hebraicis potius obstetricibus usæ fuerint?* Respondet: Forte quod & hoc ipsum Pharao vetuisset, gravique supplicio animadvertisset. Sufficiente vero probatione destituitur. Hasce obstetrices ab Israelitis jam dudum adhibitas quinimo ipsis ordinarias fuisse tam ex Pharaonis allocutione quam obstetricum responsione apparet. Ergo aut coacte illis fuerunt usæ Hebreæ mulieres; prius improbabile videtur, de posteriore nihil in S.S. enarratur. Quam ob rem neque hæc *Bonfrerii* responsio superiori quæstioni satisfaciet. Risum sane tenere non possumus quando quidam citante *Fagio* & *Pererio* (48) *vers.* 22. huc trahunt atque sic explicant; Pharaonem illis, (scilicet obstetricibus) proprias & peculiares domos exstruxisse quibus exire illis non licuerit, sed ibi Hebræas parturientes mulieres expectare debuissent, quæ ad illas ipsas ex Regio præcepto fuerint adductæ, ut ista rutione Ægyptii una cum illis cognoscerent, num filius aut filia nasceretur? Qualia dixisse jam est refutasse?

XIII. Id unum adhuc dissentientibus dubium movet, cur Pharao Hebraicis obstetricibus mandaverit, ut tribulium suarum pueros suffocarent; nonne facili negotio prævidere potuisset hoc suum mandatum irritum & cassum fore? Id quod ipsi Josepho jamjam crucem fixisse videtur, quam ob rem, postquam illas Ægyptiacas appellitaverat, sequenti probatione affertum suum verisimile reddere conatur: (49) ὑπὸ γὰρ τούτων ἐκέλευσεν αὐτὰς

μαιοῦ

μαιοῦσθαι αἱ διὰ συγγένειαν ἔμελλον μὴ παραβήσεσθαι τὴν τοῦ βασιλέως βούλησιν τοὺς μὲν τοὶ καταφρονήσαντας τοῦ προστάγματος, καὶ σώζειν λάθρα τολμήσαντας τὸ πλῆθος τούτους ἀναιρεῖσθαι σὺν τῇ γενεᾷ προσέταξε. *Ea enim de causa jussit eas* (sc. *Ægyptiacas obstetrices*) *obstetricari, ne propter consanguinitatem Regis mandatum transgrederentur. Quicunque autem illi mandato adversaturi, & infantes recens natos in vivis sint conservaturi, illos una cum sua familia penitus extirpare jusserat.* Quam suam quoque fecerunt *Bonfrerius*, *Tostatus*, *Cornelius a Lapide*, Enimvero neque hæc ratio firmo talo nititur. Equidem nec nobis hoc Pharaonis negotium callide satis susceptum videtur; sed quomodo Ægyptiacis obstetricibus puerorum necem mandare potuit, ubi illis non utebantur Hebrææ. De quo proculdubio Pharaoni constitit. Fortassis vel incusso metu vel blanditiis has Hebraicas obstetrices ad mandatum suum in actum deducendum invitare fuit annisus.

XIV. Denique ad *antiquissimorum Rabbinorum sententiam* provocare lubet, qua nobis præiverunt hasce obstetrices pro *Hebraicis mulieribus* habentes. Videantur loca quæ ex *Gemara* §. 9. citavimus iisque addatur *R. Raschi* a *Varenio*, (50) & *R. Aben-Esra* a *Jo. Clerico* (51) allegatus. Quorum testimoniis cum S. S. & historica probabilitate conspirantibus in historia S. dignum omnino pretium est statuendum. *Quemadmodum enim judice Eusebio*, (52) *ab Ægyptiis res Ægyptiorum, Phœniciorum a Phœniciis, Græcorum a viris illustribus Græciæ, Philosophorum a Philosophis discere convenit; ita ex consequenti etiam statuo, res Hebræorum patrias non aliunde quam ex Hebræorum scriptis dictisque esse repetendas.* Cui vel ipse *Cappellus*, (53) atque *Waltonus* (54) acerrimi alias testimoniorum ex Judaicis scriptis depromtorum contemtores calculum suum non poterunt non adjicere.

XV. Restaret adhuc una ratio a pluribus jam in medium prolata, qua *illas obstetrices* licet non *sanguine* tamen *religione Hebræas* fuisse confirmare moliuntur. Nimirum pietas obstetricum *vers.* 17. celebrata eos allicit, ut easdem pro Hebræis mulieribus non possint non habere. (55) Enimvero quis hujus argumenti infirmitatem non perspiciat? Ut enim nihil dicamus, ab aliis ad hanc probationem excipi posse; quod per hunc Dei timorem naturalis Dei reverentia forsitan intelligatur, qua ethnici etiam ex lumine naturæ instrui potuissent, (56) eamque ob causam non opus esse ut hæ obstetrices Deum timentes Hebraicis sacris addictæ credantur; non parum hanc sententiam solidioris testimonii defectus labefactat, *hasce obstetrices Israelitarum proselytas* (57) fuisse. Undenam constat Hebræos tunc temporis in Ægypto *Proselytos* fecisse? provocas ad *Exodi* XII. 38. quo recensetur גם ערבר *etiam multam promiscuam turbam* s. *lixas ex Ægypto cum Hebræis una ascendisse?* salva res est atque integra; non una suppetit responsio. Namque primo quidem loco *illi Ægyptii* cum *Hebræis* post tot tantaque miracula a Deo patrata egrediabantur, quæ eos forte ad veri Dei cultum commoverunt, antea vero Ægyptiorum ullum Hebraicæ religioni subscripsisse nuspiam legitur; præterea nec ex illo loco satis probari poterit illos *Ægyptios Hebraicæ religionis* causa cum Hebræis exiisse. Æque probabile imo probabilius videtur illam vulgi fœcem curiositate magis quam religione ductos fuisse. Atque hinc illæ obstetrices Hebræorum religioni propter Hebraicos ipsarum parentes rectius accensentur.

XVI. De cetero ambabus, quod ajunt, manibus largimur iis, qui hasce duas dilaudatas obstetrices vel reliquarum principes fuisse existimant, per quas ad earum consortes mandatum suum pervenire voluerit Pharao; (58) Vel qui sibi persuadent Pharaonem hasce duas infanticidium jussisse, quia fortuito casu cum iis colloquendi occasionem nactus fuerit. Duas enim obstetrices fœcundissimæ illi Hebræorum genti sufficientes fuisse credi non potest. Neque *hæc nominata obstetricum biga* reliquas plures excludit. Atque hac ratione propositum nostrum pro virili deduxisse, & probasse arbitramur *obstetrices illas* ex Hebraica gente suum ortum traxisse, & *nec a Nostratibus*, nec a Romano-Catholicis ad probandas supra memoratas theses allegari posse.

NOTÆ.

(1) Sunt qui hunc Pharaonem illum Neptuni filium Busiridem fuisse exstimant, de quo *Virgil. III. Georg. v.* 4.

—— Quis aut Eurysthea durum
Aut illaudati nescit Busiridis aras?

Diis enim hospites suos immolasse ab Ovidio *Lib. I. Art. amat. v.* 649. canitur:

Cum Thrasius Busirin adit, monstratque piari
Hospitis effuso sanguine posse Jovem.
Illi Busiris: fies Jovis hostia primus,
Inquit, & Ægypto tu dabis hospes aquam.

Quare nonnullis Pharao iste Israelitarum hospitum infantes occisurus fuisse videtur cf. *Matthias Dresserus* Isagoge Historiæ *P. I. p.* 160. Cujus vero ætatem Ja-

cobus *Perizonius* in Ægyptiarum originum investigatione *cap. XVI. p. 264.* in tempora Josuæ mortem excipientia referre maluit.

(2) Vid. Abrahami Bucholceri Chronologia *p.* 104.

(3) Conf. *Houtecourii*, Dissertatio qua ostenditur obstetrices Ægyptiacas Siphram & Puam veritatem Pharaoni tradidisse. Franeq. 1706. nec non *M. Weissenbornii* Diss. de Falsiloquentia obstetricum, Jenæ 1706. *Hackspanii* Notæ Philologicæ *P. I. p.* 277. & *Andreæ Riveti* commentarius ad Exodum *p.* 29.

(4) Vid. *D. Joh. Georgius Dorschæus*, Sylloge Vindiciarum, & Animadversionum ad Bellarmini allegationes ex prioribus IV. Exodi Cap. factas, edita Francofurti MDCXIX. *p. m.* 36. *Jo. Michael Dilherrus*, Disput. Academicarum *Tom. II. p.* 5. *Hackspanius l. c. p.* 280. *Jo. Saubertus Opp.* posthumis *p.* 21. *Augustus Varenius* Decadibus Mosaicis ad *h. l.* conf. etiam *Cl. Starckii* Ebraismi Etymologici *p. m.* 53.

(5) E. g. *Hugo*, *Lyranus*, *Oleastrus*, *Cornelius a Lapide*, *Tostatus*, *Salianus*, *Cornelius Hazart*, *Cornelius Jansonius*, *Bonfrerius* in suis ad Pentateuchum Commentariis.

(6) Pertinet huc Tremellius in observationibus latinæ Bibliorum versioni adjectis, *Joannes Richardus*, *Rivetus*, *Varenius l. c.* & *Dorschæus l. c. p.* 37. *seqq.*

(7) Uti *Calovius* in Bibliis illustratis *ad h. l. Coccejus* Commentario in Exodum, qui habetur *Opp. Tom. I. Lyranus in Glossa h. l.*

(8) Ita false a *Drusio* vocatur controversia *Augustinum* inter & *Hieronymum* exorta de קיקיון Jonæ, num cucurbita fuerit an hedera? Super quam fatente *ipso Augustino Tom. II.* Opp. *Hieronymo Epist.* 88. magnus alicubi motus in templo excitabatur, ubi *Hieronymi* horum verborum versio prælegebatur qui Hebraicam vocem *hederam* reddiderat. Cujus causa *Cantherius* quidam ipsum *Hieronymum* sacrilegii accusaverat. Vid. *Commentarius ejus ad Jonæ cap. IV. Opp. Tom. V.*

(9) Quam controversiam citat *Werenfelsius de Logomachiis C. I. §. 4. p.* 40. *Quis non riedat, cum audit disputari inter doctos, fuerit ne piscis, qui Jonam deglutiit, mas an fœmina?*

(10) In Dissertatione de malesana & sana in Theologia curiositate sub præsidio *Kromayeri* MDCXVIII. Lipsiæ habita §. 7. *seqq.*

(11) In Dissert. de docta in Theologia ignorantia *p.* 13. cui addi meretur Cl. *Rambachius Institut. Hermeneut. L. I. cap. I. §. XX. p.* 20. & *L. III. c. V. §. XI. p.* 524.

(12) Vid. *Leonhardus Hutterus* in Locis communibus Theologicis *p. m.* 279. *D. Brochmandus* in Systemate Theologiæ universæ *Tom. I. p. m.* 152. 153. *D. Baierus* in Compendio Theologiæ Positivæ *P. I. cap. V.* nota *§. XII.* ut plures alios taceamus.

(13) Conf. *Bellarminum Tom. IV. L. V.* de Gratia & libero Arbitrio *cap. IX. X. seqq. col.* 683. 686. *seqq.* nec non Bonfrerium *ad h. l.*

(14) Vid. ejus Annales Biblici *Tom. I. p.* 391.

(15) Conf. D. Opitii Tabulas Exegeticas *Tab. IX. num.* 12.

(16) Vid. Cornelius Jansenius Commentario ad Pentateuchum ad h. l. Menochius Expositione literalis sensus totius S. S. ad h. l.

(17) Conf. Glassii Philologia *S. Gr. S. Lib. III. Tract. II. can. II. p.* 709.

(18) Quemadmodum *B. D. Dorschæus l. c. p.* 38. rectissime observat.

(19) Conf. Robertsonii Lexicon concordantiale sub radice עבר & Cocceii *observ. ad Jonæ I. 9.*

(20) Lovanii 1641. *edito p.* 205.

(21) Libro contra mendacium *c. XV.* qui habetur *Opp. T. VI.*

(22) In Commentario suo in Pentateuchum ad *h. loc.*

(23) Ita Cornelius Jansenius Commentario in Pentateuchum ad *h. l.* Dixit obstetricibus Hebræorum, inquit, non dicit Hebræas, sed Hebræorum.

(24) Vid. Glassii Philologia S. *p.* 687.

(25) Conf. honoratissimi Præceptoris nostri Starckii Lux Hebræa *pag.* 163. & Cl. Dantzii Interpres *pag.* 56.

(26) In Decadibus Mosaicis *ad h. l.*

(27) Vid. Antiquitatum Judaicarum *L. II. cap. V. p.* 54. *edit. Ittigianæ*, & *T. I. cap. IX. edit. Hudsonianæ.*

(28) Quare Bibliis suis illustratis ad h. l. *Josephus L. II. cap. V.* inquit, *de mandato obstetricibus dato nihil habet.*

(29) Conf. *D. Ittigii* Prolegomena editioni Opp. Josephi præmissa; ut & Judicia variorum inde a Seculo II. p. C. N. de Josepho lata *a Johanne Hudsono collecta*, & *Vol. I. Edit. Opp. Josephi præfixa*, nec non *Clerici Ars Critica P. III. Sect. I. c. XV. §. 8. seq.* inprimis *magnifici D. Buddæi H. E. V. T. T. I. p.* 10. quibus nuper demum se opposuit *Whistonus*, quando in suo Tractatu; *An Essay towards restorino the true Text of the Eld Testament*, Josephum ab omnibus nævis quorum hactenus insimulatus fuit, vindicare laboravit. Vid. *Nova Litteraria Lipsiensia superioris anni* N. LXXV.

(30) Conf. Glassius *l. c. p.* 1275.

(31) Quæ loca hic citata vide Tractatui Mischnico סוטה a *Cl. Joh. Christophoro Wagenseilio*, *Altorffi* 1674. edito *p.* 243. annexa. Conf. etiam *Buxtorffii* Lexicon Talmudicum *p.* 1778.

(32) Apud *Wagenseilium l. c.*

(33) Libro περὶ τοῦ τίς ὁ τῶν Θείων πραγμάτων κληρονόμος *pag.* 498. *edit. Parisiensi.* Conf. quæ *Wagenseilius in mantissa l. c. ad h. l. annotavit p.* 1107.

(34) Conf. *Johannes Clericus ad Gen. XLVI.* 34. & venerandus *D. Buddæus H. E. V. T. T. I. p.* 463.

(35) Videatur *P. Cunæus* de R. P. Hebræorum *L. I. c. V.* cujus sententiam *D. Buddæus l. c. p.* 463. *seq.* excussit.

(36) Hinc Satyrici in perstringenda ipsorum superstitione fuerunt frequentes

Lucanus Satyr. L. X.
—— multas volucresque ferasque
Ægypti posuere Deos.
Juvenalis Satyr. XV.
Vis nescit Volusi bitynice qualia demens
Ægyptus portenta colat - - - - -
O sanctas gentes quibus hæc nascuntur in hortis
Numina - - - - - - -

Conf. *Barthius ad Claudianum p.* 129. & *D. Buddæus l. c. p.* 459.

(37) *L. II. cap.* 41. τὰς βῦς τὰς θηλέας Αἰγύπτιοι πάντες ὁμοίως σέβονται τῶν ἕνεκα οὐκ ἀνὴρ Αἰγύπτιος, οὔτε γυνὴ ἄνδρα Ἕλληνα φιλήσει αὐτῷ στόματι οὐδὲ μαχαίρῃ ἀνδρὸς Ἕλληνος χρήσεται, οὐδὲ κρέως καθαροῦ διατετμημένου Ἑλληνικῇ μαχαίρῃ. *Omnes Ægyptii vaccas similiter venerantur, qua propter neque vir, neque mulier Ægyptiaca virum Græcum osculatur, neque cultro viri Græci utitur, neque verubus, neque lebete, neque carne pura græco cultro dissecta.*

(38) Tum quia teste Herodoto *L. II. c.* 42. a Thebanis, recensente autem Diodoro *Lib. I.* ab omnibus Ægyptiis colebantur; tum quia eodem *l. c.* narrante: τὰ πρόβατα δὶς τίκτουσι, καὶ τὴν εὐσχημοσύνην περιποιοῦσι, τῷ δὲ γάλακτι, καὶ τῷ τυρῷ τροφὰς παρέχονται προσηνεῖς, ἅμα καὶ δαψιλεῖς, *oves bis pariunt, & lana vestes simul & victum suppeditant, insuper lacte, atque caseo alimenta præstant tum jucunda, tum copiosa.*

Idem confirmat Juvenalis Satyr. XV.
— animalibus lanatis abstinet omnis
Mensa, nefas illic fœtum jugulare capellæ.

(39) Vid. *Clericus* & *Buddæus* illo quidem in Commentario ad *Gen. XLVI.* 3. 4. hoc autem *loc. cit. pag.* 463.

(40) Quandoquidem ille *L. I. cap. LXXIV.* in tria genera Ægyptios dividit; εἰσὶ δ' ἕτερα συντάγματα τῆς πολιτείας τρία, τό τε τῶν νομέων καὶ τῶν γεωργῶν, ἔτι δὲ τὸ τῶν τεχνιτῶν. *Tres sunt reipublicæ ordines, pastorum, agricolarum atque artificum*, quos tres in septem distribuit ordines Herodotus *L. II. c.* 164. in Sacerdotes, milites, bubulcos, subulcos, mercatores, interpretes & nautas.

(41) *L. II. c.* 47. τῶν δὲ οἱ συβῶται ἐόντες Αἰγυπτίοις ἐγγενέες, ἐν ἱερὸν οὐδὲν τῶν ἐν Αἰγύπτῳ εἰσέρχονται, μοῦνοι πάντων, οὐδὲ σφὶ ἐνδίδοσθαι θυγατέρα οὐδεὶς ἐθέλει, οὐδ' ἄγεσθαι ἐξ αὐτέων· ἀλλ' ἐνδίδονται οἱ συβῶται καὶ ἄγονται ἐξ ἀλλήλων. *Propterea soli omnium subulci Ægyptii indigenæ nullum ingrediuntur templum, nemoque aut filiam cuipiam eorum nuptum dare vult, aut cujuspiam eorum filiam in matrimonium ducere, sed ipsi inter se subulci dant, accipiuntque alias.*

(42) Eodem teste paulo ante verba jam allegata. ὗν δὲ Αἰγύπτιοι μιαρὸν ἥγηνται θηρίον εἶναι. Καὶ τοῦτο μὲν ἤν τις ψαύσῃ αὐτῶν παριὼν αὐτοῖσι τοῖσι ἱματίοισι ἀπ' ὦν

ἀπ' ὦν ἔβαψε ἑωυτὸν βὰς ἐς τὸν ποταμὸν, *suem autem Ægyptii spurcam belluam arbitrantur, quam si quis vel transeundo contigerit, abit lotum sese cum ipsis vestimentis ad flumen, & aliquot lineis interjectis:* τοῖσι μέν νυν ἄλλοισι θεοῖσι θύειν ὗς οὐ δικαιεῦσι Αἰγύπτιοι· σελήνῃ δὲ καὶ Διονύσῳ μούνοισι, τῷ αὐτῷ χρόνῳ τῇ αὐτῇ πανσελήνῳ τοὺς ὗς θύσαντες πατέονται τῶν κρεῶν. *Aliis Diis immolare jus Ægyptiis non est, præterquam lunæ & Libero, quibus cum per tempus plenilunii sues immolarunt eorum carne vescuntur.*

(43) Cui addi potest testimonium Minutii Felicis in Octavio: *Nonne & Apim bovem cum Ægyptiis adoratis? nec eorum sacra damnatis instituta serpentibus crocodilis, belluis cæteris & avibus & piscibus, quorum aliquem Deum si quis occiderit, etiam capite punitur.*

(44) Teste *Caspare Bartholino* de ritu Puerperarum *p.* 37. *Cod. L. VI. T. XLIII. leg.* 3. sanctum est *medicos utriusque sexus*, f. uti exponitur, *medicos* & *obstetrices in optione* ab hæredibus sexaginta solidos æstimandos esse. Namque & Medici nonnunquam servilis erant conditionis, teste *Seneca L. III.* de beneficiis *cap.* 24. *Imperavit medico eidemque servo suo.* Conf. *Pignorius Commentario de servis*, & *Casaubonus ad Svetonii Cæsarem c. V.*

(45) Conf. *Samuel Pitiscus Lexico Antiquitatum Romanarum Tom. II. p.* 307.

(46) *Fabula* 274.

(47) In Commentario suo ad *h. l.*

(48) Commentariis suis ad *h. l.*

(49) Antiquitatum Judaicarum *l. c.*

(50) Decadibus Mosaicis ad locum nostrum.

(51) Commentario suo ad *h. l.*

(52) *L. IX. c. III.* Præparat. Evangelicæ.

(53) In Arcano punctationis revelatæ *Cap. III. pag.* 11.

(54) In Prolegomenis Bibliorum Polyglotton *p.* 65.

(55) Vid. præter alios Clericum, & Coccejum Commentariis suis ad *h. l.*

(56) Conf. Vener. *D. Buddæi* Institutiones Theologiæ morali, *p. m.* 225. & summe reverendi *L. Pfeifferi* Præceptoris nostri per omnem ætatem colendi Diss. de Convenientia, & Differentia virtutum naturalium & supernaturalium 1708. *Lipsiæ* habita.

(57) Quinam, & quotuplices fuerint Proselyti docet inter alios *Leydekkerus* de Republica Hebræorum *pag.* 364. & *Relandus Antiquitatibus S. V. H. pag.* 402. 229.

(58) Vid. Antonius le Grand Historia S. *edit. Herborn. p.* 71. Varenius *l. c. it.* Clericus ad *h. l.*

JOH. BENEDICTI CARPZOVII

EXERCITATIO

DE CHUPPA HEBRÆORUM

Qua Ἐπισκιάσμος *Luc. cap.* I. *vers.* 35. Illustratur.

I. ANte quam cætera ipsam rem propius attingentia ordiar, de voce חפה, (sive, ut Rabbini scribunt, חופה) *Chuppa* distinctim erit agendum, ut de genuina vocabuli non minus scriptione, quam significatione, melius constet. Legitur autem vox illa ter tantum in Codice Sacro. Semel quidem absolute, ut *Jesai.* IV. 5. על-כל-כבוד חפה bis autem cum affixis, ut *Joel.* II. 16. מחפתה, cum affixo ה, quod singulari per Kametz & Mappik annectitur; *Psal.* XIX. 6. מחפתו, cum Vau colem; ubique vero cum Dagesch forti, præcedente vocali brevi, Kubbutz. Ex quo factum est, ut adductam modo ex Scriptura scriptionis formam secuti, eandem a radice geminata חפף, id est *operuit, obtexit &c.* ad formam סכה a סכך deduxerint. Id quod R. Davidem Kimchium ספר השרשים *Radice* חפף, Davidem de Pomis, Johannem Reuchlinum & Sebastianum Munsterum *in dictionariis in vulgus editis*, utrumque Buxtorfium *in Concordantiis: Lexicis, majore Chaldaico-Talmudico-Rabbinico p.* 807. *seq. minore p. m.* 250. Augustum Varenium *Comm. in Jesa.* IV. 5. *p.* 86. item Gejerum *ad Psal.* XIX. 6. *pag.* 319. pluresque alios, fecisse, in librorum evolutione deprehendi. De Dagesch hic literæ mediæ inscripto vide Wasm. *Gram. Hebr. Art.* II. *Reg.* VII. *pag.* 15.

II. Longe tamen secius visum est, (libris si habenda fides,) Grammatices (judice Doctissimo Fagio *in Præfatione ad Lectorem, quam Eliæ Levitæ* חש"בי *præmisit.*) peritissimo, quippe in qua ætatem vel ab ipsa contrivit pueritia omnem, R. Eliæ Levitæ. Is non a geminata חפף, quam prætermisit adducendam, sed radice חפה (sicut & Fagius Latinis literis expressit) quiescente, quæ tamen significationem cum geminata eandem habeat, id vocabuli deduxit, *in libro jam laudato, a vocum numero* חש"בי *dicto, editionis sine versione, pag.* 34. *cum Fagii versione Latina, pag.* 119. Forte ad hanc sententiam provocat Buxtorfius Filius *in Synagoga Judaica recens a se aucta & locupletata cap.* XXXIX. *pag.* 632. inquiens: *Quidam putant nuptias vocari* חופה *Chuppa,* שחופפין בטלים או סודר או כיוצא בזה: *ab obtectione cilicii, aut lintei, vel similis alicujus rei. Nam* חפה *Chuppa est tegere, obtegere.*

III. Inter has sententias priorem, utpote receptissimam & tantorum Virorum autoritate suffultam, ipsaque etiam Grammaticæ ratione confirmatam nos quoque tenemus, posteriorem vero Eliæ Levitæ, simili, quantum quidem novi, exemplo destitutam, rejicimus. Dantur equidem, largior, nomina non pauca, quæ Dagesch impressum habentia in vocalem longam Ka-

Kametz, præcedente brevi Kubbutz; vel excluso Dagesch, in longam, prævio Vau Schurek, terminantur, *v.g.* עגב (*Job.* XXX. 31.) & עגב (*Gen.* IV. 21.) *organum*. Verum in nominibus a *Lamed He* originem trahentibus illud fieri, a nemine, existimo, facile probatum iri. Quin potius hujus generis nomina mutare illud in Jod (e. g. פרי a פרה) rarius in Vau, (ut ענו ab ענה) vel prorsus abjicere, (v. g. כן a כנה) Grammatici unanimes attestantur. Confer Buxtorf. *Thes. Grammat. cap.* LVI. *p.* 321. *seqq.* Schickard. *in Institut. Hebr. ling. Reg.* XXXVII. *num.* 5. *pag.* 40.

IV. Imo, ne quid dissimulem, vix induci possum, ut credam, Doctissimum Hebræum, qualem, Fagii memoria, vix secundum habuit orbis, ita contra Grammaticæ præcepta *in præfat. citata* scripsisse. Quare conjectura me dicit, eum radices interrupte explicaturum, geminatam in Sacro Codice non infrequentem literis paulo majusculis, absque tamen vocalibus, apposuisse; Librarium vero, per dormitantem ac oscitantem sapientiam, pro ף finali, falso finale ה substituisse. Quæ scriptio erronea in alias forte editiones postea irrepsit, adeo ut quotquot licuit videre, (vidi & loco & tempore diversas,) omissa penitus geminata, constanter חפה adhibeant. Literæ enim, nisi situ, angulis & apicibus probe discriminentur, facile gignunt errores, conf. post alios Schick. *in Institut. Hebr. Reg.* XIX. *n.* II. *pag.* 18. Quales irrepsisse plurimos, vel experientia optima rerum magistra edocemur. In qua sententia eo magis confirmor, quia R. Elias Levita exempla a חפף deducta statim subjicit: Inter alia participium חופף (*Deuteronom.* XXXIII. 12.) quod a geminata derivari, nemo facile, credo, ibit inficias. Cæterum Eliam Levitam, omissa radice, ת׳ חפה tantum explicare voluisse, si quis dixerit, haud maxime repugnabo. Quibus tamen conjecturis diutius immorari nolo, quarum ne mentionem quidem fecissem, hanc nisi rem scrupulum Lectori movere posse, in mentem incidisset.

V. Jam, ut ad significationem deveniamus, inter vocabuli significatum *generalem seu primarium*, & *specialem vel secundarium*, qui iterum vel *proprius* vel *improprius* est, distinguendum. In *Generali* & *primario* notat *operimentum*, *protectionem*, *obtectionem*, conf. Edmundi Castelli *Lexicon Heptaglotton pag.* 1332. hoc etiam præter alios Elias Levita Germanus *in Thisbi edit. absque vers. pag.* 34. *cum vers. pag.* 119. observavit: והם לשון כסוי כמו חופף עליו כל-היום וגו׳: Id est, (ut Paulus Fagius vertit,) *Significat autem proprie hæc vox operimentum, ut: Teget super eum tota die, &c. Deut.* XXVIII., 12. In *Speciali* & quidem *improprio* seu *tropico* significatu per Metonymiam signi pro signato, *nuptiæ* per vocabulum חפה intelliguntur. Qui vocis significatus Hebræorum Magistris non infrequens. Unde phrasis quotidiana: קרוא לחופה, *invitatus ad nuptias*, vide Buxtorf. *Lex. Talm. Rabb. p.* 808. At *proprie* tamen, ac *magis specifice* Chuppa denotat.

(א) *Tegmen illud thalami, quo Sponsus simul cum Sponsa veluti obteguntur*; Seu clarius: Conclave illud interius, in quod ante nuptias perfectas atque undiquaque absoluta deductio fiebat, conf. Seldeni *uxor Hebr. lib.* II. *cap.* XIII. *p.* 132. *seq.* Ita etiam R. David Kimchi *in Radicibus*, quæ verba quoque *in thisbi* Eliæ Levitæ repetita legi possunt, verbis perspicuis: מקום הסתרת הכלה עם החתן נקרא חפה: *Locus, ubi se abdit Sponsa cum Sponso, vocatur Chuppa.* Deductio in dormitorium hoc, seu conclave כניסה לחופה *introductio aut ingressus in Chuppam*, id est, in conclave interius, ubi thalamus nuptialis, dicitur. Ante quam hæc fieret deductio, nuptiæ imperfectæ adhuc habebantur, sicut Maimonides, ad veterum mentem, refert clarissime *Halach Ischoth cap.* 10. אין ברכה חתנים עושה הנישואין אלא כניסה לחופה: *Non benedictio Sponsorum facit seu perficit nuptias, sed deductio in thalamum.* Cujus deductionis in thalamum vestigia non obscura in ipsis Sacris literis videre licet. Conf. Selden. *loc. cit.* Loca sunt: *Deut.* XX. 7. *Tob.* VII. 18. 19. VIII. 1. *Matth.* IX. 15. XXV. 10. *Marc.* II. 19. *Luc.* V. 34. XII. 36. *Joh.* II. 1. 2. Locus ille, ubi se cum Sponsa Sponsus abdit, vocatur alio nomine חדר *conclave*, & cum addito חדר פנימי, *conclave interius*. In Joelis Prophetæ verbis *cap.* II. 16. יצא חתן מחדרו וכלה מחפתה sponso quidem חדר, contra sponsæ חופה attribuitur, adeoque ipse Spiritus Sanctus discrimen inter hæc duo digito quasi intendere videri posset. Neque inficiandum, *Chuppa* a verbo חפף, utpote quod *obtegendi* significationem habet, deductum, ex natura sui, locum quo occultantur Sponsi, adeoque *thalamum*, seu ut Hellenistæ appellitant, παςῶ denotare; *Cheder* autem conclave seu *cubiculum*. Verum in idem plane recidere videntur. Hinc & Sponso Chuppa in Scriptura tribuitur, ut *Psalm.* XIX. 6. כחתן יצא מחפתו & Luth. hunc Joelis locum, discrimine hoc neutiquam observato, vertit: Der bräutigam gehe aus seiner kammer, und die braut aus ihrem gemach. Confer consentientem Doctissimum Seldenum *Ux. Hebr. lib.* II. *cap.* XIII. *pag.* 136.

Ka-

136. 137. Chaldæi thalamum Sponſalitium בית גנון & גנון, quemadmodum Græci τὸν παςὸν appellitant. Vide Heinſii *Ariſtarcum Sacrum p. m.* 358. *ſeq.* ubi, verecundiæ cauſa, Sponſæ nonnunquam tribuere Chuppam Hebræorum Magiſtros, docet.

(ב) *Velamina Sponſæ pariter & Sponſi e ſindone, aliaque ſimili materia confecta* denotat. Quibus monilia & lemniſci, aliaque id genus, pro utentium lubitu, appendebantur. Ita enim Gemara Hieroſolymitana *ad Miſchnæ locum tit. Sota c.* IX. *f.* 49. *a.* חופת חתנים סדינים מצויירים וסהרונין זלב תהויין בהם: *Velamina Sponſorum ſindones ſunt acu pictæ, quibus appenduntur monilia aurea.* Qualem etiam ſignificatum in vocabulo אפריון deprehendimus: בפולמוס האחרון גזרו שלא תצא הכלה באפיריון בתוך העיר ורבותינו התירו שתצא הכלה באפיריון בתוך העיר: *Temporibus bellicis, quæ ſunt inſecuta, decretum eſt, ne prodiret* (in deductionem) *Sponſa velamine obvoluta intra urbem. Sed Rabbini noſtri poſtmodum permiſere, ut etiam intra urbem velamine obvoluta prodiret.* Ita hunc locum paulo ante laudatus Seldenus *loc. cit. pag.* 141. tranſtulit. Confer omnino Dn. Wagenſeilius *Sota pag.* 962. *ſeqq.* ubi τὸ אפריון contra Buxtorfium *in Lexico Talmudico pag.* 1804. Kimchium *in Radicibus pag.* 408. ſecutum, per *uraniſcum* vel *conopeum*, quod Sponſæ obtendebatur, cum in publicum prodibat, alias Judæis חופה dictum, Bartenora conſentiente, aliiſque rationibus motus, exponit. Hoc ſenſu Chuppæ vocem quoque poſſe explicari, poſtquam aliam prius explicationem adjeciſſet, ſcribit R. David Kimchi *ad Joel.* II. 16. או פירוש מחופתה מהחליים והעריים שחפפין עליח בימי החתונה: *Explicatio vocabuli* מחופתה *poteſt & hæc eſſe: Monilia & ornamenta, quibus Sponſi tegebantur, in die deſponſationis deponent.* Confer Machzor Germ. *Part. I. fol.* 336. *b. col.* 2. citante Seld. *Ux. Heb. Lib. II. cap. XIV. p.* 138. *b.* Hoc enim die omnem ſuum ornatum induebant. Sponſæ corona erat עיר שליזהב *civitas aurea*, ſeu turrita forma, *vid.* Sota *cap. IX. fol.* 49. *b. edit. Amſtel.* & Seld. *l. c. p.* 139. qualem geſtaſſe vulgo.

Ipſa Deum fertur genetrix Berecynthia.

Conſulatur Wagenſeilii *Sota pag.* 966. 964. qui inter alia ex Codice quodam Judæi MS. quem pro Adverſariis habuit, rationem reddit, quare ſal & ſulphur ſponſorum coronis materiam præbuerint. Verba ipſa lectu non indigna apponam: הטעם לעניין עטרות חתנים מגפרית ומלח יש להזכיר חטא סדום ועמורה ששינו את דרכם בניאוף אשת איש ובמשכב זכור ונענשו שנעשה ארצם גפרית ומלח וכדי לעורר לבב החתן שידבק באשתו ולא בשאינו מינו עושים לו כתר ממלח ונפרית: *Ratio, quare coronæ Sponſorum e ſulphure & ſale confectæ fuerint, in eo conſiſtit, ut in memoriam iis revocaretur peccatum Sodomæorum & Gomorrhæorum, qui adulteriis & maſculæ Veneri ſe totos præpoſtere mancipabant, & ideo eam pœnam tulere, ut terra ipſorum in ſal & Sulphur converteretur. Ergo corona illa Salis & Sulphuris monebat Sponſum, ut ſuæ adhæreret uxori, & a peccatis Sodomæorum ſibi caveret.*

(ג) *Tentoriolum* notat, *quo Sponſus & Sponſam obumbrari olim hodieque in ipſa nuptiarum feſtivitate conſueverunt.* Quæ ſignificatio eſt hujus loci. Ita enim ſæpe laudatus R. Elias Levita in *Thisbi edit. ſine verſ. p.* 34. *cum verſione* Fagii *p.* 119. & David de Pomis *p.* 67. ſcribunt: אנחנו קוראים הבגד שפורשין על ראש החתן והכלה בארבע כרים בשעת הקרושין חופה: *Nos* (Judæi) *vocamus veſtem illam, quam expandunt ſuper caput Sponſi & Sponſæ, quæque tenetur quatuor vectibus ea hora, qua fit deſponſatio, ſeu tempore nuptiali,* חופה *Chuppa.*

VI. Vocatur Latine *Cœlum*, *tentorium*, *tentoriolum*, *pannus*, *connopeum*, *operimentum*, *&c.* Germanice der Himmel / vid. Elias Levita *in Thisbi p.* 34. 119. בלשון אשכנז הימל, ideſt, *Germanice dicitur* der Himmel. Italice *baldacchino*; conf. idem *l. c.* & Anton. Udini *Lex. pag.* 101. *a.* Atque de hac Judæorum Chuppa לפי עניות דעתי breviter ſummatimque agere propoſitum eſt mihi, ut inde ὁμολογουμένως μέγα τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον de Filii Dei incarnatione, occaſione vocis ἐπισκιάζειν (*Luc.* I. 35.) illuſtretur.

CAPUT II.

De origine ritus Chuppæ.

I. Nunc ergo excuſſa voce de re ipſa agemus, ac primum quidem circa *Chuppæ originem* quæritur: *quo potiſſimum tempore ritus ille ortum traxerit?* Ac video utrinque aberrari, cum *in exceſſu* ab iis, qui inde uſque ab Adami tempore e paradiſo hunc ritum Chuppæ derivant, tum *in defectu* ab aliis, qui recentiorem eſſe exiſtimant, quam ut veteribus Hebræis poſſit tribui.

II. *Excedunt* ſuo more *Hebræi*, inter quos Rabbi Elieſer non dubitavit aſſerere, Deum in paradiſo ipſi ſtatim Adamo, non unam, ex more hodierno, neque tres, id quod Regi conceſſum, ſed decem præparaſſe Chuppas; idque ob primi

mi hominis majestatem factum esse. Rem (quod mirere) ordine recenset, quasi ipse nuptiis Adami ac Evæ interfuisset, & in extruendis Chuppis adjutrices manus porrexisset. Verba subridicule concepta ad literam subjiciam, quæ habet in suis *Pirke Cap. XII. in fine*, quæque consimiliter leguntur in Bava bathra *fol.* 75. עשר חופות עשה הק'בה לאדם הראשון בגן עדן וכלן של אבנים טובות ומרגליות ושל זהב והלא לכל חתן אין עושה לו אלא הופה אחרת ולמלך אין עושין אלא שלש חופות ולחלוק כבוד אדם הראשון עשה הק'בה עשר חופות בגן עדן שנאמר בגן עדן אלהים היית כל אבן יקרה מסכתך אדם פטרה ויהלם תרשיש שהם וישפה ספיר נפך וברקת וזהב הרי אלו עשר חופות והיו המלאכים מתופפים בתופים ומרקדים כנקבות שנאמר מלאכת תפיך ונקביך בך ביום שנברא אדם הראשון שנא' ביום הבראך כוננו והיו מלאכי השרת כמו שושבינים המשמרים את החופות שנא' כי מלאכיו יצוה לך לשמרך בכל דרכיך ואין דרכיך אלא דרך חתנים כהזן מה דרכו של חזן עומר ומברך לכלה בתוך חופתה כן ה"קבה עמד וברך לאדם ולעזרו שנא' ויברך אותם אלהים: Idest, ex versione Guilielmi Henrici Vorstii *pag.* 27. 28. *Decem Chuppas paravit Deus primo homini in horto Eden, eosque omnes ex pretiosis lapidibus & margaritis & auro. Sed nonne pro quovis Sponso tantum unam construunt Chuppam, & pro rege tantum tres Chuppas? Sed ad discernendam majestatem primi hominis exstruxit, prout dicitur:* (Ezech. XXIX. 13.) *In Eden* (deliciis) *horti Dei fuisti, omnis lapis pretiosus, pyropus, topazius, & adamas, beryllus thalassius, sardius & jaspis, sapphirus, chrysoprasus, smaragdusque cum auro. En isti sunt decem thalami,* (sive Chuppæ,) *Angeli autem tympana pulsarunt, & choreas egerunt secundum fistulas, juxta illud:* (l. c.) *opus tympanorum tuorum & fistularum tuarum in te, scilicet die, quo creatus fuit primus homo. Hinc dicitur* (ibidem:) *in die, qua conditus es, præparata sunt. Fuerunt autem angeli ministerii veluti paranymphi custodientes* (Chuppas) *thalamos, prout dicitur:* (Psalm. XCI. 11.) *Angelis suis de te mandavit, ut te custodiant in omnibus viis tuis. Non autem per vias tuas* (intelligit) *nisi viam Sponsorum juxta* (morem) *ministri Synagogæ. Qualis est mos ministri Synagogæ? Consistit & benedicit Sponsæ in medio* (Chuppæ,) *thalami sui; Sic quoque Deus stetit atque benedixit Adamo ejusque adjutorio,*) *juxta illud:* (Gen. I. 28.) *Et benedixit iis Deus.*

III. Eadem quoque repetit Judæus ille, qui *speculum ardens* (Brandspiegel) composuit, & Cracoviæ in Polonia, Hebraicis quidem characteribus, verum dialecto Germanica edi curavit. Qui liber nuperrime Francofurti ad Mœnum An. MDCLXXV. iterum impressus est; in cujus capite XXXII. hæc leguntur verba: In *Pirke* R. Eliefer stehet / daß הקב"ה (GOtt der HErr) hot selbert gedienet dem חתן [bräutigam] und כלה [braut] und hot die חופה (Chuppa) selbert zemacht / unde die מלכים [Engel] haben getankt / und GOtt hat die ברכה [den seegen] gesagt / als es stehet: (Gen. I. 28.) ויברך אתם אלהים das ist: Und es benscht [segnet] sie GOtt. Drum soll sich keiner zu köstlich halten / und soll dienen חתן וכלה [dem bräutigam und der braut] von מצוה [gebot / befehl] wegen / und nit von seiner wollust wegen.

IV. Sed hoc quid est, nisi pervertere Scripturam, eique inferre sensum Spiritui Sancto oppido contrarium? In loco enim Ezechielis non mystica est quærenda expositio, sicut Rabbinos explicare R. Salomon Jarchi ad *Ezech.* XVIII. 13. testis est ורבותינו במרש אגרא דרשו הענין הזה באדם הראשון וגו'. *Magistri nostri per mysticam narrationem exposuerunt hanc rem de Adamo primo, &c.* Sed Propheta, R. Davide Kimchio recte annotante, Regis Tyri felicitatem describit; A quo sensu nec Jonathan in Targum alienus est: בסני טבון ותפנוקין את מתפנק כאילו בערן גנתא דיי' את שרי: *In multa felicitate, & voluptate deliciatus veluti in deliciis horti Domini habitans.* Cæterum non decem, verum novem lapidum pretiosorum genera, nisi his aurum annumerare velis, tantum recensentur. Davidis vero locum (*Psalm. XCI.* 11.) de Angelorum circa quoscumque pios custodia esse intelligendum, non vero speciatim de Adamo & Eva, vel Mose, vel Jacobo, quod facere Judæos videas, in aprico est, vid. Vorstii *Animadv. in Pirke p.* 163. 164.

V. Porro cognatas istis nugas iidem agunt, quando Michaelem & Gabrielem fuisse Paranymphos in nuptiis Adami & Evæ somniant Bereschith rabba *Sect.* 8. *fol.* 10. 4. אמר ר' יהודא בר סימון מיכאל וגבריאל הם היו שותבינים של אדם הראשון: *Dixit Rabbi Jehuda filius Simonis, Michaelem & Gabrielem fuisse paranymphos Adami primi hominis.* Vide hic Iruvin. *f.* 18. 2. Item Deum Evæ aptasse cincinnos; quas nugas tantum retulisse sufficit, conf. Tract. Nidda *c.* 5. *p.* 45. item Buxt. *Syn. Jud. c. XXXIX. p.* 629.

VI. Non tamen ideo de antiquitate ritus plane desperandum, adeoque ad alterum extremum *in defectu* deflectendum est. Sicuti Seldenus, vir alias in hac literatura nulli secundus, & rituum Hebræorum antiquitatem pene ubivis adstruens, hic hæsitare sese fatetur. Nam cum חופה ‏ Chuppa pro tentoriolo illo,

quo

quo obumbrari in ipsa benedictione Sponsi soleant, usurpare, & in atrio Synagogæ præparari illud nunc solitum, dixisset *Ux. Hebr. lib. II. cap. XV. pag.* 141. addit statim: *Sed an veteribus Hebræis in usu, nondum est mihi satis compertum.*

VII. Enimvero satis abundeque vestigiorum est in utriusque fœderis Codice, e quibus dijudicari potest, non esse usque adeo incompertum, usum Chuppæ apud veteres Hebræos obtinuisse. Loca quidem singula excutere non licebit, adducentur tamen nonnulla ordine, ut de iis judicium ipse quilibet ferat. Quædam enim κατὰ τὸ ῥητὸν, quædam vero κατὰ τὴν διάνοιαν ejus meminere, & sunt e Veteri testamento sequentia: *Ruth. III. 9.* ופרשת כנפך על-אמתך *expandas alam tuam super ancillam tuam.* Breite deine flügel über deine magd. *Psal. XIX. 6.* והוא כחתן יצא מחפתו *Nam est* (Sol) *tanquam Sponsus progrediens e Chuppa sua.* Und dieselbe (sonne) gehet heraus/ wie ein bräutigam aus seiner kammer. *Cant. II. 3.* בצלו חמדתי וישבתי *in umbra ejus* (amici) *summe desidero ut sedeam.* Ich sitze unter dem schatten/ deß ich begehre. *Jesa. IV. 5.* על-כל-כבוד חפה *super totam gloriam erit Chuppa.* Es wird ein schirm seyn über alles/ was herrlich ist. *Ezech. XVI. 8.* ואפרש כנפי עליך *& expandi alam vestis meæ super te.* Da breitet ich meinen geren über dich. *Joel. II. 16.* יצא חתן מחדרו וכלה מחפתה *egrediatur Sponsus e cubiculo suo, & Sponsa e Chuppa sua.* Der bräutigam gehe aus seiner kammer/ und die braut aus ihrem gemach.

VIII. In Novo Testamento egregius locus est *Job. III. 29.* Ὁ φίλος τοῦ νυμφίου ὁ ἑστηκὼς καὶ ἀκούων αὐτοῦ, χαρᾷ χαίρει διὰ τὴν φωνὴν τοῦ νυμφίου. *Amicus Sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponsi.* Der freund des bräutigams stehet sehet und höret ihm zu/ und erfreuet sich über des bräutigams stimme. Ad quem locum audire juvat Danielem Heinsium *in Aristarcho Sacro p. m.* 358. *seq.* (879.) *ad Joh. III.* 29. ubi inquit: Ὁ ἑστηκὼς *est, qui ad Chuppam stat: dum ex more Judæorum, Sponsus cum Sponsa sub velamine, quod Chuppa dicitur ab illis, colloquitur. Quæ est Judæorum prima ὁμιλία sive nuptialis congressus. E qua cum egrederetur Sponsus, maximo cum gaudio eorum, qui egredientis audiebant vocem, præibat. Quod tum demum ratum esse matrimonium existimarent, &c.*

IX. Quanquam illud inficias ire non possumus, *Chuppam* & *Talles* apud Judæos aliquando confundi, adeo ut *Talles* (quæ alias vestis est proprie, qua se oraturi obnubere Judæi solent) loco *Chuppæ* in nuptiarum solennitatibus adhibeant. Edocet me illud ספר מנהגים *liber ritualis*, anno currentis Seculi secundo, & sexagesimo Amstelodami recusus, Tit. von Breulafft und שבע ברכות (i. e. *de nuptiis & septem benedictionibus.*) *p. 65. b.* Es thut der חתן (bräutigam) der כלה (braut) das טלית (Talles) ach auf den kopf/ und das ist חופה. Denn חפה ist teutsch bedecken. Und Ruth saget ach zu Boas: Und du solst spreiten dein fetich auf dein mait. (*Ruth.* III. 9.) Der נביא (Propheta) saget ach ואפרש כנפי עליך ואכסה ערותך (id est) Da breitet ich meinen geren über dich/ und bedeckte deine Scham. (*Ezech.* XVI. 8.)

X. Atque hanc Chuppam jam olim quoque innotuisse aliis Gentibus, fidem facit Euripides *in Peleasi* apud Johannem Stobæum *p. m.* 440. *lin.* 26. filiam nubilem nupturientem ita allocutus: ὅταν ὑπ' ἀνδρὸς χλαῖναν εὐγενοῦς πέσῃς. *Cum sub viri generosi pallium veneris.* Neque enim tam ovum ovo, quam hæc loquendi formula ritui Hebræorum est similis, ut vel exinde de ritus antiquitate insimul constare queat.

XI. Sic ergo tandem statuimus, Chuppam apud veteres Hebræos omnino usu receptam fuisse, temporibus etiam antiquissimis, sed quo potissimum temporis articulo cœperit, aut quo autore sit introducta, ignorari. Et hactenus quidem de Origine Chuppæ.

CAPUT III.

De ipsa Chuppæ constitutione, & ritibus eo spectantibus.

I. SEquitur *ipsa ejus descriptio* cum rituum huc pertinentium enarratione. Quæ res cum spectari melius, quam describi possit, *Figuram Chuppæ*, qualem *liber Minhagim seu ritualis pag. LXV. col.* 1. repræsentat, nos quoque hic in icuncula, sed paululum emendata, exhibebimus, ad quam simul oculos subinde Lector inflectat.



II. In hac icuncula conopeum expanſum, & quatuor perticis a totidem pueris eas tenentibus ſublevatum repræſentatur, ſub quo Sponſus & Sponſa a Rabbino ipſis adſtante, certis ritibus ac ceremoniis copulantur. Quæ tota *Chuppæ Judaicæ* conſtitutio eſt, quam ut rectius penetremus, hoc ordine ſingula expedire juvat, ut Chuppæ I. *Materiam*, II. *Formam*, III. *Miniſtros*, IV. *Adjuncta*, V. *Uſum*, & VI. *Finem* excutiamus.

III. *Materia* pro conditione perſonarum nuptias celebrantium variat. Generatim tamen ea requiritur, quæ ad tentorium conficiendum apta ſit, qualis eſt pannus, linteum, ſericum & ſimilis. Ditiores ergo & honoratiores materiam adhibent pretioſiorem. Pauperiores vero leviori contentos eſſe oportet. Sic in Gemara Talmudica *Maſſecheth Sota fol. XLIX. col.* 2. תנא אף על חופת חתנים גזרו מאי חופת חתנים זהורית המוזהבות אבל עושה פריפרית ותולה בה כל מה שירצה: *Traditum eſt etiam* (in Miſchna,) *quod de Chuppa Sponſorum decreverint. Qualis autem fuit Chuppa Sponſorum? Reſpondetur: Coccinum auro intertextum,* (mit klarem golde geſticktet ſcharlach.) *Sed* (ob temporum iniquitatem) *decrevere, ut poſtero quaque tempore cucullum* (pallam) *tantum adhiberent, eique alium pro lubitu ornatum appenderent.* Raſchi *ad hunc locum:* זהורית המוזהבות טלית צבועה שני ובו קבועין טסי זהב עד שמעמידין אותה כמין כיפה: *Seborith hammushabboth eſt tegumentum coccinei coloris, cui affixæ ſunt bracteæ aureæ, uſque dum adeo firmum aut ſolidum ſit redditum inſtar cuculli.*

IV. *Forma* conſiſtit in expanſione, & ornatu circa oram expanſi inque altum evecti lintei, ſeu cujuſque alterius materiæ ad conopeum conficiendum adhibitæ, dependente, ut ſit inſtar cœli ſpondæ, cum illud quam maxime exornatum eſt. R. Elias Levita in *Thisbi pag.* 119. (34) פורשין הבגד על ראש החתן והכלה בארבע בדים: *Expandunt veſtem* (ſeu pannum) *ſuper caput Sponſi & Sponſæ, quatuor vectibus.*

V. *Miniſtros Chuppæ* voco quatuor illos pueros, qui perticas, quibus Chuppa alligata eſt, manibus ſuſtinent. Non enim terræ infigitur, ut firma atque immota conſiſtat; ſed inſtar portatilis alicujus tentorii ad locum conſecrationi deſtinatum defertur, atque a tot pueris, quot vectes adſunt, hoc eſt a quatuor, in altum ſublevata tenetur, donec conſecrationis actus finiatur. Solent aliquando viri etiam barbati (quales in figura a Leuſdenio *Philol. Hebr. Mixt. Diſs. XXVI. p.* 173. ex Minhagim expreſſa conſpiciuntur,) adhiberi; ſed cum officium illud proprie puerorum ſit, vid. Buxt. *Synagog. Jud. cap. XXXIX. p.* 639. ſic emendare noſtram icunculam voluimus.

VI. *Adjuncta* duo potiſſimum ſunt attendenda, *Temporis* & *Loci*. *Tempus* erigendæ Chuppæ maxime idoneum fuit viſum, ſi virgo duceretur, feria quarta, h. e. dies Mercurii; ſi vidua, feria quinta, h. e. dies Jovis. Cujus inſtituti rationem reddunt in Miſna *Maſſech. Chetuboth. c. I.* §. 1. בתולה נשאת ליום הרביעי ואלמנה ליום החמישי שפעמים בשבת בתי דינין יושבין בעירות ביום השני וביום החמישי שאם היה לו טענת בתולה היה משכים לבית דין: Ideſt: *Virgo deducitur feria quarta, ſed vidua feria quinta. Nam bis in hebdomada ſeſſiones habentur forenſes in urbibus oppidiſque feria ſecunda & feria quinta, adeo ut ſi quid habeat Sponſus, quod in Sponſæ virginitatem objicit, forum ei ſtatim*

liceat

liceat adire. Confer insuper de tempore nuptiarum plura apud Seldenum *Lib. II. Uxor. Hebr. cap. XI. p. 126. seq.*

VII. *Locus* est vel hortus, vel platea, vel area Synagogæ contigua, vel quivis alius, modo non in conclavi, sed sub dio Chuppa erigatur, idque boni ominis ergo; Sic enim *Minhagim*: Man pfleget die ברכה (den segen / copulation) unter dem himmel zu machen / zu einem guten סימן [zeichen /] daß ihr זרע [saamen] soll seyn ככוכבי השמים לרוב [an der menge / wie die sternen am himmel.]

VIII. *Usum* quod spectat, adhibetur Chuppa sic confecta in consecratione & confirmatione matrimonii, quæ Sponso & Sponsa cum Rabbino assistentibus sub illius umbra, certis ritibus ac ceremoniis suscipitur, de quibus ordine & quoad singulas circumstantias dispiciendum.

IX. Primaria persona, in cujus gratiam Chuppa erigitur, est *Sponsus*, qui veste, qua Sabbathi diebus uti solet, demissa incedit, insimul atro superindutus pallio; quemadmodum patet ex *Lib. rit. loc. cit.* In etlichen קהלות (Synagogen) gehet der bräutigam mit einem langen mantel über die שבת [sabbath-] kleider / gleich als ein אבל [traurender.] *Crandspiegel loc. cit.* In אזכנז [Deutoschchland] führet man den חתן (bräutigam] in einer schinarken kap / as einen אבל [traurenden.] Capiti præterea ejus cinis, in eversionis Hierosolymorum nec non vitæ brevitatis memoriam, imponitur, ceu hoc refertur in *Lib. rit. l. c.* Man thut dem חתן [bräutigam] asche auf den kopff זכר לחורבן [zum andencken der zerstörung Jerusalem.] It. *Brandspiegel. l. c.* Das thut man / daß sie [bräutigam und braut] in ihrer freude nit sol vergessen das grosse leid / daß das heilig בית המקרש [tempel] ist verbrant geworden. Hot gesogt דוד המלך [kénig David] in תהלים [Psalter] גילו ברעדה (*Psal.* II. 11.) das ist teutsch; Frait euch mit zitterniß. Das meint / wann ihr sein frölich / so zittert und gedenckt / daß es is verstört geworden das בית המקדש [tempel /] biß auf der zeit sol eingedencken / daß ein mensch nit ewig lebet auf der welt / und von deßwegen auch legt man dem חתן [bräutigam] asche auf seinen kopff.

X. Altera persona, quæ Sponso jungitur, est *Sponsa*, cujus vestitus hodie, pro diversitate locorum, variat. Olim equidem, cum rebus secundit potirentur, sine dubio splendidissime semper exornata fuit; vide *Psalm.* XLV. 10. *Jerem.* II. 32. At postquam in exilium sunt missi, sic variare cœperunt. Alicubi enim ornatissime incedit; qua de causa Sponsa etiam כלה, a perfecto sc. ornatu, dicitur, ex mente R. D. Kimchi *in Libro Radicum*. Tunc enim omnia sua ornamenta producit, & ornat se perfectissime. Verbum enim כלל, a quo כלה derivatur, *perficere* denotat. Vid. Buxt. *Lex. Rad.* כלל. Alibi vero ornatu induta lugubri, teste *Lib. rit. loc. cit.* Die כלה hot ein sargenes (trauer-kleid) an; adeo ut Lausdenius in *Joele explicato cap.* II. *pag.* 122. 123. partim albis partim nigris vestibus incedentem se vidisse scribat, sicque albedinem signum esse lætitiæ, quemadmodum tristitiæ nigredinem. Præterea illius oculis velum, Rebeccæ pudici ingenii exemplo, *Genes.* XXIV. 65. obtendunt mulieres, præ pudore, ut sponsum ne adspiciat. Conf. Buxtorf. *Synag. Jud. cap.* XXXIX. *pag.* 629. item *Libr. rit. l. c.* Die כלה (braut) hot das flégerlein (die decke) so sie der braut am hochzeit-tage über den kopff und für die augen machen) vor. Diskomt ber von רבקה (Rebecca) da ihr יצחק (Isaac) begegnet / nam sie den mantel / und deckt sich das פנים (autlik) zu / von צניעות (keuschheit / schambaftigkeit) wegen.

XI. Uterque, Sponsus & Sponsa, sed separatim, Sponsus quidem a Viris aliquot huc invitatis, Sponsa vero a mulieribus itidem ad hoc rogatis *ad Chuppam deducitur*, singulis, qui adsunt, acclamantibus: ברוך הבא *benedictus qui venit*. Musica etiam instrumenta inter deducendum pulsant, ut ad hilaritatem omnes excitentur, vid. Ant. Margaritha von dem Jüdischen glauben *cap.* von der Jüden hochzeit. *c.* It. Joh. Buxt. *Synag. Jud. c.* XXXIX. *p.* 631. Quod quidem deducendi ad Chuppam officium laudi & honori ducitur, ceu refertur im *Brandspiegel loc. cit.* Es sol sich keiner zu köstlich halten / und sol dienen חתן וכלה (dem bräutigam und der braut) und tanzen und springen für חתן (bräutigam) und כלה (braut) von מצוה (befehl) wegen / und nit von seiner wollust wegen.

XII. Sub Chuppæ umbra constitutus Sponsam suam expectat, donec ipsa quoque cum comitatu accesserit, quæ ut primum Chuppam subintrat, Sponso tribus vicibus circumducitur, cui ritui illud Jeremiæ *cap.* XXXI. 22. accommodant: נקבה *fœmina circumdabit virum*. Hinc acceptam Sponsus semel circumducit ipse, atque ad latus dexterum collocat, quod illud Davidis *Psalm.* XLV. 10. trahunt: נצבה שגל לימינך: *collocata est conjux ad dexteram tuam*, Conf. & *Minhagim loc. cit.* Man stellt die כלה (braut) auf die rechte hand zum חתן (bräutigam.)

XIII. Faciem habet uterque ad meridiem obversam, tergum septentrionem versus: Idque benedictionis ergo fieri e Talmude confirmant, verba *Massechth berachoth fol.* 5. *b. in fine* ita habent: אמר ר׳ יצחק הנותן מטתו בין צפון לדרום הויין ליה בנים זכרים שנאמר וצפונך תמלא בטנם

:בטנם וגו' *Dixit R. Isaac*: *Qui lectum suum inter septentrionem & meridiem ita collocat, ut vultum meridiei obvertat, illi multos nascituros filios. Nam dicitur*: (*Psalm.* XVII. 14.) *Quorum ventrem imples recondito thesauro tuo &c.* Idem videre est in *Minhagim l. c.* Sie stehn zwischen צפון (mitternacht) and דרום (mittag/) und das פנים (angesicht) gegen דרום (mittag) zu haben. Wir lernen in der Gemara/ das bett soll zwischen דרום (mittag) und צפון (mitternacht) seyn.

XIV. Sponsus Sponsæ manum prehendit, cœtu, qui invitatus adest, frumentum in illos conjiciente & acclamante: פרו ורבו *fructificate & multiplicamini*, ex *Gen.* I. 28. Conf. Seld. *Ux. Heb. lib.* II. *cap.* XV. *pag.* 140. *b.* Buxtorf. *loc. cit.* Quo ipso pacem atque abundantiam inter novos conjuges denotari volunt, verba Davidis huc trahentes *Psalm.* CXLVII. 4. השם גבולך שלום חלב חטים ישביעך: *Disponens termino tuo pacem*: *Adipe tritici satiat te.* Vid. *Minhagim*, seu *liber ritualis loc. cit.* Und der חתן (bräutigam) nimmt sie bey der hand/ und führet sie ein wenig/ so wirfft denn das קהל (versamlete volck) korn auf חתן (den bräutigam) und כלה [die braut] und sagt פרו ורבו [seyd fruchtbar und mehret euch/ daß שלום [fried und einigkeit] sol seyn zwischen. Der פסוק [bibl. spruch] gehet: השם גבולך שלום חלב חטים ישביעך: [Er schaffet deinen grentzen friede/ und sättiget dich mit dem besten weitzen.] In etlichen קהלות [versamlungen] thut man auch geld in dasselbige korn/ darnach nehmen es die עניים [armen. Solent enim ditiores pecuniam pro pauperibus, qui eam postea colligunt, immiscere.

XV. Magister, qui Chuppæ solennibus præest, toga indutus Sponsæ sub Chuppa adstat, & ejus caput velo Sponsi sacro, quod Talle vocant, tegit (*Minhagim*: [braut] des חתן (bräutigams Talles auf den kopff/ &c.] ac benedictionem sponsalitiam, ברכת ארוסין *benedictionem Sponsaliorum* dictam, adhibito vini vel cerevisiæ poculo recitat, uti patet ex *Minhagim*: Der die ברכה macht [der den seegen spricht] nimmt ein glaß/ und macht ברכת ארוסין [spricht den verlöbniß-seegen.] In etlichen קהלות [versammlungen] nimmt man ein eng glaß zu einer בתולה (jungfrau) und ein wein weit glaß zu einer אלמנה (witfrau.) Den טעם (die ursache) weiß man wohl/ warum? Formula benedictionis illius hæc est: ב"אי א"מה אקב"ו והבדילנו מן העריות ואס לנו את הארוסות והתיר לנו את הנשואות ע"י חופה וקידושין ב"אי מקדש ישראל: *Benedictus sit Dominus Deus noster, Rex mundi, qui nos præceptis suis sanctificavit, & a scortatione separavit, desponsatas nobis prohibuit & per Chuppam ac desponsationem ductas concessit. Benedictus sit Dominus Deus, sanctificans Israelem.* Vid. Buxt. *de Sponsal. part.* I. §. 56. *pag.* 72. Selden. *lib.* II. *Uxor. Hebr. c.* VII. *pag.* 111.

XVI. Finita hac Benedictione poculum sponso hac sponsæ bibendum porrigit, atque mox, accepto a sponso annulo pronubo, par testium advocat, quærens: probusne sit annulus & nummuli valori exæquandus? *Minhagim*: Wenn ברכת ארוסין aus ist/ da gibt man dem חתן (bräutigam) zu trincken und der כלה (braut.) Darnach gibt der חתן (bräutigam) das טבעת קרושין (den trauring) dem רב (Rabbi) und der רב (Rabbi) rufft ערון (zeugen) und weist es ihnen/ ob es פרותה שוה (eines hellers werth) ist. &c. Id illis affirmantibus, in testium præsentia sponsus annulum digito sponsæ indici induens ait: הרי את מקודשת לי בטבעת זו כדת משה וישראל: *Et desponsata mihi es hoc annulo, secundum ritum Mosis & Israelis.* Vid. Col-bo *fol.* 86. *col.* 4. it. Sepher mitzvoth gadol, *in præceptis affirmativis*, *fol.* 125. *col.* 4. Infigendus autem est annulus indici digito, שבצל הגודל *qui juxta pollicem est*. Quare huic, non alteri sit digito aptandus, quidam Judæus Baptizatus, Victor de Carben *in opere contra Judæos cap.* II. *Colon. Anno* 1509. ed. explicat: *Judæus sponsus*, inquit, *sponsæ, tempore nuptiali annulum oblaturus, diligenter animadvertere debet, an indicem exporrigat sponsa, cui annulus immitti debet, ne scilicet annulus medio imponatur digito, in quo, scribunt, Mariam viro Josepho desponsatam, annulum suscepisse & gestasse*: *Unde nulla Judæa annulum in medio digito in hunc diem portat*. Hæc ille. Utrum hæc Judæorum constans sit doctrina, nondum liquet. Clarissimus Buxtorfius, se illud in ipsorum libris nondum invenisse scribit *in de Spons. & divort. dissert.* §. 57. *p.* 72. Quas Romani-Catholici alias traditiones habeant de virginis Deiparæ annulo pronubo, item alio argenteo, quo Joachim & Anna dicuntur copulati, pervulgatum est. Plura qui desiderat, Johannis Baptistæ Lauri *libellum de annulo pronubo Deiparæ virginis* consulat, ut & Andr. Riveti *Apologiam pro Sanctissima Virgine Maria lib.* 2. *cap.* 9. *p.* 283.

XVII. Cautum vero est, ne gemma annulo inserta sit, ad præcavendam fraudem, quæ adulterinam pro vera, vilem pro pretiosa offerendo possit adhiberi, qua ratione confirmatio irrita redderetur. Probant id ex verbis parentis *Deut.* XXII. 16. את-בתי נתתי לאיש *Filiam meam dedi viro*. Ubi initiales literæ trium proxime se insequentium vocabulorum faciunt אבן *lapis*, ultima autem vox si dividatur, procedit לא יש *non esto*; vid. Minhagim: Man tor nit מקרש [trauend] seyn mit einem

fin-

fingerlein [ringlein] das ein ſtein hot. Denn die כלה [braut] wird meinen / es möchte mehr werth seyn / als es werth iſt. Der סימן [das merckmahl darüber] iſt את בתי נתתי לאיש ראשי תיבות אבן לא יש: [in dieſem ſpruch: Meine tochter habe ich dem mann gegeben / da in dem Hebräiſchen durch Raſche tebhos ſo viel heraus kómmet / als ob er ſage: ein ſtein iſt nicht dar.] Ex puro igitur auro conficiunt annulum, eique plerumque inſculpunt verba votiva: מזל טוב *fortuna bona*, id eſt fauſtum felixque ſit. Quam formulam in gratulationibus adhiberi ſolent, juxta Buxt. *de Sponſal. & divort.* §. 57. *p.* 73.

XVIII. Annulo tradito, præſentibus duobus aliis teſtibus pacta dotalia clara voce præleguntur; Quorum inſtrumentum in hunc fere modum concipi ſolet: ברביעי בשבת בכך לחדש פלו׳ כך וכך לפ״ק למנין שאנו מונין פה ויניציאה מתא דיתבא על נהרי פלו׳ ופלו׳ איך כמ״ר פלו׳ יצ״ו אמ׳ לה למרת פלונית בתולתא בת כמ״ר פלו׳ הוי לי לאנתו כדת משה וישראל ואנא אפלח ואיקיר ואזון ואפרנס יתיכי כהלכת גוברין איהודאין דפלחין ומוקרין וזנין ומפרנסין לנשיהון בקושטא ויהיבנא ליכי מהר בתוליכי כסף זוזי מאתן דחזו ליכי מדאורייתא ומזונייכי וכסותייכי וספיקיכי ומיעל לותיכי כאורח כל ארעא וצביאת מרת פלונית בתולתא דא והוית ליה לר׳ פלו׳ חתן דנן לאינתו ודא נדוניא דהנעלת ליה בין בכסף בין בזהב בין בתכשיטין בין בשימושי דירא בין בשמושי ערסא סך הכל קבל עליו ר׳ פלו׳ חתן דנן בסך כך וכך דוק״אטי מהשמש טבי ותקולי וצבי ר׳ פלו׳ חתן דנן ואוסיף לה מן דיליה סך כך דוק״אטי מהשמש טבי ותקולי במתנה כי היכי דלהוו לה בין הכל סך כך דוק״אטי מהשמש טבי ותקולי בכתובתה וכך אמר לנא ר׳ פלו׳ חתן דנן אחריות וחומר שטר כתובתא דא קבלית עלי ועל ירתאי בתראי לאתפרעה מן כל שפר ארג נכסין וקנינין דאית לי תחות כל שמיא דקנינא ודעתיד אנא למיקני נכסין דאית להון אחריות ואגבן דלית להון אחריות כלהון יהון אחראין וערבאין למפרע מנהון שטר כתובתא דא קבילית עלי ועל ירתאי בתראי כאחריות וכחומר כל שטרי כתובות דנהיגי בבנות ישראל העשויים כתקון חז״ל מן יומא דנן ולעלם דלא כאסמכתא ודלא כטופסי דשטרי וקנינא מן ר׳ פלו׳ חתן דנן למרת פלונית בתולתא דא על כל מה דכתיב ומפורש לעיל במנא דכשר למיקני ביה והכל שריר וקים: *Die quarto Septimanæ, qui eſt N. menſis N. Anni N. juxta ſupputationem, qua hic Venetiis numeramus, urbe ſita ad fluvios N. N. Præſtantiſſimus D. N. (quem Deus & Redemptor ejus cuſtodiat) dixit Martæ N. Virgini, filiæ* tũ *N. Eſto mihi in uxorem, ſecundum ritum Moſis & Iſraelis; ego vero colam, honorabo, nutriam, & ſuſtentabo te, ſecundum conſuetudinem Virorum Judæorum, qui colunt, honorant, nutriunt, & ſuſtentant uxores ſuas, in veritate, & do tibi dotem virginitatis tuæ in pecunia ducentos florenos, qui tibi ex Lege debentur, alimenta item tua, veſtimenta tua, & ſufficientiam tuam (cætera neceſſaria): conſuetudinem item, ſecundum viam omnis terræ: Ad hoc Martha N. Virgo iſta acquievit & conſenſit, fuitque ipſi D. N. Sponſo huic in uxorem. Hæc vero eſt Dos, quam illa attulit ad ipſum N. N. tum in argento, tum in auro, tum in ornamentis, tum in ſupellectile domeſtica, & lectorum; quam ſummam totam accepit ſuper ſe D. N. ſponſus iſte, in tali & tali ſumma ducatorum ſolarium bonorum & juſti ponderis, cui ipſe de ſuo addidit ei talem & talem ſummam ducatorum ſolarium bonorum & juſti ponderis, pro donatione, ita ut (ſponſa) habeat in univerſum talem ſummam ducatorum ſolarium bonorum & juſti ponderis, in dote ſua. Porro ſic nobis dixit Dn. N. ſponſus iſte. Hanc cautionem & gravitatem (vim, valorem) literarum harum dotalium recepi ego pro me & meis hæredibus, me ſoluturum ex omnibus optimis meis facultatibus, quas ſub toto cœlo habeo, & quas ſum comparaturus. Facultates tam illæ, quæ habent reditum vel certam cautionem (quales ſunt fundi & bona immobilia) quam illæ, quæ non habent (ut ſunt bona mobilia;) omnes illæ erunt oppignoratæ & hypothecæ nomine datæ, ut ex illis ſolvatur ſcriptum hoc dotale. Ita recepi pro me, & pro hæredibus meis poſt me, ſecundum cautionem, vim & efficaciam omnium literarum dotalium, uſitatarum inter filias Iſrael, factarumque ſecundum omnia requiſita Sapientum noſtrorum, a die hoc in ſeculum, non tanquam vulgarem epiſtolam; vel apographum literarum. Sic ſpondetur a Dn. N. ſponſo, ipſi Martæ N. Virgini huic, ſecundum omnia ſupra ſcripta & expoſita, prout legitime id fieri oportet: Omniaque ſunt rata & firma.* Hanc inſtrumenti dotalis formulam cum aliis nonnullis Buxtorfius *ad finem diſſertationis de ſponſalibus & divortiis p.* 160. adjecit. Aliam ex Maimonide aliiſque Hebræorum Ritualibus exhibet Seldenus *lib.* II. *Uxor. Hebr. c.* X. *p.* 118. *ſeqq.*

XIX. Publicationem pactorum dotalium excipit Benedictio nuptialis ברכת נישואין *Benedictio Nuptiarum* dicta, a priori illa ſponſalitia caute diſtinguenda, quam pari cum priore modo, adhibito vini aut cereviſiæ poculo, recitant, additis poſtea *ſeptem*, quas laudant, *benedictionibus*, ceu patet ex *Minhagim*: Man leiet [lieſet] hernach die כתובה [eheſtiffenng] und nimt ein ander glaſs / denn man macht nit ברכת אירוסין [den verlóbniſs-ſeegen /] und ברכת נשואין (den hochzeit-ſeegen) auf ein glaſs / man ſoll die מצוות (Gebot) theilen. Ach hat man vor iahren

ברכת

ברכת אירוסין (den verlöbniſs-ſeegen) gemacht lang dervor/ ehe man ברכת נשואין [den hochzeit-ſeegen] gemacht hat. Und ſaget darnach שבע ברכות (die ſieben ſeegen) auf das ander glaſs. Formula benedictionis autem hæc eſt: ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העולם שהכל ברא לכבודו ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העולם יוצר האדם ברוך אתה יהוה אלהינו מלך אשר יצר את האדם בצלמו ובצלם דמות תבניתו והתקין לו ממנו בנין עדי עד ברוך אתה יהוה יוצר האדם שוש תשיש ותגל עקרה בקיבוץ בניה לתוכה בשמחה ברוך אתה יהוה משמח ציון בבניה שמח תשמח רעים האהובים כשמחך יצירך בגן עדן מקדם ברוך אתה יהוה משמח חתן וכלה ברוך אתה יהוה אלהים מלך העולם אשר ברא ששון ושמחה חתן וכלה גילה רינה דיצה חדוה אהבה ואחוה ושלום ורעות מהרה יהוה אלהינו ישמע בערי יהודה ובחוצות ירושלם קול ששון וקול שמחה קול חתן וקול כלה קול מצהלות חתנים מחפתם ונערים ממשתה נגינתם ברוך אתה יהוה משמח חתן עם הכלה ברוך אתה יי אלהינו מלך העולם בורא פרי הגפן: *Benedictus ſis Domine Deus noſter, Rex mundi, qui univerſa creavit in gloriam ſuam. Benedictus ſis Domine Deus noſter, Rex mundi, creator hominis. Benedictus ſis Domine Deus noſter, qui creavit hominem ad ſimilitudinem ſuam, & ad ſimilitudinem imaginis archetypi ſui, & præparavit ei ex ſeipſo ſtructuram ſeu ædificium uſque in ſeculum. Benedictus ſis Domine Deus noſter, creator hominis, gaudendo gaudebit & exultabit ſterilis colligendo liberos ſuos in ſinum ſuum in lætitia. Benedictus ſis Domine Deus noſter, qui lætari facis Sion in liberis ſuis. Lætando lætari fac par hoc amatum juxta lætitiam a te donatam creaturæ tuæ in horto Eden ab antiquo. Benedictus ſis Domine Deus noſter, qui lætari facis ſponſum & ſponſam. Benedictus ſis Domine Deus noſter, Rex mundi, qui creavit gaudium & lætitiam ſponſo & ſponſæ, exultationem, cantum, hilaritatem, jubilationem, amorem, fraternitatem, pacem & amicitiam. Confeſtim, Domine Deus noſter, audiatur in urbibus Judææ & in plateis Jeruſalem vox gaudii & lætitiæ, vox ſponſi & ſponſæ, vox affectus muti ſponſorum ex Chuppa ſua, & pueri e choro modulationis ſuæ. Benedictus ſis Domine Deus noſter, qui lætari facis ſponſum cum ſponſæ. Benedictus ſit Domine Deus noſter, Rex mundi, qui creas fructum vitis.* Vide Seld. *Ux. Hebr. lib.* II. *cap.* XII. *pag.* 129. *ſeqq.* Ubi tamen notandum, in hac formula verba quædam vel omitti vel immutari ſponſæ intuitu, quæ vel virgo, vel vidua eſt, dum cum ſponſo conſecratur. *Minhagim*: מצאתי (ich habe auch dieſes befunden/) einer אלמנה (withe) loſt man aus zum hinterſten: (egregium ſane linguæ Judæo-Germanicæ idiotiſmum! vult dicere: läſſet man zu ende des ſeegens dieſe worte aus:) משמח חתן והכלה [der da erfruet den bräutigam und die braut.] Und zu einer בתולה [jungfer] loſt man aus: משמח חתן עם הכלה (der du erfreueſt den bräutigam mit der braut/) denn die כלה בתולה (jungfer braut) iſt nit ganß frülich/ denn ſie gedenckt/ was da hot dernach zu kommen. Conf. Aloyſ. Novar. *Elect. Sacr. lib.* VI. *cap.* 46. *pag.* 123.

XX. Poſt hanc alteram benedictionem Sponſo ac Sponſæ altera quoque vice poculum vini propinatur, quod ubi ſub Chuppæ umbra ebiberunt, Sponſus prius illud poculum, poſt priorem benedictionem oblatum, quod manu adhuc tenet, confringit, ad parietem ſi virginem ducat; in terram vero, ſi viduam, projiciendo; Idque in memoriam Templi Hieroſolymitani devaſtati; confer *Minhagim*: Man gibt dem חתן (bräutigam) und כלה (braut) zu trincken/ und der חתן [bräutigam] bricht das glaſs von ברכת אירוסין זכר לחרבן [den verlöbniſs-ſegen/ zum andencken der verwüſtung.] Et paulo poſt: Der חתן (bräutigam) wirfft das glaſs an die wand/ wenn es eine בתולה [jungfrau] iſt/ und zu einer אלמנה (withe) wirfft ers wider die erde.

XXI. Fracto poculo Chuppa ſolvitur, atque ad convivium nuptiale ſeceditur; Quare & nos iis, quæ Chuppam propius ſpectabant, perluſtratis, ceremonias quoque linquimus.

XXII. *Finis* ſaltem reſtat harum ceremoniarum, qui triplex eſſe poteſt. Faciunt enim tum ad *honeſtatem*, tum ad *commonitionem*, tum denique ad *myſticam ſignificationem*.

XXIII. Ad *honeſtatem*, ut decenter omnia atque ordine gerantur, & ſuus matrimonio per hanc ſolennitatem conſtet honor, nempe quod in libro החניך *fol.* 205. *col.* 2. obſervatur, ideo hos Chuppæ ritus introductus tradunt, שלא יבוא עליה כבא על הזונה מבלי מעשה אחר קירם ביניהם *ne* (Sponſus) *ad eam* (Sponſam) *veniat, ſicut quis venit ad ſcortum, ſine ulla præcedanea actione*.

XXIV. Ad *commonitionem*, ut ſui muneris Conjuges admoneantur, Chuppæ hujus, ſub cujus umbra fidem ſibi invicem promiſere, perpetuo memores. Uxoris potiſſimum, ad contumaciam & adulteria pronæ, & ſubinde declinantis, ſit commonitorium. Vide Buxt. *de Sponſal. & divort.* §. 64. *p.* 76. כדי שתתן האשה אל לבה לעולם שהיא קנויה לאותו האיש ולא תזנה תחתיו ולא תמרוד בו ותתן לו יקר והוד לעולם כעבד לאדונו *ut mulier animo ſuo perpetuo recolat, quod ſit empta ab illo viro, ac proinde ſibi caveat, ne vel clam ipſo ſcortetur, vel ei rebellet & obſtrepat,*

ſed

sed potius honorem ei semper deferat, ut servus Domino suo.

XXV. Ad *mysticam significationem*, ut tam *Spiritualis unio* Christi & fidelium, qualem sub hoc schemate in Cantico Canticorum Salomonæo pulcherrime deductam cernimus, quam *personalis in tremendo incarnationis Mysterio facta* adumbretur, quo ἐπισκίασις illa spectat; de qua nunc porro sectione altera dispiciemus.

SECTIO POSTERIOR

THEOLOGICO-EXEGETICA.

CAPUT I.

Varia veterum, & recentium verbi ἐπισκιάζειν Interpretamenta.

I. **F**Alluntur utique, quotquot animi tantum recreandi, aut temporis fallendi ergo suscipi putant veterum Rituum considerationem, qualem superiori sectione de Chuppa Hebræorum instituimus, cum ad interpretationem Scripturæ sacræ dici nequeat, quantum adferat emolumenti, adeo, ut Flacius *Part. II. Clav. Scr. S. tr. VI. f.* 577. caput integrum *de necessitate cognitionis variarum rerum potissimum in communi vita existentium, tum omnibus gentibus Communium, tum Israelitis propriarum, ad intellectum sermonis sacrarum literarum*, scripserit. Ac possemus id exemplo ritus Chuppæ latissime demonstrare, si omnia scripturæ loca cum veteris, tum Novi Testamenti, quæ lucem hinc accipiunt, excutere vellemus. Sufficiat in præsenti Vox unica, verbum nempe ἐπισκιάζειν *Luc. I.* 35. *In quo verbo nondum satis se expedisse videntur Veteres*, ut annotavit Dan. Heinsius *lib. III. Exercit. Sacr. cap. I. f.* 137. imo nec recentiores omnes videntur satis illud declarasse, licet in eo fere consentiant, magnum pietatis mysterium de Incarnatione Filii Dei eo significari.

II. Quamvis vero idem verbum nos admoneat imbecillitatis nostræ, & quod non temere in anxiam mysterii adeo tremendi perscrutationem nos demittere deceat, quod duumviri illi de Ecclesia meritissimi, Chemnitius & Glassius, egregie observarunt. Ille *in Harmonia Evangelica cap. IV. p. m.* 55. 56. *Hæc summa*, inquit, *sunt miracula, quæ fides nostra reverenter credit, mens autem comprehendere non potest. Et propter hanc causam Angelus utitur verbis superveniendi & obumbrandi, quorum emphasin & proprietatem non satis assequimur &c.* Et rursum: *Sicut in revelatione divinitatis obumbratio nubis olim interposita fuit, Cherubim etiam obumbrant arcam fœderis* 2. *Par. V.* 8. *& Seraphim tegunt faciem, Jes. VI.* 2. *ita ne curiosius in mysterium Incarnationis Filii Dei inquiramus, virtus Altissimi obumbraculum interposuit.* Alter in *Philologia sacra Lib. V. tract. I. cap. VIII. sub finem p.* 1181. (187.) *Esto igitur*, inquiens, *hæc umbra a temeraria hujus mysterii perscrutatione ἀποτροπή. Meminerimus, nubem esse quasi obductam, quam non debeamus temere perrumpere. Sicut Cherubim obumbrant arcam fœderis & propitiatorium* 2. *Par. V.* 8. *ne quis scilicet* השכינה *seu Majestatem Dei super eo habitantem curiosius intueri desideraret. Sic virtus Altissimi umbram obduxit τῆς ἐνσαρκώσεως τȣ̃ λόγȣ mysterio, ne in modum ejus curiosius, ratione nostra stulta, inquiramus.* Facilius tamen & longe rectius illius emphasis penetratur, si ritum Chuppæ hactenus memoratum conferamus, e quo depromtum esse hoc verbum, atque ad indicandam rem mysterii plenissimam adhibitum, inferius ostendam.

III. Cæterum non est animus, sententias Autorum sive veterum, sive recentium, quæ maxime ab invicem abeunt, ad examen revocare, quæve in iis vel approbanda, vel repudianda sint, præmisso accuratiori scrutinio exprimere. Novi enim, etiam inter Orthodoxos non consentire omnes, inter quos arbitrari, religio mihi merito est. *Veram esse* totius propositionis interpretationem præsuppono, qua δύναμις ὑψίςȣ, *virtus Altissimi*, de qua ἐπισκίασις, aut ἐπισκιασμὸς *obumbratio* prædicatur, est ipse Dei Filius humanam naturam in beatæ virginis Mariæ utero assumens; sicuti docet B. Jo. Adamus Scherzerus *in Breviario Theologico §. XLVII. p.* 45. ubi inquit: *Virtus Altissimi, (i. e. Filius Dei* 1. *Cor. I.* 24. *) obumbrabit tibi ἐπισκιάσει σοι, uterum tuum sui conceptu replebit.)*

IV. Placet interim, absque nimio delectu obvias Patrum pariter, & neotericorum Theologorum ac Philologorum explicationes hic recensere, non tam ut inde varietas interpretationum appareat, quam ut necessitas cognitionis rituum Judaicorum commendetur. Etsi enim nonnulli egregie locum exposuerunt, nec ulla ratione reprobandi, quin modis omnibus tum ob alia in Ecclesiam merita, tum inprimis ob diligentem Scripturæ Sacræ interpretationem, & operam in hujus quoque loci enucleationem laudabiliter impensam æstimandi sunt; exemplo tamen suo plerique demonstrarunt, vera esse, quæ doctissimus olim Constantinus L'Empereur ab Oppyck *præf. ad R. Mosis Kimchii* ὁδοιπορίαν scribebat: *Desudatur fru-*

frustra, cum ea, quæ rituum Judaicorum luce egent, alio varia subtilitate detorquentur. Conferat ea Lector atque ipse dijudicet.

V. Sic autem procedemus, ut *Græci* primum audiantur, quorum nobis triga sufficerit. *Primus* esto Gregorius Nyssenus, Basilii Magni frater, major natu, sed posterior mortuus seculo IV. qui *Orat. in diem Natal. Christi*, inquit: *Quid significat arcanus hic sermo?* (Virtus Altissimi obumbrabit tibi.) *Christus Dei virtus est & sapientia, ut ait Apostolus. Virtus igitur Altissimi, quæ Christus est, per adventum Spiritus Sancti formatur in Virgine. Quemadmodum enim umbra ad præcedentium corporum figuram effingitur, sic forma & indicium divinitatis Deo in virtute ipsius, qui paritur, ostendetur, & imago & signum & adumbratio, & splendor exemplaris per admirabilem rerum effectionem demonstrabitur.*

VI. *Secundus*, Johannes Damascenus, qui seculo VIII. floruit Bedæ σύγχρονος. Is cum de modo conceptionis Dei verbi, & divina ejus incarnatione agit, ad hunc quoque ἐπισκιασμὸν delatus, sic inter alia *Lib. III. de Orthodoxa fide, cap. II. f. 166.* scribit: Μετὰ τὴν συγκατάθεσιν τῆς ἁγίας παρθένου, πνεῦμα ἅγιον ἐπῆλθεν ἐπ' αὐτὴν κατὰ τὸν τοῦ κυρίου λόγον, ὃν εἶπεν ὁ ἄγγελος, καθαῖρον αὐτὴν, καὶ δύναμιν δεκτικὴν τῆς τοῦ λόγου θεότητος παρέχον, ἅμα δὲ καὶ γεννητικήν. Καὶ τότε ἐπεσκίασεν ἐπ' αὐτὴν ἡ τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου ἐνυπόστατος σοφία καὶ δύναμις, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ τῷ πατρὶ ὁμοούσιος, οἱονεὶ θεῖος σπόρος. Καὶ συνέπηξεν ἑαυτῷ ἐκ τῶν ἁγνῶν καὶ καθαρωτάτων αὐτῆς αἱμάτων, σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ τε λογικῇ τε καὶ νοερᾷ ἀπαρχὴν τοῦ ἡμετέρου φυράματος, οὐ σπερματικῶς, ἀλλὰ δημιουργικῶς διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος, οὐ ταῖς κατὰ μικρὸν προσθήκαις ἀπαρτιζομένου τοῦ σχήματος, ἀλλ' ὑφ' ἓν τελειωθέντος. *Post consensum sanctæ Virginis Spiritus Sanctus supervenit in eam, juxta sermonem Domini, quem dixerat angelus instruens ipsam, & virtutem divinitatis verbi susceptivam præbuit, simul autem & generativam. Et tunc obumbravit ei, Dei altissimi, in sua subsistens hypostasi, sapientia & virtus, filius Dei, patri consubstantialis, velut divinum semen. Et construxit sibi ipsi ex castis & purissimis sanguinibus carnem animatam anima rationali & intellectuali, primitias nostræ conspersionis, non cum semine, sed conditorio opere per Spiritum Sanctum: Non paulatim per additamenta, expleta figura, sed uno contextu absoluta.*

VII. Hic interspergere liceat, quæ ad Damasceni mentem explanandam commentatus est Jodocus Clichtoveus *Comment. in Damascenum fol. 169. Habet sane*, inquit, *umbra corporalis quandam in se luminis imminutionem & deficientiam, ut non tam clarum & splendidum sit lumen in umbra sicut extra umbram, sed factum remissius atque languidius ex umbra permixtione & offuscatione. Atque lux divinitatis immensa, in suæ claritatis splendore eximio manens, non potuisset a sancta Virgine capi, aut facile percipi, ob immensitatem sui fulgoris. Quomodo enim finitus & contractus oculus infinitam comprehendet lucem? Itaque Spiritus Sanctus obumbrationem fecit in beata virgine, & ita obtendit umbraculum suæ virtutis, ut temperatam, & ad mediocritatem quandam reductam divinitatis lucem ipsa in sacro filii Dei conceptu capere posset.*

VIII. *Tertius* inter Græcos sit Chrysostomi epitomator Theophylactus, non seculi noni, quod Baronius & Bellarminus volunt, sed uti Vossius *Dissertat. III. de Symbol. p. 92.* probatum dedit, undecimi Doctor, qui *enarratione in Lucam ex editione Philippi Montani fol. 119. Virtus Altissimi*, inquit, *Filius est Dei. Christus enim Dei virtus est. Obumbrabit tibi, h. e. conteget te, hoc est, undique te circumdabit. Sicut avis obumbrat pullos suos totos alis suis complectens, ita & divina virtus totam virginem apprehendit, & hoc est obumbrare. Alius autem quispiam fortassis dicet, quod sicut pictor primum delineat, & umbras inducit, & deinde perfectum colorem addit: Ita & Dominus ipse sibi carnem condens, & imaginem hominis formans, primum delineavit illam in utero virginis, compacta ex sanguinibus semper virginis carne, quam deinde paulatim figuravit. Sed hoc dubium. Sunt enim qui dicunt, quod ubi obumbravit uterum virginis, statim perfectus fuerit infans.*

IX. E *Latinis* primum merito locum ætatis privilegio Hilarius occupat, utpote seculo IV. Athanasii æqualis, qui conceptionis dignitatem commendaturus hæc angeli verba laudat: *Spiritus Sanctus desuper veniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*; & *lib. 2. de Trinitate fol. 20.* addit: *Spiritus Sanctus desuper veniens virginis interiora sanctificavit, & in his spirans (quia ubi vult Spiritus, spirat) naturæ se humanæ carnis immiscuit; & id, quod alienum a se erat, vi sua ac potestate præsumsit: atque ut ne quid per imbecillitatem humani corporis dissideret, virtus altissimi virginem obumbrat, infirmitatem ejus veluti per umbram circumfusam confirmans, ut ad sementivam ineuntis Spiritus efficaciam substantiam corporalem divinæ virtutis inumbratio temperaret. Hæc conceptionis est dignitas.*

X. Hilarium excipit Ambrosius ejusdem seculi Episcopus Mediolanensis, qui

cum *lib. de his qui Mysteriis initiantur*, *cap.* III. *Tom.* I. *Opp. fol.* 376. *D.* operationem Spiritus Sancti in aquis Baptismatis per exempla & figuras comprobasset & nubis meminisset ex I. *Cor.* X. I. 2. sub qua fuissent Patres, exclamassetque. *Et bona nube, quæ carnalium refrigeravit incendia passionum. Bona nubes obumbrat, quos revisit Spiritus sanctus*; addit: *Denique supervenit in Mariam virginem, & virtus altissimi obumbravit ei, quando redemtionem genti genuit humanæ.*

XI. Ambrosio succedit *Augustinus*, qui initio sequentis demum seculi V. inclaruit. Is *in libro quinquaginta humiliarum Homil.* XLIV. *cap.* IV. *Tom.* X. *Opp. fol.* 179. *B.* verba: *virtus Altissimi obumbrabit tibi*, sic παραφράζει, quasi dixisset Angelus: *Non timeas æstum libidinis sub tantæ umbraculo sanctitatis*. Alibi, vero, nempe *Part.* II. *libri Quæstionum e Vet. & N. T.* (si is quidem liber Augustini est,) *quæst.* LI. *Append. ad Tom.* IV. *Opp. fol.* II. *A.* Aliter: *Altissimi virtus*, inquit, *sine dubio Christus est: Hoc enim ad ipsius personam pertinet. Superveniens ergo Spiritus Sanctus in virginem sanctificavit eam opere suo efficiens corpus sanctum ex ea, in quo virtus, quæ dicitur* Dei *filius, nasceretur: Cujus obumbratio in virginem, h. e. ut de immensitate divinitatis aliquid esset in utero virginis, quantum posset capere natura humana, quod quasi ex splendore obumbratio diceretur, virtus* Dei *esset, qui* Dei *esset, qui* Dei *virtus nec non &* Deus.

XII. Augustino jungimus Bernhardum, septem licet seculis citeriorem, *qui Homil.* IV. *super Missus est fol.* 32. *K. L.* inquit: *Quid est* & virtus Altissimi obumbrabit tibi? *Qui potest capere, capiat. Quis enim, excepta fortassis illa, quæ hoc sola in se felicissime meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit, qualiter splendor ille inaccessibilis virgineis sese visceribus infuderit, & ut illa inaccessibilem accedere ad se ferre potuisset, de portiuncula ejusdem corporis, cui se animare contemperavit, reliquæ massæ umbraculum fecerit? Et fortasse propter hoc maxime dictum est, obumbrabit tibi, quia res nimirum in sacramento erat, & quod sola per se Trinitas in sola & cum sola virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui soli datum est experiri. Dicatur ergo:* Spiritus Sanctus superveniet in te, *qui utique sua potentia fœcundabit te.* Et virtus Altissimi obumbrabit tibi, *hoc est, illud modum, quo de Spiritu sancto concipies,* Dei *virtus &* Dei *sapientia Christus: Sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget & occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur & tibi. Ac si Angelus respondeat ad virginem: Qui a me requiris, quod in te mox experieris? Sciens scies, & feliciter scies, sed illo doctore, quo & autore.*

XIII. Bernhardo quinque seculis antiquior est Gregorius Magnus, cujus *Moralium libri* satis etiamnum celebrantur, de quibus in Concilio Toletano VII. desideratis atque ab ipsomet Gregorio in Bibliotheca Vaticana apparente, ubi laterent, monstratis, insignem fabellam recitat Rodericus Toletanus *lib.* II. *Rerum Hispan. cap.* 20. In illis ergo sic de hac obumbratione *lib.* XXV. *cap.* 3. scribit: *Quia umbra non aliter exprimitur nisi per lumen & corpus, Virtus Altissimi virgini obumbrabit, quia in ejus utero lux incorporea corpus assumsit.* Et lib. XVIII. cap. 2. inquit: *Umbra lumine formatur & corpore: Dominus autem per divinitatem lumen est, qui, mediante anima, in utero virginis fieri dignatus est per humanitatem corpus. Quia ergo lumen incorporeum in virginis utero erat corporandum, ei, quæ incorporeum concepit ad corpus, dicitur, Virtus Altissimi obumbrabit tibi, id est, corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen divinitatis.*

XIV. Gregorio M. accedit Beda, Presbyter seculi VIII. in Anglia venerabilis, qui *sua in Lucam expositione* Tom. V. Opp. fol. 192. inquit: *In eo quod ait:* Et virtus altissimi obumbrabit tibi, *potest etiam incarnati Salvatoris utraque natura designari.* Umbra *quippe a lumine solet & corpore formari. Et cui* obumbratur, *lumine quidem vel calore solis quantum sufficit reficitur, sed ipse solis ardor, ne ferri nequeat, interposito vel nubiculo levi, vel quolibet alio corpore temperatur. Beatæ itaque virgini, quia quasi pura homo omnem plenitudinem divinitatis corporaliter capere nequibat, virtus altissimi obumbravit, id est incorporea lux divinitatis corpus in ea suscepit humanitatis. De qua pulchre Propheta: Ecce Dominus, inquit, ascendit super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, quod est dicere, Ecce verbum Dei patri coæternum, lumenque de lumine ante secula natum, carnem in fine seculorum atque animam nullo peccati pondere gravatam suscipiet, & de utero virginali tanquam sponsus de thalamo suo procedet in mundum.*

XV. Plura Veterum interpretamenta accumulare nihil attinet. Ad recentiores pergo, quos ita distribuam, ut primum *Luterani*, deinde *Romani-Catholici*, hinc *Calviniani*, denique & *Critici* prodeant.

XVI. Ex *Lutheranis* duumviros illos, superius laudatos, *Chemnitium* & Glassium

sium præ cæteris attendimus. Sic autem *Chemnitius in Harmonia* cap. IV. p. m. 55. 56. *Syrus*, inquit, *habet verbum, quod simpliciter significat protegere. Sed major est emphasis verbi* ἐπισκιάζειν. *Usurpatur enim de peculiari ratione præsentiæ, operationis & defensionis divinæ. Sic Græci reddiderunt* Deut. XXXIII. 12. *Deus* σκιάζει ἐπ' αὐτῷ, & Exod. ult. verf. 35. *Et operuit nubes tabernaculum, & non potuit Moses ingredi tabernaculum*, ὅτι ἐπεσκίαζεν ἐπ' αὐτὴν ἡ νεφέλη. *Ita de transfiguratione Christi* Matth. XVII. 5. Marc. IX. 7. Luc. IX. 34. *Lucida nubes obumbravit ipsis. Sicut igitur, quando peculiari modo voluit Majestatem suam revelare, ut homines mortales eam ferre possent (scriptum est enim.* Exod. XXXII. 20. *Non videbit me homo, & vivet, umbraculo quodam nubis eum obumbravit: Ita in hoc omnium summo modo præsentiæ, inhabitationis & operationis divinæ Majestatis, virtus altissimi obumbrabit, inquit angelus, ut possit fieri illa, omnem etiam angelorum captum excedens, unio Divinæ Majestatis & humanæ Naturæ in unam personam Christi.*

XVII. *Glassius in Philologia Sacr.* lib. V. tract. I. cap. VIII. pag. 1181. 1016. seq. *Emphaseos*, inquit, *insignis verbum obumbrare (q. d. umbram præstare) est, cum de mirando conceptionis Christi in Maria mysterio usurpatur*, Luc. I. 35. *Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus S. superveniet te, & virtus Altissimi* ἐπισκιάσει σοι *obumbrabit tibi. Quæsierat Maria, admiratione nuncii Angelici stupens*, verf. 34. *Quomodo erit illud, quandoquidem virum non cognosco? Illud nimirum, de quo dictum erat* verf. 31. *Ecce concipies in utero & paties filium, Jesum, qui simul filius Altissimi vocabitur &c.* verf. 32. *Hoc quomodo fieri possit, Maria quærendo miratur, & mirando quærit. Respondeturque ipsi ab Angelo, quod supernaturali & plane singularissima Spiritus Sanctus, & virtutis Altissimi operatione, hoc tantum opus sit efficiendum. Ea vero operatio tum* ἐπελεύσεως *tum* ἐπισκιάσεως *verbo per anthropopathian exprimitur. Prius generalius est, operationem Spiritus Sancti supervenientis notans (ut supra dictum;) Posterius specialius, operationis illius modum aliquatenus exprimens, qui consistit tum in divina protectione, quam umbræ significationem metaphoricam esse, paulo ante dictum est.* Deus, *ille ignis consumens, consumpsisset etiam Mariam, peculiariter eam implendo Majestate sua, nisi singularis obtectio & obumbratio divina intervenisset. Sicut Mosi etiam in peculiari divinæ gloriæ apparitione manus* Dei *opertione & quasi* ἐπισκιασμῷ *opus fuit, ne a divinitatis apparentis Majestate absumeretur*, Exod. XXXIII. 22. *Tum in arcana fœtus illius sanctissimi, in virginali utero Mariæ, formatione & ab omni peccati labe defensione, & cum persona* τοῦ λόγου *unitione mirandissima. Hanc emphasin ipsa umbræ vox innuit, quæ luci contraria, & incomprehensibilis atque occultæ* ἐνεργείας Dei *index est, notata etiam nubis* ἐπισκιασμῷ *in tabernaculo fœderis*, Exod. XLV. verf. 35. &c.

XVIII. E *Romano-Catholicis* itidem duo saltem audiantur: *Maldonatus & Conzenius. Maldonatus Comment. in* IV. *Evang. p.* 878. inquit: *Suspicor Græcum verbum* ἐπισκιᾶν *pro Hebraico poni* הענין *nube obducere, id est impluere. Nam nube pluvia significatur, quasi dicat, fore, ut virtus Altissimi sic in virginem impluat, ut eam fœcundet, atque gravidam efficiat, sicut solet pluvia terram fœcundare. Quæ interpretatio eo magis congruit, quod soleat uterus mulieris in scriptura terra vocari, quod acceptum foveat semen, & germen producat. In quam sententiam illud veteres autores citare solent: Confiteantur tibi populi* Dei, *confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum, id est, uterus Virginis Salvatorem peperit* (Psal. LXVII. 6. 7.) *& illud: etenim Dominus dabit benignitatem & terra nostra dabit fructum suum* (Psal. XXXV. 13.) *& non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ.* (Psal. CXXXIX. 15.)

XIX. *Adam Gonzenius Tom.* II. *Comm. in Evang. ad Luc.* I. 24. *qu.* IV. §. 3. *fol.* 28. ita fatur: *Adumbratio seu* ἐπισκίασις *imprimis est defensio cum aliqua refocillatione* Psalm. XVI. verf. & & LVI. verf. 2. Jesai. XXX. verf. 2. *Præstitit virgini refrigerium menti corporique ut Greg. c.* XXXIII. *moralium. Alio etiam modo Theophylactus interpretatur*, ἐπισκιᾶν *esse* σκιαγραφεῖν, *quod lineamenta formaverit. Quod huc non pertinet. Obumbravit ergo virginem Spiritus Sanctus singularissime tuendo, recreando, fovendo. Nec hoc tantum, sed etiam honorando, &* Deo *consecrando. Gloria igitur eam coronabat, qua in significatione umbrandi verbum latini usurpant, Statius 6. Thebaid.*

> Nuper Olympiacis umbratus tempora ramis.

Et Claudianus Paneg. in Olibrium.

> Flava cruentarum prætenditur umbra jubarum.

Honoris ergo est etiam & a virtute altissimi obumbrari.

XX. E *Calvinianorum* classe primus sit ipse

ipse eorum pater *Joh. Calvinus*, qui *Commentario in Harmoniam Evangelicam* Tom. V. Opp. part. I. fol. 12. *In verbo*, inquit, *obumbrandi concinna est metaphora. Virtutem Dei, qua suos tuetur & protegit, Scriptura frequenter umbræ comparat. Sed alia videtur esse hujus loci peculiaris ratio: nempe arcanam fore Spiritus operationem, ac si nubes opposita hominum oculos in intuitu submoveret.*

XXI. Secundum sit *Franciscus Gomarus*, qui *Illustrat. Selecter. Evang. Lucæ Locor. fol.* 165. δύναμιν ὑψίςυ non de Filio Dei, neque de Spiritu Sancto, sed de attributo illius proprio, nempe de omnipotentia exponit, atque hinc deducit, *Umbram* alias *pro eo, quod a malis quasi ab æstu tuetur, similitudine quadam accipi solere*, unde pergit: *Atque ab hac umbræ significatione verbum* ἐπισκιάζειν, *obumbrare, metaph. accipitur, pro a malo, quasi æstu quodam defendere: ut Hebræam vocem* סכך *tegere, protegere, tueri*. Et mox quibusdam interpositis: *Eventus etiam præclare consentit; Nam cum ob conceptionem Josephus adulterii suspectam haberet Mariam virginem, ac propterea dimittere vellet, potentia Dei obumbrata, id est, defensa est, cum per angelum missum, de conceptione per Spiritum Sanctum, Josephus edoctus est, ac jussus, citra difficultatem, Mariam ducere.*

XXII. Tandem *Criticorum* biga prodeat, quorum alter est *Hugo Grotius*, qui *Annotat. in hunc locum* ita scribit: *Solent quidem LXX.* סכך *vertere* ἐπισκιάζειν, *ut* Psalm. XCI. 4. CXL. 8. *& alibi. Magis tamen mihi placet sententia putantium translationem sumptam ab avibus pullos excludentibus, a qua non longe abit Theophylactus: ut ita ostendat Angelus, ea virtute oriturum hunc fœtum, qua mundus ipse exordium sumsit. Nam in Mosis historia est* ורוח אלהים מרחפת על-פני המים *quod verbum* מרחפת *de tali incubitu exponunt Hebræorum doctissimi. Et aperte is est ejusdem verbi usus* Deuter. XXXIII. 11. *ubi* LXX. σκεπάσαι pari significatu.

XXIII. Alter est *Daniel Heinsius*, hic *lib.* III. *Exercit. Sacr. cap.* 1. *fol.* 137. inquit: Τὸ ἐπισκιάζειν τῷ שכן *respondet, ut divinam operationem sic includat ac præsentiam quam* שכינה *dixere: qua voce vim præsentiamque Spiritus ipsius Sancti exprimunt Magistri. Ut omittam pro* רוח הקדש, *idest, Spiritus Sanctus usurpari iis, atque sic exponi. Ad illud, neque poterat Moses ingredi tabernaculum Ecclesiæ, quia habitabat sub illud nubes, & gloria Jehovæ replevit tabernaculum; Hellenistæ,* ὅτι ἐπεσκίαζεν ἐπ' αὐτὴν ἡ νεφέλη, καὶ δόξης Κυρίυ ἐπλήσθη ἡ σκηνή. *Nam &* δόξα Κυρίου שכינה. *Quemadmodum Rabbini, cum de usu ejus agunt, proprie ad tollendum quicquid corporale, a Deo, usurpari notant.*

XXIV. Et hactenus quidem excerpta ex veterum & recentiorum interpretamentis, quantum sufficere existimavimus. Qui plura velit, conferat *Cornel. a Lapide Comm. Luc.* I. 35. *fol.* 19. *Matthæum Polum Tom. IV. Synops. Critic. Sacr. f.* 816. 817. & alios.

CAPUT II.

Varia interpretatio verbi ΕΠΙΣΚΙΑΖΕΙΝ *e ritu Chuppæ depromta.*

JAm ad eum interpretandi modum devolvimur, quo ἔμφασιν verbi ἐπισκιάζειν non melius intelligi posse existimamus, quam si memoratos Chuppæ ritus advocemus in subsidium, ad quos quin Spiritus Sanctus voce hac respexerit, nulli dubitamus. Sensus ergo totius propositionis ex nostra mente hic est: δύναμις ὑψίςυ ἐπισκιάσει σοι, *Virtus Altissimi obumbrabit Tibi*, hoc est, Filius Dei tanquam Sponsus a Te, in tuo utero, tanquam sub Chuppa obumbrabitur, dum sibi carnem veluti Sponsam indissolubili matrimonii nexu associat, unit, copulat.

II. Hic sensus uti planissimus, atque ad illustrandum maximum incarnationis & unionis personalis Mysterium aptissimus: ita nunc porro paulo explicatius tradendus, & idoneis argumentis confirmandus est.

III. Probamus autem I. *a natura verbi* ἐπισκιάζειν, quod proprie rebus corporeis competit, quæ inter lumen & rem illustratam interpositæ, umbram efficiunt, uti de nube lucida discipulos cum Domino in monte obumbrante. *Matth.* XVII. 5. *Marc.* IX. 7. *Luc.* IX. 34. deque Petro obumbrante ægrotos, *Act.* V. 15. adhibetur, quæ plenaria est locorum, in quibus hoc verbum legitur, inductio. Atqui ad hoc præcipue *Chuppa* apud Hebræos in nuptiarum solennitate adhibebatur, ut cum sub dio fieret consecratio, umbram præstaret, atque solares radios a capitibus Sponsi ac Sponsæ arceret. Accedit, quod Syrus ejus loco verbum Aphelicum אגנן usurpet, a quo nomen גנונא derivatur, quod diserte pro *Chuppa* sumsit *Matth.* IX. 15. & *Luc.* V. 34. cum hospites ad nuptiarum solennitatem vocatos בנוהי גנונא *filios Chuppæ* appellat.

IV. Probamus II. *a Stylo Scripturæ usitato*, cui talis hypallage, qualis hic præsupponitur, non est infrequens, v. g. *Deus dedit* את דניאל לחסד *Danielem gratiæ*, i. e. Danieli gratiam, *Dan.* I. 9. cui simi-

lia loca sunt. 1. *Reg.* VIII. 50. *Neh.* I. 11. *Psalm.* CLVI. 46. *&c.* Sic *Psal.* CXXXIX. *ult.* *Vide, an via molestiæ sit in me*, i. e. an ego sim in via molestiæ; cujusmodi hypallages exempla plura congessit Glassius *in Philologia Sacra lib.* IV. *tract.* II. *Observat.* XXI. *p.* 914. (738.) Sic ergo & hic Angelus Mariæ: *obumbrabit tibi*, i. e. obumbrabitur a te.

V. Probamus III. a συναφείᾳ *Textus*. Annunciaverat Angelus Mariæ Josepho desponsatæ quidem, sed nondum sub Chuppa per solennem consecrationem nuptæ, *vers.* 27. conceptionem & partum filii in utero, *vers.* 21. cui illa admirabunda regerebat impossibilitatem conceptionis ante consuetudinem cum viro: *Quomodo erit istud?* Ἐπεὶ ἄνδρα ὐ γινώσκω, *quandoquidem virum non cognosco*, *vers.* 34. q. d. Nondum cum meo Sponso Chuppam intravi, nedum ut thalamum ingressus mihi post confirmationem cohabitavit, unde ergo ante consuetam matrimonii confirmationem conceptio & partus filii? Respondet Angelus, aliam Chuppam, aliam filium concipiendi rationem abs se annunciari. Ipsam Mariam Virginem non Sponsam fore, cui Sponsus aliquis consecretur, & post acceptam nuptialem benedictionem mariti instar cohabitet, sed Chuppam, sub qua plenissima mysterii copulatio filii Dei, & humanæ carnis futura sit, qui veluti Sponsus cum carne humana, tanquam sua Sponsa in ipsius utero indissolubili personalis unionis vinculo sibi juncta, ex hac Chuppa virginei uteri per partum θεανθρώπου virgineum post arctissimam hanc consociationem sit egressurus.

VI. Probamus IV. *a Convenientia cum reipsa*, utpote cui accurate applicari possunt ritus commemorati partes præcipuæ, si non singulæ; nolumus enim ad scrupulosam singularum circumstantiarum collationem dilabi, cætera haud difficulter instituendam. *Chuppa*, ἐν ᾗ ἐνυμφεύσατο ὁ λόγος τὴν σάρκα, est castissimus Mariæ uterus: *Sponsus*, ipse λόγος, δύναμις ὑψίστου: Filius Dei μονογενής: *Sponsa*, caro seu natura humana in se ἀνυπόστατος, nostræ tamen vere ὁμοούσιος: *Copulator*, Spiritus Sanctus, Cœlestis Rabbi, qui per ἐπέλευσιν, seu singulares plane superventum guttulas Virginis Mariæ sanguineas, e quibus caro Domini formanda erat, consecravit: ipse tandem *Copulationis actus*, assumtio carnis in ὑπόστασιν τοῦ λόγου, & admiranda unio, e qua communio, & communicatio naturarum prodit.

VII. Probamus V. *ab analogia fidei*. Solet enim tremendum incarnationis mysterium humanæ rationi prorsus non comprehensibile uti sub aliis subinde figuris, ita cum maxime sub hac Nuptiarum allegoria adumbrari. Hinc frequens in Scholis Theologorum mentio *nuptiarum* non *spiritualium* modo, quæ unionem mysticam Christi & desponsatæ ipsi Ecclesiæ designant, ex *Hos.* II. 19. sed & *personalium*, quibus incarnatio & personalis unio notatur, tunc facta, *quando Deus Filium suum in utero virginis humanæ naturæ conjunxit, quando Deum ante omnia secula voluit fieri hominem in fine seculorum, quando verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, quæ verba sunt *Gregorii Magni Homil.* XXVIII. *in Evang. Tom. II. fol.* 508. *A.* Tum enim facti sunt Deus, & homo duo in carne una, *Ephes.* V. 29. 30. duæ nimirum naturæ in una eademque indivisa persona. Atque ideo *Proclus Constantinopolitanus Homil. de natur. Christi* pulcherrime *Mariam* vocat *thalamum, in quo verbum humanam carnem sibi desponsavit*. Videantur inprimis commentatores ad *Matth.* XXII. 2. qui ad describendas has personales nuptias occasione nuptiarum regnum cœlorum parabolice adumbrantium excurrunt.

VIII. Probamus VI. *a consensu Theologorum quorundam*, ad quem propterea potissimum provocamus, ne cum superiori capite plurimos aliam explicandi rationem ingressos produxerimus, soli sapere, aut absque manuductione Præceptorum & autoritate quicquam asserere videamur. Ita autem accuratissimus Theologus *Dannhaverus* tum *in Hodosophia Phœn.* VIII. *pag.* 610. (407.) tum *in Christosophia pag.* 32. nos in sententia nostra confirmavit, ut non possimus, quin verba ejus, quæ utrobique pene eadem habet, huc transcribamus. Agit de incarnationis mysterio, atque illud paulo plenius expositurus addit: *Quæ omnia illustrari comparatione nuptiarum clarissime possunt, quas ipse cœlestis aulæ præco Gabriel intimavit, cum dixit:* δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι. Luc. I. 35. Ἐπισκιασμὸς, *ex ritu Judæorum, liquidissime exponi potest de ipsa solennitate nuptiali. Elias in Thisbi explicans vocem* חופה *Chuppa, vestis est, inquit, seu velum, quod super caput sponsi & sponsæ quatuor virgis, seu vectibus suspenditur, quando fit desponsatio; & sub eo velo sponsæ annulum porrigi testatur David de Pomis in dictionario voce* חפה. *Hæc fortassis illa pallii pinna, de qua* Ruth. III. 9. *vestimenti ala, de qua* Ezech. XVI. 7. *Umbra* Cant. II. 3. παστὸς Psalm. XIX. 6. *Chuppa, scilicet ad quam adstitit* φίλος τοῦ νυμφίου *Johannes Baptista* Joh. III. 29. *Ergo virtus altissimi obumbrabit tibi, idest in te, in tuo utero tanquam sub Chuppa filius Dei tuo*

ſe ſemini deſponſabit &c. Hæc ille, cujus ſententiam tacite approbavit *Gejerus* ad *Pſal.* XIX. *6. p.* 319. Confer & e *Romano-Catholicis Caſparum Sanctium Comm. in* Cantic. *pag.* 89. *ſeqq.* & *Comm. in Jeſ.* IV. 8. *pag.* 57. Atque hæc quidem hactenus, quibus, præmiſſa Chuppæ ritus explicatione, illius uſus commonſtratus eſt applicatione dictorum ad illuſtrationem Ἐπισκιασμοῦ *Luc.* I. 35. memorati.

JOHANNIS BUXTORFII
DISSERTATIO
DE
CONVIVIIS VETERUM HEBRÆORUM.

QUæſtio prima. Quænam ſint nomina Hebraica conviviorum? Reſp. Varia ſunt nomina, quibus Hebræi convivia deſignare ſolebant, & quorum quodlibet fere peculiare quid in conviviis uſitatum reſpicit. Sic dicitur convivium משתה a שתה quod eſt bibere ſive potare cui affine admodum eſt Græcorum *συμπόσιον* compotatio. Neque enim ſine potu convivia agitantur. Semel atque iterum huic nomini additum reperimus nomen יין vinum, uti *Eſther.* 5. 6. & 7. 7. Vocatur quoque, convivium כרה 2. *Reg.* 6. 23. ויכרה להם כרה גדולה ויאכלו וישתו: *Et apparavit eis convivium magnum & comederunt & biberunt.* Sic dictum eſt dubio procul ab emtione eorum, quæ ad id ſunt neceſſaria, Radix enim כרה emere, comparare quoque ſignificat. Neque enim ex dapibus duntaxat inemtis convivium paratur. Dicitur etiam לחם, quæ quidem vox proprie panem notat, & Synecdochice pro quovis cibo accipitur, ſed & pro convivio, uti liquet ex loco *Daniel.* 5. 1. עבד לחם רב *fecit* (Belſazer) *convivium magnum.* Nomen aliud eſt מסב a diſcumbendo ita dictum. Proprie enim hæc vox diſcubitum notat (a סבב accumbere, 1. *Sam.* 16. 11.) ſed & convivium, ut *Cantic.* 1. 12. *dum eſſet Rex* במסבו *in convivio ſuo.* Nec omittenda eſt vox ארוחה, quæ quidem proprie ſignificat viaticum, ſeu commeatum viatorum in itinere, ſed & convivium, veluti *Proverb.* XV. *verſ.* 7. טוב ארוחת ירק ואהבה שם משור אבוס ושנאה בו: *Melius eſt convivium oleris ubi ſit dilectio, quam bovis ſaginati, in quo ſit odium.* Taceo nomina dubia, טבח, מרזח, זבח, de quibus etſi Scripturæ loca poſſent afferri, alio tamen non minus commodo ſignificatu accipi poſſunt. Supereſt denique vox סעודה, qua Rabbini utuntur a סעד ſuſtentare, eo quod convivium corporis vires ſuſtentet atque roboret.

Quæſtio ſecunda. An veteribus Hebræis lotio manuum ante, & poſt cibum quoque uſitata fuerit? Reſp. de hoc ne minima quidem eſt dubitatio. Quod attinet ad lotionem ante cibum, *Marci* VII. *verſ.* 3. dicitur, Phariſæos & Judæos omnes non comedere, *ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται* niſi laverint manus *πυγμῇ*, quæ vocula quomodo reddenda ſit, variæ fuerunt interpretum ſententiæ. Quidam illam exponunt *pugno*, quod poſtulet ſollicita manuum lotio, ut manus in pugnum contracta cavam manum fricet. Alii, ut *Theophylactus*, *μέχει τοῦ ἀγκῶνος ad cubitum uſque*, alii crebro, ſæpe, alii accurate & diligenter. Nota quoque ſunt vetera Hebræorum effata: כל האוכל לחם בלא נטילת ידים כיאלו בא על אשה זונה: *Quicunque comedit panem ſine lotione manuum, perinde eſt ac ſi rem haberet cum ſcorto.* Item: כל המזלזל בנטילת ידים נעקר מן העולם: *Quicunque vilipendit lotionem manuum, exſtirpatur e Mundo.* Lotionem manuum poſt cibum uſitatam pariter veteribus Hebræis fuiſſe, vel inde liquet, quod diſcrimen fecerint inter מים ראשונים *aquas priores* & אחרונים *aquas poſteriores*, h. e. ante & poſt cibum. In illis manus erant ſurſum elevandæ, in his vero demittendæ deorſum, quod ita efferunt מים ראשונים צריך שיגביה ידיו למעלה מים אחרונים צריך שישפיל ידיו למטה: *In aquis prioribus oportet manus attollere ſurſum, in poſterioribus vero demittere.* De lotione manuum ante cibum quæri poſſet, qui factum ſit, ut diſcipuli Chriſti illam intermiſerint (cum tamen iidem Hebræi ex Hebræis fuerint,) prout hanc lotionis intermiſſionem Phariſæi in illis culpant, *Matth.* XV. & *Marc.* VII. dicentes Domino Jeſu: *Diſcipuli tui non lavant manus, cum edunt panem.* Reſp. Abſit ut exiſtimemus diſci-

discipulos Christi adeo sordidos, & a munditie alienos fuisse, ut illotis manibus cibum caperent, verum tamen quia Pharisæi hac in parte erant nimis superstitiosi, atque in hujusmodi ablutionibus aliisque Ritibus externis, pietatis sanctitatisque summam collocabant, discipuli, quando cum Pharisæis illis res erat, lotionem intermisere, vel ad exemplum Christi, *Luc.* XI. 38. vel ad ejus mandatum, ut ansam caperet illorum hypocrisin, & simulatam justitiam severe redarguendi, quippe quibus traditiones humanæ, corporis & suppellectilis munditiés tantopere curæ erat, cum interea præcepta Dei mentisque munditiem negligerent, animosque odio, livore, ambitione, avaritia simulatione inquinatos haberent. *Quæstio tertia*. An lotio pedum fuerit ritus ordinarius a veteribus Hebræis in omnibus conviviis ante accubitum observatus? Resp. Multi eruditorum affirmant, quos inter *Scaliger* & *Casaubonus*, qui *Exercit.* VI. §. 22. ait: *vel pueris notum esse, morem fuisse Judæorum pedes ante accubitum lavandi*. Rectius alii negare mihi videntur, quoniam nec vola, nec vestigium hujus ritus apparet in Scriptura aut libris Judæorum Ritualibus. Exemplum Christi lavantis pedes discipulorum, *Johan.* XIII. pro affirmante sententia non facit, ex *vers.* enim 4. & 5. evidens est, post cœnam demum paschalem lavisse pedes. Itaque clarum est hanc Christi lotionem non fuisse ceremoniam aliquam ordinariam, sed factum extraordinarium, quo discipulis humilitatis exemplum præbere voluit. Nam alias inferior superiori, servus Domino aquam præbet ad lavandos pedes vel manus. Neque porro affirmanti sententiæ favent verba Christi, *Luc.* VII. 44. ubi Christus recens Hierosolymam adveniens, Pharisæo, a quo cœna fuerat exceptus, exprobrat intermissionem lotionis pedum: *ingressus sum domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti*, Christus enim Pharisæo non hoc exprobrat, quod sibi discubituro aquam non dederit, sed quod sibi ex itinere recens Hierosolymam adventanti aquam ad pedes lavandos non porrexerit. Hæc enim pedum lotio utique apud veteres Hebræos viguit, ut scilicet peregre adventantium pedes abluerent cum ad pulverem & lutum detergendum, (etenim non calceos uti nos, sed soleas gestabant plantam pedis solummodo tegentes, reliqua parte nuda) tum ad lassitudinem tollendam, quod patet exemplo Abrahami, *Genes.* XVIII. dicentis tribus viris qui ad eum diverterant, *sumetur jam parum aquæ, & lavate pedes vestros*, Lothi *Genes.* XIX. ad quem morem respicit quoque Paulus, I. *Tim.* 5. 10. ubi agit de vidua, quæ *Sanctorum pedes abluit*. Neque est quod objiciatur exemplum Pharisæi illius, *Luc.* XI. 28. qui cum D. Jesum ad cœnam invitasset, miratus est, *ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου eum* (scilicet D. Jesum) *non prius ablutum fuisse ante prandium*. Nam *βαπτίζεσθαι* hic notare potest, נטילת ידים *Lotionem manuum*, quam veteribus Hebræis usitatam fuisse in antecedentibus probatum dedimus. Verisimile autem est, demiratum esse Pharisæum, Christum accumbentem ad mensam lotum non fuisse, partim quod lotio ante cibum usitata esset, partim quod Christus recens ex magna hominum promiscuorum turba venerit, *vers.* 29. unde ex Pharisæorum opinione immunditiem contraxerat, ac proinde lotione eguisse ipsi videbatur, quo spectat Marc. VII. 4. *Pharisæi a foro venientes nisi loti fuerint, non edunt*. *Quæstio quarta*: An veteres Hebræi mensis assederint, vel accubuerint. Resp. Hic necessario distinguenda sunt tempora. Aliud enim est loqui de temporibus vetustissimis Hebræorum, aliud de temporibus insecutis & ævo posteriore. Verisimile est Hebræos vetustissimos in pellibus vel gramine, vel fœno jacentes cibum sumsisse, tunc nimirum, cum mensæ, scamna, sedilia nondum inventa essent. Quo tamen trahere nollem, quod Abrahamus tres viros, qui circa meridiem venerant, sub arbore reclinare jusserit, ut sub umbra in gramine jacentes cibum caperent, siquidem hoc in æstu meridiei ad illos refocillandos fieri potuerit. At deinceps tamen veteres Hebræos ad mensam sedentes cibum sumsisse, neque posterioris ævi ritu in lectulis aut tricliniis accubuisse, evidenter patet ex Scripturæ testimoniis. Cum Jacob olim patri cibum a matre attulisset, quo benedictionem impetraret, his eum verbis affatus est; שבה ואכלה מצרי *sede & comede de venatione mea*, Gen. 27. 19. De fratribus Josephi in foveam projecti dicitur, *Genes.* 37. *v.* 25. וישבו לאכל לחם *Et sederunt ad comedendum panem*. Sic I. *Sam.* 20. 5. David ad Jonathanem dicebat: *Ecce Kalendæ sunt cras, & sedendo sedere soleo apud Regem ad vescendum*. De duobus Prophetis in Bethel legitur, *quod mensæ assederint*. I. *Reg.* 13. 20. Salomonis *Proverb.* 23. I. hæc est admonitio: *Cum sederis ut edas cum dominante considerando considera quod erit coram te*. Denique *Jerem.* XVI. 8. legere est: *Domum convivii ne ingrediaris, ut sedeas cum eis ad comedendum & bibendum*. Excipi forsan possit ad testimonia de sessione allata, videlicet verbum ישב, quod in

in illis occurrit, etiam uſurpari de accubitu in lectis triclinaribus, veluti in loco *Ezech.* XXIII. *v.* 41. ubi de muliere delicata & peccatrice: וישבת על מטה כבודה ושלחן ערוך לפניה: *Et ſediſti ſuper lectum honorabilem, & menſa inſtructa eſt ante ipſum*. Cum igitur de accubitu quoque in lectis tricliniaribus ישב uſurpetur, e locis allatis ſeſſionem ad menſam non puto probari. Reſp. Diſtinguendum eſt inter loca, in quibus verbum ישב occurrit abſque mentione lecti, & inter illa in quibus occurrit conjunctum cum lecto, veluti in hoc *Ezechielis* loco, ubi dicitur hæc mulier ſediſſe in lecto, quia revera accumbentes in lectis tricliniaribus nihilominus aliquando ſeſe erigebant, & ex parte ſedebant ſive ob collocutionem, ſive alia de cauſa. In locis vero ſupra allatis verbum ישב de epulantibus occurrit abſque ulla lecti mentione, conſequenter argumentum ex illis pro ſeſſione ad menſam veteribus Hebræis aliquandiu uſitata firmo ſtat talo. Verum ut aliquandiu veteribus Hebræis ſeſſio ad menſam uſitata fuit, ita poſteriori ævo ſeſſioni ſucceſſit accubitus Græcis quoque & Romanis uſitatus, ab Hebræis verbo סבב expreſſus, uti 1. *Sam.* XVI. 11. a Græcis verbis ἀνακλίνειν ἀναπίπτειν, ἀνακεῖσθαι, quæ paſſim in Novo Teſtamento occurrunt. In cœnaculo ponebatur menſa, & circa illam lecti tricliniares, quos Hebræi vocant המטות, ut 2. *Reg.* IV. 10. Singulis in lectis accumbebant convivæ reclinata ſuperiore corporis parte in cubitum ſiniſtrum, inferiore autem in longum porrecta & jacente. Hujuſmodi accumbendi ritum Chriſto quoque & diſcipulis ejus uſitatum fuiſſe liquet ex *Joh.* XIII. 23. *Erat autem quidam ex diſcipulis Jeſu recumbens in ſinu ipſius, nimirum is, quem diligebat Jeſus.* Si quis hic quæreret, utrum veteres Hebræi hunc accumbendi morem a Romanis mutuati fuerint, reſpondemus paucis, quo minus hoc aſſeramus, obſtare loca Veteris Teſtamenti, e quibus patet, accubitum Hebræis cognitum & uſitatum fuiſſe diu antequam Romani illorum Domini facti eſſent. Id quidem concedi forſan poſſet, nonnulla Judæos a Romanis adoptaſſe, quæ ad circumſtantias & apparatum ſpectant nitidiorem. *Quæſtio quinta.* Utrum in conviviis veterum Hebræorum menſæ communes, an ſingulæ vel peculiares uſitatæ fuerint? Reſp. Si Hebræis credimus, ſua cuique convivantium menſa peculiaris appoſita fuit. Ita in *Toſephot* ſive additionibus Tr. *Berach.* c. VI. היו להן שלחנות קטנים וכל אחד לפני עצמו אוכל על שלחנו: *Habebant parvas menſas, & unuſquiſque ſeorſim comedebat ſuper menſa ſua peculiari.* Eundem morem apud Germanos olim obtinuiſſe, *Tacitus* Autor eſt de moribus Germanorum. *Lauti*, inquit, *cibum capiunt, ſeparatæ ſingulis ſedes, & ſua cuique menſa.* De Romanis *Petronius* teſtatur, *ſuam convivantium cuique menſam fuiſſe aſſignatam.* De Græcis ex *Homero* idem obſervavit *Athenæus Deipnoſoph. l.* 1. Idem hodieque Chinenſibus in more poſitum eſſe, prodiderunt Scriptores illi, qui de hujus Gentis indole & vivendi modo latius egerunt. *Quæſtio ſexta.* Cujus generis cibariis veteres Hebræi in conviviis veſci ſoliti fuerint? Reſp. Veſcebantur pane, ut paſſim ex Sacris liquet, carne bubula, ovilla, vitulina, a porcina vero abſtinebant, veſcebantur variis leguminibus, quæ nonnulli deſignata cenſent, per מזון *Geneſ.* XLV. 23. alii per זרועים *Dan.* I. 12. uſi porro ſunt זעדר hordeo פולים fabis ערשים lentibus. Sunt etiam alterius generis edulia, quæ comedebant, veluti עוגות placentæ דבש mel חמאה וחלב lac & butyrum, item גבינה, שפות, חריצים caſei. Veſcebantur etiam arborum fructibus, cujuſmodi ſunt תאנה ficus vel recens, vel in maſſam compreſſa aut compacta, quam voce דבלה quidam denotari cenſent, item ענבים uvæ vel ſucculentæ adhuc vel arefactæ quas צמוקים vocabant, cujuſmodi ab Abigaele Davidi allatæ fuerunt, 1. *Sam.* XXV. 18. *Quæſtio ſeptima.* An in conviviis veterum Hebræorum ſingulis convivis certæ cibi potuſque portiones diſtributæ fuerint? Reſp. affirmando. Alia ſane tum fuit convivandi ratio, cum non pro noſtri temporis more apponerentur cibi communes omnibus convivis, ita ut quiſque ſibi quas vellet particulas decerperet, ſed unicuique portio ſua (forte a coquis vel Patribus familias) daretur, cujuſmodi portiones Hebræi מנות, משאות, נתחים, פתים nuncuparunt. Exemplum hujus priſci moris convivalis nobis præbet Regium illud Davidis convivium, ubi ſingulis diſtributæ ſunt ſuæ portiones panis, carnis & vini, 2. *Sam.* VI. 19. Sic poſtquam Elkana Deo obtuliſſet ſacrificium, in epulo quod conſecutum fuit. Peninnæ uxori ſuæ, filiiſque & filiabus partes certas diſtribuit, Hannæ vero uxori ſuæ dilectiſſimæ dederat מנה אחת אפים ad verbum, *diſtributionem unam facierum*. 1. *Sam.* I. 5. hoc eſt, partem exquiſitam & maxime honorabilem, non *triſtem*, uti inepte reddidit *Lutherus*. Targum bene: חולק בחיר *partem ſelectam*. Syrus & Arabs *partem duplam*, ſeu duplo majorem. Ita *Geneſ.* XLIII. Joſephus ſingulis fratribus a menſa ſua miſerat, משאות ſeu ferculorum מנות *portiones*, ut expoſuit *Raſchi*, atque

in

in ſignum tenerrimi affectus in portionibus dividendis effecit, ut pars Benjamini excederet reliquorum partes. Ad hunc morem alluſiſſe ſervatorem noſtrum, *Luc.* X. non inepte cenſetur, cum his ad Mariam verbis uteretur: *Maria elegit* ἀγαθὴν μερίδα *bonam partem*. Martha quippe anxie occupata fuerat in cibis parandis, quorum præcipuam & optimam partem Chriſto deſtinabat. Huic optimæ parti eleganter opponit illam partem, quam ipſe docendo Mariæ impertiebatur, partem certe præſtantiſſimam, non corpus ſed animam paſcentem. Ex eodem more deductæ videntur nonnullis uſitatæ in Pſalmis Phraſes, veluti *Pſalm.* XVI. יהוה מנת חלקי וכוסי *Jehova pars portionis meæ & calicis mei*, quamvis aliis placuerit hæreditatis ſignificationem nomini חלקי tribuere. Cæterum gentibus nonnullis hunc morem quoque uſitatum fuiſſe, ut ſingulis ſcilicet convivis ſuæ partes diſtribuerentur in ſingulis ſcutellis, multis evinci poſſet teſtimoniis. Et de Græcis quidem conſtat, hujus inter illos conſuetudinis non pauca apud *Homerum* extare veſtigia. *Plutarchus* item *Problem. l.* 2. quærit, *Laudabiliuſne fecerim majores certis portionibus, an recentiores communibus dapibus victitantes*, qua de re diſputat in utramque partem. Supponit itaque veteris fuiſſe moris, ut certæ portiones unicuique in conviviis diſtribuerentur. *Quæſtio octava*. An in conviviis veterum Hebræorum unctio quoque uſitata fuerit? Reſp. Ungere caput fragranti oleo moris omnino fuiſſe videtur in conviviis Hebræorum lautioribus, ut convivas recrearent. Huc reſpicit David allegoria *Pſalmo* XXIII. *Præparas coram me menſam e regione hoſtium meorum, impinguas oleo caput meum*. Idem liquet ex verbis Chriſti ad Simonem Phariſæum, *Luc.* VII. *oleo caput meum non unxiſti*. *Matth.* XXVI. in ædibus Simonis leproſi venerat ad D. Jeſum mulier quædam habeos alabaſtrum unguenti gravis pretii, & effuderat ſuper caput ipſius. Eruditiſſimus *Otho*, ita de hoc ritu: *Tandem uſitatiſſimum erat, in epulis etiam ſacris non ſolum profanis, capiti alicujus præſentis oleum aromatibus conditum illinire*. Porro ſequentia affert ex H. Berachot: *Schola Schammæana dicit: oleum ſuave dextra tenet, & poculum vini ſiniſtra. Recitat primum benedictionem ſuper oleo, & dein ſuper poculo. Schola Hilleliana dicit, oleum tenet dextra, poculum ſiniſtra. Benedicit ſuper oleo ſuavi atque illinit capiti miniſtrantis. Si vero miniſtrans ſit diſcipulus ſapientis, illinit parieti, nam indecorum eſt diſcipulo ſapientum olere aromata*. Cæterum apud Græcos quoque & Romanos hunc morem obtinuiſſe ex *Homero* evidens eſt, ubi Telemachi ante convivium uncti mentionem facit, nec non ex *Martialis* Epigrammate in Fabullum: *Unguentum (fateor) bonum dediſti convivis here, ſed nihil ſcidiſti, res falſa eſt bene olere & eſurire, qui non cœnat & ungitur Fabulle, hic vere mihi mortuus videtur*. *Quæſtio nona*. An Muſica quoque in conviviis veterum Hebræorum fuerit uſitata? Reſp. Euripides quidem ait, non in conviviis, ſed in luctu potius Muſicam eſſe adhibendam, eo quod convivia ſatis ipſa per ſe læta ſint, in luctu autem quærendum ſit aliquid, quo minuatur dolor. Interea tamen Muſicam inter epulandum pleriſque gentibus veluti Perſis, Romanis aliiſve uſitatam fuiſſe conſtat. *Siracides* cap. 32. 7. *Concentus Muſicorum in convivio compotatione læto eſt quaſi inſigne carbunculi in ornatum incluſum aureo*. Sane apud veteres quoque Hebræos in illorum conviviis uſitatam fuiſſe patet, vel ex *Eſa.* V. 12. ubi taxatur abuſus Muſicæ in epulis luxurioſorum: *Eſt Cithara, Nebel, tympanum & tibia, & vinum in conviviis eorum: opus autem Jehovæ non reſpiciunt, nec opus manuum ejus vident*, a quo loco *Eſajæ* non abludit locus, *Amos* cap. VI. verſ. 4. 5. 6. Sed & Novum Teſtamentum Muſicæ convivalis exemplum ſuppeditat, *Luc.* XV. Quando enim Pater filium prodigum ad patrios lares, & ad meliorem pariter mentem reverſum cœna excepit, filius ſenior rure rediens audierat συμφωνίας, ſive concentus Muſicos. *Maimonid.* הלכות תעניות, ſive *Tract. de Jejuniis c.* 5. ſcribit: נהגו כל ישראל לומר דברי תושבחות או שיר של הודאות לאל וכיוצא בהן על היין fuiſſe ſcilicet, olim omnibus Iſraelitis in more poſitum, ut hymnos laudativos aliaſque cantilenas in conviviis decantarent in honorem Dei. *Quæſtio decima*. Utrum Jentacula apud veteres Hebræos in uſu fuerint? Reſp. Nihil fere certi hic ſtatui poteſt, quamvis veriſimilius ſit non fuiſſe in uſu. Neque tamen uſque adeo ſolidum cenſeri queat pro negante ſententia argumentum ex *Actorum* cap. II. petitum, ubi Petrus a ſe cæteriſque Apoſtolis ebrietatis notam amolitur, eo quod eſſet hora tertia ante meridiem, quæ in noſtris regionibus reſpondet horæ nonæ. Excipi enim poteſt, Petri verba de tempore feſtali duntaxat accipienda, illumque hoc voluiſſe, nullam hoc prorſus habere veri ſpeciem, viros hoſce tum ebrios fuiſſe, eo quod ob feſti Pentecoſtes Religionem ex gentis Judaicæ inſtituto, ne quidem ante horam ſextam quicquam cibi vel potus deguſtari ipſis permiſſum ſit, unde tamen nequaquam ſeque-

queretur. Tempore ordinario jentacula non fuisse usitata. Cæterum pro jentaculis non magnopere facit locus *Esa.* v. ubi vates exprobrat sui seculi hominibus compotationes matutinas. Res enim ei erat non cum iis, qui secundum consuetudinem & regulas sobrietatis, sed intemperanter potius vivebant, atque intempestivas compotationes sectabantur. Neque porro pro iis facere videtur locus, *Joh.* XXI. ubi narratur discipulos Christi mane post ingentem illam piscium capturam comedisse. Neque enim de jentaculo sed prandio potius hæc intelligenda, id quod abunde probat verbum ἀριστάω, quippe quod, & *Luc.* XI. & alibi hoc significatu occurrit. *Quæstio undecima.* Utrum prandia veteribus Hebræis quoque in usu fuerint? Resp. De cœnis nullum est dubium, sed de prandiis res non æque certa quibusdam visa est. Ex jejuniis tamen probari posse videntur, quando videlicet a prandio omnique cibo abstinebant usque ad vesperam. Sic *Judic. cap.* XX. 26. dicitur, *& jejunarunt illo die usque ad vesperam.* 2. *Sam.* I. jejunarunt usque ad vesperam, propter Saulem & Jonathanem, porro 2. *Sam.* III. 35. *Juravit David se ante solis occasum nihil gustaturum*, qui postremus locus evidentissime docet prandia fuisse usitata, erat enim meridies, cum populus prandere voluit peractis Abneri exequiis. In Novo Testamento evidens omnino est inter ἄριστον & δεῖπνον *prandium & cœnam* distinctio, *Luc.* XIV. 12. & Servator noster pransus est cum Pharisæo quodam *Luc.* XI. v. 37. *Quæstio duodecima.* Quodnam fuerit apud veteres Hebræos prandii tempus? Resp. Hoc colligi potest ex *Gen.* XLIII. 16. ubi *Josephus* mandavit domus suæ præfecto, ut fratres suos introduceret in domum, quo secum comederent, seu pranderent בצהרים *in meridie.* Chaldæus vocem pterea simpliciter מזג *mixtio* vocatur *Cant.* בצהרים reddit בשרותא quod *Jarchi* exponit de סעודה ראשונה primo convivio circa meridiem sumto; *Bechai* quoque in eum locum annotat tempus quo principes edere solent, debere esse meridiem, quod scilicet totum tempus, matutinum expediendis Reipublicæ negotiis impendere teneantur, Scripturam Sacram increpare eos, qui mane edunt, juxta illud *Ecclesiastis*, cap. X. 16. *Væ tibi terra, quando rex tuus puer est, & Principes tui mane comedunt.* In novo testamento Petrus circa horam sextam, id est, circa meridiem esuriens cibum capere volebat. *Actor.* X. 9. 10. *Quæstio Decima tertia.* An convivia Natalitia veteribus quoque Hebræis usitata fuerint? Resp. Convivia natalitia ea vocamus, quæ quis adornat eo die; quo lucem hanc primum adspexit. Ac Græcis quidem, Romanis, Persis, ejusmodi convivia usitata fuisse, non est cur inficias eamus, siquidem id non pauca autorum testimonia evincant, sed de veteribus Hebræis res prorsus incerta est. Quod enim in historia Evangelica proditum est, Herodem natalitia sua agentem, splendidum admodum epulum proceribus suis, Chiliarchis & primariis Galilææ apparasse; non plus docet, quam regibus Orientis hoc in more positum fuisse. Neque huc facit epulum Natalitium *Genes.* 40. memoratum, quod Pharao Ægypti Rex die suo Natali servis suis exhibuit, fuit enim hoc epulum natalitium pagani hominis, non Judaica Hebræorum Religione imbuti, quod (uti rectissime colligit celeberrimus *Iselius* noster) *argumento nobis esse potest, profanam potius quandam consuetudinem hanc fuisse, quam Judaicam.* *Quæstio decima quarta.* An apud veteres Hebræos usitata quoque fuerint convivia eo die, qua Infantibus nomina fuerunt imposita? Respond. De Atheniensibus quidem *Suidas* hoc prodidit, sed de veteribus Hebræis res incerta est. Apud Athenienses decimo a partu die conveniebant amici & propinqui, & peracta re divina infantibus recens natis nomina imponebantur, prætereaque decimam hanc diem nominum impositioni dicatam lautissimo celebrare convio soliti fuere. In Scriptura Sacra equidem Exemplum non occurrit convivii in impositione nominis a veteribus Hebræis celebrati, nihilominus nonnullis valde verisimile videtur, hoc hilaritatis augendæ causa factitatum fuisse. Unde eruditissimus *Iselius*: *Nulla equidem ejusmodi apud Hebræos quoque in ista cerimonia celebrati convivii, quod sciam, in sacris literis expressa sit mentio, non est tamen dubitandum, quin hic quoque majoris excitandæ lætitiæ causa adhiberi sint solita convivia.* *Quæstio decima quinta.* An etiam convivia veteres Hebræi agitarint in ablactatione infantium? Resp. Suppetit hic nobis exemplum Abrahami, qui, cum Isacus filius ejus ablactaretur, convivium apparavit, quod Moses conceptis verbis refert, *Genes.* 21. 8. ויגמל ויעש אברהם משתה גדול ביום הגמל את יצחק: *Et ablactatus fuit fecitque Abraham convivium magnum die quo ablactatus fuit Isaacus.* Huic convivio interfuisse Regem Gogum ejusque Proceres, nec non triginta duos Reges a Josua interfectos impudenter nugantur Judæi. Paulo tolerabilius *Jarchius* vocari, inquit, illud convivium גדול magnum שהיו שם גדולי הדור שם עבר אבמלך: *eo quod ei interfuerint magnates illius ævi*

Sem, *Heber & Abimelech*. *Auguſt. qu.* 50. in Geneſin inquirit in cauſam inſtructi hujus ab Abrahamo convivii tempore ablactati Iſaaci, verum rem acu non tetigit. *Merito quæritur* (inquit) *cur nec die quo natus eſt ei filius, nec die quo circumciſus eſt, ſed quo ablactatus eſt, epulum fecerit? quod niſi ad aliquam ſpiritualem ſignificationem referatur, nulla ſolutio quæſtionis eſt, tum ſcilicet eſſe debere magnum ſpirituale ætatis, quando fuerit factus homo novus ſpiritualis, hoc eſt, non talis, qualibus dixit Apoſtolus, lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis, ſed nec adhuc poteſtis. Adhuc enim eſtis carnales*. Veriſimilius eſt, convivium illud ab Abrahamo agitatum fuiſſe pro recepto Cananæis, quibuſcum verſabatur, more, qui deinceps forſan ab Hebræis quoque adoptatus fuit, ut cum amicis *Deo* gratias agerent, quod infantes eouſque deducti eſſent, ſimulque pro ulteriore illorum incremento vota ſuſciperent. Judæi hodie non ablactationis ſed circumciſionis die convivium celebrant, atque obtorto collo huc rapiunt ex loco citato verba poſtrema ביום הגמל את יצחק *die illo quo ablactatus eſt Iſaacus*. Eliſis enim in verbo הגמל literis ה & ג octonarium conficientibus numerum, hunc ſenſum reperiunt homines ingenioſi ſcilicet: *die quo circumciſus eſt*. *Quæſtio Decima ſexta*. An veteribus Hebræis uſitata quoque fuerint convivia nuptialia. Reſp. Primum convivium nuptiale de quo legimus, eſt illud, quod in nuptiis Jacobi celebratum eſt, *Geneſ.* 29. Ante diluvium memorantur quidem conjugia, ſed nulla conviviorum fit mentio. Neque etiam poſt diluvium tale quid narratur vel de Abrahamo vel Iſaaco, verum in Jacobi nuptiis tale convivium celebratum fuit. Et illo quidem ævo videturmoris fuiſſe, ut ejuſmodi convivia per ſeptem dies celebrarentur. De his ſeptem enim convivii diebus videntur intelligenda Labanis verba ad Jacobum de Lea. *Geneſ.* 29. 27. מלא שביע ונתנה לך גם את זאת: *Comple hebdomadam hujus* (ſcil. Leæ) *& dabimus tibi quoque hanc* (Rahelem) hoc eſt, ne repudia Leam, ſed confirma connubium, & comple ordinarium ſeptem dierum nuptialium numerum. Obſecutus quoque eſt Jacob Labani & complevit hebdomadam, quo Rachelem impetraret. Ita etiam de Simſone *Judic.* 14. 13. proditum eſt, quod ejus convivium nuptiale per ſeptem dies duraverit. In libro *Tobiæ cap.* XI. *verſ. ult.* pariter dicitur, quod nuptiæ hilariter agitatæ fuerint diebus ſeptem. *Saldenus* in uxore *Hebr. lib.* 2. *cap.* 11. diſtinguit, nempe epulum nuptiale per ſeptem dies celebratum fuiſſe, ubi ſponſa fuerit virgo: per triduum vero duntaxat, ubi vidua vel vitiata ducebatur. Addit ibidem: cui plures ſponſæ ſimul fuerint ducendæ, eum ſingulis uxoribus ſingulas epulas per totidem dies celebrare debuiſſe, idque lætiſſime & ita ut non ſolum ab omni labore ceſſaret, ſed & ab omni alterius generis lætitia. Ex mente Judæorum hanc addit rationem: שאין מערבין שמחה בשמחה *quoniam non commiſcenda eſt lætitia cum lætitia*. *Buxtorfius* in *Synag. Jud. cap.* 39. docet, verbos hodiernos imitari hac in re priſcorum judæorum conſuetudinem, adeoque & horum nuptias integram durare ſeptimanam, eo quod Laban Jacobo dixerit: *imple ſeptimanam* hanc & quod de Simſone ſcriptum ſit: *ſi indicaveritis illud ſeptem diebus convivii*. Et ut *Seldenus* docuit in nuptiis viduæ epulum nuptiale apud veteres Hebræos triduum duntaxat duraſſe: ita *Buxtorfius* quoque ſcribit hodie inter Judæos nuptias cum vidua non tantam habere lætitiam & tres tantum dies durare ſive ſponſus cælebs ſive viduus fuerit, addit tamen poſtremum hoc non ab omnibus obſervari. Cæterum de veterum Hebræorum conviviis nuptialibus & hoc tenendum, in illis quoque aliquem munere Architriclini functum fuiſſe, quod liquet ex nuptiis Cananæis, quibus D. Jeſus cum matre ſua & diſcipulis ſuis interfuerat. *Johann.* 2. *verſ.* 8. 9. Ejuſmodi Architriclinus nonnullis eſt συμποσιάρχης, cujus officium fuerit convivium dirigere, dapes præguſtare, & convivis apponere. Celeberrimus *Lightfootus* vero aliter explicat. *Hunc ego* (inquit in hunc locum) *intellexerim eum fuiſſe, qui inſtar Sacellani erat, & gratias egit, & benedictiones pronuntiavit in talibus conviviis haberi ſolitas. Erat* ברכת חתנים *Benedictio ſponſi recitata unoquoque die ſeptidui: & eran in tam continuata convivatione benedictiones aliæ, quæ poculum vini requirerent, (nam ſuper poculum vini eſt benedictum) & erat ſpeciatim* ביס הבשורה *poculum bonorum novorum ob ſigna virginitatis ſponſæ. Illum ergo, qui pro toto cœtu benedixit, architriclinum hic dici exiſtimo. Ac vinum jam ex aqua factum Chriſtus ad eum dirigit, utpote qui propinaret toti cœtui, benedictione aliqua ſuper poculum concepta, poculo ab eo epoto, & ſubinde toti menſæ communicato*. *Quæſtio Decima ſeptima*. Quid ſtatuendum ſit de epulis ſacrificalibus? vel: an veteres Hebræi ſoliti fuerint reſiduam victimarum partem in uſum convivii convertere, & poſt ſacrificia inſtituere epula? Reſp. De hoc nequaquam dubitandum eſt. Diſerta lege poſt oblata pacifica hoc facere tenentur. *Deut.* 27.

27. *verſ.* 6. 7. *ædificabis altare Domino Deo tuo & offeres ſuper illud holocauſta Domino Deo tuo, & ſacrificabis pacifica Domino Deo tuo* אכלת שם ושמחת לפני יהוה אלהיך: *comedeſque illic atque lætaberis coram Domino Deo tuo*. Quin & hiſtoria ſacra convivia ſacrificiis eorum adjuncta non raro memorat, veluti 1. *Sam.* 9. 13. & alibi. Ab hoc epulandi more poſt victimas oblatas viri docti cenſent Agapas originem duxiſſe. Cæterum Ethnicis quoque hoc deinceps in uſu fuit, ut epulum e reſidua ſacrorum parte facerent, cui illorum ritui luculentum præbet teſtimonium locus, *Judic.* 16. 23. ubi Philiſtæi, poſtquam Simſonis oculos effodiſſent, congregari dicuntur, ut *magnum ſacrificium offerrent Dagoni Deo ſuo & lætarentur*, hoc eſt, feſtum e reſiduorum partibus inſtituerent. Ita *Hugo Grotius* in *Matth. cap.* XXVI. *Apud Græcos* (inquit) *aliaſque gentes uſurpabatur, ut qui victimas offerrent, de earum carne epularentur, ut paſſim apud Poetas videre eſt.* In ejuſmodi epulis, quas e ſacrificii reliquiis adornabant, tam liberaliter ſeſe invitabant ethnici & mero genioque adeo indulgebant, ut Diogenes (teſte *Laertio* in ejus vita) eo nomine indignatus fuerit, homines θύειν τοῖς θεοῖς ὑπὲρ ὑγιείας, ἐν αὐτῇ δὲ θυσίᾳ κατὰ τῆς ὑγιείας δειπνεῖν *Diis ſacrum facere pro ſanitate, in ipſo autem ſacrificio contra ſanitatem* (ebrietate ſcilicet & luxu) *epulari*. *Quæſtio Decimaoctava*. An convivia funebria veteribus Hebræis quoque fuerint uſitata? Reſp. Græcis & Romanis quidem epulas funebres in uſu fuiſſe plane indubium eſt, quin & ab illis hunc ritum ad Chriſtianos in primitiva Eccleſia manaſſe, nec paucis abuſibus ſœdatum fuiſſe ex *Cypriano*, *Ambroſio & Auguſtino* de civitate Dei conſtat. De veteribus Hebræis res non æque clara eſt. Videntur quidem locis quibuſdam Veteris Teſtamenti ineſſe veſtigia quædam conviviorum funebrium, veluti *Deut.* 26. 14. 2. *Sam.* III. 35. *Jerem.* 16. 5. *Ezech.* 24. 14. *Prov.* 31. 6. Verum & eadem non fuerunt tantum, ſed pene poſcunt alias expoſitiones, unde illis inniti nolim. Hoc tamen non tacendum eſt, quod *Joſephus lib.* 2. de *bello Judaic. cap.* 1. ſcribat, Archelaum Herodis filium ſeptem dies Patris ſui obitum luxiſſe & populo funebre epulum dediſſe.

JOH. HENRICI MAII
DISSERTATIO
DE PHILOTHESIIS VETERUM HEBRÆORUM, GRÆCORUM, ATQUE ROMANORUM.

PRÆFATIO.

Dubius equidem atque anceps diu apud me hærebam, quodnam argumentum ex obviis multis ſeligerem, quod & conſideratione laboreque non indignum & lectori erudito non ignoratum, nec ita tritum eſſet. Scio enim quam turpe tædioſumque ſit, nihil niſi vel lippis, quod ajunt, & tonſoribus notum, in diſputationibus propinare, eoque ſummos in Philoſophia honores affectare; aut, quod vix majorem meretur laudem, ſine labore aliorum labores exſcribere, eos pro ſuis venditare ſuæque diſputationi inconſiderate inſerere, ſicque plagis dignum plagium committere. A quibus uti merito verecundum ingenium abhorret; ita tandem viſum fuit Excellentiſs. Dominum Præſidem *conſulere, qui nihil cunctatus, en, inquit, de* Philoteſiis veterum *diſputabis, ſi placebit, & in hoc argumento vires periclitaberis, quod nec vulgare, nec inane, aut inutile eſt; præſertim cum plurima non ſolum V. ſed & N. inſtrumenti loca, propter antiquitatem & ritus veteres paulułum obſcura, hinc illuſtrentur, atque lux aliqua illis veluti affundatur. Scripſit equidem antehac* Doctiſs. Acad. Pariſ. Cancellarius, Joh. Fronto *epiſtolam de Philoteſiis veterum, ad* Illuſtriſs. D. D. Bellevræum, *qua ritus antiquos ſeſe in compotationibus ſalutandi tractat, atque multa ad illuſtrandam divinæ Euchariſtiæ inſtitutionem adfert, ea tamen vix primoribus labris attigit, quæ in Hebræa gente, antiquiſſimis retro ſeculis, veſtigia hujus conſuetudinis deprehenduntur. Hæc altius igitur repetere & pro viribus atque apparatu tenui inquirere, explicatiuſque tradere, animus mihi eſt. Confido interim ſperoque L. B. te veniam daturum, ſi deſiderio votiſque tuis ex aſſe haud ſatisfecero, cum tibi non ignotum eſſe queat, quanta ſubſidia, ad hoc plane perfecteque præſtandum requirantur. Totam vero tractationem ſequentibus includere placet capitibus: ut* 1. *explicem* Nomen *Philoteſiarum*, 2. *Origenem*, 3. *Modum*, 4. *Finem & Uſum cum Abuſu. Deus* T. O. M. *conatui adſit mentiſque vela ſuo Flamine dirigat, quo feliciter atque optato portum veritatis attingere queam!*

CAPUT PRIMUM.

De Philothesiarum Nomine.

I. ORdiar a Græca voce *Philoteſia*, quæ in fronte comparet, eoque magis, quia nec a *Frontone*, nec a *Stuckio* eo, quo debebat loco, ſatis explicatur. φιλότης tu eſt amicitia, amor, benevolentia: ita & φιλοτήσιον notat id, quod ad amicitiam pertinet, vel ei conciliandæ aptum eſt. Unde apud *Homerum* Ὀδυσσ. λ. φιλοτήσιας ἔργα, ea ſunt quæ ex amore proficiſcuntur, Liebe-Wercke/ ἐρωτικὰ, ut *Euſtathius* explicat. Φιλοτήσιος ποτύλη apud *Theognidem* eſt poculum, quod amicitiæ con-

conciliandæ ergo alteri præbibi solebat. Φιλοτησία deinceps propinatio dicta seu invitatio ad bibendum amica & inter amicos, aut alternæ propinationes, quæ in compotationibus ab amicis fiunt & amicitiæ contrahendæ vel firmandæ causa, ut ex *Suida* & *Æliano* constat.

II. Est igitur aptissimum hoc nomen, quod præter alia etiam conviviorum finem pulchre exprimit: ac dubito fere, an inter omnia illa, quæ Græci bene multa habent vocabula, quibus convivia appellant, ullum sit significantius. Δεῖπνον proprie prandium vetustioribus Græcis significavit, cui *Synonimon* est ἄριστον *Matth.* 22. *verſ.* 4.) *Luc.* XIV. *verſ.* 16. improprie recentioribus Cœnam *Luc.* XIV. *verſ.* 12. & Synecdochice convivium generatim notat *Matth.* XXII. *verſ.* 6. Συμπόσιον trita satis & nota vox compotationem tantum declarat. Δοχὴ ab excipiendis convivis nomen vi verbi accepit, & quemadmodum *Erasmus* ex *Athenæo* probare conatur, splendidum seu lautum epulum notat. Non dissentire videntur sacræ paginæ *Luc. verſ.* 29. Frequens quoque in veterum scriptis Συσσίτων nomen, si vim vocis spectes, convictum & sodalitatem plurium, at si usum consideres, communes civium epulas significans, quarum primam institutionem a *Cretensibus* petitam *Lycurgo* tribuit *Aristoteles Lib.* II. *Pol. cap.* X. Hos secuti Lacones, quibus φιδιλίων nomen usitatum, vel ἀπὸ τῆς φιλίας necessaria literarum λ. & δ. inter se facta permutatione: vel a φείδω, quod parsimoniam arguit. Hoc deinceps alii Græci, maxime *Athenienses*, imitati sunt, quorum δεῖπνα φυλητικὰ, φρατρικὰ & ὀργεωνικὰ huc esse referenda, *Athenæus* Author est *Lib.* V. δειπν. Celebre & multo etiam significantius est *Agaparum* nomen, quam *Philotesiarum*, in *Epist. Jud. verſ.* 12. Est enim a verbo ἀγαπᾷν, quod plus est quam φιλεῖν & longe magis efficacem amoris affectum infert, æque ut *amare*, plus est quam *diligere*, quod vel ex ipso *Cicerone* constat: *Antea*, inquit, *mihi tantum dilexisse*, *nunc demum amare videor.* Eo respexisse Christum putant. *Matth.* VI. 24. dictum vulgo Grammatici volunt παρὰ τὸ ἄγειν πᾶν, quod amor omnia contrahat conjungatque. Alii ab ἄγαν, valde & σπάω, nonnulli ex πάυεσθαι componunt. Illi efficaciter amore trahi, hi placide in rebus amatis acquiescere amantes, indicant. Quidam denique simplicius ex ἄγαν & πάω, possideor; avide enim possidemus & amplectimur ea, quæ amamus, vid. *Eduard. Legh.* Crit. S.N.T. & *Wolf. Annot. in Isocrat. pag.* 22. Quid si ex Hebr. עגב *adamavit*, *exarsit amore*, deducas? Si enim terminationem Græcam addideris, nascetur ἀγαπᾷν. De ipsis Agapis suo deinceps loco dicturi sumus. Nunc enim varia tantum nomina Conviviorum perteximus, ac ea imprimis, de quibus *Stuckius* vel plane nihil, vel pauca admodum notavit. Quare & reliqua a *Stuckio* adducta, ut: ἑστίαμα, εὐωχία, εἰλαπίνη, ἔρανος, ἠβητήριον, θαλία, θίασος, θοίνη, κιλικεῖον, κλητήριον, κάθεον, σύνοδος, συνουσία, συναγώγιον, prudentes scientesque prætermittimus. Hoc unum duntaxat addimus, quod in Actis *Philotesiæ* Christianorum describantur per fractionem panis κατ' οἶκον, & κοινωνίαν, *Act.* II. 42. 46.

III. Hebraica & Chaldaica nomina nec multa adeo, nec difficilia sunt. לחם & משתה generatim & Synecdochice pro convivio adhiberi, illudque a pane seu cibo, hoc a potu seu compotatione dici, notissimum est. Vid. *Dan. verſ.* I. *Genes.* XIX. 3. *Job.* I. 5. Hinc quando *Melchisedechus panem & vinum* protulisse *Abrahamo* legitur *Gen.* XIV. 19. nihil intelligemus simplicius, quam quod convivio eum exceperit humanissime, seu Philotesiam instituerit. Neque alio refero Abrahami hospitalitatem, quam ad Philotesias, quam peregrinis instruxit *Gen.* XVIII. 5. *ſſ.* ubi verbum סעד notari debet, quod *roborare*, *fulcire* generatim declarat, speciatim vero *cibo* 1. *Reg.* XIII. 7. Hinc משען לחם *baculus vel fulcimentum panis & aquæ Jes.* III. 1. *Chaldæus* per סעיד expressit, & סעודה Chaldæis Rabbinisque *cibum*, *epulum ac convivium* notat: כרה *Kerah* 2. *Reg.* VI. 23. eodem significatu occurrit, licet ratio significationis diversa sit a verbo כרה quod eodem in loco legitur & generatim notat *comparare*, speciatim *emere*, vel comparare per emtionem, item *fodere*, *scindere*, hincque *instruere convivium*, quod vel ab emtione, vel concisione animalium, aut dissectione ciborum ita appellari potuit, ut δαίς apud Græcos a δαίνυσαι i. e. ab æquali divisione seu distributione cibi potusque olim usitata, ut prolixe eplicat *Stuck.* pag. 2. cui proxime accedit vox זבח & טבח utraque a *mactando* nomen sortita. Mactantur autem pecudes ad convivium, quod vel sacrum est, & sacrificium dicitur, vel vulgare, 1. *Sam.* IX. 12. 13. XVI. 5. XX. 6. Et Græc. θύειν respondet *Matth.* XXII. 4. Sequitur סרזח *Amoſ.* VI. 7. quod sufficienter e *Mercero* præceptore suo exposuit *Stuckius*. ארחה viaticum proprie, vel cibarium itineris denotat, latius etiam aliquando demensum cibum seu epulum 2. *Reg.* XXV. 30. & *Jer.* XL. 5. LII. 34. *Prov.* XV. 17. Denique מסב *accubitum*, vel *discubitum epularem* significat, *Cant.* I. 12. quia convivæ more antiquissimo in orbem dis-

discumbebant 1. *Sam.* XVI. 11. Atque hæc sunt nomina Græca & Hebraica conviviorum, quæ plerumque ad *Philotesias* alludunt. Latina atque Germanica commemorare supersedeo, quia & nota sunt, & ad institutum parum faciunt.

CAPUT II.

De Origine Philotesiarum.

I. JAM propius ad Philotesiarum originem accedemus, ac probare conabimur, non solum apud Romanos & Græcos, sed etiam quam maxime apud Hebræos in frequenti usu fuisse Philotesias, adeoque ab his repeti originem debere. Notissimum est, vel conversantibus cum Judæis, vel eorum libros rituales evolventibus, quod Paterfamilias, aut hujus nomine ac concessu honoratior aliquis convivarum, non tantum panem certa formula consecret, sed etiam vinum priusquam degustet, ac aliis degustandum præbeat, elevato scypho, vino impleto, his verbis benedicat: *Benedictu sis, tu Domine Deus noster, Rex mundi, qui vitis fructum creasti.* Vid. *Buxtorf.* Synag. Jud. *cap.* XII. *pag.* 242. *seq.* cujus moris vestigia & documenta passim in sacris literis occurrunt, ut jamjam demonstrabimus.

II. Ordiar a primo libro Mosis, utpote omnium antiquissimo, in quo frequens conviviorum mentio est, quæ Philotesiarum si non nomen, tamen rationem habent. Primum deprehendo exemplum supra jam tactum *Gen.* XIV. 19. ubi traditur, quod *Melchizedekus*, Rex Salem, Abrahamum victoria fessum fatigatumque amice exceperit, pane & vino recreaverit, ac benedictionem eidem impertitus sit. Alterum exemplum Abrahami suppeditet liberalitas *Gen.* XVIII. 2. *seqq.* quando tribus viris, quos Angelos, interque eos ipsum Filium Dei fuisse, certis indiciis constat, satis lautum convivium paravit. Quæ res occasionem forte fingendi profanis Gentibus præbuit, Deos cum hominibus Philotesias exercuisse. Ex *Suida* refert *Fronto* in laudata *Epist. pag.* 15. Ætolos Athenas venisse vinum portantes, φιλοτησίας, τῆς ἐκ τῦ Θεῦ κοινωνῆσαι, ϗ τοῖς τῆς Ἀθήνας τροφίμοις βυλόμενοι, *Philotesiæ, quæ a Deo est, communicare volentes una cum Palladis alumnis.* Quin imo pervulgata priscorum mortalium sententia fuit, Deos ipsos convivia cum hominibus frequentasse, unaque cum illis bibisse, quod ex *Pausania* colligi potest, qui Asclepiadis hoc dictum recenset: *moderatum convivium Deorum conciliabulum esse*, dum ad hoc non modo Heroes, verum ipse quoque Jupiter Diique omnes accederent. Ex *Homero*, antiquissimo omnium profanorum Autore, probat *Athenæus* libr. 1. δειπν. ἦν δέ τις, inquit, αὐτοῖς ϗ διὰ τῆς προπώσεως ἀσπασμὸς, οἱ γῦν θεοὶ χρυσίοις δεπάεσσι δειδέχατ' ἀλλήλυς (ιλ. δ.) ὔτοι ἐδεξιῦντο προπίνοντες ἑαυτοῖς ταῖς δεξιαῖς, ϗ τὶς δὲ δείδεκτ' Ἀχιλλῆα, ἀντὶ τῦ ἐδεξῦτο, ὅ ἐςὶ προέπινεν αὐτῷ, τῇ δεξιᾷ διδὺς τὸ ποτήριον, h. e. *Erat autem illis quædam & per propinationem salutatio. Dii igitur aureis poculis exceperant se invicem* (ιλ. δ.) *aut salutabant propinantes sibi ipsis dextris: & quidam exceperat Achillem, quem salutabat, hoc est, propinabat ei, dextra tradens poculum.*

Idem quoque ex his *Ovidii* versibus liquet:

Ante focos olim scamnis considere longis
Mos erat, & mensis credere adesse Deos.

Ad hæc egregie *Fronto* pag. 16. *Non sensere hi cum Aristotele*, qui in Ethicis ad Nicomach. ait, *Deum inter & homines amicitiam esse non posse, propter maximam eorum distantiam.* Christianos non terret maxima illa, quæ est inter Deum & nos distantia: qui credunt *Deum propter se hominem factum, ob id potissimum, ut ametur: qui nuda sui commemoratione in conviviis, (quæ videbantur apud homines esse amicitiæ regnum) non contentus, cibum se & potum amantium exhibuit, & sub speciebus panis & vini latitans, quo ad intima penetraret, factus est ipse amoris cum sui erga nos, tum nostri erga ipsum insigne Sacramentum.*

III. Sed e diverticulo in viam redeo & Abrahamo *Lothum* jungo, qui binos Angelos ab eo dimissos, eadem humanitate, & benignitate excepit, & amoris insignis documenta illis exhibuit, *Genes.* XIX. Utriusque exemplum impense laudat *Paulus Hebr.* XIII. 2. & eo ipso studium φιλαδελφίας ϗ φιλοξενίας, quod imprimis in Philotesiis conspicitur, nobis inculcat. Similiter huc pertinet Abrahami convivium magnum, *Genes.* XXI. 8. eo die, quo filius ipsius Isaac a lacte depulsus fuerat, amicis & sociis instructum, puta *Semo, Hebero, & Abimelecho*, si fides R. *Salomoni Isacidi* habenda, qui simul ad h. l. tradit, communem tum fuisse apud vicinos suppositititii partus suspicionem, hanc ut Parentes amolirentur, Saram omnibus convivarum infantibus, quos illi secum adduxerant, lac exhibuisse, atque tam largo lactationis fonte, quo omnibus potens satis facere, fidem fecisse, se non sup-

ſuppoſititio, ſed potius vero ac genuino partu gaudere. Nec minus ad Philoteſias refero convivium *Iſaaci* paratum *Abimelecho* ejuſque amicis, fœdus amicitiamque cum Patriarcha quærentibus, & ineuntibus, *Gen.* XXIV. *26.* 30. ut & illud *Joſephi* fratribus ſuis in Ægypto inſtructum ſolenniter *Gen.* XLIII. Longum foret ire per univerſam Scripturam veterem, & veſtigia moris antiquiſſimis indicare. Sufficere hæc facile poſſunt, præſertim ſi addantur convivia filiorum *Jobi cap.* I. quæ profecto erant φιλοτικὰ ſeu Philoteſiæ, quia, notante *Chryſoſtomo*, *mirabilis fuit eorum charitas, quod non ad alios, ſed ad ſuos diverterent, non alienas mulieres introducerent.* Quid dicam de *agno Paſchali*, qui a domeſticis & vicinis comedendus, inter alia amoris ſymbolum præbuit *Exod.* XII. 3. 4. Quid de conviviis feſto Pentecoſtes, Tabernaculorum, Purim celebratis? quid de epulis ſacrificialibus? Quæ omia fidem faciunt, Philoteſiarum originem ab Hebræis accerſendam eſſe, & ab his ad alias gentes dimanaſſe. De *Græcis*, quod ſatis eſt, ſupra diximus. De *Latinis & Romanis* vel *Chariſtia* teſtantur, a fine ſic appellata, quod mutuæ amicitiæ tuendæ conſervandæque gratia (unde verbum *mutuitare* vel *muitare*, q. d. mutuo convivia agitare) inſtituerentur, de quibus *Ovidius* in Faſtor. libb. ſic cecinit:

> *Proxima cognati dixere Chariſtia Patris,*
> *Et venit ad alios turba propinqua Deos.*

De *Chriſtianis* nota res eſt, quod pio inſtituto cum Cœna Dominica convivia charitatis, ſeu Agapas conjunxerint, de quibus cum in ſacris literis, ceu ſupra innuimus, tum in Patrum ſcriptis frequens mentio eſt. Hæc de Philoteſiarum origine & progreſſu: ſequitur.

CAPUT III.

De Ratione ſeu Forma Philoteſiarum.

I. ORdo poſtulat, ut de Philoteſiarum ratione etiam dicamus: ubi hunc ſervabimus ordinem, ut primo ex Sacra Scriptura modum indagemus, deinde qualis ille apud profanas gentes fuerit, ſubjiciamus. Illud difficilius nonnihil videtur, quo pauciora fere veſtigia deprehenduntur, ac minus ſive a *Stuckio*, ſive *Frontone*, aliiſque obſervata ſunt. Non tamen difficultas nos terret, quin aliquid hic conemur. In cibis ſumendis nihil ſolenne aut peculiare reperio, niſi quod hoſpitibus, qui præ cæteris chari erant, plures vel majores portiones aliquando propoſitæ ſint. Ita *Gen.* XLIII. 34. Benjamino quintuplo major portio quam illius fratrum, Joſepho jubente, apponebatur. I. *Sam.* I. 5. *Elkana* dicitur *Hannæ* uxori, præ Peninna dilectæ, dediſſæ מנת אחת אפים: *portionem unam facierum*, i. e. portionem pulchram, elegantem, honorabilem, ut Paraphraſtes Chaldæus & nonnulli Hebræorum Magiſtri explicant, ein ſchön anſehnlich Stück: ſicque reddi debere inter alia quoque ſubjuncta ratio evidenter indicat; *quia dilexerat Hannam*. Non vero quadrare ſatis arbitror, ſi cum vulgato reddideris: *partem unam triſtis*, vel cum B. D. *Seb. Schmidio*, vocem איש ſub audiendo h. m. *dedit ei portionem unam vir indignationum ſeu triſtitiarum*, i. e. triſtis valde. Subaudiamus potius & repetamus ex anteced. vocem מנה h. ſ. *Hannæ quoque dedit* portionem unam quidem, ſed מנת אפים portionem pulchram, egregiam, ein ſo ſchön Stück, daß mans mit Luſt angeſehen, und mit Luſt davon eſſen mögen, 2. *Sam.* VI. 19. אשפר æſchpar vocatur portio pulchra, ampla a שפר pulchrum eſſe. Conf. *R. Levi ben Gerſchom* ad h. l.

II. In potu vero potandique ratione pleraque ſita ſunt, quæ huc pertinent. Apud Orientales vinum calici infuſum I. miſcebatur, ſive diluebatur aqua. Hinc de Sapientia hypoſtatica ſacram menſam parante dicitur, *quod miſcuerit vinum ſuum*, *Prov.* IX. 2. 5. ubi manifeſtum eſt, alludi ad morem antiquiſſimum, receptiſſimumque Hebræis, qui bibebant *vinum* ממסך *miſtum Prov.* XXII. 30. quod propterea ſimpliciter מזג *mixtio* vocatur *Cant.* VII. 3. Græcis κρᾶμα & κρᾶσις. Nihil ergo mirandum aut negandum videtur, quod antiqui non vinum meracum, ſed aqua dilutum in Cœna Dominica adhibitum fuerit, licet ejus miſcendi neceſſitas inde non probetur. Sobrietati enim pariter & myſterio ſtudebant primi Chriſtiani, & cum ἀκρατοποσία olim probroſa fuerit, Scythis & aliis Barbaris gentibus propria, laudandi potius fuere quam culpandi. Myſterii latentis rationem equidem penitus eruere nunc non annitar, nec forte poſſem, ſi maxime vellem. *Clem. Alexandr. Pædagog. lib.* II. *cap.* 2. ſtatim ab initio egregie hac de re diſſerit, ſed prolixior locus eſt, quam ut tranſcribere liceat, dabo igitur ſummam. Cum dixiſſet, *verbum* (Chriſtum) *pro nobis expreſſum cum ſanguine uvæ, aqua temperari voluiſſe, ut ſanguis ejus ſalute* χίρνατοι *temperetur. Et ſanguinem Domini* du-

duplicem esse, *alterum* carnalem, *quo redemti*, *alterum* spiritualem, *quo uncti sumus*, hæc subdit: *Aptissime* (ἀναλόγως) *vinum quidem aquæ*, *homini spiritus admiscetur*. κατ' τὸ μὲν εἰς πίστιν εὐωχεῖ τὸ κρᾶμα, *ac temperatum quidem vinum ad fidem convivio excipit: Spiritus autem deducit ad incorruptionem*. *Amborum* crasis, *potus scil. verbi dicitur Eucharistia*. Si cui μυστικώτερα hæc videntur & non satis apta ad κρᾶμα generatim spectatum, ei forte commodiorem suggerent rationem, quæ e *Plutarchi* verbis & *Frontonis* de iis judicio *pag.* 21. *seqq.* conjectamus. *Plutarchus* Orat. de fort. & virtute *Alexandri* ait, *eum omnes omnino gentes ad communitatem adigentem in unum collegisse* ὥσπερ ἐν κρατῆρι φιλοτησίῳ *velut in amicitiæ cratere commiscentem vitas*, *mores*, *nuptias &c.* Hinc colligit *Fronto*: *qui amico bibebat*, *illum secum velut in poculo miscebat*, *ejusque omnia*, *vitam*, *mores*, *bona*, *mala cum suis omnibus confundens*, *eum totum hoc pacto*, *intra se infundere visus est*. Et paulo post: *voluerunt itaque cum biberent* (vel potius miscerent vinum aqua) *amicitiæ firmandæ causa*, *ut in Phiala omnia amicorum permixta*, *simul & contemperata intelligerentur*. Si unico vocabulo totum negotium exprimere placeret, dicerem κρᾶμα illud designasse unionem communionemque ex uno poculo bibentium arctissimam.

III. Infusum itaque temperatumque poculum 2. elevabatur, ut ex illo Davidis *Psal.* CXVI. 13. כוס ישועות אשא *calicem salutum elevabo*, in altum sustollam, patet. Quid per *calicem salutis* h. l. intelligatur, nolo prolixius disquirere, nec id forte ad instituti rationem facit. Ad morem tantum elevationis hic respicio, ad quem nihil interest, sive de calice solenni in templo a Sacerdote sublato, ut quidam volunt, licet certi nihil adhuc statui de eo queat, sive de privato in familiis, quem paterfamilias elevatum solebat familiæ suæ προπίνειν, accipias. Id enim declarare vult David: in omni convivio gratulatorio me hilarem exhibebo, & coram omnibus hilariter bibam, attollendo calicem, quo convivis mei significem, me Dei ope servatum, cujus nomen semper invocabo. Hunc sensum faciunt agnoscuntque ex Hebræis R. *David Kimchi* & *Aben Esra*, ex Christianis *Grot. Simeon de Muis*, aliique in Synopsi *Poli* citati. Hujus consuetudinis vestigia in profanis scriptoribus equidem nondum mihi succurrunt, nec *Stukius* ejus mentionem facit, non tamen dubito, quin in usu quoque fuerit.

IV. Elevationem poculi excipiebat 3. *benedictio*, quæ non gestibus tantum, ut calicis oculorumque in cœlum s. ad Deum omnis boni datorem, elevatione, sed conceptis verbis, certaque formula perficiebatur. Quod ipse David in loco indicato videtur innuete, quando post verba *calicem salutum elevabo*, statim subdit: *& nomen Domini invocabo*. Invocatio autem illa triplex, vel triplici de causa instituta fuit. *Prima* procul dubio pertinebat ad testandum gratum animum pro concessis muneribus, cibis videlicet & potu. Atque hoc iterum David subinnuit, quemadmodum ex præcedenti commate 12. ejusque cum 13. combinatione colligitur. Ibi enim beneficiorum divinorum gratam memoriam recolens, quid faciendum sibi sit, quærit: *quid*, inquit, *rependam Domino pro omnibus erga me meritis?* ac respondet hic: *poculum salutis elevabo*, *illiusque nomen invocabo*. Mox addit v. 14. *vota mea reddam*, quæ ad gratiarum actionem referimus. Voverat enim haud dubie David, se gratias acturum Deo, si ex angustiis ereptus & beneficiis ab eo affectus fuisset, quemadmodum aliis injunxerat *Psal.* I. 14. 23. Ita quoque Salvator cum S. Cœnam instituerct, sumto poculo gratias egit *Matth.* XXVI. 27. ϗ λαβὼν τὸ ποτήριον, ϗ εὐχαριστήσας. *Altera* invocatio spectabat ad consecrationem sive benedictionem, qua petebantur a Deo salus, pax, aliaque bona. Eam ob rem opinor Davidem dixisse כוס ישועות *calicem salutum*, in plurali numero, conf. vers. 16. Potest igitur etiam vocari כוס הברכת *poculum benedictionis*, ποτήριον τῆς εὐλογίας 1. *Cor.* X. 16. quale quoque in Paschate erat poculum tertium, pro more gentis adhibitum, vid. *Ligtfoot.* Hor. Hebr. & Talmud. ad Matth. loc. cit. *Tertia* denique laudes Dei benefactoris continebat. Recepit enim in se David, quod celebrare nomen Domini & decantare ejus laudes velit, publice, *coram omni populo*. Fuit igitur *poculum salutum*, quod elevavit, כוס הלל *Calix laudis*: ac non incommode observamus, quod in ritibus agni Paschalis poculum ejusmodi in usu & multi hymni, inter quos etiam *Psalm.* CXVI. est, decantati fuerint, quos, ubi junctim e *Psalm.* CXIII. usque ad *Psalm.* CXIX. recitabantur, quod imprimis in festo Scenopegiæ fieri solitum, magnum *Hallel* vocabant. Hos mores ad Gentes profanas quoque transiisse, multa arguunt testimonia, quæ, utpote ab aliis dudum notata, producere possemus, si necesse foret. Summam ex *Frontone* adferemus, qui loc. cit. *pag.* 5. inter ritus, cum quibus peractæ Philotesiæ fuerunt, primo loco ponit, *quod Diis libatum cum eorum invocatione ab eo, qui Rex convivii*

erat,

erat, *aut qui amicos mensa excipiebat*. Mox notat *invocationem Deorum triplicem extitisse*, *primam in convivii initio*, *qua quid ab illis petebatur*: *aliam in medio cœnæ*, *in Scholis celebratam*: *tertiam sub finem*, *gratiarum actione absolutam fuisse*. *Formulas* Benedictionum sive Hebræis sive Græcis usitatas, adducere nihil attinet, cum obviæ illæ in quibusvis libellis precum, & diligenter quoque ex iis notatæ sint a *Stukio lib.* II. *cap.* 36. hæ vero similiter a *Stuckio* observatæ *loc. cit. cap.* 37. *pag.* 284. *b.*

V. Pergo 4. ad *propinationem*, quæ benedictionem excepit. Propinandi autem consuetudo antiquissima est, olim & ab Hebræis, & a Romanis sive Latinis usitata. De Hebræis constat, quod hodienum veterum insistentes vestigiis, Patresfamilias, consecrato degustatoque poculo, mox omnibus mensæ accumbentibus bibendum porrigant, sicque propinent. Quibus autem temporibus mos ille cœperit, non satis constat. Hoc dubio carere videtur, antiquissimum esse, & receptum inter Israelitas, ut colligitur ex Josephi scypho, ex quo bibebat, quemque fratribus propinabat, *Gen.* XLIII. *&* XLIV. Eo etiam allusum sæpe est in Prophetis, ut *Jerem.* XXV. 15. 17. ubi verbum השקה occurrit, quod *propinare* recte reddideris. *Habac.* II. 13. phrasis, *propinare proximo*, legitur. De Græcis satis testatur formula illa, *προπίνειν φιλοτησίαν* apud *Athenæum*, vel *φιλοτησίας* apud *Demonstenem*, propinare pocula amicitiæ; quorum ille morem hunc ex *Homero* comprobat. Ab his Latini vocabulum *propinare* mutuati sunt, & *Herodianus lib.* I. tradit, apud *Romanos* ejusmodi propinationes in usu fuisse frequenti. Nec *Persis* aut *Medis* ritus istos ignoratos, Ahasveri historia satis indicat, *Esth.* I. *cap.* De aliis gentibus dicere nihil attinet, cum experientia rem satis ubique probet. *Germani* nostri idem quod Hebræi, Græci Latinique exprimunt per verba, zubringen / zutrincken / Quibus autem verbis verborumque formulis hujusmodi sive propinationes, sive invitationes peractæ fuerint, de Hebræis non æque constat, ac de Græcis & Romanis, quorum hi dicebant: *bene me*, *bene te*, *bene vos*, *bene etiam Stephanium nostrum*, sc. vivere precor: illi autem, quod *Fronto pag.* 11. observavit, & in quo *Stukium* supplevit, qui tamen conferri potest *lib.* III. *cap.* 14. *pag.* 362. *a.* hac similique formula usi sunt: *προπίνω σοι ὦ* Κλεαντῆ Ἀ*ρχιγέτε præbibo tibi Cleanti*, *Herculis Archigetæ nomine*. Propinationes autem vel in orbem redibant, *circumpotationes*, *συμπεριφοραὶ* propterea dictæ, ad quas etiam Jeremias loco paulo ante citato forte respexit, & a dextris inchoabantur, vel aliquando in transversum fiebant; neque enim mensæ assidenti mulieri propinare fas erat, nisi cognatæ, quia oscula quoque dabantur, quibus veteres animarum conjunctionem inter amantes fieri credebant. Hinc *bibere oscula*, *jactare* vel *mittere oscula absentibus*, passim legitur, & Patres Christianos ad Communionem S. accedentes osculum dare Christo dixerunt. Vid. *Fronto pag.* 19. In initio autem & fine conviviorum philotesias s. propinationes receptas, idem *Fronto* testis est *pag.* 7. *seqq.* & consimile quid egisse Christianos veteres, eoque præmissa ad Deum oratione, sacro Domini corpore se refecisse primum, probabile censet, fidem tamen nondum facit, quando talia ad Missæ sacrificium trahit, *pag.* 11.

VI. Denique veteres Philotesias canticis exornarunt, a quibus non abhorruisse Hebræos, colligitur ex multis locis, infra allegandis. Suffecerit nunc, quod Christus ipse morem a Judæis receptum observaverit in cœna paschali, testibus Evangelistis; quem imitati sunt primitivæ Ecclesiæ Christiani in Agapis, ubi *Tertulliano* Apolog. *cap.* 39. narrante, *ut quisque de scripturis sanctis*, *vel proprio ingenio poterat*, *provocabatur in medium Deo canere*. De Græcis *Clem. Alex.* Pædagog. *lib.* II. cap. 4. non procul a fine, prodidit, quod ad *Hebraicorum Psalmorum similitudinem*, *canticum*, *σκόλιον* appellatum, *cecinerint*, *communiter omnibus voce simul pæana clamantibus*, *&* *nonnunquam etiam per cantici vices propinationem circumagentibus*. Scholion autem, quod *obliquum* sonat, carmen illud vocabatur, sive ob ordinem, sive ob difficultatem, qua Musicæ aut lyræ imperiti, quæ simul quoque circumferebatur, id recusare solerent. Alii alias allegant causas. Vid. *Stuck. l. c. p.* 392. b. *seqq.* Bonum atque institutum fuit priscorum Hebræorum, ut Dei laudes atque hymnos in symposiis suis canerent; quod Græci deinceps, & Latini superstitiose secuti ad fictitiorum suorum Deorum laudes vel Heroum traxerunt, ut in sequenti capite plenius nonnihil observabimus.

CAPUT IV.

De Philotesiarum Fine, *Usu*, *&* *Abusu*.

I. QUi fines ususque Philotesiarum sint, vel vocabulum arguit, quemadmodum in ejus explicatione strictim breviterque indicavimus. Nunc autem

tem cum copiosius ea, & quæ præterea huc pertinent, edisserenda sint, rem altius repetemus. 1. In Dei gloriam & honorem institutas olim philotesias, nemo negabit, qui hymnos ei decantatos & a Judæis, & a primis Christianis, & a Gentilibus reputaverit secum. Et sane, *Clemente Alexandrino* l.c. pie monente: *quemadmodum laudare nos decet universi Creatorem, antequam sumamus alimentum: ita quoque in potu ei psallere convenit, cum ejus creaturarum participes efficimur.* Huc Pauli monitum spectat 1. *Cor.* x. 31. & suadet ratio *convivii rationalis*, sicut pulchre vocat idem *Clemens*, ut clementi datori bonorum gratiæ agantur & decantentur. 2. Post Deum proximi habetur in Philotesiis ratio. Duplex enim, ut iterum *Clemens* egregie, sit nostra παρὰ πότον φιλοφροσύνη, *secundum legem. Si enim diliges Dominum Deum tuum, deinde proximum tuum, prior quidem quæ est in Deum benevola invitatio* (sic enim reddit interpres vocem φιλοφροσύνη) *per gratiarum actionem & Psalmodiam; secunda autem, quæ est in proximum, per honestam vitæ consuetudinem fit. Verbum enim Domini inhabitet in vobis copiose*, dicit Apostolus: *Hoc autem verbum se accommodat & reddit conforme temporibus, personis, locis, atque adeo nunc quoque in conviviis versatur.* Homines ad societatem nati, quam duplicem recte Stoici fecere, unam, quæ sit hominibus cum Deo, alteram, quæ sit inter ipsos homines. Ad utramque vel ineundam vel fovendam, vel stabiliendam, vel redintegrandam, convivia tum sacra, tum profana multum ponderis habere, plurimis testimoniis, rationibus & exemplis comprobari posset, si brevitas nostra id sineret. Cogitemus saltem sacrificia Vet. Test. & Agapas, de quibus sparsim diximus, & conf. *Stuck. lib.* 1. *c.* 3. Hinc 3. alii fines & usus nascuntur, lætitiæ nimirum pie & honestæ, ædificationis mutuæ inter eruditos præsertim ac Christianos &c. Ad hæc & similia procul dubio etiam respexerunt Græci Latinique, quando & publica convivia instituerunt, qualia sunt συσσίτια & alia, de quibus *cap.* 1. & privata indulserunt. Hinc facilis est responsio ad quæstiones multas: *an inter pocula liceat contrahere amicitiam? an sic contracta rata sit? an interesse Philotesiis & nominatim pastoribus, an bibere in alterius salutem par sit?* de quibus acriter inter se disceptarunt quondam in Belgio viri doctissimi, ut videre est ex *Martini Schokii* Exercit. xx. & xxi. Si fines ususque indicati, & forte alii adhuc addendi, observentur obtineanturque, non video, cur negari debeat, quod quæsitum est. Complectar omnia verbis *Nicolai Hemmingii* in Pastore Evangel. *In conviviis*, inquit, *spectentur hæc, locus, tempus, convivii genus, convivæ, colloquia, edendi bibendique modus, hilaritatis moderatio, & morandi tempus.* Ut bonæ res abusui obnoxiæ sunt: ita quoque cum Philotesiis se habet; dici enim vix potest, quanti abusus hic & olim & nunc deprehendantur. Conqueritur de iis passim in sacris literis Deus ipse *Jes.* v. 11. 12. ac væ denunciat iis, qui vino & luxuriæ voluptatibusve dediti, opus Domini non spectant, nec considerant, ut facere debebant ac poterant in conviviis. *Habac.* II. 14. fines impii abususque propinationum graphice depinguntur. Conqueritur etiam de compotationibus. *Psalm.* LXIX. 13. his verbis secundum vulgat. *in me psallebant, qui bibebant vinum*, & Lutherus, in den Zechen singt man von mir: nec male; siquidem ex præcedenti hemistichio verbum ישיחו *loquuntur*, & partic. כי repeti debent h. s. *contra me loquuntur vel canunt carmina*, conf. Job. xxx. 8. *Thren.* III. 14. *Ezech.* XXXIII. 32. unde simplicius suppleri posset, verbum substant. *sum* in loco Davidis, cum quibusdam interpretibus. Ex quibus locis facile liquet, quod sicut in Philotesiis prospera omnia amicis exoptaverant amici ita inimicis maledixerunt, eosque diris devoverunt: qui sane abusus erat turpis. Ut taceam luxum, ebrietatem & similia vitia, quæ passim irrepserunt, & amabile philotesiarum nomen infame reddiderunt. Idem usu venit *Agapis*, quemadmodum ex 1. *Cor.* x. 20. 2. *Pet.* II. 13. *Jud.* v. 12. constat. Vid. *Clem. Alexand. Pæd. lib.* II. *cap.* 3. Merito igitur propter abusus incorrigibiles abrogatæ, & prohibitæ penitus sunt. De iis legi meretur D. *Phil. Jo. Tilemani* Dissertatio, commentario ipsius in Epist. Jud. appendicis loco subjecta. Apud profanas gentes Græcos & Romanos abusui obviam itum est sumtuariis atque cibariis legibus, *Lycurgi Rhet. L. Orchia, Fannia, Didia, Licinia, Cornelia, Antia, &c.* Et optandum sane esset, ut Christiani ad Ethnicorum horum imitationem insanas commessationes & compotationes severis legum sanctionibus atque pœnis coercerent, & vel sobriæ frugalisque suæ vitæ ceu vivæ legis exemplo refrænare conarentur. Sed forte voti non spei res est, hoc seculo, ubi omnia in pejus ruunt, & nec pietati, nec honestati locus fere relinquitur. Neque de infima tantum populi fæce ejusmodi querelas iterare possumus, sed de Musarum quoque filiis nonnullis, quibus si non Christianæ, tamen Philosophicæ Cœnæ *Deipnosophistarum* curæ cordique esse

ſe debebant; hi enim *Athenæo* teſte, *σωφρόνως καὶ πεπαιδευμένος moderate & erudite, in conviviis ediſſerebant;* ſordidi iſti homines, quorum venter Deus eſt, *prandiis caninis & cœnis cynicis*, ac cum filio prodigo ſiliquis paſci & ſatiari lympha potari debent, donec ad meliorem frugem redeant, Cereri ac Libero Patri nuncium mittant, ſobrie, pie ac juſte vivere diſcant. Fiat!

DANIEL GOTTFR. WERNER DISSERTATIO DE POCULO BENEDICTIONIS.

PRÆFAMEN.

Communis ferme omnium vox eſt, deliriis ſcatere ſcripta Judæorum, præſertim Talmudica: Hinc faſtidium, hinc contemtus iſtorum ac deſpicientia: hinc variæ reprehenſiones, quas incurrunt, qui ſtudio talis literaturæ trahuntur. Quamvis igitur nolim cauſam ineptientium Judæorum agere, eoſque liberare ab omni ſtultitiæ culpa: quippe, præterquamquod rerum anilium ſtudioſiſſimi ſint, inſaniæ ſuæ documentum inſigne produnt, obſtinatam veritatis inſectationem: tamen, neminem, quæ ſibi ſancta caraque ſunt, inter rerum tam odioſarum & putidarum ſepulta neglecturum ſpero acervos, quin ea vel ſummo labore atque moleſtia exquirat. Nam, ut prætercam jugulum, quod nobis Judæi in ſemetipſos præbent; nil præclarius eſt, quam ritus ex Talmudicis monumentis eruere, quibus noſtræ ſalutis libro lumen excitatur. Abſtruſiſſimi poetæ, iique nugarum pleniſſimi, ſummo cum ardore pervolutantur, ut profani cujuſdam autoris locus vel emendari, vel explicari poſſit; quod plurimorum conſenſu tanquam res digniſſima laude adprobatur: eane dubitaremus manu impigra verſari, quæ ſcriptores novi fœderis illuſtriores reddere valent? Chriſtus degebat apud Judæos: ritus Judæorum uſurpabat: ad Judæos habebat ſermones: Judæorum vitam moreſque carpebat: a Judæis in jus rapiebatur: plurimi denique ſcriptores N. T. Judæi natione & idiomate fuerunt. Quis itaque eſt, qui ſententias hiſtoriaſque N. T. negaret multum lucis capere ex Hebræorum pandectis? Licet enim Miſchna, *& utraque* Gemara Hieroſolymitana, *&* Babylonica, *multo tempore poſt Hieroſolymorum excidium compoſitæ fuerint: jura tamen, ritus, & inſtituta continent, quæ maximam partem introducta poſt liberationem e captivitate Babylonica, & tempore Chriſti & Apoſtolorum uſitata, huc uſque ſervata fuerunt per oralem traditionem. Quandoquidem compilator* Miſchnæ R. Jehuda cognomine Sanctus, *cum ob diutinum exilium & magnam diſperſionem, cui poſt exciſam urbem Judæi obnoxii ſunt, ſapientes pauci, & admodum pauci fierent, vis*

ſapientiæ debilitaretur, atque oralis lex obſoleſceret, in corpus collegit omnes ſententias, ſtatuta, atque effata ſapientum, quæ ſibi quiſque ex eo memoriæ ergo notaverat, quod ſingulis ſeculis, a ſeniorum & Prophetarum tempore, uſque ad R. Jehudæ *ætatem, conſtitutum atque præceptum fuerat* (a). *Quamobrem neminem culpæ daturum confido, quod quantum aliis ſtudiis ſubtrahere temporis licuit, exercitationi in ſcriptis Rabbinico-Talmudicis impenderim. Non ineptiarum amor; ſed ſtudium inveſtigandi, quæ Scripturæ S. explanationem juvant, antiquitates, traxit: cum ſemper perſuaſus fuerim, tutius ex ipſo fonte aquam hauriri. Ut igitur, qua hoc ſtudium, temporis haud male collocati rationem primum redderem, Hebræorum ritus circa* Poculum Benedictionis, *pro ingenii mei tenuitate, ſpecimine Academico, exhibere volui: & quidem ita, ut primum ritus, qui in poculo dicto omnibus diebus ſolennes erant; deinde, quos cum quatuor paſchalibus communes habebat, explicarem. Quibus orſis ſanctiſſimum numen, ut in nominis ſui æternam gloriam cedant, gratioſe benedicere velit, ſupplice voce precor.*

(a) Zemach David ad an. 978. fol. 30. b. Maimon. in præfat. ad יד חזקה.

I. Auſpicabor ab origine atque uſura vocis כוס, quod neque a ſcopo noſtro alienum, neque inutile fore ac ſupervacaneum ſpero. Voces enim, ſi rerum indices ſunt, has tanto facilius animo concipiemus, quo magis illæ nobis declarantur. Ortum vero ſuum debet כוס, ut analogiæ maxime congruum videtur, radici Arabibus uſitatæ كاس (1) quæ non ſolum *inverſus fuit* & ſpeciatim, *capite inverſus fuit*, ſignificat; ſed etiam *convolutionem*, *actionemque* innuit, qua res in formam rotundam rediguntur: ſic enim ſpecialiter de ſerpente uſurpatur, ſe in orbem convolvente. Sive igitur priorem ſignificatum ſpectes, ſive poſteriorem; neuter derivationi repugnat. Nam כוס dictum fuit, vel quod inverti atque in os collocari ſolebat. *Apollodorus Athenienſis*, *Athenæo* (2) atque *Euſtathio* (3) teſtibus, *Homeri* φιάλλω ἀμφίθετον, in opere de Cratere explicat, τὴν μὴ κατὰ πυθμένα, κατὰ μόνον δὲ ςόμα δυναμένην ἐρείδεσθαι. *Poculum quod non in imam partem, ſed in os firmari poteſt.* Pocula in os, ſeu partem ſuperiorem conſtituendi mos antiquus fuit, (4) Maſſilienſibus pariter ac Jonibus uſitatus, qui forte eum inter alia ab orientis populis acceperunt: qualem poſitum animantium cornua quoque admittebant, quibus veteres poculorum vice utebantur (5). Quamvis poſtea adhiberent vaſa ſuis innixa pedibus; nomen tamen, uti fieri aſſolet, a more veteri remanſit. Vel כוס nominatum fuit a forma rotunda, quam artificis manus impreſſit: uti Græcorum κύλιξ (6), unde latinorum calix (7), vocatur παρὰ τὸ κυλίεσθαι τῷ τρυχῷ ἀπὸ τῷ κεραμεικῷ, ἀπὸ τῷ χαλκευτικῷ, *propterea quod ſuper rota ſeu figulina, ſeu æraria volvitur*, donec perfecte rotundetur.

II. Uſu docemur, כוס proprie ſignificare vas potioni deſtinatum (1), quod Latini per *poculum* a *potu*, Græci, per ποτήριον ἀπὸ τοῦ πότου, ut plurimum exprimere ſolent; ſæpius tamen, *pro eo*, *quod continet* (2), uſurpari, & poſtea translatæ modo *divina beneficia* notare, modo *pœnas divinas*, *calamitates*, *adflictiones ipſamque mortem*. Quæ migratio in alienum haud plane ſcriptoribus profanis inaudita eſt. Plautus ad infortunium ſæpe transferre ſolet potionem, apud quem in *Rudente* (3), *Charmides*, qui lenonis naufragii ſocius ante fuerat, ſocietatis alterius mali, quod idem Labrax a Pleuſidippo in jus raptus, ſubibat, recuſat verbis: *Semel bibo*. Et in *eadem* (4) naufragium tanquam compotatio deſcribitur, qua Neptunus magnis ſalſiſque poculis naufragos invitavit. Quinimmo in *Caſina Act.* V. *Scen.* II. 3. expreſſe poculum pro malo adhibetur, quum ſervus dicit: *Ut ſenex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet.* Forte huc etiam referri poſſet *Achillis* ſententia apud *Homerum* (5).

Δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει
Δώρων, οἷα δίδωσι, κακῶν ἕτερος δὲ ἐάων.

Duo quippe dolia jacent in Jovis limine,
Donorum quæ dat, alterum malorum, alterum vero bonorum.

Niſi

Nisi magis consentaneum videretur, poetam ad πιθοιγίαν in Sacris Bacchi apud Græcos solennem respexisse (6).

III. Nam translationis istius, qua poculum sortem modo secundam, modo adversam denotat, ratio a veterum ritu conviviali dependet. Quippe qui præsidem in conviviis suis eligere solebant, quem Latini, *Magistrum* (1) *Arbitrum* (2) *Modimperatorem*. Plinius *lib.* XIV. *cap.* 22. *Dictatorem* (3), *itemque regem* (4) Græci, συμποσίαρχον (5) βασιλέα (6) ςρατηγὸν (7) adpellabant. Quæ *regna* & *magisteria*, vel forte jactuque talorum (8), uni convivarum deferebantur, vel ab hospitibus ultro relinquebantur convivatori, qui inde *Dominus convivii* Varroni (9) apud *Gellium*, & *Macrobio Rex* audit. Talis convivii præfectus leges præscribebat (10), a convivis observandas: ex æquo jubebat misceri vinum ac distribui; quapropter apud *Plutarchum* (11) requiritur, ἵν' ὥσπερ ἁρμονικὸς, τὸν μὲν ἐπιτείνων τῇ πόσει, τὸν δὲ ἀνιεὶς καὶ ὑποφειδόμενος, εἰς ὁμαλότητα καὶ συμφωνίαν ἐκ διαφορᾶς καταςήσῃ τὰς φύσεις. Ὅπως μὴ κοτύλῃ μηδὲ κυάθοις τὸ ἴσον, ἀλλὰ καιρῷ τινι μέτρῳ καὶ σώματος δυνάμει τὸ οἰκεῖον ἑκάςῳ καὶ πρόσφορον ἀπονέμηται. *Ut instar musici, aliorum animos potando contentiores, aliorum abstinendo remissiores reddens, e diversitate æquabilitatem atque consonantiam conficiat: ne homina & acetabulis æqualitas æstimetur, sed modo quodam opportunitatis, & vi corporum sua unicuique vini portio tribuatur:* alios præ ceteris pro amicitia, dignitate ac merito honorabat poculis suavi ac jucundo potu redundantibus (12). Quamvis *Crato* (13) inter officia *Symposiarchi* omnium adsensu referat, αὐτὸν δεῖν οἰκείως ἔχειν καὶ φιλικῶς πρὸς ἅπαντας, ὕπουλον δὲ μηδενὶ μηδὲ ἀπεχθῆ τῶν ἑςιωμένων εἶναι: *cum omnibus debere amicum esse convivis atque acceptum, cum nullo simultates aut inimicitias exercere*: tamen exinde pariter ac aliunde colligere licet, adeo sæpius indulsisse animo suo conviviorum magistros, ut quos sibi inimicos suspicabantur, vel vinum iis asperius ac minus jucundum infundi curarent, (14) vel plures calices, eosque amariores propinarent (15). Quam ob causam *Modimperator* apud *Alexin* (16) carnifex contumeliose adpellatur.

IV. Deus itaque, qui in sanctissimo sermone quasi descendit ad nos, & opera sua actionesque incomprehensibiles, more expressas humano, nostræ accommodat infirmitati, sub imagine *regis convivii* amorem suum, justitiamque pariter in genus humanum explicavit. Cujus rei testes locupletissimos habemus & *Servatorem* nostrum, & Asaphum. Ille, filius Dei, aperte comparat patrem suum *Regi*, nuptiales filio suo instruenti epulas. *Matth.* XXII. 2. Hic vero, כוס ביד יהוה, *poculum in manu Domini*, velut arbitri esse docet. *Psalm.* LXXV. *vers.* 9. Penes quem jus decernendi sit, ac judicandi. Verum, ne comparatio indigni quidquam perfectissimo numine secum trahat, Psaltes, præmissis verbis: כי אלוהים שופט וגו׳ *Nam Deus est judex &c.* præcavet. Deus ille justissimus pariter ac benignissimus amicis suis, fidelibus nempe, gratiæ, suæ dona largissime quasi infundit. Hinc *David* כוס רויה. *Psalm.* XXIII. *vers.* 5. *Poculum exuberans* prædicat, quod a manu Dei accepit. Quemadmodum vero *via crucis* secreta est, ac rationi sibi relictæ absurda videtur: sic sapientissimum numen, præter consuetudinem mortalium, dilectis suis dulcem miscet amaritiem, parte sua tristi cuique tributa. Inde omnes calamitates, ipsaque mors piorum poculo significatur. *Matth.* XX. 22. & Christus ipse, caput fidelium, calicem hunc tribulationis exhausit. *Matth.* XXVI. 39. *Luc.* XXII. 42. Improbis vero, quos odit numen divinum, calicem iræ suæ ac zeli justissimi tradit, judicia sua divina & pœnas gravissimas immittens. Hinc mentio כוס חמתו. Jes. LI. 17. 12. *Poculi excandescentiæ ejus*, כוס התרעלה. Jes. ll. cc. *Poculi horroris*, כוס היין החמה, *Poculi vini*, vini *np. excandescentiæ*. Jerem. XXV. 15. & οἴνου τοῦ θυμοῦ τοῦ Θεοῦ, τοῦ κεκερασμένου ἀκράτου ἐν τῷ ποτηρίῳ τῆς ὀργῆς αὐτοῦ. Apocal. XIV. 10. *Vini iræ Dei, quod nec mixtum, nec temperatum poculo indignationis ejus infusum est*. Nec mirum esse debet, ita transferri convivialem consuetudinem. Nam, uti potulenta portio; sic esculenta eandem constituit metaphoram. Non enim solum Hebræorum חלק cum כוס conjungitur (1); sed Græcorum μοῖρα, & partem cuilibet convivarum distribuendam (2) denotat, & utramque fortunam, quæ a Deorum decreto dependet, non minus secundam (3) quam malam, indicat (4).

V. Mittimus translatam significationem, observantes כוס *poculum*, præstantiæ ergo nude vocari poculum nostrum benedictionis. *Cod. Schabb. cap.* 8. θ. 1. alias vero כוס של ברכה, & plene כוס של ברכת המזון *Poculum benedictionis, vel gratiarum actionis* potius *post cibum captum*. Nam ברכה præter multiplices potestates, quas jam evolvere supersedemus (1), & *laudem ac celebrationem*. Nehem. IX. 5. signat, & *gratiarum actionem* (2) *pro acceptis beneficiis*. Talis erant preces, ab Hebræis ברכת המזון, seu *gratiarum actio pro cibo capto* (3) nominatæ, quas absoluta cœna, super calicem recitare solebant. Constabat vero

ista

ista gratiarum actio quatuor aliis pretiunculis, quarum prima ברכת הזן a primordio, הזן את העולם כולו ונו׳ *Qui nutris totum hunc mundum, &c.* quod præmissa initiali formula consueta, capit, dicta. Altera ברכת הארץ, *s. gratiarum actio pro terra* vocatur, quod Dei laudes ob terram sanctam, quam hæreditatem tradidit Jacobi posteris, maximam partem exhibet. Tertia בונה ירושלם adpellatur, quasi dicas laudatio Dei *ædificantis Hierosolyma*, qua præ ceteris, post urbem excisam, restaurationem ejus efflagitant. Quartæ הטוב והמיטיב exordium, quod excipit solennia præloquia ad Deum, nomen imposuit. Quibus accedebat, quando, tribus vel pluribus communiter comedentibus, unus omnium nomine gratias agebat, benedictio, quam vocant ברכת הזמון, *epularis societatis benedictionem* (4), quæ quatuor dictis pretiunculis præmittebatur. Fundamentum (5) harum precum constituitur divinum præceptum, *Deuter.* VIII. 10. Quod summo jure fieri videtur: nam, præterquam quod omnes homines debent ex lumine naturæ pro beneficiis, adeoque pro sustentatione, creatori suo gratias agere, accedit hic speciale mandatum: quod non præcise adligat ad dictas formulas benedictionum: quanquam, priores præsertim, summæ autoritatis ac divinæ ferme originis a Talmudicis statuantur. Primam enim a *Mose*, altera a *Josua*, tertiam a *Davide* & *Salomone* ordinatam fuisse asserunt, quartam Doctoribus *Mischnicis* urbis *Jabhnæ* adscribentes (6). Hæc itaque tota benedictio nomen dedit calici, super quem pronuntiabatur. Alias tamen poculum istud כוס יפה (7), seu poculum pulchrum nuncupatur ab istis momentis (8), quæ ad hujus elegantiam atque ornatum Talmudistæ requirunt. Sed נבנא דברכתא (9) poculum majus denotat, ex quo quisque convivarum, pro mensura calicis benedictionis ordinaria, potabat (10). Sic *Baal Aruch* de circuitu calicis explicat, quando in orbem ordine porrigitur, donec omnes biberint (11).

VI. Rationem & fundamentum, cur velint pronuntiari gratiarum actionem super calicem, expiscari non potui. Nihilominus summo cum rigore id ipsum requirunt, sapientum antiquis exemplis innixi: adeo, ut si aliqua saltem occasio videatur poculum accipiendi, circumspicere debeant ac præstolari, donec inventum sit, si vel maxime cœnandi tempus semel jejuni prætermittere cogantur (1): aut, si unicum poculum vini, vel huic rei convenientis potionis adsit; quamvis הבדלה; *preces separationis a Sabbatho diem profanum*, aliasque, antequam estur (2), in poculo recitari oporteat (3): tamen, ut *benedictioni post cibum sumtum* suus calix sit, illas usque ad cœnam peractam suspendere, ac demum cum hac conjungere licet (4); cautela, ut ne plura fiant præcepta simul (5), non obstante. Hinc alii hujus rei necessitatem cuilibet, vel suo solius nomine agenti gratias, imponunt (6): alii vero ad *epulas consociatas*, (7) quas זמון vocant, restringunt: quidam utrovis casu rem haud nimis stricte urgent (8).

VII. Si tamen de vetustate hujus ritus quidquam suspicari licet, aut jam *Davidis* ætate poculum benedictionis usitatum fuit, frequentius libertatis, gratulationis, & grati animi signum. Nam *Psalm.* CXVI. 12. 13. *Quid reddam*, inquit, *Domino pro omnibus beneficiis, quæ in me contulit?* כוס ישועות *Calicem salutum elevabo, & invocabo nomen Domini.* Quod *poculum salutum* vocat, quia ob varia salutis & providentiæ genera, numen divinum super poculum istud laudatur. Aut *David* more aliarum gentium, exantlatis plurimis periculis & calamitatibus, calicem adhibuit, symbolum gaudii de recuperata salute, quo prædicavit nomen Dei, qui solus e gravissimis rerum discriminibus eripere potest: uti apud Homerum *Iliad.* ζ. *in fine*.

> Α'λλ' ἴομεν, τὰ δὲ ὄπισθεν ἀρεσσόμεθ' αἴ κε ποθὶ Ζεὺς
> Δώῃ ἐπουρανίοισι θεοῖς αἰειγενέτῃσι
> Κρητῆρα στήσασθαι ἐλεύθερον ἐν μεγήροισιν
> Ε'κ Τροίης ἐλάσαντες ἐϋκνήμιδας Α'χαιούς.
> *Sed eamus. Hæc autem postea mitigabimus, si quando Jupiter*
> *Dederit, cœlestibus diis sempiternis*
> Craterem *statuere* Liberum (ob libertatem adeptam)
> *in domibus*,
> *Troja expulsis bellicosis Achivis.*

Quod ad imitationem *Davidis*, vel post solutam captivitatem Babylonicam, vel quod magis consentaneum videtur, jugo gentium sub auspiciis *Simeonis* Pontificis, & populi ducis excusso. I. *Machab.* XIII. 41. *seq.* Judæi receperunt, post cœnam peractam poculum vini, ceu liberationis monumentum, statuentes. Quandoquidem laudatus *Simeon*, eundem calicem, jure pecuniæ signandæ adepto, nummis suis imprimendum curavit, addita Samaritana inscriptione [illegible], *Propter, vel in memoriam liberationis Sionis* (1).

VIII. De forma poculi benedictionis non solliciti sunt scriptores Talmudici. Ex communi tamen eoque commodissimo vaso-

vaſorum potoriorum habitu, ubique ferme conſueto, idem ſpeciem rotunditatis habuiſſe conjicias. Quandoquidem talem poculorum formam haud inſolitam fuiſſe Hebræis, nomina iſtorum vaſis indita convincunt. Nam אגן, licet uſum peluis habeat, tamen *ſcyphum*, vel *phialam* eſſe confirmat *Paraphraſtes Chaldæus* (1); a rotunditate vero ita dici *Abendana* (2) teſtatur. *Salomo* quoque אגן הסהר vocat (3), quod *vas peræque*, ac *luna plena rotundum* ſit. Nec diſpar ratio eſt vocis דיאטריטא, quod Græcorum Διάτρητον a ſcriptoribus Judaicis in civitatem receptum, *calicem tornatilem*, *ſeu toreuma* denotat (4). Neque forte ipſum nomen כוס, ſi poſteriorem denominationis rationem ſequaris, ab iſta forma putabis abhorrere. *Vid.* §. 1. Sed indubiam poculorum faciem exhibent quidam veterum Hebræorum nummi, quos Samaritanos a ſcriptura nominare ſolent (5). Nam ibi vas apertum ſiſtitur, atque rotundum, quod a labiis repandis altius deſcendens ſenſim comprimitur, ac pede demum ſuffulcitur. Recurva labia confirmant etiam hiſtorici ſacri (6), quando *Salomonem* labia maris ænei, enarrant, *inſtar labii calicis aut apicis florum lilii* (quorum curvamen notum eſt) pandanda curaſſe. Unde proprium operculum calicem non habuiſſe colligas, quia labia neutra ex parte iſti recipiendo aptata fuerunt. Anguſtioris orificii fuiſſe negatur in *Schulchan Aruch* (7), propterea quod benedicturus oculos in eum intendere debebat. De anſis ejus, neque ex nummis laudatis, neque aliunde conſtat. Dubito itaque, an *Bedæ* (8) fidem habeam, tradenti: *poculum Chriſti ſuo tempore Hieroſolymis viſum, argenteum, Sextarii Gallici capax, &* ἀμφωτον, h. e. *ex utraque parte anſatum fuiſſe*: quamvis uſus poculorum anſatorum apud Græcos antiquiſſimus ſit.

IX. Materiam poculi benedictionis e *metallo* fuiſſe, adparet exinde, quod inter vaſa *metallica*, menſæ deſtinata, referuntur calices (1). Quos forte ſibi quiſque vel ex pretioſo, vel ex viliori metallo parandos, pro habitu pecuniarum, curavit. Neque *pocula vitrea* inſolentia fuerunt (2): licet כסא דמוקרא (3) *Poculum pretioſum*, quod כוסישל זכוכית לבנה *Poculum evitro ſplendido* expoſitum *Raſchi ad ll. cc.*, poſtea Gemara כסא דזוגיתא חיורתא exprimitur, non tam *vitreum* quam *cryſtallinum* fuiſſe arbitrer. Quippe cryſtallina vaſa maximi æſtimata veteribus (4), documentum præbebant ampliſſimarum opum. Quod *Plinius* teſtatur, *Murrhina*, inquiens *Præfat. lib.* XXXIII. H. N. *Et Cryſtallina ex eadem terra effodimus, quibus pretium faceret ipſa fragilitas. Hoc argumentum opum: hæc vera luxuriæ gloria exiſtimata eſt, habere, quod poſſit ſtatim perire totum.* Quo cum conferri poteſt dictum *R. Jochananis* (5) מי שהניחו לו אביו מעות ורוצה לאבדן ילבוש כלי פשתן וישתמש בכלי זכוכית: *Qui vult opes a patre ſuo relictas perdere, induat veſtimenta lintea, & utatur vaſis cryſtallinis.*

X. Pro capacitate atque menſura poculi benedictionis tanquam parturiunt Doctores Talmudici, רביעית ſeu *quartario* illud dimetientes (1). Quod menſuræ genus conſtare docent *quatuor digitis quadratis in latum, in altum vero duobus digitis, & dimidia inſuper ac quinta parte digiti* (2). Atque exinde, quod *aquarum conceptaculum*, quo immergi ſolebant Judæi, *quadraginta ſeas* ſpatio, quod ulnam quadratam in latitudinem, & tres ulnas extenditur in altitudinem, continere jubetur (3), colligunt, רביעית quartam partem Logi ſc. ſextarii eſſe (4). Sextarius vero 6. ova capit, & quarta ejus pars 1½ ov. (5). Quantum pro moderna dimenſione capiat, haud quæro anxius. Certum enim ac conſtans quidquam hac in re inventu difficile judico: cum, ſi quæ firmæ menſurarum veterum relictæ fuerint deſcriptiones, per minores ſpecies explicentur, quas vel haud ſatis accurate novimus, vel in tanta omnium ferme locorum diverſitate menſurandi, cum modernis commode conferre non poſſumus. Hoc ſaltem haud prætereundum puto, ejuſdem dimenſionis cum poculo benedictioni eſſe quatuor pocula paſchalia (6): quæ dimetiendi modus per קסטא & חמניתא traditur (7). Illud menſuræ genus dicitur Zipporienſibus, quo muriam vendere ſolebant (*Conf. Raſchbam ad l. c.*) conſuetum, cum לוגא דמקדשא *Sextario in ſacris uſitato*, convenire. Patet ex ipſa voce, Græcorum Ξέςης & Latinorum Sextarium eſſe: qui ab hac gente tam ad Græcos, quam orientales populos tranſiit. Neque enim Syris, neque Chaldæis, neque Arabibus: (*Vid. Pocok. not. miſcell. ad portam Moſ. cap. 9. pag.* 404.) ignoratus eſt: quem forte Romani, provinciis iſtis imperantes, introduxere. Jonathan quidem Chaldæus הִן צֶדֶק. Hin juſtum *Levitic.* XIX. 36. transfert קסטין דקשוט, cum, ubi לוג occurrit, לוגא *Levit.* XIV. 12. retineat: ex qua quiſpiam, קסטא & לוג diverſas menſuras, & illam hac multo majorem, atque Hino æqualem eſſe, colligeret; ſed קסטא, Sextarius interdum latius patet vi ſuæ originis ſextam partem uniuſcujuſque menſuræ majoris, ad quam refertur, denotans. Hoc itaque modo הִן reſpectu בת Bati, vel איפה Ephæ, quæ

ſex

ſex הנים Hinos continet (8), recte transfertur קסטא Sextarius, ſeu ſexta pars nimirum Ephæ. Variam vero ſextarii capacitatem fuiſſe, ratione diverſitatis majorum menſurarum, Doctor Talmudicas innuit, non alium, quam Zipporienſem ſextarium, quo muria vendi ſolebat, cum Logo adæquans. Quartarium vero ſingulorum poculorum paſchalium ita per ſextarium emetiebantur, ut quaterna illa capacia quartarii, ex pleno ſextario adimplerent (9). תמנייתא, menſuræ ſpecies antiqua, conſueta Tiberienſibus, nominis ratione, majoris, quæquæ ſit, menſuræ *partem octavam* indicat. *R. Shemuel ben Meir in comment. ſuo ad Peſachim fol.* 109. *a. lib.* 24. exponit תומן ועוכלא, *Octavam partem Kabi, & quintam* logi, quæ conficiunt quatuor ova, & quintam ovi partem (*Conf. Wagenſeilii Sota p.* 130.) Sed ab auctoribus *Toſephot ad Peſachim l. c.* impugnatur ejus expoſitio, non vero ſuppeditatur accuratior. Hinc, ne iis quidem, hanc veterem menſionem ſatis cognitam fuiſſe putabis. Inde tamen de ſollicitudine (10) illorum, qua pro menſura poculi benedictionis angebantur, nil detrahitur. Maximopere enim præcavent, ne dimenſione requiſita illud inferius ſit, aut parte ſua præciſum (11). Inter momenta itaque præcipua, quæ ad præſtantiam poculi faciunt, refertur plenitudo (12): &, qui in pleno calice gratiarum actionem recitat, ad eum promiſſiones de amplitudine hæreditatis (13) adplicantur.

XI. Replebant tale poculum vino, quantum licebat, præſtantiſſimo eoque temperato. Poſtquam enim ad ſecundum gratiarum actionis membrum, ſeu ברכת הארץ ventum erat (1), quartæ quartarii meri, tres quartas aquarum immiſcebant (2). Nam mos vini partem quartam tribus partibus aquarum diluendi illis receptus erat: non magis ſobrietatis gratia, quam ob vehementem vini, quod iſtorum terræ proferebant, naturam (3): ut ſaporem, aſperitate mollita, mitiorem gratioremque redderent. Quo ſpectat vox doctoris Talmudici *Schabbat fol.* 77. *a.* כל חמרא דלא דרי על חד תלת מיא לאו חמרא: *Omne vinum, cujus pars una non inſiſtit tribus partibus aquæ, non eſt vinum*, id eſt amœnitate ſua ac ſalubritate exhilarans. Cui geminum eſt, quod Amphictyo (4) Athenienſium rex, poſtquam civibus ſuis convenientem vini cum aqua mixturam monſtravit, *Bacho Recto* delubrum dedicaſſe dicitur, quoniam tum vinum rectum ſit, neque parum nocuum, cum dilutius bibitur. Quin imo omnes Græci inventum vini non minus, quam ejuſdem temperandi ſcientiam, ſingulare Deorum beneficium prædicabant: quippe qui Bacchum vitis repertorem, cum inter cœnandum menſæ temetum inferretur, tanquam bonum Deum venerantes, invocabant: poſt cœnam vero, calice primo aqua diluto, atque exhibito, Jovem ſervatorem acclamabant, datorem pluviæ & jucundæ temperationis autorem. Nam *Philonides* medicus, teſte *Dipnoſophiſta* (5) de prima temperaturæ vini origine tradit, a Baccho translatam fuiſſe e rubro mari vitem in Græciam, & ex intemperanti voluptate merum bibentes alios furiis actos inſaniiſſe, alios obrutos vino concidiſſe inſtar mortuorum. Cum vero quidam ad littus compotaſſent, ſubito coorta tempeſtate, diſſolutum convivium, & poculum, in quo parum vini remanſerat, repletum fuiſſe pluviis: poſtquam ex turbido die ſerena lux rediiſſet, reverſos convivas, vinumque pluviis dilutum guſtantes, voluptatem mitem ac minime moleſtam cepiſſe. Quæ quæ fides ſit *Philonidæ*, inde tamen ratio temperaturæ vini ſatis liquet. Tametſi vero nulla communis mixtura fuit (6) apud Græcos, ejuſque ſæpius mentio fit, quæ per tres partes aquæ duaſque vini peragebatur (7); jucundior (8) tamen & temperanti animo dignior (9) reputari videtur, trium aquæ ac unius partis vini commixtio, quæ Hebræis uſitata erat.

XII. Forſitan objiceret quiſpiam, poculum benedictionis haud diluendum fuiſſe aquis, quia inter præcipua momenta, quæ dignitatem ejus augent, recenſetur חי, *purum* eſſe (*Berach. fol.* 51. *a. lib.* 40. 41. *vide ſupra* §. V. *not.* k. *pag.* 14.) Sed, quamvis ſecum non conſpirent, vocem חי interpretantes: alius enim vinum purum mixtum & non mixtum explicat: mixtum ſcil. quoad partem; & non mixtum, quod tunc plene, prouti fas eſt, miſceatur, cum perventum ſit ad benedictionem terræ (1): alius ſecum ipſe non conſentit, vel ita expoſiturus חי, ut purum infundant vinum in ipſum poculum, atque in eo miſceant, ne alio quocunque vaſe diluatur, ut recens de dolio hauriatur merum, eo nomine, quod gratiarum actioni adhiberi debeat (2): quidam de integritate vaſis intelligunt (3): plurimi tamen, eo ipſo requiri putant, ut vinum uſque ad benedictionem terræ purum ſervetur (4); omnes vero ad mixtionem ſuam ſententiam dirigunt (5). Nihilominus temperatura iſtas ad terras referenda eſt, quas naturæ benignitas, vino ingentium virium, quod meracius bibi nequit, dotavit. Quapropter, quando Talmudici de mixtura loquuntur, recentio-

tiores ſemper eandem ad vina illorum, qui ſtatuta tradidere, reſtringunt (6), ſuiſque eam non opus eſſe, palam oſtendunt (7), *Maimonides* tamen veſtigia veteris temperaturæ in poculo benedictionis relinquenda videtur ſtatuere, quando vel puſillum aquæ infundi jubet, *Hilcot. Berach. cap.* VII. §. 15. rigidiori forte ſenſu adſumens illud *R. Elieſeris Berach. fol.* 50. *b. lin.* 8. *ſſ.* אין מברכין על כוס של ברכה ער שיתן להוכו מים: *Non benedicunt ſuper poculo benedictionis, uſque dum inditæ fuerint aquæ*. Sin vero in urbe vel regione, ne vinum quidem inveniretur, licitum erat gratiarum actionem ſuper calicem aut zytho (8), aut aliis potulentis (9), præter aquam (10), impletum pronuntiare.

XIII. Antequam poculum miſcebatur, Judæi nimis ſuperſtitioſi in rebus purgandis, iſtius mundationem duplicem decreverunt. Interiorem unam (1), alteram exteriorem (2). Cujus rei teſtem ipſam ſcripturam novi fœderis habemus: ubi *Matt.* XIII. 25. 26. *Servator* in ſcribas atque Phariſæos, fœtidam innocentis vitæ ſimulationem invehitur: quippe qui exteriora poculi & paropſidos purgarent, interiora fœdæ rapacitatis ac intemperieri plena relinquentes. Putares, negaſſe *Chriſtum*, eos interius eluiſſe vaſa. Minime vero. Nam quia interior ablutio ab impoſtoribus iſtis haud rite fiebat, nulla lotio reputabatur. Recta vero juſtaque purgatio impediebatur, ſi quæ res adhuc inhærebant vel hominis vel vaſis corpori, ut aquis undique non perfundi poſſet. Quæ חוצצים ſeu res, diſcriminantes *inter aquam* ſcilicet *corpuſque* vocatæ, in cauſa erant, cur omnis lotio in irritum caderet (3). Idcirco *Chriſtus* infucatæ pietatis homines intus vaſa ſua purificaſſe inficiatur, quoniam, vel accuratiſſime remotis, quæ *phyſice* diſcriminarent, non adverterant animum ad res *moraliter* diſcriminantes; caput omnis illuviei atque ſqualoris, quem peroſum eſt ſanctiſſimum numen. Plena enim adhuc erant vaſa rapinis: plena materie omnis intemperantiæ. Namque iſtis in omnem aviditatem pronis *Luc.* XVI. 14. haud religioſum erat, deglutire *Matth.* XXIII. 14. domos viduaruum. Hinc nulla erat interior ablutio: hinc irrita etiam exterior, ſi vel maxime rite peracta ſit. Tanta vero legitimæ lotionis impedimenta ſemoveri non poterant, niſi ejectis e corde concupiſcentiis malis. Quamobrem alibi cordis intima expurgari jubentur. (4).

XIV. Adhæc poculo decus conciliari putabant עיטור coronatione & עיטוף obvelatione, *Berach. fol.* 51. *a. lin.* 40. Illam, parum abeſt, quin de ritu, Græcis Romaniſque conſueto, explicem, quo aut convivæ aut pocula coronis ſertiſque exornabantur (1). Cum, teſtante *Diodoro Siculo* (2), Judæi mores aliarum gentium, ſuis deſertis, adſciverint. Sed jam iis autoritatis fideique tribuendum puto, qui de coronatione calicis Judaica præcipiunt. Nam Talmudiſtæ, quamvis in unum idemque hac in parte non conſpirent, exponunt tamen, vel de corona ſapientum, qui penes benedicentem circumſedebant (3), vel de poculis, quibus calix benedictionis circumdabatur (4), ut poſtquam, gratiarum actione jam recitata, guſtaverat benedicens, e ſingulis convivæ ſinguli biberent. עיטוף vero *obnubitio* fieri traditur, ab agente gratias, qui caput ſuum vel pallio vel albo linteolo obvelabat (5).

XV. Nunc denique fas eſt explanare, quomodo & quando calix noſter adhibebatur. Tradi vero ſolebat benedicturo, poſtquam, epulis plane abſolutis (1), loco, ubi comederant, everſo ſcopis (2), ipſoque calice infuſo (3), prior (4) manu laverat, quem reliqui ſequebantur convictores. Tum, aut paterfamilias, aut dignior aliquis hoſpes, ſi adſit, aut inter plures patresfamilias ſpectatiſſimus (5), albo linteolo caput velatus (*Vid.* §. *anteced.*) poculum ambabus manibus, e menſa (6), vel, ſi humi accumberent, e terra ad palmi altitudinem elevatum (7) dextra tenebat (8); idque ne mens aberraret, attentis oculis inſpiciens (9), benedictionem pro cibo capto recitabat. Adjecta tandem gratiarum actione (10), quam pro vino creato dicebant, primus (11) recitator bibit, qui poſt, honoris gratia, matrisfamilias poculum ad bibendum offert (12). Quo facto, reliqui omnes, pro ætatis dignitatiſque ordine, bibunt. Interea tamen, dum recitabantur preces, ſive ſtando ſive accumbendo comederent, recitator ſedere (13) debebat, & ceteri prohibiti erant, ne confabularentur (14).

XVI. Quæ hactenus tradidi, poculi benedictionis ſolenia, omni tempore ſervabantur. Cum tamen inter pocula quatuor paſchalia relatum, peculiares quoſdam, eoſque cum his communes ritus rationeſque, tempore Paſchati ſacro, haberet: iſtorum explicationem mihi jam incumbere arbitror. Itaque ab initio ſtatim, quomodo fundati ſint calices iſti quaterni, exquirens, nullum aliud fundamentum invenio, quam generale præceptum *Deuter.* XVII. 14. ושמחת בחגך *Et lætaberis in feſto tuo*. Haud vero aptiorem lætandi materiam vino (1) judicabant, quippe quod cor humanum exhilarare (2) dicatur. Rationem numeri quaternarii

aliam alii reddunt. Quidam a quatuor vocibus, quibus redemtio a servitute Ægyptiaca exprimitur, deducunt: nonnulli totidem esse volunt calices, quam mentio fit poculi Pharaonis: aliqui eos adæquant quatuor monarchiis: plurimi numero pares esse requirunt, quatuor ultionis, quos justissimus Deus gentibus; totidemque consolationis calicibus, quos Israeli propinabit (3). Posterior sententia, quæ multitudine vincit, mihi præstare ceteris videtur. Nam, postquam calix, tanquam insigne libertatis monumentum, (*Vid.* §. VII.) *supra*, receptus fuit; eum, materie a quaternis poculis ultimo memoratis sumta, quadruplicem, tempore sacro memoriæ redemtionis e servitute, quo eminere debebat significatio libertatis, adhiberi jusserunt.

XVII. Omnes Israelitæ statuto de quatuor poculis paschalibus erant obnoxii [1]. Neque pauperrimus quisque iis destitui debebat, si vel maxime publice aleretur [2]: ut quatuor calices vini tempore paschali sibi comparare, ritumque servare posset, de vestimentis suis vendere, æs alienum contrahere, & mercede se ipsum locare licebat [3]. Etenim mulieres, (*Vid. cit. ad not.* a.) non eximebantur, quamvis immunes ab aliis præceptis & ritibus [4] indicarentur. Nam in eadem navi [5] cum viris fuerant, eodemque miraculo erepti erant e servite. Ipsi infantes haud plane excipiebantur [6]. Adeoque severe hac ex parte agebant Judæi, ut, qui vel fastidiebat vinum, vel sine valetudinis jactura non bibebat, se magis quam naturæ suæ convenienter confirmato, legi satisfacere [7] deberet.

XVIII. Parem poculo benedictionis mensuram habebant singuli calices Paschales [1]. Neque differebant mixtura. In unoquoque quarta quartarii vini diluenda erat tribus partibus aquarum, adeo ut quatuor pocula simul integrum continerent quartarium vini puri [2]. Nam merum, quam poterat optimum adhiberi debebat. Hinc, ut pro temeto rubro, qui color vini præstantissimi habetur, comparando essent solliciti, præceptum erat [3]. Quare *Christum* etiam in prima S. Cœnæ institutione vinum rubicundum usurpasse, veri arbitror simillimum: quippe qui symboli terreni color convenientissimum materiæ cœlesti exprimendæ erat: quandoquidem alias vinum rubrum nomine sanguinis venit. Neque tamen eo certæ vini speciei obstringimur. Nam Judæis quoque integrum erat, si vel rubrum deficeret [4], vel candidum præstaret, [5] illi hoc præferre. Sed extra omnem controversiæ aleam positum est, *Servatorem* nostrum vinum temperatum adhibuisse: quod itidem nobis liberum est. Nam præter virtutem vini, sanamque mentem, (*Vid. Maimon. sub not. præced.* b.) Judæis commixtionis nova ratio accedebat, memoria nimirum ususque libertatis, quam erepti servitute Ægyptiaca obtinuerant. Sua quemque ætate eundem æstimari decuit, ut si ipse liber evaserit ex Ægypto [6]. Qui igitur pocula quatuor pura bibebat, debitum solvebat potu vini, haud vero libertatis significatione [7]. In istis tamen regionibus, ubi tanta vini generositas non erat, negligebant mixturam [8], contenti, si aliis in rebus beneficium libertatis usurparent.

XIX. Præclarius libertatis signum Judæi accubitum judicabant: qui ad mensam regibus & magnatibus (1) solennis esse solebat. Quandoquidem Indorum regem, *Philostratus* tradit (2) in lecto ex stramentis facto, solum præter paucos agnatos, ceteris sedendo epulantibus accubasse. Ingenui certe, quippe inter eos præclaro virtutis specimine se nobilitaverant, solebant accumbentes cœnare. Nam apud Macedonas (3) nemini discumbere licuit, quin aprum extra retia interemisset: in sedilibus quisque cœnare debebat, quoad feram occiderit. Quare Cassandrum Antipatri filium, ajunt, jam natum annos triginta quinque, sedentem cum patre cœnasse, quod eo certamine defungi non potuisset, quamvis & validus & peritus fuerit venator. Servos contra ad pedes accumbentium stare, & comedere moris erat (4), quod Romanis (5) quoque consuetum fuit, postquam, Asia devicta Græciaque cognita, recumbendi modum introduxerunt (6). Quam ob causam apud *Martialem*, ad pedes servi videntur *Tiraquello* (7) adpellari. Cum itaque omnis eo spectare deberet solennitas, ut gaudio præ se ferrent Hebræi tempore paschatos, quam insignem libertatem impetraverint a servitute molesta vindicati: cœnantes, non pro more veterum, accincti stabant, sed discumbebant. Hoc itaque modo (8) quisque quatuor pocula paschalia (9) ebibere jubebatur, ut se non servos, sed dominos assererent: quanquam alias superbiæ nomine accusabatur, qui poculum benedictionis inter accumbendum (10) hauriebat. Hinc vel summa paupertate depressus, vespera paschali, non nisi accumbens edere ac bibere debebat (11). Filius quoque coram patre, vel summo suo doctore (12), accumbebat: discipulus (13) vero coram magistro, non nisi venia data: etiamsi ministro (14) in conspectu domini discumbere licebat. Mulieres hac lege (15) non adligabantur, non tam ob

ob reverentiam (16), quam quæque marito suo debebat; alias repudiatæ certe & viduæ obstristæ fuissent: quam, quia non decebat accubitus feminas: qui & Græcis mulieribus probrosus (17) erat. Apud Judæos tamen summa dignitate matronis (18) licebat.

XX. Accumbebant vero reclinata supera parte corporis in cubitum sinistrum (1). Nam neque supinum, neque dextro lateri innixum, neque in faciem procumbere (2) decebat. Pedes ad terram pronos fuisse, tradit *R. Salomon Isaacides* (3), quod eo referendum puto, quando tres tantum una in triclinio comederunt, ut pro se quisque lectum occuparet: quum enim plures jacerent in uno lecto, pedes unius non protinus ad terram inclinabant, sed pone dorsum alterius (4) porrigebantur. Eodem spectat, quum idem *Isaacides*, quemque suo lecto accubasse, dicit *l. c.* Quod, quamvis magnificentius esset, tamen si plures tribus decumbebant, bini, terni, quaternique uno lectulo (*Rosinus l. c.*) cœnabant. Quomodo enim *Johannem* XIII. 23. diceres, magistri sui gremio insedisse, si Christus & Apostoli decubuissent quisque lecto separato? Nec aliter intelligenda, quæ in Talmude (5) produntur, de loco digniori accubitus: *Quando duo adsunt* lectuli [in biclinio] *princeps summo loco accumbit, alter vero infra pedes ejus* [*more Persarum, supra verticem* (6):] *Quando tres sunt lectuli* [in triclinio] *princeps summo loco, alter supra verticem, tertius infra pedes accumbit*. Hæc enim ad mensam ordinariam Pharisæi vel sapientis observari solebant, cum societas epularis ex tribus saltem fieret (7). Neque tamen idem ordo, cum plures uno lecto incumberent, negligebatur: quia, si duo essent, primus ad caput lecti, loco summo, alter ad pedes lecti decumbebat: si tres; dignissimus locum medium lecti, alter summum, tertius imum occupabat. Si quatuor, aut plures; tunc semper honoratiores loca media obtinuisse videntur (8). Non dubito Christum hunc in modum cum duodecim discipulis in triclinio cœnasse, ut quaterni binos lectos tenerent, & reliquos quinque caperet lectus tertius. Neque abhorret veritati, discipulos magistrum suum honorasse. Nam Jesum cum discipulo, quem diligebat, loca media lecti primi tenuisse, ex historia proditoris indicati adparet. *Johan.* XIII. 24. f. Petrus, cum ad lecti summam partem decumbens, a tergo responsum in aurem ferre a Christo haud commode posset (9), nictabat (10) supra caput Christi Johanni, ut clam sciscitaretur, dicta in quem accidant. Johanni vero in gremio suo propius inclinanti, Servator promtius (11) in aures insusurrare poterat responsionem.

XXI. Tandem ad ordinem quatuor poculorum paschalium progredior, quem prætervertere nefas erat. Quandoquidem, qui primo haustu epotaverat illa [1], obligatus adhuc ad tria reliqua erat, non aliter, ac si primum calicem tantum ebiberit [2]. Singulis [3] quoque poculis ordine tribuebant peculiares preces & laudum divinarum prædicationes. Singulis convivis primo calice infuso, dignissimus ex iis, precabatur vini primum, deinde diei consecrationes: quibus peractis omnes bibebant [4]. Postea, precibus propter lavandas manus fusis, earum lotionem perficiebant, & cum mensam instructam ac herbis amaris aliisque oleribus, pane infermentato, pulte luti Ægyptii signo [5], agno paschali, & carne de sacrificio diei XIV. conspicuam adtulissent [6], a Patrefamilias, vel primo quoque consecratio fructuum terræ recitabatur. (*Maimon. l. c.* §. 2.) tum singulis oleris, (*ibid. l. c.*) vel si olera desunt, herbæ amaræ [7] intinctæ pulmento [8], tanto minimum, quanta oliva est, vescebantur. Quo facto mensa remota fuit [9] ab istius duntaxat conspectu, qui liturgiam paschalem legeret. Nam apud veteres quemque convivarum suam mensulam [10] habuisse traditur, quamvis in Servatoris nostri historia nec volam hujus rei nec vestigium inveniamus. Postero vero tempore, quum omnes ad unam mensam accumbere solerent, a recitatoris facie fercula tantum summovebant, iisdem in quodam mensæ extremo constitutis [11]. Quæ maximam partem fiebant, ut infantes [12] hanc noctem præ ceteris insignem noscitarent.

XXII. Deinde miscebant poculum secundum, ubi filius patrem (1) aut uxor maritum, aut unus alterum, si vel maxime sapientes fuerint, aut si solus, semetipsum (2) interrogabat, quæ hujus noctis præstantia sit præ reliquis. Respondens ab ignominiosa servitute Hebræorum enarrationem suam cœpit, legitque donec sectionis *Deuteron.* XXVI. *vers.* 5. 6. 7. 8. mysticam explicationem (3) absolverit. Tum mensa restituta, recitator, agni paschalis ratione ac origine exposita, herbas amaras & infermentatos panes extulit, atque eorum usus in cœna paschali, a quo creverit principio (4), enucleavit. Post, elato (5) calice, convictoribus ad laudes divinas excitatis. (*Maimon. l. c.* §. 5.) hymni solennis, quem הלל vocant, partem, *Psalmum* nempe CXIII. & CXIV. pronuntiabat, ac precibus de Israelis redemtione, quas גאולה adpellant, ut & consecratione vini

vini ſubjunctis, omnes alterum poculum (6) ebibebant.

XXIII. Secundum ea manus, precibus ante miſſis, iterum lavabant *Maimon. l. c.* §. *6.* ad cœnam ipſam propius jam accedentes. Dehinc ſumebat, quicunque præmiſſa peregerit, duas placentas, unamque earum diviſam, memoriam paupertatis, (*ibid. loc. cit.*) integre alteri ſuperimponens, in preces ſe vertebat ante cibum captus ſolennes, (*ibid. loc. cit.*) Precatus: *Benedictus ſis tu Domine Deus noſter, rex hujus mundi qui ſanctificavit nos præceptis ſuis, & præcepit nobis azyma & amara comedere;* panem azymum & herbas amaras intingebat pulmento, intinctaque manducabat. (*ibid. loc. cit.*) ceteri ſequebantur. Comeſa denique carne ſacrificii ſolennis, agnoque paſchali, (*ibid. l. c.* §. *7.*) convivium protrahebatur, (*ibid. l. c.* §. *9.*) donec ſinguli, quodcunque libuerit, ediſſent ac potaſſent. Ad extremum, quiſque de agno paſchali, pro quantitate olivæ, (*ibid. l. c.*) comedebat, totaque cœna claudebatur, ut amplius quidquam guſtare neutiquam licitum eſſet. Hinc, manibus tertia vice lotis, poculum tertium miſcebant (1), & gratiarum actione, adjunctaque conſecratione vini perfectis, ipſum quoque calicem benedictionis bibebant, qui nomen ſuum preceſque inter quatuor paſchales retinuit. Omnium poſtremo calix quartus præbebatur (2): pars altera hymni ſupra jam cœpti, *Pſalmi* nimirum CXV. CXVI. CXVII. CXVIII. abſolvebatur, inſuper addita benedictione (3), quam ברכת השיר vocabant, & ſolenni formula precum. (*Maimon. l. c.*) qua fructum vitis conſecrabant. Epoto calice quarto, nil ultra bibere, (*ibid. l. c.*) quam aquas licebat. Si tamen quintum calicem quiſpiam adjicere vellet, hymnum majorem (4) prius decantaret, requirebatur.

XXIV. Tandem illorum percenſerem, ſubque examen vocarem ſententias, qui horum rituum veſtigia in ipſius S. Cœnæ inſtitutionis hiſtoria ſibi deprehendiſſe viſi ſunt: ſed ne falcem jam in alienam meſſem immiſiſſe cenſeri queam, hæc diſceptanda in aliud tempus rejicio, quum ſub Euſebiæ tutela hoc de argumento diſſerere licet. Filo itaque abrupto, me meaque ſtudia Lectoris benevoli gratiæ & favori commendo quam maxime.

N O T Æ.

§. I.

(1) Vid. Golii Lexicon in hac rad.
(2) Lib. XI. Dipnoſ. cap. 14. p. 501. edit. Caſaub.
(3) Ad Iliad. ψ pag. 1290. fin. Edit. Roman.
(4) Athenæus, loc. cit. *ἡ δὲ τοιαύτη θέσις τῶν φιαλῶν Ἰωνική ἐστι καὶ ἀρχαία, καὶ νῦν οὕτως Μεσσηλιῶται τιθέασι τὰς φιάλας ἐπὶ πρόσωπον.* Conf. Euſtath. l. c. lib. 56.
(5) Conf. Gatakeri Cinnum in opp. crit. col. 453.
(6) Euſtathius ad Odyſſ. ι. pag. 1583. 40. Athenæus lib. XI. Dipnoſ. cap. 8. pag. 480.
(7) Nicol. Perottus in Cornucop. ad Mart. epigr. 121. ad Mamur. *Calix vas potorium. Calix eſt rotunda ſpecies, quod vocabulum a Græcis mutuati ſumus, apud quos κύλιξ vocatur ἀπὸ τοῦ κυλίω, quod eſt, volvo, roto.*

§. II.

(1) Geneſ. 40. verſ. 11. 13. Prov. 23. 31.
(2) Vid. Glaſſ. Philol. Lib. V. Tr. I. cap. III. col. 1466.
(3) Act. III. Scen. 6. verſ. 46. conf. Taubmann. comment. ad h. l.
(4) Act. II. Scen. III. verſ. 31. ſeqq. Scen. VII. verſ. 28. ſeqq.
(5) Iliad. ω. p. m. 878. 26.

§. III.

(1) Cicer. Lib. IX. epiſt. 16. fam. Macrob. Saturn. II. 8. p. m. 413. Martial. lib. 12. epigr. 48. Cœnarum magiſter.
(2) Horat. lib. II. Carm. 7. Macrob. l. c.
(3) Plaut. Perſ. Act. V. Scen. I. v. 18. cf. Taubmannus ad h. l.
(4) Macrob. Saturnal. lib. II. 1. p. m. 386. lib. V. p. m. 260. Hinc Horatio: *Regna vini* lib. I. carm. 4.
(5) Plutarch. Sympoſiacor. lib. I. Quæſt. 4. Athenæus Lib. 10. cap. VIII. pag. 431.
(6) Plutarch. l. c. tom. II. opp. pag. 622.
(7) Hinc m. ap. Plautum Strategus ſic uſurpatur, Stich. Act. V. Scen. IV. verſ. 20.
(8) Plutarch. Apophthegm. Laconic. Ageſilai tom. II. op. fol. 208. Horat. lib. II. carm. 7. conf. Dempſtr. ad Roſin. Antiquit. Roman. Lib. V. cap. 29. fol. 371. b. Edit. Amſtelod. 1685. Taubmannus ad Plauti Perſ. l. c.
(9) Attic. noct. lib. XIII. cap. XI.
(10) Plutarch. Sympoſiac. lib. I. Qu. 4. Tom. II. opp. fol 620. B. Apophthegm. Lacon. l. c.
(11) Plutarch. Sympoſ. l. c. E.
(12) Homerus Iliad. θ. p. m. 264. v. ult. & ſeq.

Τυδείδη περὶ μὲν σε τίον Δαναοὶ ταχύπωλοι
Ἕδρῃ τε, κρέασίν τε, ἰδὲ πλείοις δεπάεσσι.

Tydide præ ceteris quidem Te honorabant Danai equites
Sedeque, & carnibus, & plenis poculis.

Homerus Iliad. μ. p. m. 428. verſ. 18. 19. Sic Joſeph, tum rex convivii, præ ceteris fratrem ſuum ex eadem matre germanum Beniaminem quintupla portione honorari juſſerat. *Geneſ.* XLIII. verſ. 34.
(13) Plutarch. Sympoſ. l. c. fol. 521. A.
(14) Huc referas Hermippi ap. Athenæum lib. I. Deipnoſophiſt. cap. 23. pag. 29.

Ἔστι δέ τις οἶνος, ὃν δὴ σαπρίαν καλέουσιν
Οὗ δε ἀπὸ στόματος στάμνων ὑπανοιγομενάων
Ὄζει ἴων, ὄζει δὲ ῥόδων, ὄζει δ' ὑακίνθου,
Ὀσμὴ θεσπεσία. Κατὰ πᾶν δ' ἔχει ὑψερεφὲς δῶμ'
Ἀμβροσία καὶ νέκταρ ὁμοῦ, τοῦτ' ἐστὶ τὸ νέκταρ
Τούτου χρὴ παρέχειν, πίνειν ἐν δαισὶ θαλείαις
Τοῖσιν ἐμοῖσι φίλοις, τοῖς δ' ἐχθροῖς ἐκ Πεπαρήθου.

Eſt & vinum aliud, Saprian plebs nomine dicit,
Quod recluſa cadi ſummi dum labra pateſcunt,
Purpureas violas redolet, ſuaves Hyacinthos,
Atque roſas divinus odor diffuſus in ædes
Nectaris adflatus diſpergitur, Ambroſiæque,
Nectar ergo prorſus vinum hoc exiſtimo purum;

Con-

Convivæ præbe potandum hoc, si sit Amicus.
Ast Inimicus *si fuerit*, Vinum *e* Peparetho.

(15) De tali magistro dicit Plutarchus l. c. ὑπ ἀπονεμῶν ἴσος neque distribuendo æqualitatis observans erit.

(16) Uti citatur Atheneo Lib. X. Dipnos. cap. VIII. pag. 431.

Οὐ συμποσίαρχος ἦν γάρ, ἀλλὰ δήμιος
Ο' χαιρέας κυάθους προπίνων εἴκοσιν
Ι'σον ἴσῳ· πάλιν τὸν μείζον ᾔτει.

Non enim convivii rex ac modiperator erat, sed carnifex Chæreas, qui viginti cum præbuisset, par pari: rursum poculum majus petebat.

§. IV.

(1) Psalm. XVI. 5. conf. Deuteron. XVIII. 8. 1. Chron. XVI. 2. 3. vid. Vatablum ad Psal. XVI. 5. XI. 6. Bibl. Crit. Anglic.

(2) Homer. Odiss. θ. p. m. 218. 13.
Ο'ι δ' ἤδη μοίρας τε ἔνεμον κερόωντο τε οἶνον.
Hi vero jam partes dividebant, miscebantque vinum.
Odyss. ξ. p. m. 380. 7. Odyss. ν. p. 412. 2.

(3) Odyss. υ. p. m. 557. vers. 20.

— Ο' γάρ τ' εὖ οἶδεν ἅπαντα
Μοῖράν τ' ἀμμορίην τε καταθνητῶν ἀνθρώπων.
— *Hic enim bene novit omnia*
Fortunamque infortuniumque in mortalibus hominibus,

(4) Iliad. ζ. p. m. 224. 36. χ. p. m. 770. 22.

Ε'κτορα δ' αὐτοῦ μεῖναι ὀλοιὴ μοῖρ' ἐπέδησεν
Hectorem vero ut ibi maneret, exitiosum fatum vinctum compulit.

conf. Macrob. Saturnal. V. 16. p. m. 572. Pythagor. Carmin. Aur. vers. 18. & Hierocl. ad hoc loc. conf. Grot. ad Matth. XX. 22. in Bibl. Crit. Anglic.

§. V.

(1) Eas jam evolvit Hænerus differt. de ritu benedict. Sacerdot. cap. 1. §. 2. vid. & Gatakeri Cinn. opp. cit. Tom. I. col. 572. seq.

(2) 2. Chron. X. 26. עמק ברכה vocatur ob actas ibi gratias pro victoria.

(3) Cod. Berach. fol. 48. b. lib. 16. ת״ר ברכת המזון כך היא ברכה ראשונה ברכת הזן שניה ברכת האר שלישית בונה ירושלם רביעית הטוב והמיטיב: Vid. Maimon. Milcot. Berach. cap. 2. §. 1.

(4) Maimonid. Hilcot. Berach. c. 5. §. 2. שלושה שאכלו פת כאחד חייבין לברך ברכת הזמון ואי זו היא ברכת הזמון אם היו האוכלים משלושה עד עשרה מברך אחד מהם ואומר נברך שאכלו משלו והכול עונין ברוך שאכלנו משלו ובטובו חיינו והוא חוזר ומברך ברוך שאכלנו משלו ובטובו חיינו: *si tres una comederint panem, eorum officium est recitandi benedictionem societatis epularis ante gratiarum actionem. Quænam vero est societatis epularis benedictio? si numerus convivarum a tribus ad decem usque ascendat, unus omnium benediens ait: benedicemus ei, cujus est, quod edimus: & ceteri respondent omnes: benedictus sit ille, cujus est, quod edimus, & cujus bonitate vivimus: tunc primus regerens benedicit: Benedictus sit ille cujus est, quod edimus, & cujus bonitate vivimus. Si decem sunt & ultra, exprimunt nomen Dei: benedictus sit Deus noster.* Nam per superstitionem Judaicam non licebat nomen Divinum exprimere, nisi decem præsentibus. Conf. *Berach. fol.* 49. b. & 50. a.

(5) Berach. fol. 48. b. lib. 25. מניין לברכת המזון מן התורה שנאמר ואכלת ושבעת וברכת זו ברכת הזן את יהוה אלוהך זו ברכת הזמון על הארץ זו ברכת הארץ הטובה זו בונה ירושלם וכן הוא אומר ההר הטוב הזה והלבנון אשר נתן לך זו הטוב והמטיב: *Undenam probatur gratiarum actio pro cibo capto? Resp. ex lege: nam ex eo, quod scriptum est Deuter.* VIII. 10. Quum comederis & saturatus fueris, laudabis &c. *colligitur prima preciuncula Bircat hasan, ex verbis:* Dominum Deum tuum, *benedictio societatis epularis, ex* propter illam terram, *secunda, Bircat Haarez, ex vocula* bonam, *fluit tertia, Bone Jerusalem; nam alibi dicit scriptura* Deuteron. III. 25. montem istum optimum & libanum. *Ex verbis denique*, quam dedit tibi, *elicitur quarta Hatobh Vehametibh.*

(6) Berachoth l. c. lib. 7. seqq. אשר רבי נחמן משה תקן לישראל ברכת הזן בשעה שירד להם מן יהושוע תקן להם ברכת האר׳ כיון שנכנסו לארץ דוד ושלמה תקנו בונה ירושלם דויד תקן על ישראל עמך ועל ירושלם עירך ושלומה תקן על הבית הגדול והקדוש והטוב והמטיב ביבנה תקנוה כנגד ביתר ואמר רב מתנא אותו היום שנתנו הרוגי לקבורה תקנו ביבנה הטוב והמטיב הטוב שלא הסריחו והמטיב שנתנו לקבורה: *Dixit R. Nachman: Moses ordinavit Israeli Bircat Hasan, tempore, quo illis Manna cœlitus dabatur: Josua ordinavit Bircat haarez, cum intravissent in terram Canaan: David & Salomo constituerunt Bone Jeruschalem; ille quidem, qua verba:* Populo tuo & Jerosolymis urbi tuæ; *hi veros* Domui tuæ magnificæ ac sanctæ. *Tobh Vehamedibh denique instituerunt Doctores Jabhnenses, ratione occisorum Judæorum in urbe Bitter. Dixit enim R. Mathna: illo ipso die, quo humo condita fuerunt cadavera occisorum ordinarunt in civitate Jabhnensi Tobh Vehametibh.* np. טוב, propterea *quod fœtore non infecta fuerunt*, והמטיב *vero*, quod *sepulta*. Clades Bitterensis facta est sub Trajano, duce exercitus Adriano. Vid. Zemach. David. part. 1. fol. 28. b. ad ann. 880. conf. Maimon. Hilcoth. Berach. cap. I. §. 1.

(7) Schabbat. fol. 76. b. lib. 4. a. fin. ומאי כוס יפה כוס של ברכה: *Quodnam est poculum pulchrum? Poculum benedictionis*. Pesachim. fol. 108. b. lib. 2.

(8) Raschi ad Schabb. l. c. כוס של בבכת המזון שהצריכו חכמים ליפותו כדאמלינן בברכות: *Est poculum gratiarum actionis post cibum captum, nam doctores Talmudici absolute requirunt illius elegantiam, prout occurrit in Berach.* np. fol. 52. a. lin. 50. עשרה דברים נאמרו בכוס של ברכה טעון הדחה ושטיפה חי ומלא עיטור ועיטוף נוטלו בשתי ידיו ונותנו בימין ומגביהו מן הקרקע טפח ונותן עיניו בו: *Decem res præcipiuntur de poculo benedictionis, quod necesse habeat 1. intra lavari 2. extra ablui 3. purum esse 4. plenum 5. coronari 6. benedicentem se obuelare 7. id ambabus sumere. 8. constituere in dexteram 9. a loco extollere ad palmi altitudinem, & 10. suos in idem convertere oculos*. Quæ momenta infra suis locis explicabuntur.

(9) Berach. fol. 51. b. l. 16. כל האי נבגא דברכתא.

(10) Sic Raschi ad l. c. היא כל יין שבחבית כבוס של ברכה הוא שתי ממנו: *Erat omne vinum, quod continebatur vase majori: cujus quisque tantum bibebat, quantum satis erat pro mensura poculi benedictionis.*

(11) In נכג fol. 142. b. ubi l. c. ex Berach. exponit מהדורא דכסא עד ששותין כל המסובין אחר הברכה ורגילין העם לקרות מחזור כל כוס ברכ׳: *Est circuitus poculi, donec singuli, qui una accumbunt, biberint: Solet vulgo vocari circulus totius poculi benedictionis*. Quantum itaque omnes biberant, tantum R. Nachman uxori suæ, ut reconcilietur, mittebat.

§. VI.

(1) Arba Thurim in Orach chajim cap. 182. 1. fol. 33. b. וכיון שטעון כוס צריך לחזר אחריו ולא יאכל אלא אם כן יהיה לו כוס לברך עליו ברכת המזון אם הוא מצפה ואפשר שיהיה לו אפילו אם צריך לעבור זמן אכילה אחת כדחזינן באמימר שלן בתענית במוצאי שבת מפני שלא היה לו כום להבדיל עליו דכיון שברכת המזון טעונה כום אין חילוק בינו להבדלה: *Cum itaque poculum absolute requiratur, necesse est inquirere illud ac comparare; neque quis comedat, nisi poculum habeat, super quod effundere possit preces post cibum captum: sin expectaverit, & possibile sit, adhuc poculum acciperr, expectabit, etiamsi semel omittere debet tempus cœnandi: prouti exemplum habemus in Ameimar, qui jejunus pernoctabat in exitu Sabbati, proptorea quod non habebat poculum, super quod pronuntiaret preces separationis Sabbathum a die profano. Quoniam vero benedictio post cibum sumtum poculum poscit, non est discrimen inter hanc & illam qua Sabbathum a profano separatur*. Exemplum *Ameimar* Pesachim fol. 107. a. lin. 10. seq. occurrit.

(2) Maim. Hilc. Schabb. cap. 29. §. 5. משיצא היום אסור לו להתחיל לאכול ולשתות ולעשות מלאכה או לטעום כלום עד שובדיל ולשתות המים מותר: *Inclinante die non licet initium facere edendi, bibendi,* ope-

operandi, aut quidquam gustandi, antequam recitata sit benedictio Sabbathum & diem profanum distinguens; at aquas bibere licet.

(3) Maim. Hilcoth Schabb. cap. 29. §. 6. Cod. Pesachim fol. 105. b. l. 16. seq.

(4) Pesachim fol. 102. b. l. 9. הנכנס לביתו במוצאי שבת הבירכת על היין ועל המאור ועל הבשמים ואחר כך אומר הבדלה על הכוס ואם אין לו אלא כוס אחר מניחו לאחר ההזון ומשלשלן כולן לאחריו: *Si quis intraverit domum suam, exeunte Sabbatho, recitabit, consecratis vino, lumine, & aromatibus benedictionem separantem a Sabbatho diem profanum, super calicem: sin vero non nisi unus fuerit cuipiam calix, reservat illud usque dum cœna finita sit, & postea omnia ista secum invicem connectit.* Conf. Pesachim fol. 105. b. lin. 5. Berach. fol. 52. a. lin. 5.

(5) Pesachim fol. 102. b. lin. 5. אין עושין מצות חבילות חבילות: *non servant præcepta per fasciculos* i. e. multa simul, ne unius observatio alteri quidquam detrahat.

(6) Orach chajim. num. 182. 1. fol. 33. b. ברכת המזון טעונה כוס אפילו ביחיד מדלא קאמר בשום מקום ברכת זמון טעונה כוס אלא ברכת המזון קאמר משמע כל ברכת המזון אפילו ביחיד: *Gratiarum actio requirit poculum, etiamsi suo duntaxat nomine quispiam gratias agit: propterea quod nullibi dicitur, preces societatis epularis requirunt poculum; sed, gratiarum actio pro cibo capto. Hinc* colligitur, *omnem gratiarum actionem, licet unius nomine recitetur, requirere poculum.* Vid. Schylchan Aruch p. 1. n. 182. 1. fol. 33. col. 1.

(7) Schylchan Aruch. l. c. י"א שאינה טעונה כוס אלא בשלושה: *Sunt, qui dicunt* (gratiarum actiocem) *non requirere poculum, nisi tres epulas consociatas faciant.*

(8) Ibidem. י"א שאינה טעונה כלל אפילו בשלושה *Sunt, qui dicunt*, eam omnino *non absolute requirere poculum, quanquam tres societatem epularem faciant.*

§. VII.

(1) 1. Maccab. XV. 6. 1. Maccab. XIV. 26. vid. Reland. de numis Samarit. Diss. 1. p. 38. diss. 5. p. 186. Otti epistol. pag. 76. Reland. diss. IV. p. 133.

§. VIII.

(1) Jes. 65. 11. וממזגין לדהלהון אננין & *infundunt idolis suis scyphos vel phialas.*

(2) In Spicil. ad Michl. Jophi Exod. 24. 6. נקראו כן מפני שהם ענולים: *Vocantur ita, quod rotunda fuerunt.*

(3) Cantic. Canticor. VII. 3. Michal Jophi ad h. l. ואגן הוא המזרק לפי שתבניתו ענול בתבנית הסהר שהוא הירח כתרגומו.

(4) Vid. Lexicon Talmud. Buxtorff. in דוט.

(5) Quos inspices in Diss. Relandi, de numis Samarit. Tab. I. num. 1. 2. 3. 5.

(6) 1. Reg. VII. 26. 2. Chron. IV. 5.

(7) Orach. chajim cap. 183. ואם מיסב בשולחן מגביהו מעל השלחן טפח ונותן בו עיניו שלא יסיח דעתו ועל כך אין לוקחין כוס שפיו צר שקורין גלו"ק גלא"ז לבר' עליו: *Et, si ad mensam accubuerit, extollat* (poculum) *a mensa palmum, & oculos in id convertat, ne mens ejus aberret: (& propterea non adhibent poculum orificii angusti*, quod *vocant ein Gluck-Glass.*, *ut in eo benedicant.*

(8) De locis sanctis cap. 2. uti citatur Buxtorffio Diss. Philolog. Theol. VI. de S. cœna §. 22. p. 300.

§. IX.

(1) Jora Dea 120. fol. 26. b. col. 2. ואין צריך טבילה אלא לכלי מתכות והן צרכי הסעודה כגון כוסות וגו' *Nulla vasa requirunt immersionem præter metallica, eaque convivio inservientia* sunt e. c. Pocula &c.

(2) Ibid. in seq.

(3) Beracoth. fol. 30. b. lin. ult. & seq. מר בריה דרבינ' עבד הלולא לבריה חזנהו לרבנן דהוו קברחי טובא אייתי כסא דמוקרא בת ר' מאה זוזי ותבר קמייהו ואעציבו *Mar filius Rabinæ, cum filio suo nuptias pararet, atque Doctores* (invitatos) *vehementer exultare videret: Poculum pretiosum, quod valebat 40. denarios, attulit, fregitque, ut dolore afficerentur.* Berach. fol. 28. a. lin. 1.

(4) Dempsterus in Paralip. ad cap. 30. Lib. V. Antiquit. Romanar. Rosini.

(5) Cholin fol. 84. b. l. 9. paulo post in Gemara ibidem explicatur זכוכית per זוגיתא היוכתא, seu *vitrum splendidum*, quod Crystallus est.

§. X.

(1) Schabbath fol. 76. b. lin. antep. כוס של ברכה צריך שיהא בו רביעות כרי שימזגנו ויעמר על רביעית *Poculo benedictionis inesse requiritur vini quartam quartæ partis* (logi), *ut misceri* possit (tribus partibus aquæ) & totum *constare* parte quarta logi. Rabbi ad Schabb. cap. 8. θ. 1. fol. cit. כרי מזיגת הכוס, *pro mixtione poculi*, explicat כשיעור שנותנים יין חי לתוך כוס להוסיף עליו מים כהלכתו ולמזוג אותו בהן *juxta mensuram, qua infundere solent poculo vinum purum, aquis pro more instituto additis, illud commisceant.* Conf. Bartenora & Maimonid. ad Schabb. cap. 8. θ. 1.

(2) Pesachim fol. 109. a. lin. 6. a fine. אמר רב חסדא רביעית של תורה אצבעים על אצבעים ברום אצבעים וחצי אצבע וחומש אצבע Alphesi in Pesachim fol. 176. a. lin. antepen. Maimon. ad l. c. R. Tanchum, & R. Akanin ap. Pocokium in not. miscellan. ad portam Mosis cap. 9. p. 361. seq.

(3) Pesachim l. c. l. 4. a fin. כרתניא ורחץ במים את כל בשרו שלא יהא דבר חוצץ בין בשרו למים במים במי מקוה את כל בשרו מים שכל גופו עלה בהן וכמה הן אמה על אמה ברום שלוש אמות ושיערו חכמים שיעור מי מקוה ארבע סאה *Prouti est doctrina exotica: lavet aquis omnem carnem suam, ut ne quidquam aquas a carne secernat* (& lotionem irritam reddat): *quibus nam aquis? Aquis conceptaculi.* Quid innuit *omnem carnem suam?* ut *aquis* abluatur, *quantæ pares sunt toti corpori ejus. Quantæ sunt? Quantum capit ulna* quadrata *una cum tribus ulnis in altitudinem extensis. Constituunt vero sapientes mensuram aquarum conceptaculi, quadraginta* Seas conf. Alphesi l. c.

(4) Rabbenu Nissim ad Alphesi l. c. רכיון ראמה על אמה ברום ג' אמות מהזיק ארבעים סאה מינה ילפינן דאצבעים על אצבעים מחזיק רביעית וכן היא דרך החשבון בלשון קצרה להתלמידים שנחלק רום הכלי שהוא ג' אמות לעשרי' חלקים יהיה כל חלק מהם י"ח חומשי אצבע שהרי בשלוש' אמות י"ח טפחים ובכל טפח ד' אצבעות ובכל אצבע ה' חומשים נמצא חלק העשרים י"ח חומשי אצבע אחר כך נוציא מאלו הי"ח חומשים הרביע נשארו י"ג חומשי אצבע וחצי חומש שהן אצבעים וחצי אצבע וחומש אצבע: וכן נעשה מן המי' עשרים חלקים יהיה החלק כ' סאין נוציא הרובע ישאר סאה ומחצה שהן תשעה קבין נמצא שאמה על אמה ברום אצבעים וחצי אצבע וחומש אצבע מחזיק ט' קבין שהן ל"ו לוגין ואמה על אמה היו ששה טפחים על ששה טפחי' שהן בתשבורת ל"ו טפחים נמצא לוג לכל טפח ורובע הטפח שהוא אצבעים יחזק רביעית הלוג: *Cum ulna quadrata communiter cum tribus ulnis in altitudinem extensis comprehendat quadraginta Seas vel sata, colligimus exinde, quatuor digitos quadratos continere quartam partem sextarii. Ita vero per compendium supputare solent eruditi: Dividitur altitudo vasis, quæ est trium ulnarum in viginti partes, quarum quælibet octodecim quintas digiti habet. Nam tres ulnæ octodecim palmos, singuli palmi quatuor digitos, quilibet digitus quinque quintas comprehendit. Ergo pars vicesima octodecim quintas continet. Postea, subtracta ab istis octodecim quintis, quarta parte, remanent tredecim quintæ, & dimidium quintæ digiti, quæ sunt duo digiti, dimidium digiti, & quinta digiti. Eodem modo dividuntur aquæ in viginti partes, quarum quælibet duo Sata continet; subtracta vero ab his quarta parte, remanet una. Sea ejusque dimidium, quæ sunt nomen* Cabi. *Ergo ulna quadrata una cum duobus digitis, dimidio digiti & quinta parte digiti, extensis in altitudinem, comprehendit novem* Cabos, *qui sunt triginta sex Logi vel sextarii. Ulnam quadratam vero conficiunt sex palmi in sex deducti, quorum multiplicatio per se invicem producit triginta sex palmos. Ergo singuli palmi æquales sunt logo s. sextario, & quarta pars palmi, quæ sunt duo digiti in se deducti, æqualis est quartæ parti Sextarii.*

(5) Alphesi Pesachim fol. 176. b. l. 3. רביעית של תורה כיצה ומחצה והלוג ד' רבועיות שהן שש ביצין *Quartarius in lege* (Pentateucho) *occurrens, continet ovum ejusque dimidium: Sextarius quatuor quartarios capit,*

capit, qui ſunt ſex ova. Vid. Michlal Jophi ad Levit. XIV. 22.

(6) Peſachim fol. 108. b. lin. 1. ſeq. אמר ר' יהודה אמר שמואל ארבעה כוסות הללו צריך שיהי בהן כדי מזיגת כוס יפה *Dixit R. Jehuda nomine Schmuel, ſingula quatuor pocula iſta* (Paſchalia) *tantum capere debent, quantum ſufficit commixtioni poculi benedictionis*.

(7) Peſachim fol. 109. a. l. 21. אמר ר' יצחק קסטא דמורייסא דהות בציפורי היא הות כמין לונא דמקדשא ובה משערין רביעית של פסח אמר ר' יוחנן תמנייתא קדמייתא דהות בטבריא הות יתירא על דא רבעא ובה משערין רביעית של פסח *Dixit R. Iſaac Sextario muriæ recepto in urbe Zippor, qui ſpecies eſt Sextarii in ſacris uſitati, metiuntur quartarium Paſchalem*, i. e. quatuor poculorum paſchalium. *R. Jochanan dixit, priſca menſura* תמנייתא, *quæ fuit in Tiberia, major fuit hodierno quartario; illa vero metiebantur quartarium paſchalem*.

(8) Alpheſi fol. 176. b. האיפה שלש סאין שהן שמונה עשר קב שהן ששה הינים שהן שבעים ושנים לוג שהן מאתים ושמונים ושמונה רביעיות שהן ד' מאות ושלושים ושנים ביצים *Epha capit tres Seas, quæ ſunt 18. Cabi, 6. Hini, 72. logi, 288. quartarii*, 432. *Ova*.

(9) Raſchbam ad Peſach. l. c. ממלאין אותה ומחלקין אותם לד' כוסות דלוג ד' רביעיות *Illo* (ſextario) *adimpleto, dividunt in quatuor pocula*, quæ una logam conficiunt, *quatuor quartarios*.

(10) Peſachim fol. 105. b. l. 4. שמע מינה כוס של ברכה צריך שעור.

(11) Peſachim l. c. שמע מנה טעמו פגמו *Exinde diſce, deguſtantem* illud diminuere, fol. 106. a. l. 3. טעמו פגמו וכוס של ברכה צריך שעור חדא מלתא היא והרי קאמר מה טעמו פגמו משום דכוס של ברכה צריך שיעור Berach. fol. 52. a. lin. 29. vid. Orach. chajim cap. 182. fol. 33. b. col. 1. Schylchan Aruch. c. 182. 3. fol. 33. b. col. 1.

(12) Berach. fol. 51. a. lin. 40. Orach. chajim c. 183. fol. 33. b. col. 2. מלא כפשטיה שיהא מלא על כל גדותיו *Plenum, ſenſus eſt, ut plenum ſit ſuper omnes ripas ſuas*. Conf. R. Jona ad Alpheſi fol. 40. b. lin. 104.

(13) Berach. l. c. lin. 42. אמר ר' יוחנן כל המברך על כוס מלא נותנין לו נחלה בלא מצרים שנאמר ומלא ברכת יהוה ים ודרו' ירשה רב יוסי ברבי חנינא אומר זוכה ונוחל שני עולמים העולם הזה והעולם הבא *Dixit R. Jochanan, qui benedictionem recitat in poculo pleno, illi dabitur poſſeſſio ſine terminis. Quia ſcriptum eſt*: Deuter. XXXIII. 23. *Plene benedictione Domini: ad occidentem & meridiem hæreditatem obtine. R. Joſe F. R. Chaninæ dixit, juſtificatus in hæreditatem accipit duos mundos, præſentem & futurum*.

§. XI.

(1) R. Alpheſi Berach. cap. 7. fol. 40. b. l. 20. חי עד ברכת הארץ ובברכת הארץ נותן לתוכו מים *Purum manet* (vinum) *uſque ad benedictionem terræ: tunc vero miſcet illud aqua*. Orach. chajim c. 182. f. 33. b. col. 2. Maimon. Hilcoth. Berach. cap. 7. §. 15.

(2) Schabbath. fol. 76. b. l. antep. כוס של ברכה צריך שיהא בו רובע רביעית כדי שימזגנו ויעמוד על רביעית *Poculum benedictionis neceſſe habet infundi quartam partem quartarii* (vini), *ut cum miſceatur*, totum *conſtet quartario*. Maimon. comment. in cap. 8. Schabb. §. 1. מוזגין יינם חלק אחד יין ושלושה חלקים מים אם כן יהיה מזיגת הכוס רובע רביעית היין שלהן *Miſcebant vini ſui partem unam, tribus partibus aquarum*: Si res ita ſe habet, conſtabit commixtio quarta parte quartarii vini illorum.

(3) Maimon. Hilcot. chamez vmazza cap. VIII. §. 9. לפי יין ולפי דעת השותה.

(4) Athenæus lib. IV. Dipnoſoph. cap. 37. p. 179.

(5) Idem lib. XV. cap. V. p. 675.

(6) Iſaac Caſaubon. animadv. in Atheneum l. X. c. VII. col. 721.

(7) Athenæus lib. X. cap. VII. p. 426.

(8) Menander in Heroe:

> Καί τοι πολύ γ' ἔσθ' ἥδιον, οὐ γὰρ ἄν πότε
> Ἔπινον τρεῖς ὕδατος οἴνου δ' ἓν μόνον.
> *At multo ſuavius futurum eſt: nunquam enim*
> *Tres aquæ partes bibi, unam autem vini*.

(9) Hinc Heſiodus, mores fratris ſui formaturus commendat hanc temperationem oper. lib. II. 214.

> Τρὶς ὕδατος προχέειν, τὸ δὲ τέτρατον ἱέμεν οἴνου
> *Tertiam partem aquæ infunde, quartam vero vini relinque*.

§. XII.

(1) Orach. chajim cap. 183. fol. 33. b. col. 2. ור"ת פי' חי מזוג ולא מזוג שמוזגו קצת וכשיגיע לברכת הארץ מוזגו כראוי על חד תלת מייא *R. Tam exponit purum, mixtum & non mixtum, quod miſcet quiſpiam quoad partem, & cum pervenerit ad benedictionem terræ, miſcet, prouti decet, ut* (inſiſtat vinum) *tribus partibus aquæ*, conf. R. Jona ad Alpheſi fol. 40. b. lin. 101. qui ſententiam R. Jacobi aliis præfert.

(2) Orach. chajim l. c. ור"שי פי' שנותנו לכוס של ברכה חי ומוזגו בו לאפוקי שלא ימזגנו בכלי אחר ויתננו בכוס של ברכה א"כ מוציא מין החבית לשם ברכה חי פריש"ק בלעז (וגם ב"ל אשכנז פר"יש) & *Raſchi interpretatur, ut quis purum indat vinum in poculum benedictiones, atque in eo ipſo miſceat, ad excludendum, ne alio quocunque vaſe illud mixtum, indat in poculum benedictionis. Poſtea vero explicat Raſchi, e dolio producat ſub nomine benedictionis vinum, quod vocant in lingua barbara*, Friſch. Conf. Raſchi ad Berach. loc. cit.

(3) Orach. chajim l. c. ויש מפרשים על הכלי שיהא שלם כדאיתא בבבא קמא על כלים שבירתן זו היא מיתתן *Sunt qui interpretantur de vaſe, quod integrum eſſe debeat, prout in Baba Kama occurrit de vaſibus*: fractio eorum mors eſt.

(4) Alpheſi cap. 4. Berach. fol. 40. b. l. 20. חי עד ברכת הארץ ובברכת הארץ נותן לתוכו מים *Purum, uſque ad benedictionem terræ: tunc indunt aquas. Rabbenu* Jona ad h. l. rationem profert, ut ſcil. & vini & terræ præſtantia innoteſcat. Conf. Orach. chajim cap. 183. fol. 33. b. col. 2.

(5) Orach. chajim l. c. חי אין פירושו ממש בלא מזיגה דהא תנן מודים חכמים לרבי אליעזר בכוס של ברכ' שאין מברכין עליו עד שיתן לתוכו מים חי *non proprie purum ſignificat abſque mixtura: nam adeſt doctrina exotica, quæ omnes ſapientes quoad poculum benedictionis cum R. Elieſer conſentire, teſtatur, quod non benedicant ſuper illo, donec inditæ fuerint aquæ*.

(6) Maimon. comment. ad Schabbath cap. VIII. §. 1. Raſchbam ad Peſachim fol. 108. b. lin. 5. vid. infra ad §. XVIII.

(7) Orach. chajim cap. 183. fol. 33. b. col. 2. דיין שלנו אין צריך מזיגה *Vino noſtro non opus eſt temperatio*.

(8) Peſachim fol. 107. a. lin. 10. איקלע לאתריך לא הוה לן חמרא אייתינו שכרא אמר אי הכי חמר מדינא הוא אבריל *Quando perveniebat* [Ameimar] *in loca, ubi vinum non habebamus, adducto a nobis zytho dicebat: Si tale eſt vinum regionis, recitabo benedictionem, quæ Sabbathum a profano diſtinguit*.

(9) Orach. chajim cap. 182. fol. 33. b. col. 1. כיון שברכת המזון טעונה כוס אין חילוק בינו להבדלה ואם אין מצוי באותו מקום יכול לברך על שכר ושאר משקים *Cum Gratiarum actio & Benedictio ſeparans Sabbathum a die profano, poculum abſolute requirant, nulla differentia inter hanc & illam. Et, ſi vinum non inveniatur in illo ipſo loco, poteſt quis gratias agere ſuper zythum & reliqua potulenta*.

(10) Raſchbam ad Peſachim l. c. מים לא אקרו חמר מדינה ואין מבדילין על המים אפילו היכא דלא שכר וייז: Aquæ non habentur pro vino regionis: *neque benedictionem ſeparantem Sabbatum a die profano pronunciabant ſuper aquas, quamvis nec zythum, nec vinum adeſſet*.

§. XIII.

(1) Berach. fol. 51. a. l. 40. 41. 42. הודח מבפנים ablutio fit intra Orach. chajim cap. 183. fol. 33. b. col. 2. Maimon. Hilcot. Berach. cap. 7. §. 15.

(2) Berach. l. c. שטיפה מבחוץ Immerſio fit extra. Orach. chajim, & Maimon. ll. cc.

(3) Maimonid. Hilcot. Mickavoth. cap. 1. §. 12. אחד האדם או הכלים לא יהיה דבר חוצץ בינם ובין המים ואם היה דבר חוצץ בינם ובין המים כגון שהיה בצק או טיט מודבק על בשר האדם או על גוף הכלי הרי זה טמא כשהיה ולא עלתה להן טבילה: *Sive homo, ſive vaſa fuerint lavanda nulla res inhæreat ab iis*

iis aquas separans; si vero quidquam adsit secernens ab istis aquas, e. g. sordes aut lutum, inhærentia carni hominis aut corpori vasis; omnino ea [homo & vas] *uti ante, sic adhuc immunda erunt:* neque quidquam juvabit ablutio.

(4) Luc. XI. 39. τὸ ἔσωθεν ὑμῶν. Conf. Matth. XV. 19. 20.

§. XIV.

(1) Vid. Dempster. Paralipom. ad cap. 30. Lib. V. Rosini p. 388. b. ss. Plutarch. Lib. III. Sympos. qu. I.

(2) Eclog. lib. XL. Tom. II. p. 923. ex Edit. Laur. Rhodomanni 1604. κατὰ δὲ ὕστερον γενομένας ἐπικρατείας ἐκ τῆς τῶν ἀλλοφύλων ἐπιμιξίας, ἐπὶ τετάρτης τῆς Περσῶν ἡγεμονίας καὶ τῶν ταύτην καταλυσάντων Μακεδόνων, πολλὰ τῶν πατρίων τοῖς Ἰουδαίοις νομίμων ἐκινήθη. *Cæterum sub imperiis posteriori ætate exortis, maxime in quarto Persarum dominatu, & qui hunc everterunt, Macedonum tempore, ex commixtione cum externis gentibus, multa de legum avitarum institutis apud Judæos mutata, exoleverunt.*

(3) Berach. fol. 51. a. l. antep. רב יהודה מעטרהו בתלמידים R. Jehuda circumdabat illud *Sapientibus*, (*qui circumsedebant, cum benediceret, vid.* Raschi ad h. l.) conf. Orach. chajim n. 183. fol. 33. b. col. 2.

(4) Berach. fol. 51. a. lin. antep. רב חסדא מעטר ליה בנוסות בשמ"ע לברכת. Raschi ad h. l. הארץ מוסיף עלית. Orach. chajim l. c. R. Ascher ad Berach. fol. 17. b. col. 1. lin. 58. עסרא מעטר ליה באנטליא.

(5) Berach. fol. 51. a. lin. antep. רב פפא מעטף ויתיב רב אסי פריס סודרא על רישיה *R. Papa obvelabat se* [pallio, sic Raschi בטליתו] R. *Ase* expandebat *album linteolum super caput suum*. Conf. Orach. chajim cap. 183. fol. 33. b. col. 2. Rabbenu Ascher ad cap. VII. Berach. fol. 17. b. col. 2. l. 54. כל הנך רגילין האידנא אף בפריסת סודרא שלא יברך בגלוי הראש ואין חסר לנו אלא עיטור *Omnia ista* [decem momenta supra §. V. pag. 14. a nb. adducta] *adhuc usitata sunt, etiam expansio sudarii, ne aperto capite gratias quispiam agat: neque ullum nobis deest, præter coronationem.*

§. XV.

(1) Orach chajim n. 180. fol. 32. a. col. 2. ולאחר שגמר סעודתו יברך ברכת המזון: *&, ubi absolvit prandium, recitabit gratiarum actionem.*

(2) Berach. fol. 51. b. lin. 27. seq. בית שמאי אומרים מכבדין את הבית ואחר כך נוטלין לידים ובית הלל אומרים נוטלין לידים ואחר כך מכבדין את הבית: *Sammæani dicunt, everrant domum & postea manus lavent: Hilleliani vero, lavent manus & postea domum everrant.* Raschi ad h. l. בית præcise de loco isto, quo accumbebant, exponit, מקום שאכלו שם אם היסבו על גבי קרקע מכבדין את הקרקע או אם הסבו על השולחן מכבדין שלחן משיורי אוכלין שנתפזרו עליו: *locum, quo comedunt: si accumbant humi, humum everrant, si ad mensam accumbant, mensam purgent a reliquiis ciborum in illa dispersis.* H. vero loco statutum est ex mente Sammæanor. Berach. fol. 52. b. lin. 34. conf. Orach chajim cap. 180. fol. 32. a. col. 2. Maimon. Hilc. Berachoth cap. VII. §. 11.

(3) Berach. cap. 8. §. 2. בית שמאי אומרים נוטלין לידים ואחר כך מוזגין את הכוס ובית הלל אומרים מוזגין את הכוס ואחר כך נוטלים לידים: *Sammæani dicunt: lavent manus & postea poculum misceant. Hilleliani dicunt: misceant poculum & postea manus lavena.* Statutum est ex mente Hillelianorum.

(4) Si convivium quinque constabat personis. Sin pluribus, ultimis quinque prior lavabat. Berach. fol. 46. b. l. 11. col. fin. Inde Orach chajim. fol. 36. a. col. 2. fin. אם המסובין רבים עד חמשה מתחילין מן הגדול שהוא מברך והמברך נוטל תחלה ואם הם יותר מתחילין מן הקטון ונוטלין דרך ישיבתן ואין מכבדין זה את זה ליטול גדול שבהן תחלה עד שמגיעין לחמשה אחרונים וכיון שלא נשארו אלא ה' שלא נטלו מתחילין בגדול שבחמשתן שהוא המברך: *Si convivæ quinque tantum fuerint, a principe, eoque recitatore initium lavandi faciunt, quippe qui primus lavat. Sin vero plures sint, ab infimo initium faciunt, lavantque eo ordine, quo sedent: & nullus alteri honorem offert, ut, ceu maximus dignitate prius lavet, donec ventum sit ad quinque posteriores. Nam, cum quinque tantum adhuc reliqui sunt, qui nondum laverunt, initium faciunt a principe inter istos quinque convivas, quippe qui benedictionem recitat.* Conf. Maimon. Hilcoth. Berach. cap. VII. §. 15.

(5) Maim. Hilcot. Berach. cap. VII. §. 2. בעל הבית מברך המוציא ומשלם הברכה ואחר כך בוצע והאורח מברך ברכת המזון כדי שיברך לבעל הבית ואם כולן בעלי הבית הגדול שבהן בוצע והוא מברך ברכת המזון: *Paterfamilias preces ante prandium solennes* (quas a voce initiali מוציא vocant) *recitat, iisque absolutis; panem frangit: hospes vero recitat gratiarum actionem, ut benedicat patrifamilias. Sin vero omnes sint patresfamiliæ maximus seu spectatissimus illorum, frangit panem* (precibus ante prandium recitatis) *& orat etiam post cibum captum.*

(6) Berach. fol. 51. a. l. 40. נוטלו בשתי ידיו אמר רבי חנינא בר פפא מאי קראה שאו ידיכם קדש וברכו את יהוה: *Extollat illud ambabus manibus: dixit R. Chanina fil. Papha: quem locum scripturæ testem habeo?* R. Psalm. CXXXIV. 2. *Attollite manus vestras sancta & benedicite Domino.* Orach. chajim 183. fol. 33. b. col. 2.

(7) Berachoth fol. 51. a. l. 40. b. lin. 1. f. ומגביהו מן הקרקע טפח א"ר אחא ברבי חנינא מאי קראה כוס ישועות אשא ובשם יהוה אקרא: *Et exaltabit illud palmum e fundo: Dixit R. Acha filius R. Chaninæ, quem locum scripturæ testem habeo?* R. Psalm. 116. vers. 13. *Poculum salutum attollam, nomenque domini invocabo.*

(8) Berach. fol. 51. a. l. 40. Orach. chajim. l. c. נותנו לימין.

(9) Berach. fol. 51. a. l. 41. b. l. 3. ונותן עיניו בו כי היכי דלא ניסח דעתיה מניה: *Et oculos suos intendat in illud, ne mens sua abberret.* Orach chajim loc. cit.

(10) בורא פרי הגפן וגו' *Qui creasti fructum vitis &c.* Maimon. Hilcot. Berach. cap. VIII. §. 14. מברך ברכת המזון ואחר כך מברך על היין: Orach chajim. 190. fol. 35. a. col. 2.

(11) Orach chajim l. c. ויטעום המברך ואחר כך יטעמו האחרים: *Et gustet poculum, qui benedictionem recitat & postea ceteri gustent.*

(12) Berach. fol. 51. a. l. 41. יש אומרים אף משגרו במתנה לאנה לאנשי ביתו: *Addunt etiam alii, ut illud* (poculum benedictionis) *ceu donum honorificum* uxeri suæ tradendum curet. conf. Raschi ad hoc loc. Ratio hujus rei redditur l. c. b. l. 5. כי היכי דתתברך, *ut benedictionis uxor particeps fiat.* Quam rationem impugnat Ula cœnæ R. Nachmanis adhibitus. Cum enim, recitata gratiarum actione, ceu hospes primum bibisset; jubebatur a R. Nachmane poculum Jaltæ uxori R. Nachmanis offerre, quod nolebat. Berachoth. fol. 51. b. l. 6. ss.

(13) Berachoth fol. 51. b. in fine cap. 7. האוכל ומהלך מברך מעומד וכשהוא אוכל מעומד מברך מיושב וכשהוא מיסב ואוכל יושב ומברך והלכתא בכולהו יושב ומברך: *Quando quis incedens cibum capit, stando agat gratias, & cum stando vescitur, sedens agat gratias, & quando accumbens comedit, sedens preces recitet. Sed sententia de his omnibus est, sedens comedat.* Conf. Orach chajim cap. 183. fol. 34. a. col. 1.

(14) אמר ר' אסי אין מסיחין על כוס של ברכה: *non confabulentur, quando traditum fuit poculum benedictionis.* Berach. fol. 51. lin. 6. a. fine cap. 7. conf. Orach. chajim 183. fol. 34. a. col. 1. Maimon. Hilcot. Berach. cap. VII. §. 15. ואין מסיחין על כוס של ברכת המזון אלא הכ"ל שותקים עד שתכלה ברכת המזון וברכת היין וישתו: *Non confabulantur præsente poculo benedictionis, sed omnes silent, donec absoluta gratiarum actione, & vini consecratione, biberint.*

§. XVI.

(1) Cod. Babylon. Pesachim fol. 109. a. lin. 11. תנו רבנן חייב אדם לשמח בניו ובני ביתו ברגל שנאמר ושמחת בחגך במה משמחים ביין: *Tradunt doctores nostri, quilibet exhilarare debet filios & domesticos suos singulis festis solennioribus, quoniam scriptum est:* Et lætaberis in festo tuo Deut. XVII. 14. *Quomodo vero exhilarant? R. Vino.* Jerosolym. Cod. Pesach. cap. 10. fol. 37. a. col. 2. lin. 4. a. fin. תני צריך הוא אדם לשמח את אשתו ואת בניו ברגל במה משמחין ביין: docent, *quemlibet oportere exhilarare uxorem suam & filios suos singulis festis solennioribus: Quomodo exhilarant?* R. Vino.

(2)

(2) Cod. Babyl. Pesachm l. c. post alia R. Jehuda dicit: ועכשיו שאין בית המקדש קיים אין שמחה אלא ביין שנאמר ויין ישמח לבב אנוש: *Nunc vero, quo non superest templum, nullum gaudium est, nisi per vinum. Quoniam dicitur: Vinum exhilarat cor hominis:* Psalm. 104. 15.

(3) Jerosol. Pesach. c. 10. fol. 37. a. col. 2. lin. ult. & seq. b. מניין לארבעה כוסות ר׳ יוחנן בשם ר׳ בניה כנגד ארבע גאולות לכן אמור לבני ישראל אני יהוה והוצאתי אתכם וגו׳ ולקחתי אתכם לי לעם וגו׳ והוצאתי והצלתי וגאלתי ולקחתי ר׳ יהושע בן לוי אמר כנגד ארבע כוסות של פרעה וכוס פרעה בידי ואשחט אותם אל כום פרעה ואתן את הכוס על יד פרעה ונתת כוס פרעה בידו וגו׳ ר׳ לוי אמר כנגד ארבעה מלכיות ורבנן אמרי כנגד ארבעה כוסות של פורענות שהקב״ה עתיד להשקות את אומות העולם כי כה אמר יהוה אלוהי ישראל אלי קח את כוס היין חימה וגו׳ כוס זהב בבל ביד יהוה כי כוס ביד יהוה ומטר על רשעים פחים אש וגופרית ורוח זלעפות מנת כוסם מהו מנת כוסם ר׳ אבון אמר דיפלי פותירין כדיפלי פוטירין אחר המרחץ וכנגדן עתיד הקב״ה לה שקות את ישראל ארבע כוסות של נחמות ה׳ מנת חלקי וכוסי דשנת בשמן ראשי כוסי רויה והדין כוס ישועות אשא הדיין: *Undenam constat de quatuor poculis? R. Jochanan nomine R. Benajæ dixit: ex quatuor liberationis notionibus, quæ* exhibentur *Exod.* VI. 6. Propterea dic filiis Isreal, ego sum Jehova, qui educam vos &c. *usque ad*, & adsumam vos mihi in populum. *En ibi*, & educam, & eripiam, & redimam, & adsumam. R. Josua ben Levi dixit: *inde, quod poculi Pharaonis quater fit mentio*, Genes. 40. vers. 11. & poculum Pharaonis erat in manu mea, *ibid.* exprimebam eas in poculum Pharaonis, *ibid.* & porrigebam poculum in manum Pharaonis, *vers.* 13. porrigesque poculum Pharaonis in manum ejus &c. *R. Levi dixit: ex numero Monarchiarum quaternario* Daniel II. 38. *Doctores vero nostri dicunt: ex quatuor poculis vindictæ, quæ sanctus ac benedictus Deus bibenda daturus est gentibus mundi.* Jerem. XXV. 15. Nam sic edixit Johova Deus Israelis mihi, sume poculum istud vini, vini excandescentiæ &c. *Jerem.* LI. 7. Poculum aureum Babyloniæ in manu Jehovæ. *Psalm.* LXXV. 9. Nam poculum est in manu Domini *Psalm.* XI. 6. depluet super improbos, prunas, ignem & sulphur, ventusque procellosissimus, portio calicis eorum. *Quid est portio calicis eorum? R. Abon dixit, duplum poterium, prouti duplum poculum post balneum: simulque ex iis, quæ sanctus ac benedictus Israeli bibenda porrecturus est pocula consolationis.* Psalm. XVI. 5. Jehova portio partis meæ (esculentæ) ac poculi mei *Psalm.* XXIII. 5. Ungis unguento caput meum, poculum meum exuberans. Et, quod *Psalm.* CXVI. 13. Poculum liberationum attollam, *occurrit, loco duorum habetur.*

§. XVII.

(1) Pesachim fol. 108. b. l. 18. תנו רבנן הכל חייבין בארבע כוסות הללו אחד אנשים ואחד נשים ואחד התינוקות: *Docent Doctores nostri, omnes obligati sunt bibendis quatuor istis poculis, sive mares sint, sive feminæ, sive infantes.* Maimon. Hilc. Chamez Umazza cap. VII. 6. Orach chajim n. 472. fol. 83. b. col. 1.

(2) Pesachim cap. 11. θ. 1. ואפילו עני שבישראל לא יאכל עד שיסב ולא יפחתו לו מארבע כוסות של יין ואפילו מן התמחוי: *Et si vel pauperrimus Israelitarum sit, non comedat* (vespera paschatis) *usque dum accumbat; neque illi de quatuor poculis vini quidquam detrahatur, quamvis alatur ex scutella eleemosynaria.* Maimon. Hilcoth chamez umazza cap. VII. θ. 6. ואפילו עני מתפרנס מן הצדקה לא יפחתו לו מארבע כוסות תמחוי: *Orach chajim loc. cit. Scutella eleemosynaria ita describitur a Maimon. ad Mischnajoth Pesachim cap.* X. θ. 1. התמחוי הוא כלי שמשימין בו תבשיל שמקבצים לצורך העניים מן הבתים ואסור לאכלו אלא לאדם שהוא בתכלית העוני: *Erat vas, cui obsonium elixum, quodcunque ostiatim colligeretur indigentiæ pauperum, imponebant: quod nemini edere licebat, nisi in summa paupertate viventi.* Idem ad Pea cap. VIII. θ. 7. ותמחוי הוא הכלי שיאכלו בו העניים והיו בכל יום משוטטים על הבתים בכלי ויוציאו מכל בית תבשיל מאשר היו מבשילים ויושם בכלי ההיא ויחלקוהו על העניים וחובה להיות שלושה אנשים המתעסקין לקבוץ אותו ולחלוק אותו לפי שתכף שיקבצוהו יחלקוהו בזמן אחד: *Paropsis Eleemosynaria vas erat, ex quo comedebant pauperes. Nam quotidie percurrebant aliqui singulas domus & obsonium, quicquid decoctum erat, asportabant, quod huic vasi impositum distribuebant pauperibus. Requirebantur v. tres viri, qui colligendo, collectaque distribuendo occupati essent, ut, simul atque collegerant obsonium, illico distribuerent.*

(3) Schulchan Aruch part. 1. n. 472. §. 12. fol. 89. אפילו עני המתפרנס מן הצדקה ימכור מלבושו או ילוה או ישכיר עצמו בשביל יין לארבע כוסות.

(4) E. c. a phylacteriis & recitatione τῶ שמע ישראל *Audi Israel* Berach. cap. III. θ. 3. Gemar. ad h. l. fol. 20. b. l. 3. lin. 14. כל מצות עשה שהזמן גרמא נשים פטורות: *Ab omni præcepto adfirmativo, cujus necessitatem tempus imponit, mulieres liberæ sunt.* Conf. Ligtfoot. Hor. Talm. ad Math. 3. vers. 7. Tom. II. opp. p. 271. col. 1.

(5) Pesachim fol. 108. a. lin. ult. ואמר ר׳ יהושע בן לוי נשים חייבות בארבע כוסות הללו שאף היו באותו הנס: *Dixit R. Josua ben Levi mulieres alligatæ sunt præcepto quatuor istorum poculorum, propterea quod in eadem tentatione fuerunt* (aut) si mavis, sub eodem miraculo i. e. miraculosa redemtione. Priorem tamen versionem ex Talmude Jerosolymit. stabiliunt Autores Tosephot ad h. l. בירושלמי גרים שאף הן היו באותו ספק משמע באותו סכנה דלהשמיד להרוג ולאבד: In Talmude Jerosolymit. legitur שאף הן היו באותו ספק quod ספק, *Idem est ac in eodem periculo perniciei, cædis, atque interitus.* Conf. R. Nissim ad Alphesi cap. 5. Pesachim fol. 176. a. lin. 8.

(6) Vid. Pesachim loc. cit. ad not. a. Orach chajim l. ib. cit.

(7) Schylchan Aruch. par. 1. num. 472. §. 10. מי מאינו שותה יין מפני שהזיקו או שונאו צריך לחזק עצמו ולשתות לקיים מצות ארבעה כוסות.

§. XVIII.

(1) Pesachim fol. 108. b. l. 1. ss. adduct. supra §. X. not. f. conf. Raschbam ad h. l. Pesachim fol. cit. b. lin. 13. Maimon Hilcot chamz umazza cap. VIII. §. 6.

(2) Maimon. Hilc. Chamez umazza. cap. VII. §. 9. ארבע כוסות האלו צריך למזוג אותן כדי שתהיה שתיה ערבה הכל לפי היין ולפי דעת השותה ולא יפחות בארבעתן מרביעית יין חי: *Quatuor pocula ista necesse habent misceri, ut omnis potio temperata sit ex ratione vini, mentisque bibentis: neque poculis hisce quatuor minus quartario viri puri indatur.*

(3) Lebhusch. Hilc. Pesach. num. 172. 11. מצוה לחזור אחר יין אדום שדרכו להיות משובח מן הלבן: *Præceptum est, inquirere & comparare vinum rubrum, quia illud generosius esse solet quam album.* Vid. Buxtorffii Diss. VI. de Cœna Domini §. XX. Pesachim fol. 108. b. l. 16. ר׳ יהודה אומר צריך שיהי׳ בו טעם ומראה אמר רבא מאי טעמא דרבי יהודה דכתיב אל תרא יין כי יתאדם: *R. Jehuda dixit, necesse est ut vinum saporem coloremque habeat; dixit Raba, quænam est ratio R. Jehudæ? quoniam scriptum est*, Proverb. 23. 31. ne respicito vinum, quum rubescit.

(4) Id quod colligas ex formula לחזור circumspiciendum & inquirendum esse. Vino rubro vero haud invento, neutiquam cessabat præceptum de quatuor poculis pasohalibus.

(5) Buxtorffius loc. cit. ex Lebhusch. loc. cit. אם ידוע שהלבן הוא משובח מהאדום הוא קודם: *Si constet, album esse melius quam rubrum illud præfertur.*

(6) Maimon. Hilcoth Chamez Vmazza cap. VII. §. 6. בכל דור ודור חייב אדם להראות את עצמו כאלו הוא בעצמו יצא עתה משבוד מצרים שנאמר ואותנו הוציא משם וגו׳ ועל דבר זה צוה הקב״ה בתורה וזכרת כי עבד היית כלומר כאלו אתה בעצמך היית עבד ויצאת לחירות ונפדית: *Omni seculo cuique incumbit se ostendere, ac si ipse nunc exierit e servitute Ægyptiaca. Nam scriptum est* Deuteron. VI. 23. Et nos duxit exinde &c. *Propterea quoque præcepit Sanctus & Benedictus in lege* Deut. V. 15. XV. 15. & recordaberis, quod servus fueris &c. *quasi d. ac si tu ipse servus fueris, exieris in libertatem, & fueris redemtus.*

(7) Pesachim fol. 108. b. lin. 5. שתאן חי יצא אמר רבא ידי יין יצא ידי חירות לא יצא: *Si quis biberit purum, debitum solvit. Dixit Raba, debitum solvit quoad potum vini, non quoad libertatis significationem.* Maimon. l. c. cap. VII. §. 9. שתה ארבע כוסות אלו מיין שאינו מזוג יצא ידי ארבעה כוסות ולא ידי חירות: *Si quis biberit quatuor pocula, eaque impleta sint vino, quod non mixtum est; debitum solvi,*

soluit quod quatuor pocula, non vero quoad significationem libertatis. Vid. Ligtfoot. Tom. I. opper. pag. 735.

(8) Raschbam ad Pesachim loc. cit. ידי חירות לא יצא כלומר אין זו מצוה שלימה שאין חשיבות אלא ביין מזוג והני מילי ביינות שלהן דדרו על חד תלת מייא אבל יינות שלנו לא בעי מזיגה: *Debitum quoad libertatis significationem non solvit* i. e. præceptum hoc non est perfectum. *Non enim* (pocula) *æstimantur, nisi ex vino mixto: sed hæc intelligenda sunt*, de vinis istorum quæ insistere *debebant tribus partibus æquarum, nostris vero vinis haud opus est temperatione*. Orach chajim num. 472. fol. 83. col. 2. ואם היין חזק צריך למזגו: *Si vinum forte sit, mixturam requirit*.

§. XIX.

(1) Maimon. cemment. ad Pesachim cap. X. θ. 1. וחייבנו לאכל בהסיבה כדי שיאכל כדרך שהמלכים והגדולים אוכלים עד שיהיה דרך חירות: *Et imponit illi, per accubitum cœnare, ut comedat juxta consuetudinem regum & magnatum, qui epulantur, quoad libertatis mos est*.

(2) In vita Apollonii lib. 2. c. 12. cit. Tiraquell. ad Alex. ab Alex. lib. V. cap. 21. p. m. 760.

(3) Hegesander ap. Athenæum lib. I. Dipnos. cap. XIV. pag. 18.

(4) Jerusch. Cod. Pesachim a. col. 2. lin. 9. a. fin. אמר ר׳ לוי ולפי שדרך עבדים להיות אוכלין מעומד וכאן להיות אוכלין מסובין להודיע שיצאו מעבדות לחירות: *R. Levi, cum mos servorum sit, ut stantes vescerentur: hic statuunt, per accubitum epulandum esse, ut indicarent, se a servitute ad libertatem transisse*.

(5) Alex. ab Alex. lib. V. cap. XXI. p. m. 755. conf. Tiraquell.

(6) Veteres Romani sedentes epulabantur. Conf. Ros. in Antiq. Lib. V. cap. XXVIII.

(7) Annot. ad Alex. ab Alex. l. c. ubi inter alia adducit Martial. Lib. III. epigr. 82.

At ipse retro flexus ad pedum *turbam*
Inter catellas anserum exta lambentes,
Partitur apri glandulas palæstritis.

(8) כדרך בן חורין, *Prouti mos est ingenuorum* Raschbam ad Pesachim cap. X. θ. 1. fol. 99. b. Bartenora ad eand. 6Rabbenu Nissim ad Alphesi f. 172. lin. 4.

(9) Pesachim fol. 108. a. lin. 17. יין איתמר משמיה דרב נחמן צריך היסבה ואיתמר משמיה דרב נחמן אין צריך הסיבה ולא פליגי הא בתרתי כסי קמאי הא בתרי כסי בתראי אמרי לה להאי גיסא ואמרי לה להאי כסי בתראי אמרי לה להאי גיסא ואמרי לה להאי גיסא אמרי לה להאי גיסא תרי כסי קמאי בעו הסיבה דהשתא הוא דקא מתחלא לה חירות תרי כסי בתראי לא בעי הסיבה מאי דהוה הוה ואמרי להאי גיסא אדרבה תרי כסי בתראי בעי הסיבה ההיא שעתא דקא הויה חירות תרי כסי קמאי לא בעי הסיבה דאכתי עבדים היינו קאמר השתא ואתמר הכי ואיתמר הכי אידי ואידי בעו הסיבה: *De vino, sub nomine Raf Nachman docetur, requirere accubitum, & sub ejusdem nomine docetur non requirere: quæ tamen sibi non contraria sunt. Unum de duobus prioribus, alterum de duobus posterioribus poculis dictum est. Sunt, qui ad diversas partes inclinant. Qui ad alteram partem inclinant, duo priora pocula requirere accubitum contendunt, quia hoc ipso temporis momento libertas initium cepit*; duo vero posteriora, non requirere: *quod vero jam factum* etsi (si circa ultima pocula accubuerint) concedatur. *Qui ad alteram partem inclinant, duos calices posteriores accubitum requirere asserunt, quia eadem ipsa hora extitit libertas: priores non requirere, quia tum servi adhuc fuimus. Ergo cum & hoc & illud doceatur, utraque pocula accubitum postulant*.

(10) Orach chajim num. 183. fol. 34. a. col. 1. וצריך לישב בשעה שמברך בין אם היה הולך כשאכל או עומד או מיסב כשמגיע לברך צריך לישב כדי שיוכל לכון יותר וגם לא יהא מיסב שהוא דרך גאוה אלא ישב באימה: *Dum quis gratiarum actionem recitat, necesse est, ut sedeat: sive eundo, sive accumbendo cum ederit, cum ad gratiarum actionem ventum sit, sedeat, ut eo magis attendere possit: neque accumbat, quod superbiæ est, sed cum reverentia sedeat*.

(11) Pesachim cap. X. θ. 1. Maimon Hilc. Chamex umazza cap. VII. §. 8.

(12) Orach chajim cap. 472. fol. 83. b. col. 1. בן אצל אביו צריך הסיב׳ אפילו הוא רבו מובהק: *Filius coram patre accumbat, quamvis hic insignis illius doctor sit*. Pesachim fol. 208. a. l. 32.

(13) Maimon. l. c. אבל תלמיד בפני רבו אינו מיסב אלא אם כן נתן לו רבו רשות *Sed discipulus non accumbat coram magistro suo, nisi veniam sibi dederit suus magister*. Orach. chajim l. c. ex Pesachim l. c.

(14) Maimon. l. c. Orach. chajim l. c. ex Pesachim fol. 108. a. l. 35.

(15) Pesach. l. c. l. 31. אישה אצל בעלה לא בעיא הסיבה *uxor juxta maritum suum non debet accumbere*. Maimon. l. c. absolute dicit, אשה אינה צריכה.

(16) Hanc rationem profert Raschbam ad Pesachim l. c. sed refutatur ab autore Arba Thurim in Orach. chajim n. 472. fol. 82. b. col. 1. אישה אינה צריכה הסיבה ופי׳ רשבם מפני שאימת בעלה עליה ולפי זה אלמנה וגרושה בעו הסיבה ובה״ג כתב משום דלאו אורח ארעא דאישה למזגא ולפי זה כל אשה אינה צריכה *Femina non debet accumbere, quod explanat Raschbam: propterea quod marito suo reverentiam præstare debet: si res ita se habet, & vidua & repudiata accumbere debent. Sed autor* הלכות גדולות [R. Schimeon Kejara] *scripsit: eo quod dedecorum est fœminis accubare. Et ex hoc capite omnis femina exclusa est accubitu*.

(17) Cicero in Verrem lib. II. *66*. p. 1. opp. col. 99. edit. Genuensis 1633. *negavit, moris esse Græcorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres*. Hinc m. plane a conviviis feminæ Græcæ arcebantur.

(18) Pesach. l. c. ואם אשה חשוב׳ צריכה הסיבה *si femina honorata sit, debet accumbere*. Maimon. l. c. Orach. chajim l. c. forte ad exemplum Reginæ Esther. *Esther* cap. VII. vers. 8.

§. XX.

(1) Orach. chajim n. 472. fol. 83. b. col. 1. וכשהוא מיסב לא יטה על גבו ולא על פניו ולא על ימינו אלא על שמאלו *Si quis accumbit, non reclinet in tergum. neque cubet in faciem, neque in latus dextrum, sed in latus sinistrum*.

(2) Pesach. fol. 108. a. lin. 29. פרקדן לא שמיה הסיבה הסיבת ימין לא שמיה הסיבה ולא עוד אלא שמא יקדום קנה לוושט ויביא לידי סכנה *Supinus non dicitur accumbere, neque dextri lateris incumbitus nomine accubitus venit: Neque hoc tantum, sed metus est, ne arteria aspera gulam prævertat, ut quis inde periculum subeat*.

(3) Raschi ad Cod. Berach. fol. 46. b. lin. 16. רגילין היו לאכל בהיסבה על צדו השמאלית מוטה ורגליו לארץ איש איש על מטה אחד *Solebant per accubitum cœnare; incumbens in sinistrum latus, pedibus ad terram vergentibus, quilibet in lecto uno jacebat*.

(4) Rosinus Antiquit. Roman. Lib. V. c. 28.

(5) Berach. fol. 46. b. lin. 32. אמר רב ששת אנא מתנותא ידענא דתניא כיצד סדר היסיבה? בזמן שהן שתי מטות גדול מסב בראש ושני לו למטה הימנו בזמן שהן שלש מטות גדול מסב בראש שני לו למעלה הימנו.

(6) Berach. fol. 46. b. lin. 18. ss. אמר ליה ריש גלותה לרב ששת אף על גב דרבנן קשישי אתון פרסאי בצורכי סעודה בקיאי מנייכו בזמן שהן שתי מטות גדול מיסב בראש ושני לו למעל׳ הימנו וגו׳. Dixit *Princeps exulum ad R. Scheschet, quamvis doctores senes sapientesque sitis, Persæ tamen in iis, quæ ad convivium requiruntur, vobis accuratiores sunt: quando duo adsunt lecti, princeps in loco summo, alter vero supra accumbit &c.*

(7) Ligtfoot. Hor. Talmud. ad Johan. XIII. 23. p. 659. Tom. II. opp.

(8) Rosinus l. c. Lipsius Antiquar. lection. lib. III. pag. 94. s.

(9) Conf. quæ excipit R. Scheschet ad verba Æchmalotarchæ laudantis morem Persarum. Berachot. fol. 46. b. lin. 23. וכי בעי אשתעויי בהדי מתריץ תרוצי ויתיב ומשתעי בהדיה *An vero, si secum invicem colloquantur, necesse sit, princeps erigi debet, ut erectus cum altero colloquatur? Raschi* ad h. l. ואם רצה הגדול לדבר עם שני לו צריך הוא לזקוף עצמו ממסיבתו לישב זקוף וכל זמן שהוא מוטה אינו יכול לדבר עמו לפי שהשני לו אחורי ראשו של גדול הו׳ ופני הגדול מסובין לצד אחר וטוב לו שישב שני לו למטה הימנו וישמע דבריו

ודבריו כשהוא מוטה *Si dignissimus colloqui vult cum secundo ab eo, necesse est, erigat se ipsum a recubitu suo, ut erectus sedeat: nam quamdiu reclinatus est, non colloqui potest cum eo, quoniam secundus post occiput primi, & facies primi est alio versa: præstaret ergo secundo ut sederet infra eum: nam tum potest audire verba ejus, cum sedet reclinatus.*

(10) Berach. l. c. lin. 25. אמר ליה שאני פרסאי ומחוי ליה במחוג *respondit, alia ratio Persarum est; nam indicat ipsi nutu.*

(11) Raschi ad Berach. l. c. l. 34. שני לו למטה הימנו שאם הוצרך הגדול לספר עמו לא יהא צריך לזקוף: *Secundus infra illum, ut si necesse habeat dignissimus colloqui cum altero, non debeat se erigere.*

§. XXI.

(1) Pesachim fol. 108. b. lin. 3. R. Jehuda nomine R. Schmuel docet, שתאן בבת אחת ארבעה כוסות יצא: *Si una vice quatuor pocula biberit, debitum suum solvit. Raschi* casum ponit, si pocula quatuor in unum vas evacuata biberit: sed refutatur a Raschbam ad h. l. בבת אחת עירה ארבעתן בתוך כוס אחת כן פירש רבינו שלומה ולא נהיראה דאפילו שותה בבלי אחד לא חשיב אלא כוס אחד ודאי רביעית אינו אלא למעוטי פחות מרביעית אבל טפי מרביעית בכוס אחד חשוב כוס אחד ונראה לי והכי פירוש בבת אחת שלא מסדר משנתנו אלא שתאן רצופין: *Una vice, si nimirum quatuor ista pocula evacuaverit in unum calicem: ita interpretatur Doctor noster Salomo; sed non visum est: nam, quamvis hauserit ea simul ex uno vase, pro uno tamen poculo habetur, quia mensura quartarii, non constituta est, præterquam ut excludatur, ne minus quartario poculum contineat: sin plus quartario inditum uni poculo, pro uno tantum habetur. Hinc ita explicandum puto* בבת אחת, *quando quis ea non secundum ordinem, quem doctores statuerunt, sed continenter juncta potavit.*

(2) Pesachim l. c. l. 6. שתאן בבת אחת רב אמר ידי יין יצא ידי ד' כוסות לא יצא *Si biberit ea una vice Raf dixit præcepto de vino* (ex quo gaudere debebant Judæi festis suis, Raschb. ad h. l. conf. §. XVI.) *satisfacit, sed non præcepto de quatuor poculis.* Maimon. Hilcoth Chamez umazza cap. VII. §. 9. שתה ארבעה כוסות מזוגין בבת אחת ידי חירות יצא ידי ארבעה כוסות לא יצא *si quatuor ista pocula una vice biberit, præcepto, de significatione libertatis satisfacit, non vero præcepto de quatuor peculis.* Rabbenu Nissim ad Alphesi Pesachim l. c. וצריך לחזור ולשתותן כסדרן, *& necesse habet denuo bibere illa secundum ordinem.*

(3) Maim. Hilcoth Chamez umazza c. VII. §. 10.

(4) Pesachim cap. 10. θ. 2. conf. Gemar. ad h. θ. fol. 114. a. lin. 20. Maimon. Hilcoth Chamez vmazz cap. VIII. §. 1. Orach. chajim num. 173. ab init. fol. 83. b. col. 2.

(5) חרוסת quomodo præparabatur, vid. ap. Maimon. l. c. cap. VII. §. 11.

(6) Pesachim cap. X. θ. 2. Maimon. l. c. cap. VIII. §. 1. Orach. chajim n. 173. fol. 83. b. col. 2.

(7) Pesachim fol. 114. b. lin. 6. a fine seq. Bartenora ad Pesachim cap. x. θ. 3.

(8) Quod חרוסת vocabant. Aliter sentiunt Raschbam ad θ. 3. cap. x. Pesach. fol. 114. a. lin. 7. a fine, & Bartenora l. c. qui מטבל de nuda comestione explicant. Refutatur Raschbam ab autoribus Tosephoth ad Pesach. fol. 114. a. qui omnino olera intingi tradunt vel aceto, vel aqua salsa. Maimonides, quem secutus sum, pulmento, luti Ægyptii μνημοσυνῳ intingi statuit, cui consensum præbent R. Schelomo Isaacides, R. Joseph, & R. Schemaia conf. Toseph. loc. cit.

(9) Maimon. loc. cit. conf. Pesachim fol. 115. b. lin. 24.

(10) Rabbenu Nissim ad Alphesi Pesachim f. 178. a. lin. 10. seq. דרכן היה לאבל בשלחנות קטנים כל אחד בשולחן שלו: *Moris illorum erat, comedere mensulis parvis, quisque suam mensam habebat,* conf. Raschbam & Tosephot ad Pesachim l. c.

(11) Conf. Raschbam & Toseph. l. c.

(12) Pesachim fol. 115. a. l. 26. item cap. x. θ. 4. Maimon. l. c.

§. XXII.

(1) Maimon. l. c. §. 2. מוזגין הכוס השני וכאן הבן שואל וגו'..

(2) Maimon. l. c. cap. VIII. §. 3. conf. Cod. Pesachim fol. 116. a. lin. 26.

(3) Maimon. l. c. cap. VIII. §. 3. מתחיל בגנות וקורא עד שגומר דרש פרשת ארמי אובד אני כולה ex Pesachim cap. x. θ. 4. conf. Gemara fol. 116. a. l. 6. a fin.

(4) Maimon. l. c. §. 4. ex Pesachim cap. x. θ. 5. 6.

(5) Schulchan Aruch. part. 1. n. 173. 1. וכשהגיע ללפיכך מגביה כל אחד כוסו עד שחותם גאל, *& cum pervenerit ad excitationem ad laudes divinas* (quæ in liturgia incipit לפיכך, Propterea) *poculum suum quisque extollat, usque dum absolverit preces de redemtione Israelis.*

(6) Maimon. l. c. omnia ista, quæ super poculum secundum recitantur, nomine הגדה enarrationis comprehenduntur, quæ ex *Exod.* XIII. 8. והגדת לבנך וגו׳, *& enarrabis filio tuo &c.* sic vocatur. Cum vero seriem formularum enarrationis, precum, laudationum, prouti ordine proferuntur, exhibeat, haud plane absurde *Liturgiam paschalem* vertas. Vid. exempl. Haggadæ ad calcem. Tract. Maimon. Hilcot. Chamez vmazza.

§. XXIII.

(1) Maimon. l. c. §. 10. Cod. Pesachim. cap. x. θ. 7.

(2) Maimon. l. c. §. 10. Cod. Pesachim θ. c.

(3) Pesachim l. c. Maimon. l. c. incipiebat ברכת השיר ita: יהללוך יהוה כל מעשך וגו׳. *Laudent te Domine omnia opera tua &c.*

(4) הלל הגדול Psalmus nimirum CXXX–CXXXVII. conf. Pesachim fol. 118. a. l. 4. ss.

GEORGII GOEZII
PHILOLOGEMA DE OSCULO.

DISSERTATIO
De Osculo in Genere.

Nunquam satis intelligi poterit, cur compendium illud omnium nebulonum, Judas, præ mille aliis, quæ ipsi videbantur in promtu esse signa, Osculum selegerit, nisi prius teneatur, quid antiquitus Osculum signarit, (nudum enim conceptum signum & locutionem quasi realem esse, & fuisse, quis dubitet?) quibusque modis illud usurpatum fuerit. Ideoque Dissertatione hac excutiemus non nihil arculas antiquitatis, & quæ illæ de Osculorum variis generibus & usibus habent, quantum ad rem videtur facere, adducemus.

ARTICULUS I.
De Osculi Quidditate.

I. ATque ut a gemino, quod ajunt, ovo, rem exordiamur, primo loco in nominis notationem ex merito inquirimus, quoniam nominum interpretatione (*Exercit.* 1. *Sect.* 1.) in ipsius rei perceptionem provehimur, uti jam olim divinus & incomparabilis (*hoc elogium illi tribuit Heins. Orat.* 1. *pag.* 5.) *Scaliger* judicavit. Et *omnis rei inspectio, Etymologia cognita, planior & plenior est:* (*de Origin. lib. cap.* 28. *junge Gell. Noct. Att. lib.* 13. *cap.* 10.) sunt verba *Isidori*. Unde pauxilla hanc in partem adferre non pigrabimur. Invenimus vero hujus vocis natales in florentissimo Latio, & ab *Ore Osculum* per deminutionem descendere legimus. Autor est antiquitatis scientissimus *Varro*, (*de vita P. R. & l. Vet. Grammat. de L. L. pag.* 336.) itemque *Nonnius Marcellus* (*cap.* 5. *de Diff. Dict. pag.* 722. *Corp. L. L. Martin. Lex. Philol. Buchn. Thes. p.* 1059. *Korum. Comment. in Lin. Amor. p. m.* 78.), quos reliqua Grammaticorum familia sequitur. De Originatione autem vocis Os, sententiarum divortia inter plures exorta sunt. *Quidam cum Cæs. Scaligero* (*Exerc.* 318. 3.) *contra Cardanum deduxerunt a litera O figura*, quibus non obloqui non possumus, *siquidem prope Os oblongum omnibus, paucis admodum, ut Struthioni, rotundum esse, conspicitur;* (*Gerard. Joh. Vossius Etymolog. f. m.* 359.) Quid quod ejusmodi rotundam figuram, non nisi apertum & diductum os efformet? Si interim quisquam illum, qui os occlusit, carere ore afferat, næ is omnium sese illusioni propinabit. Alii e Græcorum penu depromunt vocabulum ὄσσα, vox, quo sensu usurpatur *Hesiodo* (*Theog. vers.* 11.), ubi de Musis ait:

> Ἐννύχιαι στεῖχον περικαλλέα ὄσσαν ἱεῖσαι.
> *Nocturnæ incedebant perpulcram vocem emittentes.*

Verum enim vero, cùm ὄσσα non tam ἁπλῶς φωνή, quam θεία φωνή antiquis fuerit, quod Græcus in eum locum Scholiastes, & καλλιόπας γλυκερὸς στόμα (*Mosch. Idyl.* 3. *v.* 73.) *Homerus*, indicat: (*Od.* α.) ἤ ὄσσαν ἀκούσῃς ἐκ Διός, tutius πολυμαθέστατον *Vossium* sequimur, atque ab ἐρῶ, dico, loquor, derivamus; (*Etymolog. l. d.*) cui *Matthias Martinius* etiam subscribit, addens: os (*Lex Philol.*) *Proprie notat concavum illud in capite, intra quod* (*Martin. ex Perotto, & Cic.* 2. *de Natura Deor. t.* 4. *p. m.* 323. *C. it. Buchn. l. d.*) *sunt lingua & dentes, nec non totam hominis inferiorem faciem, in qua sunt oculi, genæ, pudoris sedes, nasus, & mentum*. Ita de Ænea *Maro* cecinit: (1. *Æneid.*)

> *Os humerosque Deo similis,* ——

& Naso (*Metam.* 1.)

> *Os homini sublime dedit cælumque tueri &c.*

μεταφορικῶς de impudentia, (*Cic. Orat.* 2. *pro Rosc. Marginal. ubi Terent. ex Andr.* ver-

verba: Os durum, it. Orat. I. *pro Quinct.*) *& temeritate adhibetur*, teste *Catone* apud *Senecam*. (*de Ira lib.* II. *cap.* 38.) *Affirmabo omnibus, Lentule, falli eos, qui te negant os habere;* & cujus nomine nihil audivere Romana Theatra mirabilius, *Cicerone*: (*hæc loca citat Reiner. Neubus Exam. Philol. pag.* 362.) *Quod tandem os est illius Patroni, qui ad caussas sine ulla scientia juris audet accedere? os hominis, insignemque impudentiam cognoscite!* Non rarenter quoque poni consuevit I. pro præsentia, ut declarat (*Lib.* 3. *Hist. pag.* 282. *Edit. Lipsian.*) *Tacit. Non in ore vulgi agere, sed umbraculis hortorum abditus*, it. (*l. d. p.* 294.) *Jul. ad L. Vitellium perductus, verberibus fœdatus, in ore jugulatur*, & *Florus* (*lib.* 2. *cap.* 27.) *Classem sub ipso urbis ore incendit*. II. Pro unanimitate: unde familiarissimum est apud omnes: Uno ore loquuntur. Hujus sensus plura in SS. Scripturarum pandectis invenire licet. (1. *Reg.* 22. 13. 2. *Chron.* 18. 12. *& Aristoph. in equit. Plat. lib.* 1. *de Leg. & lib.* 2. *de Rep. Scapula in Lex. p.* 1545.) Ἵνα ὁμοθυμαδὸν ἐν ἑνὶ στόματι δοξάζητε τὸν Θεὸν, καὶ Πατέρα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, (*Rom.* 15. 6.) *Paulus* ad *Roman.* suos scribit. III. Denique os pro sermone ore prolato accipitur, ut ex *Matth.* 18. 16. *Luc.* 19. 22. 1. *Pet.* 22. apparet. In plurali (*Nebus. Synops. Etymol. p.* 136.) quamvis extremitatem; nec non ostia maris notare, (*cit. l.* 2. *c.* 17.) *Florus* edocet, dicens: *Victor ad Gades in Oceani ora pervenit*, pariter etiam *Virgil.* (*ex Buchn. Thesaur. l. d. junge Scapul. Lex. Græc.*) de Nilo:

> —— *Septem discurrit in ora.*

Hujus itaque saporis est fons ille, ex quo osculum derivatur. Hic tamen silentii sippario obvelandum non est,

> *Ne qua subærato mendosum tinniat auro*,

quod nonnullis pro *Osculum* scribere arrideat *Obsculum*, quomodo apud *Virgilium* in antiquis aliquot Codd. scriptum se invenisse, *Pierius* meminit. Ast nos sententiam *Vossii* avidis amplectimur ulnis (*Etymolog.*), quando in hæc prorumpit: *Nugantur Grammatici, qui ita dici censent, quod ob os petatur*. Et, liceat calamo *Senecæ* (*Epist.* 88.) uti, *nescio sane*, scribentis, *an majorem risum a Democrito, an indignationem ab aliquo Socrate, aut Catone, an vero commiserationem ab Heraclito mereantur*, curiosuli illi & anxii verborum appensores, qui miris vocabulorum fabricationibus se aliorum sæpe numero risibus exponunt, atque non levem Criticæ labem affricant! Hinc infrunita male feriatorum judicia, quibus incilant & traducunt eam; hinc, quicquid est humaniorum ubique literarum sordere incipit, & Vatiniani quasi odii scintillæ exardescunt.

II. Cæterum & Osculum est ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων: Unde non peccabimus, si potiora illius significata brevi manu attingemus. Primo explicatur (*Buchner. Thes. Martin. Lex. Korum. l. d. Neubus. Synops. p.* 137. *Auson. Popma de different. lib.* 4. *p.* 124. *&* 182.) *parvum seu exiguum os*. Sic ingeniosus & acutus *Martialis* in Epitaph. Canaces (*Epigr.* 92. *l.* 11.) scribit:

> *Ipsaque crudeles ederunt Oscula morbi,*
> *Nec data sunt nigris tota labella rogis.*

Impurissimus, itemque purissimæ. (*Ita Lips. de eo ad* 16. *annal. Tacit. judicat.*) *Latinitatis* Autor Petronius (*pag.* 91. *edit. a Joh. a Wouweren.*): *Oculi clariores stellis fulgentibus extra Lunam: nares paululum inflexæ, & osculum quale Praxiteles habere Dianam credidit*. Similiter (*Lib.* 1. *Carm. Od.* 13.) Flaccus canit:

> *Speres perpetuum dulcia barbare*
> *Lædentem oscula.*

Et Ausonius (*Epist.* 25.)

> *At tua Sigalion Ægyptius Oscula signet.*

Nec non Juvenalis (*Satyr.* 6.):

> *Sunt quas Eunuchi imbelles ac mollia semper*
> *Oscula delectent, & desperatio barbæ.*

μετωνυμικῶς denotat signum amoris, salutationis &c. quod fit ore admoto, quæ notatio est hujus loci verissima.

III. Alia deinde apud Latinos occurrunt nomina, quibus id, quod nobis osculum dicitur, denotari consuevit: nempe, Basium & Suavium. Ubi tamen aliquibus religio videtur, tria illa promiscue adhibere, cum diversitatem significationum deprehendisse sibi visi fuerint. Osculum, inquit, *Servius* (*Eunuch. Act.* 3. *Sc.* 3.), & *Scaliger* (ad *Catulli* versum:

> *Suaviolum dulci dulcius ambrosia.*)

esse Religionis, Basium Voluptatis. Aliter & adcuratius paulo *Donatus* ad *Terentii* locum (*l. c.*): *O Thais mea, O suavium!* tria osculorum genera recensens: *Oscu-*

Osculum, *basium & suavium*. Est vero *Basium* oris proprie ac frontis, pudicorumque affectuum, ut patris in filium &c. Sicut *Martinius* & *Buchnerus* ex *Perotto* declarant. *Suavium* e contrario cum os figuratur labris promissis aut lingua prolata, & libidinum est atque amorum, quemadmodum *Plautus* (*Asinar. Act.* 4. *Sc.* 1. indicat: *Tu labellum*, ait, *abstergas potius*, *quam unquam illa suavium faciat palam:* i. e. quam si os comparet & conformet, ut ad basiandum aliquem invitet, juxta *Turnebi* (*Adversar. cap.* 15. & *l.* 6. *cap.* 16.) mentem. Ubi tamen *Palmerius* (*V. Tom.* 4. *Thesaur. Critic. Gruteri p.* 692.) diversam lectionem sequitur, non Suavia, sed *Savia* legens & hoc modo explicans: *Potius quam cuiquam illa salivam faciat*; Ast hæc Eruditi Lectoris judicio relicta sunto. Interim ex sæpius citato *Martinio* addimus: *Suavium* sive *Savium* etiam pro labris accipi. Osculum denique officii est, cum discedentes, advenientes, excipimus, atque salutamus, vel etiam uti modo nunc insinuavimus, Religionis, Fidem facit dictis *Maro* (*Æneid.* 2.) his verbis:

Amplexæque tenent postes, *atque oscula figunt*,

consimiliter *Tibull.* (*Eleg.* 5. *confer Marcell. Donat. in Sveton. p.* 547.)

Et dare secretis oscula Liminibus.

Atque hoc est discrimen illud, quod Lexicographorum vulgus inculcat. Minime tamen id ipsum observari, erudite, pro solenni suo ὁ μακαρίτης Præceptor meus *Buchnerus* (*Thesaur. fol.* 130. & 1057.) annotavit. Quin pluries Osculum pro basio & suavio, & hæc pro illo sumi, apud Scriptores vel primæ monetæ reperias.

IV. Germanis osculum sonat ein Kundsein / ein Böcklein / (*l. d.*) Schmazzgen / fortassis a sono, quem collisio labellorum interdum format in aere. Ein Kuch / von welchem hernach das Zeitwort (verbum intellige, quod actionem aliquam cum tempore certo significat, juxta genium laboriosissimi Teutonum Varronis *Schottelii*, (*in Opere Nov. de L. Germ. p.* 547. *add. m. Harsdorffer. Rad. Ling. German.*) Patroni mei maxime observandi,) küssen herstammet; quod affinitatem ferme habere videtur cum Grajorum κύσαι, Poet. κύσσαι, a κύειν, vel κυνέω osculari, & cum antiquo Anglorum tosisse / ut *Mericus Casaubonus*, *Isaaci* F. (*Comment. de* 4. *LL. p.* 234.) innuit. Belgæ efferunt een Söhnten / a söhnen / quod, ut *Martinius* conjicit, a σαίνειν blandiri, comem se exhibere, descendit. Græci osculum denominant σόμάπον, s. σόμιον, a σόμα, [puta instrumento osculandi] φίλημα. Dial. Dior. φίλαμα, a φιλέω, amare, basiari, suaviari, quo notatur ipsa osculatio sive Actus. Unde *Xenophon* (*in Pæd.* 1. *p.* 27.) habet: φιλεῖν τῷ σόματι. Insuper vocis φίλημα frequens in N. T. usus est. (*Joh.* 21. 15. 5. 20. 1. *Cor.* 16. 22. 1. *Cor.* 5. 48. &c.) Hebræis audit נשיקות a Rad. נשק: Chaldæis נשוקא a Rad. נשק, quæ cum Hebræorum נשק iisdem significatis gaudet, veluti ἀνατολικογλωττογνώσης *Buxtorf.* (*Lex. Major. p.* 1404.) ostendit. Syr. est ܢܘܫܩܬܐ, velut *Trostius* in Lexico Edit. Cöthen. Anhalt. de An. MDCXXIII. scribit *pag.* 428. Vel, quemadmodum *Buxtorf.* junior, (*in Minors Lex. Chald. Syr.*) & ratio juxtim ac inspectio locorum SS. N. T. probat ܢܘܫܩܬܐ, a Rad. ܢܫܩ, quam ex Hebræo נשק, de quo dixi, fluere ὀφθαλμοφανερῶς apparet. Cæterum huc referri posse videtur quod Osculum נשיקה Hebræis significat certum mortis genus, mortis sc. placidissimæ, quæ (*Moed. Katon. fol.* 28. *alleg. Buxtorf. in Lex. Maj. Rabbinico-Thalmud. fol.* 1405.) נשיקה דמיא כמשחל בניתא מחלבא *quasi extractio pili ex lacte*, *hoc est tam suavis*, *tam levis*. Eleganter eam describit R. *Maimonides* in Doctore Perplexorum (*lib.* 3. *c.* 51. *p.* 522.) sequentibus verbis: *Quo magis facultates corporales debilitantur*, *ignisque cupiditatum extinguitur*, *tanto magis intellectus roboratur*, *lumen ejus augetur*, *adprehensio purificatur*, & *de eo quod adprehendit lætatur*; *ita & cum homo perfectus ad maturam ætatem pervenit*, & *morti appropinquat: supra modum apprehensio*, *lætitia ex apprehensione orta*, & *amor rei apprehensæ augentur*, *ut anima a corpore quasi separetur*, *tempore voluptatis illius*. Postmodum eodem loco addit: *Huc respexerunt Sapientes nostri*, *dum de morte Mosis*, *Aaronis* & *Mirjam ajunt*, *quod isti tres mortui sint* בנשיקה, *h. e. in osculo vel per osculum*, *ajunt enim*, *quod dicitur:* & *mortuus est Moses Servus Domini in terra Moab* על פי *ad os Domini*, *id docet*, *quod in deosculatione mortuus sit* &c. Sic *Buxtorfius* adfert ex Devarim Rabba (*loco jam cit.*) verba באותה שעה נשקו הק"בה ונטל נשמתו בנשיקת פה, *ea ipsa hora osculatus est eum Deus*, & *accepit animam ejus per deosculationem oris*. Et hæc hactenus ὡς ἐν παραδρομῇ, quantum quidem ad enucleationem nominis facere videbatur.

V. Nunc pes movendus, & juxta Dialecticorum scita ab ipsa re Dissertationi

fores

fores pandendæ, osculique definitio investiganda. Aleam jecit Joh. Herrenschmid [*Osculolog. p.* 60.] & osculum sic definire conatus est: Osculum nihil aliud est, quam duorum inter se amantium mutua inhæsio, qua summa innuitur amicitia ac familiaritas. Quid enim, uti in hanc sententiam loquitur *Kornmannus* [*p.* 78. *lib. dicti.*] *homo homini pretiosius porrigere possit osculo? Cor ipsum tradere nequit, multo minus animam, os igitur ori amici admovet, ut ibi anima, quæ dicitur una amicorum duobus in corporibus, tanquam in confinibus & terminis territorii amicorum conveniat, jusque suum tribuat utrique.* Cujus commatis quoque sunt illa *Phavorini* apud *Stobæum*: [*Serm.* 63.] *Quid aliud faciunt, qui ora mutuo tangunt, quam animas conjungunt, si modo corporis sui terminum transire possent: quod cum nequeant, circa corpus veluti fores, supplices adstare videntur.* Nescio sane, annon D. *Ambrosius* [*Hexaemer. lib.* 6. *c.* 9. *p.* 87. *t.* 4. & *Theophil. Raynaudus in Optimæ vitæ fine pessimo cap.* XI. *p.* 545.] etiam ausus fuerit quidditatem osculi exprimere, quando sic inquit: *Osculantur se & columbæ, sed quid ad humani osculi venustatem, quo amicitiæ insigne humanitatisque præfulget, in quo plenæ charitatis exprimitur affectus?* Verum enim vero metus est haudquaquam inanis, ne quispiam his ambobus, [si modo osculum in genere definire voluerunt,] auriculam de legibus definiendi neglectis vellicet; occinatque, has descriptiones nimia laborare angustia, quippe quæ tantum conveniunt osculo in specie, illi nimirum, quod signum charitatis est, & ori figitur: cum tamen præter hanc plures osculi species reperiantur, uti ex iis, quæ paulo post sequentur, constabit liquidissime. Neutram ergo ex adductis descriptionibus admittere licebit: de alia vero dispicere decebit. Non vero dissimulandum est, tantam esse osculi ambiguitatem, ut vix ejus aliqua produci queat descriptio, quæ adamussim Logicam per omnia quadret: ne tamen hic plane nullus sim, requiro ad osculum 1. ut sit contractus oris, seu ut osculaturus labella sua imprimat rei, cui osculum modo isto notorio libandum est. 2. ut idem hoc contactu certos animi conceptus potentiæ intellectivæ manifestare intendat. Ex quibus proinde talis forte descriptio elici poterit: quod sit contactus oris objecto certorum animi conceptuum manifestandorum gratia factus, hanc descriptionem soli osculo convenire, & omnibus ejus speciebus adplicari posse, confido. Si tamen quis perfectiorem & clariorem proponere velit, illi lingua animoque favebo.

ARTICULUS II.

De Osculorum variis speciebus, & primo

De Osculo Sacro.

I. UBi jam eo accedimus, ut ex hortulis Antiquitatum decerpamus unum atque alterum, quod lucem themati nostro adfundere potest, profecto tanta varietas, copia tanta pulcherrimarum rerum assurgit, ut unde incipiendum, quid præ reliquis arripiendum, non possimus non dubitare. Ne tamen usu nobis veniat, quod illi in Fabulis lignatori, qui præ nimia omnium cupidine tandem nihil legebat, ordine utendum, & justa inquirenda divisio est. Equidem multi divisere, ita ut osculum aliud fecerint *Officiosum*, aliud *Charitativum*, aliud *Luxuriosum*, aliud *Proditorium*: [*Lael. Bisciola hor. Subsec. lib.* 7. *cap.* 13.] nec pauciores dispescuerunt illud in Osculum *amoris & unionis, reverentiæ & honoris, reconciliationis & pacis, hypocriseos & proditionis, lasciviæ denique & procacitatis*, veluti Philologorum hujus seculi facile primipilus, celeberrimus *Dilherrus* commemorat. [*Elect. l.* 2. *p.* 136. *ex Gabr. Biele in Canon. Missæ lection.* 81.] Verum, ut ut receptissimæ hæ sint divisiones, non tamen videntur ad leges Logicorum satis exasciatæ: dabuntur siquidem jam species nonnullæ Osculorum, quæ utique sub toto diviso continentur, neque tamen ad ullum membrorum istorum dividentium referri possunt. Hinc nobis de divisione alia circumspiciendum erit; & forte minus erraturi sumus, si initio Osculum dispescemus in Sacrum & Profanum: [*Vid. R. P. Maximilian. Sandæus in Theolog. Mystic. Exercit.* XIII. *p.* 453.] postea vero utrumque in suas species porro subdividemus.

II. Ne autem hæc nostra divisio ullam in terminis foveat obscuritatem, hic statim in limine ambiguitas tollenda erit. Sciendum scilicet aliquid Sacrum dici non uno modo. Aliquando vox hæc accipitur strictissime, atque contradistinguitur sancto, ut & religioso. *Sanctum enim est, quod quadam sanctione & præcepto firmatum, atque ab injuria hominum munitum est, etsi Deo non sit consecratum: ut muri, Legati &c.* [*Ulpian. in ff. l.* 8. *de rer. divis.*] *Religiosum vero, quod a communibus Hominum usibus remotum est, quod homini facere, vel adhibere non licet: ut virgo vestalis, thymiama*, vid. *Exod.* XXXVII. 37. *Sacrum* denique, *quicquid Deorum habetur*, ut loquitur *Trebatius*, [*lib.* 1. *de Religionibus.*] *ceu sunt templa, altaria &c.*

La-

Latius vero τὸ sacrum accipitur, quando opponitur profano, & sanctum atque religiosum includit, notatque ita *omnem rem, quæ solenni majorum instituto abusibus profanis remota, Deoque dicata, & lege aliqua positiva inviolabilis reddita fuit*. Ita *Festus* ex Ælio Gallo: *Quod sacrum est, idem lege & instituto majorum sanctum est, ut violari sine pœna non possit; Idem etiam religiosum est, quoniam est aliquid, quod ibi homini facere non licet, quod si tamen faciat, adversus Dei voluntatem facere videtur*. (*Vid. Joh. Ludo. Ruel. de Relig. gent. circa fest. pag.* 94. *seqq.*) Totidem modis jam etiam profanum dicitur, vel latius nimirum vel strictissime. Strictissime acceptum est id, *quod extra fanum gerendum, extra fanum relinquendum*, attestante *Macrobio*: (*lib.* 1. *Satural. cap.* 3. *fol.* 80.) vel, uti Trebatius ait: (*loc. cit.*) *quod ex Sacro & religioso in hominum usum conversum fuit*; opponiturque adeo religioso. Latius dictum est id, *quod neque Deo dicatum, neque lege peculiari sancitum, neque ab usibus profanis remotum fuit*, & sic opponitur Sacro late accepto. Jam quando nos dividimus Osculum in Sacrum & Profanum, τὸ Sacrum & Profanum non dicuntur ex significatione stricta, sed latiori, ut adeo osculum Sacrum illud mereatur dici, quod vel Deo rebusque divinis libatur, vel quo res divina significatur, vel quod Sacra lege sancitum fuit. Profanum autem quicquid extra hos dictos usus adhibitum est.

III. Ne vero uno Spiritu justo plura hauriamus, atque confusa prolixitate & Lectorem nostrum, & nos obruamus ipsos, Profanum in proxime sequentem rejiciemus Articulum, hic autem exponendum sumemus osculum Sacrum. Hoc deprehendimus a quibusdam subdividi in *Mysticum*, *Adorativum* atque *Charitativum*. Mysticum osculum quid & quodnam sit, non uno omnes & eodem modo explicare videas: aliquando juxta nonnullos eo significatur amor, nonnunquam delectatio, interdum conjunctio cum Deo, & frequenter unio ipsa mystica. (*Sandæus Theol. Mystica disquis.* 3.) Multi, quos inter & ille ante a nobis citatus *Herrenschmidius*, osculum mysticum appellant omne osculum, quod signum est rerum spiritualium, sicuti etiam *Glassius* (*Philol. Sacr. lib.* II. *Tract.* 11. *sect.* II. *p. m.* 259.) observat, vocem mystici ita accipi. Hinc ad osculum mysticum etiam referunt Sanctum osculum sive Christianum, quod nos inferius §. IX. Charitativum dicturi sumus. Verum quia τὸ mysticum ita, fatente *Glassio alleg. loc.* minus accipitur proprie, ideo alii per osculum mysticum intelligunt actionem quandam externam, sive osculum corporis, quo ex intentione osculantis significatur Christi in Ecclesiam sponsam suam amor & gratia. Trahuntque huc osculum *Cantic.* 1. *vers.* 1. Ubi Sponsa loquens introducitur: Osculetur me מנשיקות, i. e. *ex osculis oris sui*; Item osculum quo Jacob Rachelem consobrinam suam, in amplexus ejus ruens, adfecit, de quo *Gen.* 29. *vers.* 11. 12. nec non illud, quo Propheta Elisæus defunctum Sunamitidis puerum osculatus est. Historiam *Vid.* II. *Reg.* 4. *vers.* 34.

IV. Et quidem quod attinet initio osculum sponsæ, in principio Canticorum ab ipsa (*Augustin. lib. de Amicit. cap.* 6. & *Gregor. in cap.* 1. *Cantic.*) expetitum, tenent adcuratiores interpretum, Ecclesiam utique in verbis istis prodere suum desiderium, quo exoptat Christi Redemtoris præsentiam, favorem ac gratiam, idque exponere verbis a castis castorum sponsorum amplexibus & deosculationibus, velut signis & Symbolis Gratiæ & Favoris ejusdem desumtis. Sicut enim pudica Sponsa Sponsum, quem per literas, per nuncios, sibi loquentem aliquamdiu audivit, ardentissimis tandem suspiriis evocat, ut ipse adsit, osculis atque amplexibus suis se recreet: Ita Ecclesia, postquam per SS. Scripturam, quæ est Epistola *Dei* ad genus humanum, per Prophetas, qui ministri, *Amos* 3. *vers.* 7. qui nuncii *Dei* sunt *Jes.* 6. *vers.* 9. diutius audiverat loquentem Christum, ardentissime & flagrantissime ex optat, ut jam ipse adsit Redemtor, ut amore & gratia sua se immediate recreet. Ut adeo hoc sensu osculum istud recte Mysticum dici, pateat. Alii rem aliter explicant, sed quoniam ea ad Cathedram præsentem non spectant, nos B. L. ad Doctores Theologos hinc amandamus. Hic tantum explicationis ergo adducimus, elegantissimum S. Ambrosii locum; (*Serm. in Psal.* 118. *Conf. Heinric. Harphius lib.* 1. *Theol. Mystic. cap.* 1. 2. 3. 4. *Ludov. de Ponte Exposit. moral. Cantic. & Bern. Resignolius lib.* 5. *de Disciplin. Christ. cap.* 10.) *Constitue virginem desponsatam multo tempore & justo Sponsi amore ferventem, quæ multa præclara dilecti opera probabilium testium assertione cognoverit, desideriis suspensis frequenter dilatam, jam non ferentem moras, quæ omnia fecisset, ut Sponsum videret, votis suis aliquando potitam, ad improvisum Sponsi adventum gaudio turbatam, non quærere primordia salutationis, non verborum vices, sed statim quod desideraverat, osculum exigere: Ita sancta Ecclesia, sub primordia mundi desponsata in Paradiso, præfigurata in Diluvio, annunciata per Prophetas, diu redemtionem hominum,*

Evan-

Evangelii decorem, *dilecti exſpectavit adventum*, *tandem moræ impatiens in Oſcula ruit*, *dicens: oſculetur me oſculis oris ſui*. Quod vero deinceps concernit oſculum a Jacobo Racheli fixum, illud in ſe non videtur eſſe Sacrum, nedum ut Myſticum dici queat. Apud orientales congredientes ſe oſculo in ſignum amoris ac benevolentiæ, quin & lætitiæ ex congreſſu perceptæ excipiebant invicem; veluti in his oris neceſſarii & familiares miſcere ſolent dextras, quoties amice congrediuntur. Unde illud Jacobi oſculum erat nude tantum ſalutatorium, nec adparet, Jacobum quicquam aliud præter id intendiſſe. Si vero hoc oſculum transfertur ad Chriſtum qui in Jacobo typice ſignificatus Eccleſiam ſuam in deſerto hujus mundi invenerit, eique fontem gratiæ invidia Diaboli obſtructum recluſerit, velut a quibuſdam eo refertur; tum oſculum Jacobi Myſticum quidem dici poteſt, non tamen in ſe, cum Jacobum Rachelem oſculantem rem illam ſpiritualem intendiſſe, non conſtet: Sed ſolum ex mente interpretum, qui illud Jacobi oſculum ad gratiam Chriſti Eccleſiæ velut Sponſæ exhibitam, ſignificandam accommodant. Denique & Oſculum Prophetæ videtur ita gratis dici & oſculis Myſticis accenſeri. Etenim in textu Sacro nec veſtigium, nec vola oſculi reperitur. Textus 2. *Reg.* 4. *verſ.* 37. habet ita: ויעל וישכב על-הילד וישם פיו על פיו ועיניו על עיניו וכפיו על-כפיו ויגהר עליו: *Et aſcendit ſuper puerum*, *& incubuit*, *poſuitque os ſuum ſuper ejus os*, *& oculos ſuos ſuper ejus oculos*, *& volas ſuas ſuper ejus volas*, *& ſuperſtravit ſuper eum*. Ubi quidem dicitur, quod Propheta poſuerit os ſuum ſuper os pueri: Verum non quod fuerit puerum oſculatus. Aſt os ſuum ſuper aliquid ponere, aut ore ſuo aliud attingere, non ſtatim eſt oſculari, alias, qui os allideret acuto ſaxo, is ſaxum oſculatus dicendus eſſet, quod oſculum vereor ne paucis ſit ad palatum. Ut ut ergo jam non repugnemus in hac a Propheta uſurpata cerimonia nonnihil Myſtici delituiſſe, ſed illud aliis potius dirimendum relinquamus; de eo tamen, an illa oris Prophetici ad os pueri admotio oſculum dici debeat, & conſequenter inter oſcula Myſtica recenſendum veniat, dubitamus, nec ſine ratione.

V. Tranſimus ad oſculum Adorativum, quod nobis in præſentiarum dicitur id, quod homines deprecationis, cultus atque ſubjectionis gratia, vel Deo vero, vel Deo fictitio, vel rebus divinis libare conſueverunt. Et huc locamus initio Adorativa Dei veri, ut ſunt 1. Oſculum deprecationis quo anxii peccatores ſeriam cordis contritionem conteſtati, delictorumque veniam precati fuerunt, atque ſe divinæ gratiæ ſitientes oſtenderunt. Tale eſt illud, quo illuſtre pœnitentiæ ſpeculum, Maria Magdalena peccatrix, pedes Salvatoris noſtri venerata legitur, *Luc.* 7. 44. de quo Gregorius: (*Annotante Lyra ſuper cap.* 7. *Luc.*) *Oſculata fuit ut tota ſerviret* Deo *in pœnitentia*, *quia Creatorem contemſerat in culpa*. Et Chryſologus: (*Serm.* 39.) *Miſera illa tota ſupplex ad Salvatoris pedes devoluta*, *humilitatem ſuam & pœnitentiam largo lacrymarum imbre ex intimi pectoris ſcrinio profuſo ſignificabat*, *ut Chriſtus ipſe ad miſericordiam commoveretur*. O oſculum vere Pium! O verum reconciliationis Indicium! 2. Oſculum venerationis, hoc erat illud, quo pii Majores interdum venerati ſunt id, in quo *Deum* præſentem credebant. Cor inprimis humanum putabant præſentiſſimum *Dei* templum, idque (α) ex nomine, quia *Cor* per ראשי תיבת ſit dictum, quaſi Cubiculum Omnipotentis Regis. (β) ex Figura, quæ pyramidem utcunque imitatur, (ut *Phil. Melanchthon* de anima teſtatur) de quo proinde eleganter Pl. Reverend. & Excellentiſſimus *Urſinus*: (*Analect. Sacr. lib.* III. *num.* 27. *pag.* 200.) *Mirum opus! cujus in alto baſis*, *conus in imo: Cœlo patet*, *terræ clauditur*, *nec Sphæra mundi*, *quanta quanta*, *expleri poteſt: trigonum*, *ſola SS. Trinitate implendum*. (δ) Ex Sacræ Scripturæ teſtimoniis, *Eſaiæ* 57. 15. 56. 2. 3. &c. Hinc Cor ſanctorum hominum, quod putarent illud officinam Spiritus Sanctus cupidiſſime deoſculati fuerunt, & quidem infantum recens natorum propterea, uti *Cyprianus* (ad fidel. presbyter.) monet, *quia in illis recens* Dei *manus*. Sic *Paulus Egardus* (*Medull. Theol. de Deo pag.* 300.) ſcribit: *quoslibet infantes ab utero prodeuntes ter oſculari veterum ſententia fuit*, *idque in honorem SS. & individuæ Trinitatis*. Oſculo quoque noviter Baptiſatos tam infantes, quam adultos olim ab Eccleſiæ miniſtro exceptos fuiſſe, e Patribus colligere licet. *Cum amplexu atque in imo pede figebantur oſcula*, quibus Pax & Gratia, quam Baptizatus cum Chriſto & Eccleſia inibat, innuebatur; (*Ambroſ. lib.* 2. *de Pœnitent. cap.* 3. *& Epiſt.* 33. *Bernhard. Serm.* 2. *ſuper Cantic.*) *Ita &* Leonides *citante* Euſebius, (*Tertullian. de velend Virgin. cap.* 6. *Apologet. Ambroſ. lib.* 2. *adverſ. gentes & lib.* 3. *de virgin. citante* Johann. Baptiſt. Caſal. *de Vet. Sacr. Chriſt. Ritib. pag.* 44. *cap.* 5.) Ita & *Leonides* citante *Euſebio*, (*Lib.* 6. *Hiſt. Eccleſiaſt. cap.* 21.) Origenis pater, cum in filio animadvertiſſet divinius ingenium, dormientis pe-

ctus sæpe reverenter osculatus legitur; ratus in eo Spiritum *Dei* templum sibi consecrasse. 3. Osculum subjectionis. Hoc ex mente nonnullorum dicere possemus id, quo Creatura tremendam Creatoris sui Majestatem secum expendit, omnes suas excellentias præ eadem contemnit, ad ejus sublimitatem se submittit, atque suum eidem defert obsequium. Hujuscemodi osculum volunt fuisse illud, quod David requirit *Psal.* II. 12. נשקו-בר, quæ verba sane misere interpretes torserunt. Græcus transtulit δράξασθε παιδείας, *apprehendite disciplinam:* cui Chaldæus ferme pollicem premit, cujus interpretationis rationem nonnulli putant esse hanc, quod Græcis legerint non נשקו, sed נשנו a rad. נשג, נשג, quæ in Hiphil habet השיג, attigit, admovit. Verum quia radix נשג in Piel in usu non est, vix solidi quidquam huic conjecturæ subesse credimus. Non nobis otium est, ut omnium aliorum nunc percurramus scrinia, & quæ Hebræi, *Kimchi*, *Abenezra*, *Rasi* &c. habent, discutiamus. Cui volupe est hunc locum uberius explicatum legere, adeat *Simon.* de *Muis* Prof. Regium Parisiensem, (*Commentar. super Psalm. pag.* 12.) *Salmeronem* (*Hom.* 1.) *Becanum* (*Philol. Sacra lib.* 2. *part.* 1. *Tr.* 2. *sect.* 2. *pag.* 272. *& Rethor. S. Tr.* 1. *cap.* 7. 1137.) *Calvinum*, *Pellicanum*, *Glassium*, (*Phlosoph. Sobr. part.* 2. *pag.* 95.) *Meisnerum*, aliosque. Nos, ut quod ad præsens spectat, ne dissimulemus, non possumus osculum hoc Davidicum, pro osculo proprie dicto agnoscere: ad osculum quippe proprie dictum requiritur, ut osculans ore suo aliud quodcunque tandem attingat, cum ea quidem intentione, ut amorem aliumve affectum indicet; ast in illo Davidico quid quæso osculantes ore contingunt? Acquiescimus ergo in illa doctiorum interpretum sententia, qui adserunt, Davidem mentione osculi hoc loco a Regibus & potentibus requirere id, quod subditi alias per libamina osculorum deferre solent, nimirum, subjectionem & cultum.

VI. Heic tacito pede non prætereunda sunt varii generis oscula, quæ apud Romano-Catholicos frequenti sunt in usu. Primo Religiose apud illos adservatur agnellus ex auro, argento, aliave materia viliori, quin cera confectus, quem post sua peracta sacra populo deosculandum exhibent, & hunc actum appellant das Pacem küssen. Ubi citra pulveris jactum adsequi licebit, unde ista appellatio, videlicet, quia instituitur hæc cerimonia post impertitam populo a Sacerdote pacem. Sed juvat de ea audire ipsum *Innocentium*: (*In Capitul. Pacem. distinct.* 20.) *Pacem*, inquit, *ante confecta mysteria quidem populis, vel sibi inter se Sacerdotes tradunt, cum post omnia, quæ aperire non debeo, pax sit necessario indicenda: per quam constat, populum ad omnia quæ in mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur præbuisse consensum & finita esse, pacis signaculo concludentis demonstrentur*. Ad hoc osculum allusisse videtur Rudolphus Habspurgensis Imperator, in Indignatione ad Episcopum Spirensem. Jucundioris lectionis causa historiolam illam ex Chron. Cæsar. Saxonis hic inseremus. Kaiser Rudolph von Habsburg, nam in seinem hohen Alter sein ander Gemahl Agnes, die gar Jung und schöne war, eine Tochter des Herzogs von Burgund, mit welcher er aber hohen Alters halben keine Kinder zengete. Als die einsmahl vom Bischof zu Speyer, der ein Graf von Leiningen war, vom Wagen gehoben ward, und der Bischof durch ihre Schönheit bewegt, ihr wieder ihren Willen einen Kuss auf den Backen gab, verdross es die züchtige Kaiserin also, dass sie es ihrem Herrn klagte. Kaiser Rudolph da ers hörte, ward zornig, und liess dem Bischof sagen: Er solt ihm vor seine Augen nicht wieder kommen, und ihm ein ander Pacem zu küssen schaffen, dann diess Pacem hätt er vor sich allein erwählet. Also muste der Bischof um des unverschamten Kusses Willen aus dem Lande reiten, und sich am fremden Ort biss zu des Kaisers Tod verbergen. *Vid. m. Chronolog. Schopperi*. II. Crux Lignea vel nobilioris materiæ apud ipsos offertur devotis & vel maxime agonizantibus deosculanda, nec non corona Spinea, & centum alia, quæ Christus sua sanctissima carne, tempore visibilis conversationis contigisse creditur, quorum prolixum catalogum *Herrenschmidius* loc. cit. exhibet. Videtur hoc collineare πολυθρύλλητον, quod Hieroaymus in Sacerdotes dicit: *Quid agis Sacerdos? qui iisdem labiis oscularis filium virginis, quibus osculatus es filium Veneris. O Juda, tradis sic osculo filium hominis?* III. Maximo cum zelo & exhibent & arripiunt reliquias Sanctorum, vitro vel crystallis inclusas deosculandas.

VII. Hactenus de osculo Adorativo veri *Dei*, jam ad Adorativum fictitiorum Deorum saltum facimus, de illo etiam pro instituti nostri ratione nonnulla allaturi. Hic vero præcipue observationem meretur, quod osculum in cultu Deorum tripliciter fuerit oblatum. Quidam os (α) eorum osculabantur, quo de *Ciceronis* in Verrem locus intelligendus est: (*T.* 2. *orat.* 9. §. 94. *p. m.* 2. 244.) *Herculis templum est apud Agrigentinos non longe a foro, sane sanctum apud illos & religiosum: Ibi est ex ære simulacrum ipsius Herculis, quo non facile dixerim me vidisse pulcrius, usque eo, judices, ut rictum ejus ac mentum*

tum paulo sit attritius, *quod in precibus non solum & gratulationibus id venerari*, *verum etiam osculari solent*. (β) Alii manus, ut *Lucretius* (*lib.* 1. *vers.* 317.) testatur:

Tum portas propter ahena
Signa manus dextras ostendunt attenuari,
Sæpe salutandum tactu, *preterque meandum*.

Ad quæ *Gifanius*; *puto*, inquit, *signa quædam ænea*, *seu statuas ad urbium portas collocari solitas*, *quarum dextras osculari amarunt cives exeuntes boni eventus causa*, *atque etiam tangere & quasi salutare*. Nonnulli autem Deos profano ore suo tangere nefarium ducentes, manum eminus stantes porrigebant, eamque statim reverenter ori admovebant, suaviabantur, ac totum corpus circumagebant. Romani quidem dextrorsum. Unde *Plautus*: *Curcul. act.* 1. *Sc.* 1.).

—— *Quo me vertam nescio!*
Si Deos salutas, *dextroversum censeo*.

Galli autem sinistrorsum. Inde *Plinius*: [*lib.* 28. *cap.* 11.] *In adorando dextram ad osculum referimus: totum corpus circumagimus: quod in lævam fecisse*, *Galli religiosius credunt*; quemadmodum Antiquitatis scientissimus *Vossius* [*de origin. & Progressu Idololatriæ lib.* 2. *cap.* 3. *p. m.* 319.] annotat. Majorem hisce ut lucem affundam, non dividiæ mihi is erit aliquot adhuc addere testimonia. *Solebant* (verba sunt *Hieronymi*) [*lib.* 1. *in Ruffin.*] *adorantes manum deosculari & sua capita submittere*. Ulterius procedit *Apulejus* [*in IV. Metam.*] inquiens: *Et admoventes oribus suis dextram primore digito in erectum pollicem residente: ut ipsam Venerem Deam religiosis adorationibus venerabantur*. Plura videri possunt apud *Gruterum*, [*Thesaur. critic. tom.* 2. *pag.* 1049. & *tom.* 4. *pag.* 781. *in spicileg. Melleri Palmarii*] *Turnebum*, [*Adversar.* 1. *cap.* 17.] *Lipsium*, [*Elect.* 2. *cap.* 6.] *Scipion. Gentilem*, [*Comment. ad Appulej. apolog.*] *C. Barthium*, [*Adversar. lib.* 32. *cap.* 13.] *Muretum*, [*Variar. Lect. lib.* 10. 1.] *Brissonium*, [*de formulis*, *ubi Lucian. & Demosthenem adducit pag.* 35. 37. 38.] & *Philippum Caroli*. [*Buxtorf. Synagog. Judaic. cap.* 17.] (γ) Vicissim alii ipsis pedibus Idolorum eundem deferebant honorem, veluti ex *Apulejo* discimus: *Exosculatis vestigiis Deæ*, *quæ gradibus hærebat argento formata*, *ad suos discedunt Lares*. Neque prætermittendum est, plures olim manus versus Lunam, Solem, & Stellas elevasse, easdemque retractas osculatos fuisse. Eo dementiæ hodierni etiam Judæi processerunt, novilunium precatione singulari adorantes. [*dissertat. peculiar. de Astrolatria*] Idem olim Chaldæis, Syris, Sabæis, Ægyptiis, mos erat, & Cananitis natales debet, secundum amussitatum Amplissimi Dn. *Ostermanni* Judicium. Ad hanc porro familiam referendum est Jobi dictum, cap. 31. *Si vidi Solem cum fulgeret*, & *Lunam incedentem clare*, & *osculatus sum manum meam ore meo*: id est: Si Lunam & Solem adoravi osculando &c. Nec non 1. *Reg.* 19. *Omne Os*, *quod non adoravit Baal*, *osculando manum &c.* & Hoseæ 13. *Homines*, *qui sacrificant*, *vitulos osculantur*, quorum explicationes vide sis apud Vinarienses Scholiastes, *Tremellium*, *Pinedam*, *Cochium*, *Cornel. a Lapide*, *Rivetum*, *Drusium lib.* 1. *Observat. cap.* 20. *lib.* 2. *cap.* 15. & *Kippingium Antiq. Roman. lib.* 1. *cap.* 19. Ex hoc fonte dubio procul postea *Adorandi* verbum Latini derivarunt.

VIII. Nec minori cultu colebantur fana, limina, postes, lapides effigiati, aræ, & reliqua omnia, quæ Numini consecrata erant, aut quibus Genios tutelares præesse, sibi persuaserat cœca gentilitas, voce leni obsecrans ut *faverent*, ut *servarent*, *juvarent*, attestante *Tibullo*:

Nam veneror seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florea serta lapis.

& Plauto Rudent. *In fano Veneris signum amplexæ tenent*: quibus suavissime concinit *Ovidius* alicubi:

Non ego si merui dubitem procumbere templis,
Et dare Sacratis oscula liminibus.

Merito etiam, sed brevissime, hic commemoramus, quod ex peregrinis oris redeuntes φιλὴν μητέρα, carissimam matrem, tellurem complecti solenne habuerunt, quemadmodum Ingeniorum miraculum, [*Odyss. V. vers.* 354.] de Ulysse edocet:

Χαίρων ἦ γαίῃ κύσε δὲ ζείδωρον ἄρουραν,
Gaudens sua terra osculatus est almam tellurem.

itemque *Claudianus* [*de Laud. Stilic. lib.* 2. *pag.* 328. *edit. Barthian. in* 8.] *Dionysius Halicarnassæus* [*lib.* 4. *cap.* 75.] & *Plinius* [*lib.* 15. *cap.* 30. *add. Valer. Max. lib.* 7. & 3. *Thesaur. Critic. Gruter. part.* 2. *pag.*

pag. 1050.] de Bruto, ceu inquirenti patebit.

IX. Tandem ut Sacrum absolvamus osculum, ad Charitativum, ultimam ejus speciem descendimus, describentes hoc, quod sit illud, quod Primitivæ Ecclesiæ Christiani sibi invicem in sinceræ pacis & ἀνυποκρίτου Charitatis signum, tempore Sacrorum publicorum exhibebant. Hoc ad classem osculi Sacri propterea referimus, quia non solum communi nomine audit φίλημα ἅγιον ܢܘܫܩܬܐ ܩܕܝܫܬܐ, osculum sanctum: Sed etiam quia in sacris expresse ab Apostolo *Rom.* 16. 16. 1. *Cor.* 16. 20. alibique mandatum fuit: quin a sacris personis in sacro loco, sanctaque intentione suscipiebatur. Usurpatum est 1. in precum solennium, cumprimis Orationis Dominicæ clausula: Unde *Tertullian.* [*lib. de orat.*] osculum adpellat *Orationis signaculum*, & *Dilberrus* [*Elect. l. d.*] *Amen reale*. *Justinus Martyr.* Ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν. i. e. *osculo nos invicem salutamus, quando a precibus cessamus*. Rationem hujus instituti non solum putamus eam, quam *Hieronymus* [*Homil.* 1. *in Cantic.*] his effert verbis: *Veri Christiani se invicem osculantur, ut recordentur, Deum nos in verbo suo & Spiritu Sancto suaviter osculari;* sed etiam, & vel præcipue eam, quam *Hipponensis* [*de Amic. cap. 6.*] habet, *ut nimirum exteriori osculo pacem interiorem demonstrent*, sive, ut testentur se preces ex pectore odiis ac simultatibus minus onusto fudisse. Faciebant vero hoc non solum præstituto tempore missæ, sed & intra privatos parietes & in vicis, a qua tamen consuetudine abstinebant diebus illis, quibus promulgatum erat integrum atque plenum jejunium, ut feria 6. majoris Hebdomadæ, Sabbathoque sancto, extraordinariis item jejuniis, quæ graviori aliqua de causa ab Ecclesia indicerentur. [*Tertullian. lib. de oration.*] *Sic & die Paschæ quo communis & quasi publica jejunii religio est, merito deponimus osculum, nihil curantes de osculando*. Hujus rationes addit *Johann. Baptista Casalius* de Vet. Sacr. Christian. ritibus ex *Albaspino* de Veter. Ecclesiæ ritibus *lib.* 1. *observ.* 17. Nempe *quia osculum Lætitiæ indicium, quod jejunii die proferre nefas erat, sicut nec sacrificii, neque communionis usus diebus illis exstiterat. Deinde osculum instar pignoris & Symboli communionis, quibus diebus a Christi corpore sumendo abstinebant, ejus Symboli intermissio fiebat*. Vide pluribus *Casalium cap.* 59. *pag.* 236. II. Ante & post usum SS. Eucharistiæ, nec non post Agaparum fruitionem. Ante usum Eucharistiæ amplexabantur Christiani se invicem, osculabantur se mutuo, & addebant has salutationibus adclamationes: *Pax Tecum mi Frater!* velut testatur *Justinus Martyr.* [*in Orat. ad Antoninum.*] Sic etiam post usum Cœnæ, Baptismi, & ut probabile est Agaparum, sibi mutuo in amplexus ruebant, iisdem sese formulis excitabant, & casto osculo excipiebant: adi adductum *Justinum*. *Hoc osculum*, inquit, *Cyrillus Hierosolymitanus*, [Catech. mysta 5.] *animos matuo conciliat & omnem malorum oblivionem illis spondet, signum igitur est hoc osculum reconciliationis, universæque injuriarum memoriæ deletæ*. In eandem quoque sententiam pulcre *Augustinus* [*Serm.* 83. *de diversis*.] scribit: *Post orationem Dominicam, quam accepistis & reddidistis, dicitur*: Pax Vobiscum. *Et osculantur se invicem Christiani in osculo sancto, quod est signum pacis, si quod ostendunt labia, fiat in conscientia, id est, quomodo labia tua ad labia fratris tui accedunt; Sic cor tuum a corde illius non recedat*. Et quamvis ad removendam concupiscentiarum pravarum ansam, amoliendamque omnem suspicionem viri a fœminis in SS. Synaxi seorsim sederint, S. *Ambrosio* [*ad virgin. Lapsam. cap. 6.*] teste, quia tamen Christianos Ethnici eo nemine traducebant, ac si in congregationibus non tam Dei sui, quam Cotyttus sacra peragerent, convenientes quippe noctu, & osculis (quæ ipsi nude interpretabantur incentiva libidinum) congregationes & inciperent, & clauderent, imo nonnulli iisdem Ecclesias turbarent: Ideo postmodum, ut in pluribus Ecclesiis Sacram Tabellam cruce aut imagine decoratam oscularentur, usus, & quidem laudabilis introduxit. Donec tandem [*Baron. ad ann.* 40. *n.* 26. *& ibid. Spondanus in Epit. num.* 8.] osculi charitativi usus plane fuit sublatus. Vid. *Dilberrus loc. cit. pag.* 136. & *Clemens Alexandrinus Pædagog. lib.* 3.

ARTICULUS III.

De Osculo Profano.

I. Quid per Osculum Profanum hic insinuetur, denuo edisserendum haud est. Prodidit illud ipsum superioris Articuli II. §. 2. ortum saltim illius nunc juvat investigare. Hic vero videtur ab ipso osculo Sacro derivandus. Quod enim alicubi [*Sveton. in Vitell. cap.* 2.] magnus *Casaubonus* de adoratione civili in genere dicit: *veteres aut splendore Regum & Principum, aut beneficiis eorum, quibus insigniter mactati fuerant commoti, rati quandam ipsis inesse superiorem virtutem, hos an-*

non tantum post fata in numerum Deorum retulere, sed & adhuc superstites cultu a divino non multum discrepanti, prosecuti fuere. Id nos quo minus adplicemus ad osculum in specie, nihil prorsus vetat. Et omnino ita videtur: Initio osculum pars cultus divini erat, hinc ad demortuos Principes, inque numerum Deorum relatos transferebatur; ulterius Principibus vivis, hinc illis, quos quilibet Principum loco habebant, exhibebatur. Denique amoris indicium evadebat, & extremo degenerabat in libidinis incentivum, & hypocriseos nefandæ symbolum. Sic nisi nostra nos plane fallit conjectura, res similiter se habuit cum denudatione capitis: hanc constat olim fuisse solum in honorem Deorum factam, postea vero Magnatibus exhiberi cœpit, ab his ad honoratiores quosvis deducta fuit, hodie signum salutationis est. Ita ante secula non adeo multa solus Jupiter *Optumus Maxumus* audiebat, mox & cum mortalibus, Principibus tamen, titulum hunc communem habuit, hodie autem nihil frequentius est, quam legere & audire: Patrono optumo, Promotori maxumo: Adeo scilicet adulandi pruritus, qui hoc seculum gravissime vexat, nullum cultus signum illibatum reliquit! Sed e diverticulo in viam redimus, & osculum profanum dispescimus in osculum subjectionis, sponsalitium, academicum, salutatorium, valedictorium, reconciliatorium, libidinosum & hypocriticum.

II. Per Divisionis hujus membra nobis nunc ordine transeundum erit. Agmen ducit osculum subjectionis, quo nomine indigitamus illud, quod inferior suo superiori libat, ut se in potestate illius esse testetur, insimulque fidem & observantiam offerat. Hoc olim frequentissimo in usu fuit, & hodie etiam esse nondum desiit. Apud Orientales fuisse tesseram homagii nonnulli tradunt. Hinc etiam *Herrenschmidius* ad locum *Psal.* secundi a nobis superius adductum dicit: *osculandi verbo homagium præstandum innuit Propheta.* [*Qu.* 14. *p. m.* 54.) Hoc osculum autem nec uno more, nec membro corporis uni libatum fuit. I. Imperatoribus eorumque imaginibus prisci æque ac Deorum simulacris manum ad os movendo, oscula offerebant. Unde nomen osculi quod diceretur labratum, a labris, Græce φίλημα βασιλικὸν, ἀσπαστικὸν βασιλέως, i. e. veneratio Principis, adoratio purpuræ, imperii. *Lipsius* hic [*lib.* 2. *Elect. c.* 6.] adserit, adorantes prius manum porrigere, deinde ad os referre solitos; sed *Salmasius* [*in Notis ad Flav. Vopiscum.*] in contraria est sententia, cum quo etiam facit *Martinius*, [*in Lexico voce Labratum.*] affirmando, quod adorantes prius manum labris admoverint, deinde versus Regem quem adoraturi erant, porrexerint. Hinc fortassis [*M. Heinric. Kipping. Antiqu. Rom. l.* 1. *c.* 9. *p.* 212.] illa apud nos consuetudo, qua in honorandis aliis nostram dextram ori admovere solemus: *bai se le mains*, οἱ χαρίεντες vocant.

III. Tale osculum Samuel [1. *Sam.* 10.] Propheta Sauli in Regem uncto impressit, cujus osculi rationem *Theodoret.* [*qu.* 18. *in* 1. *Reg.*] adjicit: nempe ἵνα τῆς ἐνοικούσης αὐτῷ χάριτος μεταδῷ, hoc est, *ut eum gratia, quæ sibi inerat, impertires.* In Palæstina etiam, osculo manuum honor significabatur, quod adhuc in India observari ex Aben-Esra [*Drusius ex eo. l.* 2. *observat. c.* 16.] discimus. Persæ potentiorum genua manu tangunt, Turcæ [*Herrenschmid. p.* 365.] non modo verbo salutem impertiunt, sed in congressu humeros, in digressu genua osculantur. *Zwingerus* [*lib.* 3. *vol.* 1. *Theatr. p.* 365.] recenset, quod Gemes Othomannus ad Alexandrum VI. Pontificem Legatus Rhodiensium humeros osculatus sit. Tandem ut & ipsis pedibus hunc honorem exhiberent, introduci cœpit, quemadmodum cuivis patet, qui limis saltim oculis aut quasi per transennam veterum monumenta inspexit. Familiarem ejusmodi cultum Judæis fuisse, facile ex superius adducto loco e Luca perspicere est. Transilivit autem successu temporum ab his ad Romanos. Ea prope superbissimus Imperator Diocletianus (*Pompon. Lætus.*) speciali edicto sanxit, *ut omnes sine generis discrimine prostrati pedes sibi oscularentur: venerationem quoque ipsis quandam adhibuit, exornans calceamenta auro, gemmis & margaritis, quod fecisse antea Cajum Caligulam* memorat Romana Philosophiæ Siren, (*Sic Isaac Pontan. in Macrob. saturnal.* 7. *c.* 3. *de eo.*) *Seneca* (*lib.* 2. *de Beneficiis c.* 12. *conf. Dio. Xiphilin. in Cajo.*) scribens: *Invenit aliquid infra genua, quo libertatem detruderet.* De Maximino Juniore Jul. Capitolinus (*pag.* 268. *Hist. Augustæ a Casaub. edita.*) tradit, eum tantæ insolentiæ fuisse, *ut manum porrigeret, genua sibi osculari pateretur, nonnunquam etiam pedes, quod nunquam passus est Senior Maximinus, qui dicebat: Dii prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat.* Eo etiam nomine *Plinius* (*Panegyr. p.* 26. *edit. Buchner.*) in illum occulte tela vibrat, & contra summis Trajanum tollit elogiis: *Non tu civium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddes.*

IV. Observationem hic bene merentur, quæ

quæ de Imperatore Constantinopolitano refert Curopalates, (*citante Magiro in Polymnem*) quod videlicet die *Paschatos omnes principes* δεξιὸν πόδα, ἔπειτα τὴν δεξιὰν χεῖρα, καὶ μετ᾽ αὐτὴν τὴν δεξιὰν αὐτοῦ παρειὰν, *dextrum* [Imperatoris] *pedem, deinceps manum dextram, posteaque genu illius dextrum osculentur. Eundem exhibere cultum Genuensium protostratum, si adsit, minime vero Venetos: causam prolixe reddit. Ad diem autem quintum hebdomadis, quam vocant* διακενήσιμον, *Patriarcham & summos Sacerdotes, atque antistites oscula Imperatori fingere, Magirus l. c.* memorat. At turpis ille, & plusquam servilis ritus rus redolet & agrum.

V. Alias reverentiæ contestandæ Principes a Civibus & Præceptores a discipulis osculo (*Calvin. in Lexic. Jurid. ex Spigelio. voc. osculum.*) honorati sunt. Milites Imperatorum dextras osculati leguntur apud Neapolitanum, (*lib.* 2. *cap.* 19.) quod ab eo tempore, quo immanissimus Sylla tria civium millia dextram sibi osculantium trucidavit, a Romanis abrogatum est. (*Guevar. Horolog. Princip. lib.* 1. *cap.* 38. *cit. Magir. loc. dict.*) Causam, cur dextræ oscula obtulerint, *Isidorus* (*lib.* XI. *in Op. de Lat. Ling. p.* 1095.) reddit talem, *quia omnium rerum autoritas dextræ viribus constat, & ipsa fidei testis est:* cui pollicem premit *Plinius* (*lib.* 11. *fol.* 103. *edit. Hermol. Barbar.*) dicens: *Dextra osculi aversa appetitur, in fide porrigitur:* Ideoque [subjicit ejus Commentator *Dalechampius*] *majores cum se mutuo salutarent, hac parte corporis se potissimum venerati sunt.* Erat hoc ferme servorum, quemadmodum *Arrianus* (*Dissertat. Epictet. lib.* 1. *cap.* 19. *cit. Casaub. in Animadvers. ad Sveton. p.* 15.) indicat his verbis: ἠξίωται δημαρχίας; πάντες οἱ ἀπαντῶντες συνήδονται· Ἀλλὸς τοὺς ὀφθαλμοὺς καταφιλεῖ, ἀλλὸς τὸν τράχηλον, οἱ δοῦλοι τὰς χεῖρας. *Tribunatum adeptus est? ecce obvii omnes gratulantur, alius collum, servi manus.* Ex quo posterioris ævi scriptoribus peculiarem phrasin, *ad manum accedere*, natam esse, Clarissimus *Belgii Demosthenes Lipsius*, (*lib.* 2. *Elect. cap.* 6.) observavit. Atque hocce osculum in petitione pariter, gratiarum actione, gratulatione, uti jam dictum, omnique officii aut demissionis nota adhibitum est. Gratulationis equidem *Casaubonus* (*l. d.*) meminit: *Descendentem ad Comitia osculari, peculiare materni affectus fuit, ac redeuntem e comitiis honore auctum, osculo excipere commune matri cum aliis propinquis, amicis & clientibus.* Ejusmodi blanditiis in curia etiam locus fuit. Ita *Plutarch.* in Bruto narrat, *Conjuratos curiam ingressos, sellam circumstetisse quasi aliquid rogaturos, osculabundos alios manus, pectus alios, quosdam caput. Sic qui in Senatu honore aliquo afficiebantur, illos amici, qui intererant, osculo inibi excipiebant;* ex quo more est, quod de optimo Principum Trajano *Plinius* (*p.* 81. *edit. Buchner.*) in Panegyrico scribit: *Jam, quo assensu, quo gaudio exceptum est, cum candidatis, ut quemque nominaveras, osculo occurreres?* Hic una opera notamus, aliis quoque quondam partibus corporis, quales Physici numinibus consecratas prædicabant, oscula data esse, ut *auri, memoriæ sacræ, fronti, genio dextræ, fidei, genibus & mento, misericordiæ.* Quin ex *Homero Lipsius l. c.* probat, quod barbam tetigerint. Consule *Casaubon.* ad *Sveton. d. l.* ubi ex *Theodoriti lib.* 5. de pectore idem adserit.

VI. Ad hæc non raro superiores suis subditis, Imperatores nobilibus, Principes civibus dignioribus præbuere manus deosculandas, & postea suis manibus ad oris osculum sublevarunt, quo suam in illos clementiam testarentur. Ad hoc Elisabetha Angliæ Regina Legatos admittere consueverat, quo de *Hentznerum* (*Itinerar.*) audire prolubium est: *Quondam* ait, *Baro quidam Bohemus, Guilielmus Slabata nomine, Reginæ literas afferens in conclave venit, cui venienti Regina manum dextram, chirotheca detracta, annulis & lapidibus pretiosissimis splendentem, porrexit osculandam, quod maximum insignis clementiæ fuit signum.* Plura hujus ordinis adducere lubentes supersedemus, cum alia adhuc nobis expedienda videamus.

VII. Jam breviter subjungimus osculum sponsalitium, quod desponsatæ personæ sibi invicem figere assolebant, atque (*Francisc. Hotmann. de sponsal. p.* 353.) *quintam ritus & solennitatis sponsaliorum partem obtinebat, in præclarum consensus firmi indicium: unde etiam ex Imperatoris Constantini mandato constitutum, ut* (*Besold. Thes. pag.* 837. *conf. Tit. de donat. ante Nupt. & Francisc. Hotmann. lib. d. p.* 354.) *mortuo sponso ante nuptias, sponsa dimidiam* partem *ejus, quod sibi arrhabonis loco seu propter nuptias donatum est, retineat, si sponsus eam osculatus fuerit, osculo vero non interveniente sive sponsus, sive sponsa obierit, totam infirmari donationem, & donatori sponso sive hæredibus ejus restitui. Quemadmodum viceversa mulier* (*Covarruvias de Nupt.* 2. *p. cap.* 7. *citant. Besold. l. c.*) *quæ se osculari passa est, dotem perdit.* Sed ea Jureconsultorum conciliis discutienda linquimus, ne μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος committere velle videamur.

VIII. Suavissima ordinis harmonia sponsali-

salitio connectimus osculum Academicum, ab Academiis, sacratissimis illis scientiarum capitoliis sic nominatum, & dignum, imo dignissimum, de quo in luce Academica constituti, differamus. Instituere illum ritum majores nostri prudentissimi, ut augustiores paulo redderent actus Doctorales, ad quos sex potissimum requiruntur: nempe, *quod jurati promotores deponant eum sufficientem, & quod examinetur, quodque examinatio adprobetur, item, quod biretum in signum splendoris capiti imponatur, & quod cathedra investitura possessionis tradatur, & liber veluti materia conferatur*, ut *Cothmannus* & *Modius* declarant, qui item traditionem osculi & annuli accenset, sed de substantia actus non esse dicit: quia ceu *Baldus* loquitur, *Mulieres etiam osculantur, desponsantur, benedicuntur, nec tamen doctorantur*. Pudicissimum est hoc osculum, quod quasi nova sponsa sublimis Theologia, aut casta Themis, aut saluberrima Hygieia suis amasiis porrigit: & monet (*Vid. Thesaur. Pract. Besold. D. Tackius in restaurata Academ. Giessens. p.* 104. & *Jacob. Benius de Privil. l. consult. part.* 1. *p.* 19. §. 10.) de concordia & conjunctione in facultatibus firmiter & sincere servanda. Neque immerito hodienum etiam in Academiis retinetur, cum & Reges olim Doctores osculo honorasse constet. Hujus tenoris verba *Rambani* sunt apud *Schickardum*: (*de jure Hebræor.*) *Præceptum erat Regi honorare Doctores legis, cum igitur intrabant coram ipso Synedriales aut Sapientes Israel, assurgebat ipsis, collocans eos juxta latus suum, sicut fecit Asa Rex Judæ, etiam discipulis adhuc assurgendo de throno suo, & illos osculando, salutandoque: Mi Magister, Mi Domine*. Ex quo osculum Academicum natum si quis statuat, forsan non sine causa faceret.

IX. Salutationis osculum pronunciamus istud, quo advenientes hospites excipiebantur & orientalibus maxime solenne fuit, ut ex ipsius Salvatoris nostri ad Simonem verbis (*Luc.* 2. *vers.* 45. *de quo Walæum consule p.* 307. *add. Luc. Osiandr. Bibl. Exod.* 18. *p.* 102. *conf. Matth.* 19. 15. *Marc.* 10. *vers.* 16.) dispalescit: φίλημά μοι ὀκ ἔδωκας. Ita Cyrus Cyaxarem cum ad se venisset, salutasse legitur apud *Xenophontem*. (*Pæd. p.* 177.) Deinceps ad Romanos devolutum est: ibidem *oscula facta quotidiana*, ut *Svetonius* (*in Tiberio cap.* 35.) habet, vel ut *Optatus Millevitanus* (*lib.* 4. *contra Donatistas cit. Anton. Hotmann. de Vet. Nupt. p.* 273.) adpellat, salutationes perfunctoriæ, quas publico edicto Tiberius inhibuit: ad quæ verba acutissimus *Casaubonus* (*Animadvers. p.* 216.) addit: *Arbitror Tiberium minime comem Imperatorem, ut eum Plinius vocat, cum oscula quotidiana gravaretur, ne superbiæ hoc ipsi tribueretur, si solus consuetudinem aspernaretur, edictum hoc promulgasse*. Verum plus lege valuit diuturnus & inolitus usus, unde etiam facundissimus *Martialis* (*Lib.* XI. *Epigram.* 99. & *alibi.*) qui temporibus Domitiani vixit, in ea invehitur:

> *Effugere non est Basse, Basiatores,*
> *Instant, morantur, persequuntur, occurrunt,*
> *Et hinc & illinc, usque, quaque, quacunque*
> *Et æstuantem basiant & algentem,*
> *Et nuptiale basium reservantem.*
> *Omne limen conteris Salutator*
> *Et mane sudas urbis osculis udus.*

Ubi tamen probe tenendum, quod viris cum mulieribus oscula minime promiscua fuerint: *Mulieribus licebat consanguineorum frontem osculari, & viris mulierum, cum quibus aliqua necessitudine erant juncti*, ut *Marcellus Donatus* (*vid. Thesaur. critic. Gruteri t.* 6. *pag.* 676.) ex *Plutarcho* (*in Romulo p.* 26. *edit. Xilandr.*) testatum reliquit. Succedentibus deinde temporibus, cum ex autoritate M. Catonis vinum mulieribus interdictum esset, primum viri cognatarum os cœperunt osculari, *ut odor indicium faceret, si bibissent:* (*Plin. l.* 14. *cap.* 13.) *Quia vinum bibisse perinde erat* (*Neapolitan. genial. dier. lib.* 3. *cap.* 11.) *ac si in adulterio ac gravi crimine deprehensa, capitali supplicio plectenda esset*. Hinc ubi *Egnatius Metellus* uxorem, quod *vinum bibisset, interfecerat, cædis absolutus est*. (*Plin. l. d. conf. Marcel. Donat. opere cit. p.* 677. & *ex eo Polyb. l.* 6. *Gell. l.* 10. *c.* 33. *Noct. Attic.*) Idem Massiliensibus & Milesiis, pluribusque Græcorum & barbararum gentibus, apud quas Hydropotæ mulieres fuere, familiare fuit. Hisce adjungit *Aristoteles*, (*apud Plutarch. quæst. Rom.* 6.) *quod ob iram maritorum placandam hoc blandiendi genus inventum, vel quoniam interdictum erat cognatorum nuptiis, usque ad oscula tamen amori permissum progredi, eaque fuit consanguinitatis tessera & communicatio*.

X. Hodie etiam apud Belgas, Anglos & Gallos (*Gruter. Thes. crit. t.* 6. *p.* 678. & *Kornmann. de Lin. amor. p.* 79.) his osculis nihil frequentius est: Anglorum equidem mulieres non modo cognatos, sed quoscunque generatim osculo salutant resolutanturque, & illud (*Herrenschmid. p.* 367. *ex Polyd. Virgil. l.* 4. *c.* 13.) *primoribus labris tam decentissime quam honestissi-*

stissime: quæ vero Regio sunt sanguine ortæ, non inferioribus libant, sed manum adversam porrigunt, perinde ut viri inter se salutationis causa. De Gallis recitat rerum variarum curiosus indagatur *Salmuth*, (*in Panciroll. l. 1. p. 441.*) *quod honori sibi ducant, si adveniens hospes uxorem, sorores, filios, etiamnum virgines osculo salutet*. Russorum consuetudinem huic germanam, omnium elegantissime exponit αὐτόπτης Lib. B. ab *Herberstein* (*Commentar. Rerum Moscovit. v. m. Narrat. de Russorum moribus ad B. D. Chytræum præscript.*)

XI. Parili comitate veteres peregre redeuntes ac diu desideratos prosecuti sunt, veluti Agricolam noctu in urbem, noctu in Palatium, ita ut præceptum erat, venientem, exceptumque brevi osculo, accepimus, velut in ejus vita *cap.* 40. nuperrime a Nobiliss. & Excellentiss. Dn. *Bosio*, Histor. P. P. incytæ hujus Salanæ Famigeratissimo Dn. Præceptore & Patrono meo pl. colendo, edita legere est. Discedentibus idem erat honor, proculdubio propterea, quo perpetuam amicitiæ memoriam conservarent, promtamque benefaciendi voluntatem testatum irent. *Catonem milites abeuntem, non votis neque laudibus, quod tralatitium est, dimisere, sed cum lacrymis multis atque amplexibus, vestes pedibus ejus substernentes, qua incederet, & manus ejus deosculantes*: refert ἱστορίας ὀφθαλμὸς *Plutarchus*. (*in Catone.*) Idem etiam Persæ (*Xenoph. 1. Pæd. p. 26. 27. ex Al. ab Al. gen. dier. c. 19. l. 2.*) lege patria servarunt. Morientes vero, unde *emortuale osculum* nomen sortitum est, osculari usitatum erat Judæis & Romanis: partim quia ut abeuntes, sic quoque ex hac vita emigrantes, osculo dimittendos esse rati sunt: mortem enim ad vitandam δυσφημίαν antiqui abitionem dixere, Cl. *Kirchmanno* teste; (*de Funer. Roman. p. 59. D. Quenstedt. de sepult. Vet. p. 66.*) partim, quia exeuntem animam hoc modo excipere apposito hiatu, & in se transferre se posse, somniabant. Sic Jacobus Patriarcha in osculis Josephi, (*Genes.* 50.) etiam Augustus etiam Cæsar (*Sveton. in vita ejus l. 2. p. 62. edit. Casaub.*) in osculis Liviæ defecit, si historiarum monumentis fides danda. Disertissimus quoque Romulidarum Cicero (*Verrina 5. & Nonius c. 4. in excipere.*) talem complexum matres ad carcerem pernoctantes anxie ambiisse perhibet. *Nihil*, inquit, *orabant aliud, nisi ut filiorum extremum halitum excipere sibi liceret*. Corroborant illud prolixa serie Poetarum testimonia, ex quibus unicum attulisse, ut puto, sufficiet. Est vero illud *Ovidii* (*Consolat. vers. 95. conf. Statii Epiced. lib. 2. Syl. 1. vers. 64.*):

> *At miseranda parens suprema nec oscula fixit,*
> *Frigida nec movit membra tremente manu,*
> *Non animam apposito fugientem excepit hiatu.*

Insuper ex *Propertio* colligere est, exanimatis, & jam in rogum ponendis cadaveribus osculum imprimi solitum fuisse. Ita enim ille (*lib. 2. Eleg.*):

> *Osculaque in gelidis pones suprema labellis*
> *Cum dabitur Syrio munere plenus Onyx.*

Sed de his incomparabilis antiquitatis Stator, *Casp. Barthius*, in operosissimo suo super Statium Commentario *l. 2. Phebaid. p. 185. & l. 3. pag. 717. Antonio Contius*. Hor. succisiv. & doctissimus *Bourdelotius*, qui de politiori literatura præclarissime meritus est, in Not. ad *Haliodor.* consulendi sunt. Non repetam heic altius quod Cleopatra tumulum Antonii coronarit, atque osculata sit; (*Plutarch. in Vita Anton. c. 127. edit. Xilandr.*) nec milites accersam, qui defuncti Imp. Othonis vulneribus eundem detulere honorem. (*Id. in Othon. c. 23. p. 266.*) Reticendum tamen non est, consimile quidpiam in funerum deductione ante sepulturam apud Christianos quondam fuisse adhibitum; cui fidem faciendi causa, non dividiæ est *Dionys. Areopagitam* differentem audire: (*Hierarch. Ecclesiast. p. 218. edit. Parisiens. adducente D. Quenstedt. l. c.*) προσελθὼν, inquit, ὁ θεῖος ἱεράρχης εὐχὴν ἱερὰν ἐπ' αὐτῷ ποιεῖται, καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν αὐτός δὲ ὁ ἱεράρχης ἀσπάζεται τὸν κεκοιμημένον, καὶ μετ' αὐτὸν οἱ παρόντες ἅπαντες, i. e. *Pontifex sacer accedens, sacram super ipso facit precem, & post precem ipsemet defunctum osculo salutat, post ipsum cuncti præsentes cæteri*. At iste ritus in Concilio Antisiodorensi seculo septimo sublatus est.

XII. Cæterum osculo Pax & Reconciliatio notata & firmata fuit, de quo intelligendus *Genes.* ille locus *c.* 33. *v.* 4. cujus verba authentica ita sonant: וירץ עשו לקראתו ויחבקהו ויפל על אוצרו וישקהו h e. *Et cucurrit Esau in occursum ejus* [*Jacobi*] *& complexus est eum, & cecidit super collum ejus, & osculatus est eum. Salutabat*, inquit Gesnerus, (*Comment. sup. Genes. p. 610.*) *fratrem osculo, quem tollere prius volebat armis. Firmus*, apud *Ammian. Marcellin.* (*v. Magiri Polymnemon.*)

pacem

pacem & veniam a Theodosio obsecrans, susceptus est cum osculo. Hinc inde in caduceo Mercurii serpentes semet osculantes invicem interpretem & nuncium debere pacem prudenter conciliare Veteres designarunt. (*id. ex Lael. Bisciol.*) Apposite quoque monet *Rittershusius* (*in Novell. p.* 535. *cit. Besold. Thes. Pr. p.* 836.) *signa odii, inimicitiæ & alienati animi sunt, si quis noluerit actum humanitatis erga aliquem exercere*, v. g. *Si recusat eum ad osculum pacis admittere, siquidem in eo loco usitatum sit.* Nubem testimoniorum concirem, nisi brevitati vel maxime studendum esset.

XIV. Progredior itaque ulterius ad libidinosum & luxuriosum osculum, quale lasciviem stimulat, & vel labellis porrigitur, ut quasi hinc & hinc errantes animas transfundat, (*Besold. lib. d. ex Petronio.*) vel os figuratur labris promissis, aut lingua prolata, ut basianti salivam faciat, & Græcis καταγλώττισμα dicitur, de quo supra §. 3. *Art.* 1. Ad hoc digitum intendit *Apulejus* (*lib.* 2. *Miles.*) scribens: *Arctius eam complexus cœpi suaviari, jamque patentis oris inhalatu cinnamomo, & occursantis linguæ illusu nectareo, prona cupidine adlubescente Mæcenas si quis fœmina cirro crispata labris columbatur.* Et ille apud *Gellium* his quidem verbis innuit:

Dum semihulco suavio
Meum puellum suavior,
Dulcemque florem Spiritus
Duco ex aperto tramite
Anima tunc ægra & suavia
Cucurrit ad labia mihi.

Alias vero osculari oculos amantium erat proprium, (*Plin. H. N. lib.* 11. *cap.* 37. *add. Alex. ab Al. l. d.*) quoniam tum ipsum pectus hoc pacto se tangere autumant, tum quia oculi corporis pretiosissima pars. Credebant veteres isthoc osculo pudicitiam mulierum pollui, tanquam adulterii prooemio, libidinisque antecoenio, seu, ut *Tacitus* amat vocare, (14. *Annal. p.*165. *edit. Lipsian. fere in init.*) *prænunciis flagitii blanditiis; quidpe nihil ad incendium gravius osculo, satiari enim nequit & spem dulcem suppeditat.* (*Xenophon. in Conviv. p.* 698.) Licet quibusdam semper inhæreat vulgaris iste versus:

Et facie abluta tolluntur & oscula sputo.

Aut affine huic illud *Plauti*: (*Curcul. Act.* 1. *Sc.* 1.) *osculando quæpiam non fit impudicitior.* Hoc vero cum ex animo lascivo proficiscatur, declinandum omnino est, & ab osculis formosarum abstinendum illi, qui pudice vivere expetit. Horsum *Clementis Alexandrini* (*l.* 3. *Pædag. p. m.* 286. & *Xenoph. memorat. v. p.* 572. *vid. m. Alphonsum a Castro adversus hæres. lib.* 4. *fol.* 109. *C. de Beguini & Begnardi sententia.*) verba tendunt: *Incestum & veneno plenum, licet sanctitatem simulet, venenum immitti pudicitiæ, non secus atque Phalangia, graves dolores hominibus afferunt.* Et talia quidem oscula sagittata dicere, fortassis nihil prohibet.

XV. Eo nomine Hispanis osculandi studium adeo est invisum, ut uxor, quæ alii quam marito osculum dederit, vel ab alio acceperit, adultera arguatur, & dote privanda censeatur, uti *Joh. a Ripa* (*v. T.* 6. *Thes. critic. Gruter. p.* 676.) demonstrat, qui tamen non postremi pili Jureconsultos contradicentes habet. (*Gamcher.* §. 3. *fol.* 260. *Hist. moral. par.* 3.) Gravissime equidem in illud apud quasdam gentes animadversum esse, historiarum cultori constare potest. Nunc, quo alia, quæ *Herodot. l.* 5. *Val. Max. l.* 6. *c.* 1. *n.* 4. itemque *Anton. Hotomann. Tractat.* superius allegato *pag.* 270. insinuant, prætermittam, unicum ex *Ægidio Bosso* (*De extraordin. Crimin. citante Glasen. Exercit. Sacr. l.* 2. *c.* 3. *p.* 155.) mutuari juvat: *quod scilicet quidam capite plexus sit, ob osculum per vim nuptæ ereptum*, quanquam hoc justo nonnihil severius æstimari queat. Qua autem pœna hujus generis delictum afficiendum, Legum interpretes in suis consultationibus edisserunt, quo avidus se convertat Lector. Habebam, adhuc plura nec injucunda lectu, nec fortassis inutilia, quæ circa præsentem materiam adduci potuissent, v. g. quod aspera Nomadum gens nulli mortalium, ne filiis quidem suis oscula tulerit, (*Pierius Valerian. Hieroglyph. l.* XXII. *fol.* 158.) quod Megarenses illi, qui suavius osculabatur, corollam e floribus destinaverint, (*Bisciola in Horis subcisivis.*) quod Princeps de Habspurg osculum, facultatem promte & expedite loquendi conferre potuisse creditur (*Camerarius Centur.* 3. *c.* 42. *subcisiv. conf. Besoldi Thesaur.*) quod torvus Cato nonnisi cœlo intonante uxoris amplexum & oscula ferre solitus fuerit (*Plutarch. in Caton. cap.* 34.) quæ de osculo Florentino, illo ansato, ut sic adpellem, Autores hinc inde habent, (*Gruterus Thesaur. critic. t.* 6. *p.* 410. *seqq. ex Gyraldi Dial.* 9.) & hujus generis multa alia. Verum quia materia sub manu excrevit opinione felicius, ne modulum brevis Dissertationis excedam, in præsenti calamum sisto. Si Deus vitam & otium indulserit, die & loco alio, quæ hac vice non licet, luci commissurus sum. Tu interea, Erudite Lector, bene vive, & fave conatibus nostris.

JOHANN. LOMEJERI DISSERTATIO DE OSCULIS.

De his plures scripsere, osculi etymologia. Basium, suavium. Donatus & Servius notati, de osculo Esavi & Jacobi fabula Rabbinica. Belgicum Kus*, osculum, parvum os. Priscianus notatus, descriptio osculi, mirabilis casus inter militem & virginem. Oscula varia, Deus osculatur suos in vita, in morte. De Mose & Aharone. Locus*, Psalm. 2. vers. 12. *Oscula idololatrica. Eorum jactatio.* προσκυνεῖν. *Lipsius notatus. Limina templorum adorata: ut & Dii topici. Oscula Christianorum varia, vulnera martyrum osculis honorata. Osculorum distinctio Rabbinica. Oscula inter pares: apud Romanos etiam vetitari, mulieres osculo salutatæ, quare? Oscula honoris. De Leonida Origenis patre: item Margarita Galliæ regina. Locus* Gen. 41. vers. 40. *Osculum labratum. Oscula manuum, genuum, pedum. Exempla varia, oscula amoris, certamen osculorum. Oscula clausa, de allio, menti & barbæ apprehensio,* χύτρα, *quæ ejus ratio? Locus* Psalm. 40. vers. 7. καταγλώττισμα & μανδαλατόν. *Osculum salutantium; Judæ: in sponsos: præmii loco. Amoris incentivum. Abusus osculorum, exempla varia, osculorum contemtus. De Callisthene, Sempronia, Friderico Episcopo Spirensi, Pisistrato.*

HÆC de osculis materia a multis jam occupata, a quibusdam etiam operosissime pertractata adeoque frustra repetita videri posset: Plurimi tamen cramben hanc, quamvis repetitam, mortem non putabunt, quibus scilicet non displicent:

> *Centum basia centies,*
> *Centum basia millies,*
> *Mille basia millies,*
> *Et tot millia millies,*
> *Quot guttæ Siculo mari,*
> *Quot sunt sidera cœlo.*

Post aliorum copiosissimam messem, spicilegium aliquod nobis relictum est, dum aliorum aut latius dicta contrahimus, aut contractiora extendimus, & amplificamus, quædam omissa aut non observata addimus. *Lipsius* quidem, *elector. lib. 2. cap. 6.* irata, ut ait, Venere, pura tantum & officiosa oscula tangit, quæ Romæ olim in vario discrimine & usu. Venerea illa suavia insuavia sprevit. Sicut ergo nos aliorum industriæ nihil detrahimus, ita & nobis, sine aliorum, ut spero, invidia, conari aliquid licet, præsertim cum hæc tractatio non profanis tantum, sed & sacris scriptoribus illustrandis momenti aliquid afferre videatur.

Principium fiet ab ὀνοματολογία. Vox composita videri posset ex *os* & *culus.* Unde *Owenus*:

> *Una trisyllaba vox inter celebrantur amantes,*
> *Quam sibi quisque sua vult ab amante dari;*
> *Syllaba prima data est? reliquæ sine lite dabuntur,*
> *Quæ dedit os, culum non minus illa dabit.*

Hinc Penelopes ænigma ad procum, apud eundem:

> *Est quiddam quod pene nefas mihi dicere versu,*
> *Hoc tibi vis totum, Pontiliane, dari.*
> *Syllaba prima meo debetur tota marito,*

Sume tibi reliquas, non ero dura, duas.

Potius ὑποκοριςικὸν videtur ab *os*, *oris*: atque hinc & oscillum, de quo etymologi, & ego, in syntagmate de lustrationibus veterum gentilium, *pag.* 182. & deinceps. Alii quasi *obsculum* dici putant, quod ob os petatur. Vid. *Voss.* etymol. in *oris*. Latinis etiam *Basium* dicitur. An per metathesin a σέβω? An a Chaldaico בסים quod suave notat? Ab Hebræo בשם quod aroma est? An a בשר caro? An a Græco Βάσις quia amoris initium est ac fundamentum? Disquirant philologi. *Suavium* quin a suavitate dicatur extra dubium est Owenus:

Si nihil ad suavem spectarent basia gustum,
Oscula cur solo semper ab ore damus?

Scilicet ut Belgis soenen a soet / *dulcis*, esse videtur, aliis ab Hebræo שפה quod labium notat, derivatio placet, *Donatus* ad *Terentii* Funuchum, *Act.* 3. *scil.* 2. inter Oscula, basia, suavia discrimen statuit, ut oscula sint officiorum, basia pudicorum affectuum, suavia libidinum. Nec abludit *Servius*, ad 1. *Æneid. vers.* 260. *Sciendum osculum religionis osse*, *suavium voluptatis*. Addit autem: *quamvis quidam osculum filiis dari*, *uxori basium*, *scorto suavium dicant*. Hanc tamen differentiam vel unicus *Ciceronis* locus evertit. Sic enim ille, *lib.* 16. ad Attic. epist. 11. *Atticæ*, *quoniam quod optimum in pueris est*, hilarula est *meis verbis suavium des*, hoc idem osculum vocat, *lib.* 12. ad *Attic. epist.* 1. *Atque utinam continuo ad complexum meæ Tulliæ*, *atque ad osculum Atticæ possim currere*. Græcis φίλημα, quia scilicet est, inter φιλοῦντας φίλος φιλίας signum.

Hebræis נשיקות a נשק dicuntur, lepida est fabella; quam ex Rabbinis narrat *Buntorfius*, *Thesauri Gramm. lib.* 1. *cap.* 5. de occursu Esavi & Jacobi. Esavus scilicet non quæsivit לנשקו osculari Jacobum, sed potius לנשכו mordere eum, factumque est collum Jacobi marmoreum, & obstupuerunt dentes Esavi. Et fleverunt, nempe iste propter collum suum, alter propter dentes suos.

Belgicum kus / & kussen cur e Græcia & vero κύω derivandum sit non video, cum propius ex eadem lingua peti possit, a kuysch quod *castum* notat, ut omnis turpitudinis ac lasciviæ suspicionem ab osculo abesse ipsa vox velit ac jubeat.

Porro *osculum* ab ore diminutive deductum, etiam στόμα, sive vultum notat. *Virg.* 1. Æneid. de Jove: *Oscula libavit natæ*: ubi non tam φίλημα, quam στόμα dicit, ut *Servius* autor est. Sic apud *Ovidium*, 1. *Metam.* Phœbus Daphnes -- *videt igne micantes*

Sideribus similes oculos, videt oscula, quæ non
Est vidisse satis, laudat digitosque, manusque.

Petron. Osculum, quale Praxitelem habere Dianam credidit. Martial. lib. XI. *epist.* 13.

Ipsaque crudeles ederunt oscula morbi.

Obiter notandus *Priscianus*, qui in libro tertio, ubi de diminutivis agit, osculum aliam & quasi solam, a primitivo significationem habere innuit.

Quoniam vero in ipso φιλήματος actu os arctamus, minuimus, atque adeo osculum facimus, hinc pro basio sive suavio usitatissimum est.

Hoc autem *Osculari*, pro quo veteres ausculari, dicebant, teste *Festo*, est, ut idem interpretatur, *os cum ore conferre*, ut agentem a patiente vix ac ne vix quidem dignoscas: eleganter *Owenus*.

Basia da tria, Phylli, mihi: tria si dare non vis
Oscula, da saltem tot quot habes labia.
Das unum, sumisque, negas duo basia Phylli;
Vel tibi sume tuum, vel mihi redde meum.

Mutua itaque hic actio & passio. Audiamus mellitissimum *Lotichum*:

Scilicet alterni captatus spiritus oris
Nescio quid junctis motibus intus agit.
Ex animaque vagum lenem velut excipit auram,
Dum cupit ardores cor relevare suos.
Non aliter riguas tellus bibit arida Lymphas,
Languidulas aliter non fovet aura rosas.
Utque peregrina coalescit in arbore ramus,
Inque vicem succos miscet uterque suos
Alter in alterius sic corpore vivit, & ardens
Pectoris est vere pectus amantis amans.

Infelix erat illa oris cum ore collatio, quam notavit: *Everhardus Reidanus Histor. bell. belg. lib. 16. Milite & virgine in osculum ruentibus, globus ex majore bombarda intercessit, altari nasum, alteri genam abstulit, vita interim utriusque salva.*

Oscula autem vel divina sunt, vel humana.

Divina sunt, quæ ab ipso Deo (ἀνθρωποπαθῶς hæc capimus) suis dilectis figuntur, vel in hac vita, vel in morte: non oris attactu, sed mentis affectu, ut ait Augustinus. *In hac vita Deus suos osculatur, cum per verbum suum, & operationem Spiritus Sanctus certa spe veniæ consolatur peccatorem.* Hoc modo per allegoriam Patres interpretantur osculum patris filio prodigo datum. *Luc. c. 16.* ut *Augustinus, lib. 2. quæst. Evangel. c. 33.* huc spectat ejusdem *Augustini* suavissima oratio. *Lib. 1. confess. cap. 5. §. 9. Dic mihi per miserationes tuas, Domine Deus meus, quid sis mihi. Dic animæ meæ; salus tua ego sum. Curram post vocem hanc, & apprehendam te. Noli a me abscondere faciem tuam. Moriar, ne moriar, ut eum videam.* Sic ecclesia vetus clamabat: *Cant. cap. 1. vers. 2.* ישקני מנשיקות פיהו *Osculetur me osculis oris sui:* quod *Hieronymus* ad Dardan. capit de præsentia Messiæ in carne: quasi diceret ecclesia: quamdiu per Mosem & Prophetas me consolatur? veniat ipse tandem Messias, & assumta carne, ipse coram me consoletur. Sic eundem locum interpretatus est & *Origines* in cantica, ut testis est *Hieronymus* in versione commentarii illius. *Vid. Glass. Philos. Sacr. pag.* 1136. 1137. In morte vero suos osculatur Deus, cum eorum animas, sibi, certa animi fiducia propter sospitatoris meritum, commendatas, recipit, & in æterna gaudia admittit, ut in historia πρωτομάρτυρος, *Actor. cap.* VII. videre est. Huc pertinet Judæorum parabola, de illis qui mortui sunt בנשיקה *in osculo*. De Mose quidem. *Deut. cap.* XXXII. *vers.* 5. De Aharone autem, *Num. c.* XXXII. *v.* 38. dicitur, quod mortui sint על פי יהוה *ad os*, i. in osculo, *Domini*, quasi anima eorum ipsius Dei halitu suavissime rapta fuerit. De eorum sorore Mirjam dicunt, eam mortuam quidem בנשיקה sed non על פי יהוה *ad os Domini*, quasi hæc locutio sequiori sexui non conveniat. In hos vero vermem non habuisse potestatem in libro *Jalkut* legitur.

Humana oscula, ab hominibus profecta, vel honoris sunt, vel amoris indicia.

Honoris dico vel religiosi, vel civilis.

Religio in Deum fertur, quem osculo excipiendum esse sacræ literæ tum præcepto, tum exemplo docent. Præceptum est ore Davidis *Psal.* II. *vers.* 12. נשקו בר quod 72. Interpretes verterunt δράξασθε παιδείας: & vers. V. *apprehendite disciplinam*. Targ. קבלו אלפנא Rem quidem dixerunt, non autem verba interpretati sunt. Alii habent, *Armamini puritate*, insolenter admodum, cum non בר בור sed puritatem notet, נשקו autem pro אזרו insolens itidem. Et quid opus? postquam dictum esset: *Servite Jehovæ*, addere, *armamini puritate*, præsertim cum hic de prælio conserendo non agatur. Sed de his videantur commentatores. Honor & submissio Filio Dei exhibenda præcipitur. *Joh. cap.* V. *vers.* 23. ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν, καθὼς τιμῶσι τὸν πατέρα. ὁ μὴ τιμῶν τὸν υἱὸν, οὐ τιμᾷ τὸν πατέρα, τὸν πέμψαντα αὐτόν.

Exemplum est in ecclesia antiqua. *Cant. cap.* VIII. *vers.* 1. אשקך *osculabor te*, ostendente promtissimam animi obedientiam erga sponsum.

Ad hanc classem referimus oscula idololatrica, quibus gentiles Deastros suos venerati sunt. Ea aut ore dabantur, aut ad os, aut ad manus, aut ad pedes.

De ore: Cicero, in Verrem, *lib.* 5. *ibi est ex ære simulachrum ipsius Herculis, quo non facile dixerim, me quidquam vidisse pulchrius, usque eo, judices, ut rictum ejus ac mentum paullo sit attritius: quod in precibus ac gratulationibus* (Lipsius mallet *gratationibus*) *non solum id venerari, sed etiam osculari solent.* Sic Hoseas, *cap.* XIII. *vers.* 2. זבחי ארם עגלים ישקון ubi duplex notatur peccatum, ἀνθρωποθυσία, ut in sacris Molochi: & vitulorum in Bethele adoratio per osculum. Sic etiam 1. *Reg. cap.* XIX. *vers.* 18. *Reliquos feci ex Israele septies mille, quorum omnium genua non curvaverunt se Baali, & quorum omnium os non osculatum est illum.* *Lipsius* hic a vulgato interprete deceptus est, qui habet, *non adoravit eum osculans manum*, quod ultimum in Hebræo textu non legitur. *Prudentius, lib.* 1. contra Symmachum, ubi de idololatriæ propagatione agit.

> *Mox humeris positus nutricis, trivit & ipse*
> *Impressis silicem labris, puerilia vota*
> *Fudit, opesque sibi cæca de rupe poposcit.*

Talmudici, in tractatu *Sanhedrin*, *cap.* VII. §. 6. inter genera cultus idololatrici, etiam osculum recensent, quos secu-

tus

tus Maimonides, de *idolol. cap.* 3. §. 9. ut a quavis mali ſpecie quivis abſtineat, ſic determinat, §. 10. פרצופות המקלחפות מים בפני עכוס לא יניח פיו על פיהם וישתה מפני שנואה כמנשק לעבודה זרה: *Effigies eſt aquam effundens coram idolo? ne ſuum os imponat ori ejus ac bibat, quia hoc pacto quaſi oſculum ei figere videbitur*. Manui dextræ oſculum datum, *Lucret. lib.* 1.

—— tum portas propter ahena
Signa manus dextras oſtendunt attenuari
Sæpe ſalutantum tactu, præterque meantum.

Ænea ſcilicet ſigna, ſeu ſtatuæ, ad portas collocari ſolitæ, quarum dextras oſculabantur, tangebant, & quaſi ſalutabant exeuntes, boni eventus cauſa, *Varro, lib.* 4. de. L.L. *Nam neque quas Ambraciæ ante portas ſtatuit, duas viriles ſpecies æneas dii magni &c.* De more autem tangendi dextram & oſculandi, *Tacit. annal.* 15. *cap.* 71. *Agere grates Deis, ornare lauro domum, genua ipſius advolvi, & dextram oſculis fatigare.*

De pedibus, *Apulejus*: *Exoſculatis veſtigiis Deæ, quæ gradibus hærebat, argento formata, ad ſuos diſcedunt lares. Ovidius.* 1. *Triſt. eleg.* 3. de uxore ſua:

Illa etiam ante lares, paſſis proſtrata capillis.
Contigit extinctos ore tremente focos.

Si autem idola ipſa contingere, aut e propinquo oſculando adorare non poſſent, e longinquo oſcula jaciebant, quod peccati genus a ſe quam remotiſſimum eſſe ait Jobus, *cap.* XXXI. *verſ.* 26. 27. 28. *Si vidi ſolem cum ſplendeſceret, & Lunam nobiliter incedentem, & ſeductum eſt in abſcondito cor meum, & admota eſt manus mea ori meo, etiam hæc eſt iniquitas a Judice vindicanda, quia ſic negaſſem Deum ſupremum.* LXXII. habent, εἰ δὲ χεῖρά μȣ ἐπιθὲις ἐπὶ ϛόματί μȣ ἐφίλησα. *Si manum meam ori admotam deoſculatus ſum. Symmachus*: ϗ προσεκύνησεν ἡ χεὶρ μȣ περὶ τὸ ϛόμα μȣ. *Et adoravit manus mea circum os meum.* Hieronymus: *Et oſculatus ſum manum meam ore meo.* Hic adorantis æſtus per Græcum προσκυνεῖν, indicatur, a κύω oſculor, ut multis videtur, non diſplicet tamen & illa originatio, quam habet *Camerarius*, qui, *hor. ſubciſ. cent.* 2. *cap.* 94. hanc vocem ἀπὸ τȣ κυνὸς deducit, a cane, qui quamvis a Domino cæſus ab eo tamen non diſcedit, quin potius ad ejus pedes advolutus, flebilibus oculis illum contuetur, adeoque hoc vocabulum ſummam animi ſubmiſſionem, cum ſumma obſervantia conjunctam ſignificat. Fallitur hic *Lipſius*, exiſtimans adorantes manum prius porrigere, deinde autem ad os referre ſolitos: contra enim factitabant, prius manum oſculando, deinde eam verſus illum, quem adorabant, protendendo, hoc poſt *Salmaſium* in notis ad Fl. *Vopiſcum*, alii complures jam obſervarunt. De ipſo autem ritu ſcriptorum veterum loca congerere quid attinet? videri poſſunt in *Briſſonio, de formul. lib.* 4. & in commentatoribus ad *Minucium Felicem*, qui narrat Cæcilium ſimulacro Serapidis denotato, ut vulgus ſuperſtitioſus ſolet, manum ori admoventem, oſculum labiis preſſiſſe.

Quinetiam hoc religionis erat, oſcula liminibus templorum figere, ideoque, *Relligioſa Deorum Limina*, dixit *Maro*, 2. *Æneid.* Totum quidem templum religioni dicatum, limen tamen imprimis ſacrum, in eo enim oracula conſulentes, & reſponſa expectantes hærebant. Sibylla *Æneæ*: 6. *Æneid. verſ.* 151.

Dum conſulta petis, noſtroque in limine pendens.

Herodot. lib. 1. Ὡς δὲ ταῦτα ἤκȣε Κροῖσος πέμπων τῶν λυδῶν ἐς Δέλφȣς, ἐνετέλλετο, περιθέντας τὰς πέδας ἐπὶ τȣ͂ νηȣ͂ τὸν ȣ̓δὸν ἐρωτᾷν. *Ubi hæc audivit Crœſus, Delphos mittens quoſdam Lydos, juſſit cum ad limen templi vincula depoſuiſſent, interrogare.* Sacerdotes Philiſtæorum non calcabant limen templi Dagonis, 1. *Sam. cap.* V. *verſ.* 5. religione moti; putabant enim limen eſſe ſanctificatum contactu manuum & capitis Dei ſui: cum revera hac ratione quotidie augerent, ac renovarent Dagonis ſui infamiam. Hinc limen tranſilire dicuntur Palæſtini, *Sophon. cap.* 1. *verſ.* 9. ubi propter hanc ſuperſtitionem pœnam eis minatur Deus.

Apud Romanos nova nupta non tangebat limen mariti, ne, ut ait *Servius*, a ſacrilegio initium faceret, ſi depoſitura virginitatem calcaret rem Veſtæ, numini caſtiſſimo, dicatam. Vel, quod illic januæ coeunt & ſeparantur, ut ait *Iſidorus, Orig. lib.* 9. *cap. ult.* An ergo mirandum limina adorata fuiſſe? *Juven. ſatyr.* 6.

—— Tarpejum limen adora
Pronus, & auratam Junoni cæde juvencam.

Hinc ergo & oſculum. *Arnob. lib.* 1. *cum per omnia ſupplices irent templa, cum Deorum ante ora proſtrati, limina ipſa converre-*

rerent osculis. Imo & postibus figebantur. *Virg.* 2. *Æneid. vers.* 490.

Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.

Et lib. 3. vers. 351.

—— *Scææque amplector limina portæ.*

Sic apud *Lucanum*, lib. 2.

—— *Cultus matrona priores*
Deposuit, mœstæque tenent delubra catervæ.
Hæ lacrimis sparsere Deos, hæ pectora duro
Affixere solo, lacerasque in limine sacro
Attonitæ fudere comas, votisque vocari
Assuetas crebris feriunt ululatibus aures.

Tibul. lib. 1. eleg. 2.

Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.

Prusias Rex, teste *Livio*, *lib.* 45. *in fin.* divinos honores Senatui Romano exhibiturus, in curia se summisit, & *osculo limen curiæ contigit* & Deos servatores suos Senatum appellavit.

Regionem aliquam ingressi, aut in patriam postliminio reversi Deos topicos, Geniosque loci invocabant, adorabant, terram, tanquam carissimam matrem religiose osculabantur. Apud *Homerum*, *Odyss.* N. *vers.* 354. Ulysses:

Χαίρων ἧ γαίῃ, κύσε δὲ ζείδωρον ἄρουραν.
Gaudens sua terra: osculatus autem est almam tellurem.

Et Odyss. D. vers. 522.

—— χαίρων ἐπεβήσατο πατρίδος αἴης,
Καὶ κύνει ἁπτόμενος ἣν πατρίδα.

Gaudens escendit in patriam terram, & osculabatur attingens patriam suam. Salutandi formulas exhibet *Brissonius*, *lib.* 1. *pag.* 35. Osculum addidit Cadmus, apud *Ovidium* 3. *metam. vers.* 24. 25.

Cadmus agit grates, peregrinæque oscula terræ
Figit, & ignotos montesque agrosque salutat.

Alexander M. superato Hellesponto, conjecta in littus hasta, primus e navi librato corpore terram Asiam saltu contigit; testatus se possessionem Asiæ, Diis bene juvantibus, justo pioque bello sibi adserere. Deinde aras constituit ubi exscensionem fecerat Jovi Defensori, Minervæque & Herculi, eo quoque loco, unde ex Europa solverat, aras exstrui jussit.

Julius Cæsar, cum in Africam veniret, prolapsus in egressu navis, omen in melius vertit, *Teneo te*, inquit, *Africa*, quæ vox est amicorum sibi inopinis occurrentium, & summo cum gaudio salutantium. *Seneca*, *Theb. vers.* 501. *Teneo longo tempore petita votis ora*. *Terent.* heaut. act. 2. sc. 4. 27. 28. *Teneone te, Antiphila, maxme animo exoptata meo*.

Hoc magis Christianum est quod narrat P. *Landsbergius*, *bell-Germ. pag.* 143. de Hustavo Adolpho Suecorum Rege, qui ubi Rugiam ac Pomeraniæ maritima appulit, solum illud ingressus, non Bruti Romani, aut superstitiosorum in morem, pronus terram, velut magnam matrem osculatus est, sed in genua proclinis, erectis ad cœlum oculis manibusque, Deo cœli, marisque Dominatori gratias egit, quod cum exercitu tot periculis ereptum, in hosticum, felicem sospitemque exposuisset, proceres palam precantem invenere, fervorem supplicis, precibus, præter morem, in apertum fusis, mirati atque illachrymati. Quid judicabimus de Philippo II. Hispaniarum Rege? cum hic in Angliam transfretasset, conjugium cum Maria contracturus, ut primum terram pedibus contigit, evestigio glaudium strinxit, tacitusque porro incessit, narrante *Burneto*, in historia reformationis Angliæ: *Tom.* 2. *pag.* 467.

Transeo ad oscula, quæ religionis causa homines hominibus fixerunt tum vivis, tum etiam defunctis. Inter vivos, in ecclesia Christi primitiva, testimonium erat communionis, & in eadem religione consensus, ideoque φίλημα ἅγιον dicitur. *Roman. cap.* XVI. *vers.* 16. 1. *Corinth. cap.* XVI. *vers.* 20. & 2. *Corinth.* XIII. *vers.* 12. iterum, 1. *Thessal. cap.* V. *vers.* 26. Petro, 1. *Epist. cap.* V. *vers.* 14. φίλημα ἀγάπης, ubi tamen alii codd. habent ἁγίῳ. Inter pios enim sanctitatis & charitatis præcipua habetur cura. Prioris, ut recte erga Deum vivamus, nosque nulla impietate polluamus: posterioris vero, ut cum proximo, ita ut confessionem nostram decet, conversemur. Hinc gravi de causa factum est, ut in istis ecclesiæ Christianæ incunabulis, eo tempore quo sacra synaxis celebrabatur; præsentes mutuo oscula sibi dederint, quod enim illa actione publice profitebantur, idipsum etiam hoc symbolo addito confirmare voluerunt, consensum

ſum ſcilicet in doctrina, & piam inter ſe dilectionem. Ex Patribus hoc probatu facillimum eſſet, ſed quid actum agam? Patrum hac de re teſtimonia quam plurima collegerunt *Jacobus Laurentius*, *dialog. euchariſt. cap.* 1. *pag.* 13. 14. *Hoornbeeckius*, *miſcellan. ſacror. lib.* 1. *cap.* 18. *ſect.* 1. §. 10. qui & de oſculo pacis poſt orationem inter Chriſtianos uſitato agit, *miſcel. ſacr. lib.* 1. *cap.* 10. Præterea inter Chriſtianos frequentata fuerunt oſcula diebus ſolennibus & feſtivis, in Paſchate ac Pentecoſte, tum etiam in ſacris ordinationibus, cum per impoſitionem manuum ſacro miniſterio quis initiabatur, unde & oſculum in promotionibus Academicis olim uſitatum originem traxiſſe videtur, de his agit *Suicerus* in *theſauro Eccleſiaſtico*, *voce* Ἀσπασμὸς *num.* II. & III. aliorum ſcrinia compilare non eſt animus.

Infantibus recens baptizatis datum fuiſſe oſculum pacis, in ſignum quod baptizatus ut frater ſit agnoſcendus, videtur *Bellarmino de ſacram. baptiſm. cap.* 27. citatque in hanc rem *Cyprianum*, qui, *lib.* 3. *epiſt.* 8. *ad Fidum*, reſpondet quibuſdam, qui exiſtimabant non eſſe baptizandos infantes recens natos, & in argumentum afferebant, quia oportet oſculum dari baptizato, omnes autem horrent infantem recens natum oſculari. *Cyprianus* vero judicat nihil eſſe cur Chriſtianus horreat oſculari eum, quem Deus ipſe creavit.

Martyrum etiam vivorum vulnera, cicatrices, vincula exoſculati ſunt Chriſtiani. *Tertullian. lib.* 2. ad uxorem *cap.* 4. *quis in carcerem ad oſculanda vincula martyris reptare patietur? Prudentius*, περὶ στεφάνων. *Hymn.* 5. in laudem Vincentii,

> *Ille ungularum duplices*
> *Sulcos pererrat oſculis:*
> *Hic purpurantem corporis*
> *Gaudet cruorem lambere.*

De Conſtantino Imp. *Theodoretus hiſtor. Eccleſ. lib.* 1. *c.* 11. Θεασάμενος δὲ τοὺς δεξιοὺς ὀφθαλμοὺς ἐκκεκομμένους, καὶ μαθὼν ὡς περὶ τὴν εὐσέβειαν ἑδραῖον τοῦ πάθους ἐγένετο πρόξενον, τὰ χείλη τοῖς πράγμασι προσενήνοχεν, ἑλκύσειν τῷ φιλήματι τὴν εὐλογίαν πιστεύων. *Conſpicatus quibuſdam dextros effoſſos oculos, intellecta conſtantia pietatis illorum, ob quam hoc ſupplicium paſſi eſſent, admovit labra ſua ſauciatis locis, credens ſe inde benedictionem per oſculum ſugere.* Nec vivis tantum, ſed & animam agentibus, imo etiam defunctis, & jam jam rogo imponendis, oſcula data eſſe a gentilibus multis probavit *Kirchmannus lib.* 1. *de funer. Rom. cap.* 5. ubi multa lectu digna occurrunt. Notandus & hic mos Chriſtianorum, qui etiam cadavera martyrum exoſculati ſunt. In Martyrologio Romano, a. d. xiii. Kal. Martii, ſic habes: *S. Julianus Cappadox, exoſculans necatorum martyrum corpora, ut Chriſtianus delatus, & ad Præſidem ductus, lento igne juſſus eſt comburi.*

Hæc res progreſſu temporis in ſuperſtitionem abiit, cœperuntque homines oſculari res externas, ut ſanctorum reliquias, templorum limina, calicem in S. cœna, patinam, aram, ſignificantes ſe his aliquod vel numen vel religionem tribuere: adeo ut jam *Prudentii* tempore talia Chriſtianis indigna invaluerint, ſic ille περὶ στεφάνων, hymno de paſſione *Hippolyti:*

> *Mane ſalutatum concurritur, omnis adorat*
> *Pubis, eunt, redeunt ſolis ad uſque obitum*
> *Conglobat in cuneum Latios ſimul ac peregrinos*
> *Permiſtim populos religionis amor.*
> *Oſcula perſpicuo figunt impreſſa metallo,*
> *Balſama diffundunt, fletibus æra rigant.*

Atque hactenus de oſculis religionem ſpectantibus.

Progredimur ad ea, quæ in civili inter homines converſatione uſitata fuerunt, ubi initio notanda eſt Hebræorum obſervatio in *Bereſchith Rabba*, ſive commentario ad *Geneſ. cap.* XXIX. *verſ.* 11. 12. ubi narratur quomodo Jacobus oſculatus fuerit Rachelem, hic vero hæc notant: כל נשיקה לתפלות בר מן תלת נשיקת אל גדולה נשיקה של פרקים נשיקה של פרישות *omnis oſculatio eſt ad fatuitatem, exceptis tribus, quæ ſunt: Oſculum magnificentiæ & dignitatis; oſculum compitorum, ſive occurſus; oſculum ſeparationis, vel diſceſſus,* quibus Rabbi *Tanchuma* addidit נשיקה קרובה *oſculum propinquitatis*, quale Jacob dedit Racheli. De oſculo fatuitatis ſive laſciviæ deinceps agemus: reliqua ad hoc civile oſculorum genus referenda ſunt. In civitate autem alii pares ſunt, alii diſpares. Inter pares oſculorum conſuetudo vulgatiſſima in ſalutationibus amicorum ſibi occurrentium, exempla tum in ſacro utriuſque fœderis inſtrumento, tum apud profanos ſcriptores, paſſim ſunt obvia, ſufficiant hæc ex *Martiale* lib. 7. epig. 94.

> *Bruma eſt, & riget horridus December,*

Au-

Audes tu tamen osculo nivali
Omnes obvios hinc & hinc tenere,
Et totam, *Line*, *basiare Romam*, &c.

Imprimis huc facit Epigramma 99. lib. XI. ad *Basum*:

Effugere non est, *Basse*, *basiatores.*
Instant, *morantur*, *persequuntur*, *occurrunt.*
Et hinc, *& illinc*, *usquequaque quacumque*
Non ulcus acre, *pustulæve lucentes*,
Nec triste mentum, *sordidique lichenes*,
Nec labra pingui delibuta ceroto,
Nec congelati gutta proderit nasi.
Et æstuantem basiant, *& algentem*,
Et nuptiale basium reservantem.
Nec te cucullis asseret caput tectum, &c.

Ex quibus apparet importunum hunc basiandi morem *Martialis* tempore adhuc viguisse, quamvis perfunctorias has salutationes, sive quotidianorum osculorum molestiam edicto olim prohibuisset *Tiberius*, teste *Suetonio cap.* 34. Edicti causam reddit *Plinius lib.* 26. *cap.* 1. „ Medio enim „ Tiberii principatu lues irrepsit in Italiam, quodam Perusino, Equite Romano, quæstorio scriba, inde contagionem „ ejus importante. Erat sine dolore, ac „ pernicie vitæ, sed tanta fœditate, ut „ quæcunque mors præferenda esset. Lichenas appellavere Græco nomine: Latine, quia mento fere oriebatur, joculari primo lascivia, mox & usurpato „ vocabulo mentagram, occupantem in „ multis totos utique vultus, oculis tantum immunibus, descendentem vero & „ in colla, pectusque ac manus, fœdo „ cutis furfure. Nec fuerat hæc lues apud „ majores, patresque nostros. Nec sensere id malum fœminæ, aut servitia, „ plebesque humilis aut media, sed proceres veloci transitu *osculi* maxime, fœdiore multorum, qui perpeti medicinam tentaverant, cicatrice quam morbo. XL. Nec quisquam id prior Imperatore sensit, magna civitatis ambage, cum edicto ejus excusantis valetudinem, legeretur nomen incognitum.

Apud Romanos mulieres passim osculo salutabantur a propinquis, quo explorarent, an contra legem temetum olerent. Institutum hoc erat *Catonis*, teste *Plinio lib.* 14. *cap.* 13. quo referri potest illud *Hieronymi*: *Vinum nunquam redoleas*, *ne forte illud philosophi audias.* Hoc non est osculum porrigere, sed vinum propinare. Hoc crimen ancilla objecerat Monicæ, matri Augustini, amarissima insultatione meribibulam vocans, quo illa stimulo percussa respexit fœditatem suam: confestimque damnavit atque exuit. *Augustin. confess. lib.* 9. *cap.* 8.

Hanc quidem rationem etiam *Plutarchus* reddit, *Rom. problem.* 6. sed præterea alias addit. Primam promit ex Aristotele, facinus nempe Troadum, ab iis in Italia perpetratum, cum post navium appulsum, viri digressi essent, mulieres ignem navibus injecerunt, ut erroribus ac navigationibus finem imponerent: deinde sibi a maritis metuentes, cognatos ac familiares, ut quisque se obtulerat, cum suavio sunt amplexæ: iraque placata, ut in gratiam fuit reditum, hoc eis blandiendi genus retinuerunt. Secunda est, datum hoc esse mulieribus, ut honor simul eis, & potentia conciliaretur, si viderentur multos habere probos cognatos & propinquos. Tertia denique, cum esset legibus interdictum cognatarum nuptiis, usque ad osculum tamen amori permissum progredi, eaque fuit consanguinitatis tessera & communicatio. Ad cognationis jus respexit *Propertius* lib. 2. eleg. 6.

Quinetiam falsos fingis tibi sæpe propinquos,
Oscula nec desunt qui tibi jure ferant.

Hæc de osculis inter pares, quales quidem omnes homines natura producit, disparitas autem, mira Dei providentia, ex civili conversatione oritur, in qua alios ad imperandum, alios ad parendum ab eadem natura factos natosque videmus, ut *Jason* apud *Aristotelem lib.* 3. *politic. cap.* 3. dicebat: πεινῶ, ὅτε μὴ τυραννοῖ, *se esurire*, *quando non imperaret.* Cæteri infeliciores melius parent. Ex qua disparitate humani generis salus oritur. Ut enim in navi varia sunt nautarum officia, dum alii malos scandunt, alii per foros cursitant, alii sentinam exhauriunt, alii remos torquent, gubernator autem clavum tenet in puppi; Est tamen una quædam communis eorum ratio: Ita & in civitate res se habet. Disparitas illa tum ex bonis animi oritur, tum ex bonis fortunæ. Utraque osculis fere digna visa sunt.

De bonis animi, quæ juxta *Epictetum*, sunt ἐφ' ἡμῖν, testis nobis *Salomo. Proverb. cap.* XXIV. *vers.* 26. qui osculo honoranda esse judicat labia, ex quibus recti suavesque sermones prodeunt. Cum autem pectus cordis domicilium sit, in eo & sapientia collocatur, quomodo ergo incoctum generoso pectus honesto osculo indignum erit?

Leo-

Leonides, Origenis pater, cum in filio adolescentulo divinam mentem agnosceret, dormienti sæpius assistens, denudatum pectus ejus, tanquam templum Spiritus S. osculo veneratus est. Autor *Eusebius hist. Eccles. lib. 6. cap.* 2. Huc pertinet factum Margaritæ, Ludovici XI. Galliarum Regis, conjugis, quæ cum in lectulo offendisset Alanum Charterium, qui Ulissis instar, non erat formosus, sed inter doctos facundosque sui temporis celeberrimus, eum osculata est fœminis, quæ eam comitabantur, mirantibus, respondit; se non ipsum Alanum, sed divinum ipsius animum, & labia, unde tot præclari sermones prodiissent, hos osculo honorare voluisse. Hæc erant & apud Romanos misera Rhetorum & Poetarum præmia. *Martial.* lib. 1. epig. 4.

> *Audieris cum grande sophos dum basia captas,*
> *Ibis ab excusso missus in astra sago.*

Et ejusdem libr. epigr. 77.

> —— *at circum pulpita nostra,*
> *Et steriles cathedras basia sola crepant.*

De Sophista illustris locus in Proæresio, de quo Eunapius: ϗ τὰ σέρνα τῦ σοφιςῦ περιλιχησάμενοι, καθάπερ ἀγάλματος ἐνθέυ, πάντες οἱ μὲν πόδας, οἱ δὲ χέρας προσεκιώον, οἱ δὲ Θεὸν ἔφασαν, οἱ δὲ ἑρμῦ λογίυ τύπον. *Omnes qui aderant circum lambendo sophistæ pectus, velut alicujus Dei, alii manus osculabantur: ac aliqui vocabant Deum, nonnulli Mercurium eloquentiæ præsidem.*

Ex illis quæ sunt ὐκ ἐφ' ἡμῖν, maxima etiam inter homines disparitas, cum dives & pauper inter se occurrant, efficiente hos omnes Jehova, ut ait sapiens, *Proverb. cap.* XXII. *vers.* 2. Inter hos etiam oscula frequentata, data, accepta.

Potentiores minoribus, in benevolentiæ signum, osculum dabant, ideoque vitio datum Tiberio, quod paucos admodum in digressu osculatus fuerit. *Sveton. cap.* 10. & Neroni, quod neque adveniens, neque proficiscens quemquam osculo impertiverit. *Sveton. cap.* 37. item *Caligulæ* a *Dione lib.* 59. quod paucos oscularetur, contra laudatur *Trajanus* a *Plinio panegyr. cap.* 23. quod Senatum osculo exciperet, ut osculo dimissus fuerat, quin & hodie ita fert Turcarum institutum, ut qui major est minorem salutando præveniat, teste *Busbequio epist.* 3.

Inferiores etiam potentioribus oscula dabant, in subjectionis signum: ut Samuel Propheta, uncto in Regem Sauli, osculum obtulit. 1. *Sam. cap.* X. *vers.* 1. quo spectat & locus *Psalm.* II. *vers.* 12. *Osculamini filium.* Hic expendendum est dictum Pharaonis, Ægypti Regis ad Josephum, quod legitur *Genes. cap.* XLI. *vers.* 40. פיך ישק כל עמי Ex ambiguitate vocis ישק variæ ortæ sunt interpretationes; hanc quidam deducunt a שוק vel שקק *discurrere*, unde משק *œconomus*, qui per domum discurrendo satagit, totius familiæ curam gerens, *familiæ columen*, ut ait *Terentius*, ut sensus sit: *secundum os tuum discursitabit populus meus, negotiorum procurandorum causa.* Alii derivant a נשק quod varia significat: 1. armare. 2. cibare. 3. gubernare. 4. osculari. Ex prima significatione hic sensus emergit: ad nutum tuum populus meus in armis erit, tu eris magister militum. Sic *Drusius & Pagninus*; imo & *Targum*: ועל מימרך יתזן quod tamen non admittendum videtur, quia Josephus non ad belli, sed ad pacis munia Ægypto præfectus indigitatur, quæ sententia ex *vers.* 55. 56. 57. confirmari posset. Tertia eum populi gubernatorem, & Regis quasi vicarium constituit. Ultima vero a plurimis recepta est, qua osculum subjectionis ac obedientiæ oblatum aut Josepho, aut etiam Regi denotatur. Nova versio Belgica sic reddidit: op uw bevel sal al mijn volck de hant kussen. existimarunt enim isti interpretes hoc dici, quod jubente Josepho, & mandata dante, quilibet e populo mandata ista venerabundus esset excepturus, ritu scilicet isto, quem proprie adorationem latine dicimus. Ea vero vertendi libertate, vox *manus*, aliis etiam locis inseri posset, quod sane probandum non est.

Osculum hoc φίλημα Βασιλικὸν, ἀσπασικὸν Βασιλέως, *labratum* a labris, ut osculum ab ore dici videtur *Cujacio observ. lib.* 11. *cap.* 17. *Lindenbrogius* autem, *observ. in Amm. Marcellinum*, κατὰ συγκοπὴν dictum judicat, quasi laboratum, idest, arte ac labore summo effigiatum: ut *Gloss.* Nomicum interpretatur, ideoque non osculum, sed sacros vultus notaret, ut in Cod. lib. 12. tit. 64. leg. 1. *Joh. Damascenus orat.* 3. pro imaginibus; Βασιλεῦσι φθαρτοῖς, πολλάκις ϗ ἀσεβέσι, ϗ ἁμαρτωλοῖς, ϗ τοῖς ὑπ' αὐτῶν χειροτονυμένοις ἄρχυσι, ϗ τοῖς τύτων λαβράτοις προσκυνῦσιν ἄνθρωποι. *Homines Reges mortales, plerumque & impios & peccatores: & Magistratus ab illis constitutos, eorumque labrata*, idest, imagines arte elaboratas, *adorant*. Talis ergo imago cum osculo labrato confundenda non est. Hoc enim est adoratio & veneratio principis, purpuræ, imperii, fit autem labris admota manu, & tacta deinde purpura Principis, vel genu complexo, quod patiendi sensu ca-

capiendum est, ut id accipiat Princeps non det. loca ex codice hoc probantia: vide apud *Cujacium* loco laudato.

Neque facies tantum ejusque partes, os, genæ, oculi osculis patebant: sed etiam humeri, manus, genua, pedes. Exempla ex *Homeri* Odyssea subjiciam. *Eumæus* Odys. π. *Telemachum* reducem excipiens:

> Κύσε δέ μιν κεφαλήν τε, καὶ ἄμφω φάεα καλά,
> Χεῖρας τ' ἀμφοτέρας.

Ancillæ *Ulyssis* Odys. ρ. eundem Telemachum

> Καὶ κύνεον ἀγαπαζόμεναι κεφαλήν τε καὶ ὤμους.

Penelope autem ibidem:

> Κύσε μὲν κεφαλήν, καὶ ἄμφω φάεα καλά.

Sic Odys. φ. Servi *Ulyssem*, *Ulysses* servos osculatur:

> Καὶ κύνεον ἀγαπαζόμενοι κεφαλήν τε, καὶ ὤμους,
> Ὣς δ' αὔτως Ὀδυσεὺς κεφαλὰς καὶ χεῖρας ἔκυσε.

Idem Odys. ω. Dolii servi dextram osculatur:

> —— Δόλιος δ' ἰθὺς κίε χεῖρας
> Ἀμφοτέρας. Ὀδυσεὺς δὲ λαβὼν κύσε χεῖρ' ἐπὶ καρπῷ.

Addamus & unum ex Iliade ω. v. 477.

> Τοὺς δ' ἔλαθ' εἰσελθὼν Πρίαμος μέγας, ἄγχι δ' ἄρα στὰς
> Χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γούνατα, καὶ κύσε χεῖρας
> Δεινάς, ἀνδροφόνους, αἵ οἱ πολέας κτάνον υἷας.

Manum osculandam porrexit Cajus Caligula etiam senatoribus. *Dio* lib. 59. Cassio Chæreæ idem manum osculandum obtulit formatam commotamque in obscœnum modum, ut ait *Suetonius* cap. 56. De laniena Mariana, *Lucan.* lib. 2.

> —— *Spes una salutis*
> *Oscula pollutæ fixisse trementia dextræ.*

Claudian. 2. in *Ruffinum*:

> *Illa manus quæ sceptra sibi gestanda parabat,*
> *Cujus se toties submisit ad oscula supplex*
> *Nobilitas.*

Phædr. fab. 82.

> *Illam osculantur, quæ sunt oppressi, manum.*

Alia ex aliis loca non addam, apud *Lipsium* videri possunt.

Nunc ad genua devolvimur, qui Diis supplicabant eorum etiam, ut *Juvenalis* loquitur, incerabant genua, & in his præcipue, in hominibus, misericordiam sedem posuisse arbitrati sunt: ideoque hæc tangere supplices imprimis studebant, unde consilium a præcone Priamo datum, Iliad. ω. v. 357.

> —— ἤ μιν ἔπειτα
> Γούνων ἁψάμενοι λιτανεύσομεν, αἴ κ' ἐλεήσῃ.

Idem eidem suasit *Mercurius* Iliad. ω. v. 465.

> Τύνη δ' εἰσελθὼν λάβε γούνατα Πηλείωνος.

Perseus ad pedes Pauli Æmilii se submittens, genua ejus appetebat. *Plut. in P. Æmilio*. Atque hinc porro genuum oscula. *Amm. Marcell.* lib. 28. *Ex his quidam cum salutari pectoribus appositis cœperunt, osculanda capita in modum taurorum minantium oblinquantes, adulatoribus offerunt genua suavianda, vel manus. Capitolinus* in Maximino: *In salutationibus superbissimus erat, & manum porrigebat, nonnunquam etiam pedes.* Ad pedes ergo, eorumque oscula hic nos deduxit.

Ante eum Maximinum hoc egit C. Caligula. *Dio* lib. 59. ἐφίλει ὀλιγίστους· τοῖς δὲ πλείστοις καὶ τῶν συμβουλευτῶν, ἢ τὴν χεῖρα, ἢ τὸν πόδα προσκυνεῖν ὤρεγε. *Paucissimos osculatus est, plerisque etiam Senatorum vel manum vel pedem præbuit adorandum.* Imo Pomponius Secundus etiam consul, eodem *Dione* teste, pedes ejus assidens, identidem se inclinans, eos osculabatur. Idem Cajus Pompejo Pœno sinistrum pedem ad osculandum porrexit, ut socculum auratum margaritisque distinctum ostenderet. *Senec.* de benef. lib. 2. cap. 12. Diocletianus edicto sanxit, uti omnes sine discrimine prostrati pedes sibi oscularentur. Adorari se ut Deum præcepit, ut ait *Jornandes*, & gemmas vestibus calceamentisque inseruit, cum ante eum omnes diademata in capite, cum chlamyde purpurea, ut a privatis discernerentur, haberent, & ut judices cæteri salutarentur.

Ad pedes posterni divinus erat honor. *Prudentius* in Apotheosi, adversus Judæos:

Augu-

Augustum caput ante pedes curvare *Minervæ*
Fictilis, & soleas *Junonis* lambere, plantis
Herculis advolvi.

In appendice *Estheræ* cap. XIII. vers. 8. Mardochæus protestatur se eum honorem Hamani non exhibuisse, non ex superbia, sed ne divinum honorem homini exhiberet: σὺ οἶδας, κύριε, ὅτι ἐν ὕβρει, οὐδὲ ἐν ὑπερηφανίᾳ, οὐδὲ ἐν φιλοδοξίᾳ ἐποίησα τοῦτο τὸ μὴ προσκυνεῖν τὸν ὑπερήφανον Ἀμὰν, ὅτι ηὐδόκουν φιλεῖν πέλματα ποδῶν αὐτοῦ πρὸς σωτηρίαν Ἰσραήλ· ἀλλ᾽ ἐποίησα τοῦτο, ἵνα μὴ θῶ δόξαν ἀνθρώπου ὑπεράνω δόξης Θεοῦ. Non alienum hic erit, quantumvis ridiculum, subjungere, quod ex veteri manuscripto codice monasterii Andegavensis, Britanniæ suæ inseruit *Guil. Cambdenus* pag. 90. „ Carolus Stultus dedit Normanniam Rolloni cum filia sua Gisla, hic „ non dignatus est pedem Caroli osculari; cumque comites illum admonerent, „ ut pedem Regis in acceptione tanti beneficii oscularetur, lingua Anglica respondit: (*Ne se Bigod*) quod interpretatur, *Non per Deum*. Rex vero & „ sui illum deridentes, & sermonem ejus „ corrupte referentes, illum vocaverunt „ *Bigod*, unde Normanni adhuc vocantur *Bigodhi*. Alii scribunt, quod apprehenso mordicus Regis pede, eum resupinaverit.

Supersunt oscula Amoris, quæ inter conjuges veri & casti affectus indicia ac nutrimenta esse quis nescit? In lascivis vero amoribus fatuitatis recte accusantur. Hæc inter mares & fœminas mutuo data & accepta elegantissimis carminibus cantata sunt a Poeta, nulli aut veterum aut recentiorum secundo *Johanne Secundo*, cujus Basia ab omnibus ita leguntur, ut judice *Gyraldo*, basiis affici videantur. Eum imitati sunt *Janus Lernutius*, & *Janus Douza*, *Pater*. De iisdem Belgicis rythmis cecinerunt *Joh. Brunee*, & *Jacobus Westerbaenius*.

Inter Romanarum mulierum lascivias numerat *Juvenalis* Satyr. 6. quod eas

—— *eunuchi imbelles*, & *mollia semper*
Oscula delectant, & *desperatio barbæ*.

Et apud improbos Cinædos, teste *Tibullo* lib. I. eleg. 8.

Carior est auro juvenis cui lævia fulgent
Ora, nec amplexus aspera barba terit.

Non libet fœdissimam τῶν παιδεραστῶν camarinam movere. Pudentissime eam etiam declinavit Agesilaus Spartanorum Rex, qui victoriam de seipso majorem judicavit, quam si potentissimam hostium urbem vi cepisset, ut *Plutarchus* in Laconicis narrat. Apud Megarenses *certamen osculorum* inter pueros, vere ineunte celebrabatur, ut notat *Cæl. Rhodig.* Lect. antiq. lib. 15. cap. 9. qui autem suavius amantem osculatus esset, corollis onustus abibat. Edebatur hoc Dioclis Atheniensis honori, qui Athenis profugus fuerat pæderastes, ac amatum in pugna protegens occubuerat, a Megarensibus honorifice sepultus: qualis honor, & M. Ant. Mureto contigit, canente *Beza*:

Gallia quod peperit, pepulit quod Gallia monstrum,
Et Veneti profugum non potuere pati.
Muretum esse sibi civem jussere Quirites,
Et tumulo extinctum composuere suo.
Vivere nam potius qua debuit urbe cinædus,
Impius & quanam dignius urbe mori?

Oscula porro non uno modo fixa. Simplicissima quæ castus amoris affectus castis casta dictat. Ubi autem illud πάθος exuberat variis se exprimit modis. Clausum suadet *Martialis* lib. 13. epig. 18.

Fila Tarentini graviter redolentia porri
Edisti quoties, *oscula clausa dato*.

Propter fœtidum spirantis halitum, quare & *Horatius* allium cicutis nocentius detestatur, & Alphonsus Hispaniæ Rex, Anno Christi 1312. ut rerum Hispanicarum scriptores narrant, Equitibus *della banda*, sive fasciæ rubræ, præscripsit, ne porro & cepis vescerentur, nisi octiduo ab aula abesse, neve cum ullo equite cibum capere mallent. A templo etiam Matris Deum arcebantur qui allium gustassent, quare ab ipsa Dea in somnio Stilpo Philosophus, quod sacram hanc legem violasset, reprehensus, respondit etiam in somnis; *Præbe mihi quod edam*, & *allio non vescar Athen. lib.* 10. *cap.* 5.

Aliquando mentum & barbam prehendebant: ut Joabus Amasam osculaturus, 2. *Sam.* XX. *vers.* 9. hic mos ad alias item gentes dimanavit, in salutationibus & supplicationibus, an autem osculum adjunctum fuerit non liquet. *Homerus Iliad.* A. *vers.* 500.

Καὶ ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων
Σκαιῇ δεξιτερῇ δ' ἄρ ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα
Λισσομένη προσέειπε Δία Κρονίωνα ἄνακτα.
Procubuitque toro, genua amplexata sinistra
Ipsius, at mentum dextra: sic deinde precata est.

Idem, Iliad. κ. verſ. 454.

Ἦ καὶ ὁ μὲν μιν ἔμελλε γενείου χειρὶ παχείῃ
Ἁψάμενος λίσσεσθαι.
Verba iſta loquenti,
Tamque paranti ictum barbæ cum vellet honeſtam
Tangere cæſariem ſupplex.

Sic apud eundem, Odyſs. τ. verſ. 473. Euryclea

Ἁψαμένη δὲ γενείου Ὀδυσσῆα προσέειπεν.

Callimachus in Delum:

—— εἴπατε πατρὶ
Κοιμῆσαι μέγα χεῦμα, περιπλέξασθε γενείῳ
Λισσόμεναι.
—— Dicite Patri
Ut magnos ſiſtat fluctus, apprendite mentum
Orantes. Alia mittimus.

Eſt & oſculandi modus, quem χύτραν, hoc eſt *ollam* vocarunt, quia in eo geſtu ut caput ollæ, ita aut anſarum ſpeciem referre videntur, quod *Suidas* indicare voluit. Ejus meminit *Julius Polux*, *lib.* 10. çum de coqui inſtrumentis diſſerens, hæc interſerit: εἰδέναι δ' οὐ φαῦλον, ὅτι καὶ χύτρα φιλήματος ἦν εἶδος, ὁπότε τὰ παιδία φιλοίη, τῶν ὤτων, ἐπιλαμβανόμενα· ὑποδηλοῖ δ' Εὔνικος ἐν Ἀντείᾳ· λαβοῦσα τῶν ὤτων φίλησον τὴν χύτραν. Apud *Theocritum*, idyll. 5. ὁδοιπόροις, Comatas ait:

Οὐκ ἔραμ' Ἀλκίππας, ὅτι με πρᾶν οὐκ ἐφίλασε
Τῶν ὤτων καθελοῖσ', ὅκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα.
Non amo Alcippen, quia me nuper non oſculata eſt
Aures prehendens, cum ipſi palumbem donarem.

Plautus in Pœnulo, act. 1. ſc. 2. ubi Milphio ſervus: *Sine te exorem, ſine te prendam auriculis, ſine dem ſuavium*, & in Aſinaria, act. 3. ſc. 3. *Prehende auriculis, compara labella cum labellis.* *Tibullus*, lib. 2. eleg. 6. inter felices anni eventus,

Et fœtus matronæ dabit, gnatuſque parenti
Oſcula comprehenſis auribus eripiet.

Ratio hujus moris *Delrio* ad *Senecam*, hæc videtur, ut pueri tandem ea ratione deſueſcerent, dolore aurium, oſcula frequentare, quia ſæpe turpia, & cum libidinis ſuſpicione fierent. Verum hæc ratio veriſimilis non eſt, quia etiam inter liberos & parentes hoc genus oſculi uſitatum fuit, neque hæc aurium apprehenſio tanta vi facta, ut dolorem inferret, cum potius amori magis augendo incendendoque inſerviret.

Alii ergo hæc ratio placuit: quod nimirum auris, memoriæ ſacra, ſcientias ac virtutes penitius in animum demittat, quam alii ſenſus, in quibus affectus magis dominantur. Animus enim ἐν ὠσὶ τῶν ἀνθρώπων οἰκέει, in auribus hominum habitare dicitur *Herodoto*. *Plinius*, *lib.* XI. *cap.* 45. Eſt in aure ima memoriæ locus, quem tangentes anteſtamus. Unde illud Horatii: *Licet anteſtari? Ego vero*

Oppono auriculam.

Idem, lib. 1. epiſt. 1. verſ. 7.

Et mihi purgatam crebro qui perſonet aurem.

Muretus, *var. lect. lib.* XII. *cap.* 5. vidiſſe ſe ait veteres nummos æreos, in quibus viri duo inſculpti erant, quorum unus alteri aurem vellebat: in orbem autem ſcriptum erat, ΜΝΗΜΟΝΕΥΕ. Præterea *Lipſius*, epiſtolicarum quæſtionum, *lib.* 4. *epiſt.* 26. ſimilem ait eſſe lapillum apud Laurinos, in quo caput ſcriptum, & manus aurem atterens, cum eodem verbo Græco ΜΝΗΜΟΝΕΥΕ. Huc facit hiſtoria quæ recitatur a *Dione Chryſoſtomo*, *orat.* 32. quæ eſt ad Alexandrinos: Cives ſcilicet Atticos ex Apolline quæſiviſſe, qua ratione conſequi poſſent, ut virtute ac patriis legibus urbis maxime floreret: Oraculum autem illud conſilii dediſſe, ut *quod omnium pulcherrimum foret liberorum auribus immitterent*, quo cognito, tradunt, cœpiſſe cives, Aſiaticorum more, pertundere aures puerorum, eaque onerare inauribus aureis eo, quod aurum cæteris præſtare perſuaſum haberent. At vero non illud quod effœminare animos poterat, ſed longe quiddam excellentius ab oraculo intellectum eſt. Nam quid præſtabilius eſt ſalutaribus virtutis præceptis? aut quod dignius Deo conſilium

lium, quam ut parentes liberorum auribus virtutem ſollicite inſtillent, vel eos præficerent liberis, a quibus eam a pueris haurirent?

Hinc Lux aliqua Davidi, qui in *Pſalmo* XL. *verſ.* 7. אזנים כרית לי *Aures perfodiſti mihi*, quod recte quidem ad legem illam mancipationis ſempiternæ, de qua in *Exodo cap.* XXI. *verſ.* 6. refertur: & *Paulus* hæc recte de Chriſto Servatore, ſervo voluntario cui corpus adaptatum, capienda docet, *Heb. cap.* X. *verſ.* 5. nihil tamen vetat hic auditum adeoque attentionem, animique excitationem & obedientiam notari, oppoſite ad illud quod de aſpide ſurda dicitur *Pſal.* LVIII. *verſ.* V. יאטם אזנו *obturat aurem ſuam ne audiat vocem incantatorum*. Talis eſt phraſis uſurpata *Jeſaiæ cap.* L. *verſ.* 4. 5. יעיר בבקר יעיר לי אזן כלמודים ארני יהוה פתח לי אזן ואנכי לא מריתי: *Excitat ſingulo mane, excitat mihi aurem ut audiam quemadmodum diſcipuli: Dominus Dominus aperit mihi aurem, & ego non fui rebellis*. Illa erga aurium apprehenſione oſculantes vim & memoriam amoris ſibi refricare atque excitare voluerunt, quod & *Clemens Alexandrinus lib.* 5. *Strom.* innuit: ὐκ ὖν εἰκῆ τοῖς παιδίοις παρακελλόμεθα, τ̃ ὤτων λαμβανομένοι φιλεῖν τὺς προσήκοντας, τῦτο δήπυ αἰνιττόμενος δι᾽ ἀκοῆς ἐγγίγνεσθαι τῆς ἀγάπης τὴν συναίσθησιν. Inſignis in hanc rem eſt Locus *Plutarchi*, non procul ab initio libelli de auditione; eum Latine tantum adſcribam: „ Vitiis multæ partes corporis, „ multaque loco aditum ſpatiumque ad „ animum penetrandi præbent, unica virtuti, qua adoleſcentes arripiat, anſa „ aures ſunt, ſi quidem puræ ſint, & jam „ inde ab initio adulatoriarum corruptelarum vacuæ, intactæque a pravis ſermonibus ſerventur. Itaque Xenocrates „ aurium munimenta pueris potius quam „ athletis applicari jubebat: quod horum „ aures verberibus, illorum mores verbis „ perverterentur, neque ille auditionis „ vacuitatem aut ſuavitatem commendabat: ſed hortabatur ut tantiſper ab audiendis pravis ſermonibus abſtinerentur, „ dum bonæ orationes tanquam cuſtodes, „ ingenio Philoſophiæ educatione appoſiti „ eam regionem occuparent, quæ maxime oratione movetur atque ducitur. „ XXX. Et vulgo *parvulos qui deoſculantur*, quum *ipſi aures eorum tangunt*, „ tum eos idem jubent facere: per jocum innuentes, maxime amandos eſſe „ eos qui per aures proſunt. “ Hæc *Plutarchus*.

Tandem & alia huic oſculandi modo ratio ſubeſſe poteſt, nempe, ut commodius & dulcius oſcula figerentur: qualia artiſſima dicuntur a *Svetonio* in *Galba cap.* 22. talia enim amantium eſſe ſolent. *Cucret. lib.* 4.

> *Quod petiere premunt arcte, faciuntque dolorem*
> *Corporis, & dentes illidunt ſæpe labellis,*
> *Oſculaque adfigunt.*

Quæ *Lucretii* verba ad extremam oſculorum lineam nos deducunt, quam καταγλώττισμα dixit *Ariſtophanes*, νεφελ. *act.* 1. *ſc.* 1. quod ſcholiaſtes interpretatur: αἰσχρῶν φιλημάτων περιεργότερον. ἢ εἶδος αἰσχρῦ φιλήματος τὸ καταγλώττισμα· κυρίως δὲ καταγλώττισμα, ὅταν ἐν τῷ καιρῷ τῆς συνυσίας ὁ ἀνὴρ τὴν γλῶτταν αὐτῦ τῷ τῆς γυναικὸς ἐμβάλλῃ ςόματι. De hoc oſculi genere, quod Venus quincta parte ſui nectaris imbuit, ita *Libanus* apud *Plautum Aſin. act.* 3. *ſc.* 3. *Fac proſerpentem beſtiam me, ut duplicem habeam linguam*, quia nempe ſerpentibus lingua biſulca, idem *Pſeudol. act.* 6. *ſc.* 1. *ubi amans complexu'ſt*

> *Amantem, ubi labra ad labella adjungit,*
> *Ubi alter alterum bilingui manifeſto*
> *Inter ſe prehendunt.*

Μανδαλωτὸν dicitur Ariſtophani, Ἀχαρν. *act.* 5. *ſc.* 2. φιλήσατόν με μαλθακῶς, ὦ χρυσίω, τὸ περιπετασὸν, κἀπιμανδαλωτὸν ἄν. *O aureæ puellæ, date mihi ſuavium, & morſiunculas, & labra labris jungite*, ubi ſcholiaſtes: εἴδη φιλημάτων ἐρωτικῶν· ἐν ᾧ δεῖ τὴν γλῶτταν τ̃ καταφιλῦντων λείχειν ἀλλήλους. Μανδαλωτὸν εἶδος φιλήματος ποικίλον, κ̀ ἡδὺ. θηλυδριῶδες κατεγλωττισμένον. *Tibull. lib.* 1. *eleg.* 8.

> *Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis*
> *Oſcula, & in collo figere dente notas.*

Ovid. lib. 2. Amor. el. 5.

> *Improba tum vero jungentes oſcula vidi,*
> *Illa mihi lingua nexa fuiſſe liquet.*

Iterum, lib. 3. eleg. 7.

> *Oſculaque inſeruit cupida luctantia lingua.*

Similia in *Catullo*, *Lucretio*, *Apulejo* aliiſque invenire eſt, unum illud ex *Apulejo lib.* 6. *metam.* addam. Mercurius Veneris nomine promittit, ſi quis Pſychen demonſtrare poſſet accepturum *indicinæ* no-

nomine ab ipsa Venere septem suavia, & unum blandientis appulsu linguæ longe mellitum, quod ex Moschi Amore fugitivo translatum videtur, ubi Venus ita minatur.

> Μίσθος τοι τὸ φίλαμα τὸ κύπριδος,
> ἢν δ' ἀγάγης νιν
> Οὐ γυμνὸν τὸ φίλαμα, τὸ δ' ὦ ξένε καὶ
> πλέον ἕξεις.

Sagittatum osculum vocat Plautus, *Trin. act.* 2. *sc.* 1. *vers.* 16. An aliud quid voluit Daphnis? apud Theocritum. Ὀαρις.

> Αἴθ' αὐτῶ δυνάμαν καὶ τὰν ψυχὰν ἐπιβάλλειν.

Eleganter hæc expressit *Jovianus Pontanus*, carmine ad Deiamillam.

> *Basia cum strictis offers mihi clausa labellis,*
> *Deque tuo nullus spiritus ore venit,*
> *Nescio quid tum triste animum subit, ipsaque nostro*
> *Frigescunt tacito basia in ore situ.*
> *At cum rapta sonant mordacibus oscula labris,*
> *Mixtus & alterno spiritus ore coit.*
> *Meque calor, meque & sensus animusque relinqunt,*
> *Inque tuo jaceam languidus ipse sinu.*
> *At tu cum dederis mihi suavia, conserere linguam,*
> *Inter labra meo semper & ore fove.*
> *Ne pateant animo egressus, ne frigida lingua*
> *Torpeat, ipse tuo deficiamque sinu.*

In trium puellarum basia legitur Paulini Silentiarii carmen Græcum, quod Latine vertit *Daniel Hainsius*, & inter versa ex Græcis legi potest. Plerosque basiorum modos uno Basio, decimo nempe, complexus est *Joh. Secundus*, quod non describemus.

Plurimus porro osculorum usus inter amicos tum congredientes tum digredientes. Inter congredientes salutationibus plerumque adjuncta oscula. Apud *Horatium lib.* 1. *od.* 36. *Pomponius*

> *Hesperia sospes ab ultima*
> *Caris multa sodalibus,*
> *Nulli plura tamen dividit oscula*
> *Quam dulci Lamiæ.* ——

Strepsiades, in Nebulis Aristophanis filium Philippidem e somno excitans jussit: Κῦσον με, καὶ τὴν χεῖρα δὸς τὴν δεξιάν. *Osculare me, & da manum dexteram.* Ex hoc more est oraculum *Bruto* & *Tarquiniis* filiis datum: *Ovid.* 2. *Fastor.*

> —— *Matri*
> *Qui dederit primus oscula, victor erit.*
> *Oscula quisque suæ matri properata dedere,*
> *Non intellecto credula turba Deo.*
> *Brutus erat stulti sapiens imitator, ut esset*
> *Tutus ab insidiis, dire Superbe, tuis.*
> *Ille jacens pronus matri dedit oscula terræ,*
> *Creditus offenso procubuisse pede.*

In digressionibus valedictioni osculum additum. Apud *Ovidium Œnone Paridi:*

> *Oscula dimissæ quoties repetita dedisti?*
> *Quam vix sustinuit dicere lingua, Vale?*

Et lib. 1. Trist. eleg. 3. *Ovidius* de seipso Roma discedente,

> *Sæpe Vale dicto rursus sum multa locutus,*
> *Et quasi discedens oscula summa dedi.*

Julius Cæsar ad comitia descendens, adeoque discedens matrem osculatus est, ut narrat *Sueton. cap.* 13. ubi vide sis commentarium *Cl. Pitisci*. Judas proditor osculo vale dixit Servatori nostro, videantur ejusdem amici nostri *Pitisci* notæ ad *Suetonii Tiberium cap.* x. §. 14. Exempla in S. literis obvia sunt, collecta a *Ravanello*, in voce *osculum num.* 11. De Persis *Xenophon.* κυρπ. *lib.* 1. ἦ καὶ ἐν πέρσαις νόμος οὗτος συγγενεῖς φιλεῖν· μάλιστα φᾶναι ὅταν γε ἴδωσιν ἀλλήλους διὰ χρόνου, ἢ ἀπιῶσί ποι ἀπ' ἀλλήλων.

Confirmandi conjugii causa Sponsus & sponsa sibi osculum dabant, quod ex Zonara & Balsamone probat Suicerus, in thesauro Ecclesiastico, voce φίλημα, *num.* IV. vide etiam *leg.* 16. *cod. de donatione ante nuptias*, & quæ ibi notavit Gothofredus.

Præmiorum loco oscula etiam in conviviis distributa esse manifestum est *Athenæo*, qui *lib.* 15. *cap.* 1. de cottaborum lusu agens, habet: παίζωμεν δὲ περὶ φιλημάτων, & *cap.* 2. Ex *Calippo* hi versus laudantur:

Ὁ δ'

Ὁ δ' ἀγρυπνήσας τὸν πυραμοῦντα λήψεται

Τὰ κοττάβια, καὶ τῶν παρουσῶν ἣν θέλῃ

Φιλήσει.

Insomnis tota nocte qui fuerit Pyramuntem accipiet,

Cottabi præmium, & quam volet

Ex præsentibus fœminis osculabitur.

Et ex *Eubulo* hæc citantur:

Εἶεν γυναῖκες νῦν ὅπως τὴν νύχθ' ὅλην

Ἐν τῇ δεκάτῃ τοῦ παιδίου χορεύσατε,

Θήσω δὲ νικητήριον τρεῖς ταινίας,

Καὶ μῆλα πέντε, καὶ φιλήματ' ἐννέα.

Adsunto nunc mulieres, ut nocte tota,

Ex quo nauts est infans, decima, saltetis

Præmium illi qui vincet tres vittas dabo,

Mala quinque, novem oscula.

Idem *lib.* XI. *cap.* 12. ex *Sophoclis Salmoneo* hæc habet:

Τάδ' ἐστὶ κνισμὸς, καὶ φιλημάτων ψόφος

Τῷ καλλικοτταβοῦντι νικητήρια

Τίθημι, καὶ βαλόντι χαλκέαν κάρα.

Risus hic est ac osculorum murmur

Quæ Cottabo recte ludenti præmia

Propono victoriæ, si æneum caput ferias.

Vide *Stukium, antiq. conviv. fol.* 363. 364.

Post amantium iras amoris integratio hoc symbolo confirmata. David Absalomo tale reconciliationis signum dedit. 2. *Sam.* XIV. *vers.* 33. *Petron.* Satyr. *Ne residua in animis etiam post jusjurandum ira remaneret, præterita aboleri osculis placet.* *Plaut.* Pœnul. act. 1. sc. 2. vers. 192. *Non sum irata; Ag. da ergo, ut credam, suavium*, hoc Symbolo amicitia *Esavi* & *Jacobi* obsignata. *Gen.* XXXIII. *vers.* 4. & Patris erga filium perditum. *Luc.* 15. *vers.* 20. Sylla, post factam pacem, *Mithridatem* osculatus est. *Plut. in Sylla.* De *Alexandro* III. Romano-Pontifice in osculum Friderici Barbarossæ se effundente *vid. Peucer. in Chron. Car. pag. m.* 639.

In conviviis autem moderatis atque honestis ea etiam quæ ad philosophiam pertinebant honestæ voluptatis causa agitabantur, res a majoribus gestas in memoriam revocando, rerum naturam indagando, virtutes debitis encomiis ornando. Apud *Homerum Iliad. A.* in Deorum convivio, Apollo & Musæ alterinis canunt, Apud *Virgillium* I. *Æneid.*

—— *cithara crinitus Jopas*

Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas.

Hic canit errantem lunam, Solisque labores, &c.

Griphorum autem perscrutatio, de qua videndus *Athenæus lib.* x. *cap.* 15. & *seqq.* cum a philosophia aliena non sit, in his etiam sapientiæ specimen veteres statuerunt, inter convivia ad hilaritatem eos proponente: Præmium autem honorarium illis qui enodassent oscula fuerunt, ut ex Clearcho docet *Athenæus lib.* 10. *cap.* 22. Nec abludit Regum sapientissimus, *Prov.* XXIV. *vers.* 26. שפתין ישק משיב דברים נכחים: *Osculum figetur labiis verba recta respondentis.*

Amoris vero incentivum maximum esse osculum; quis non expertus? Audiamus Palinurum, in Plauti Curculione, *act.* 1. *sc.* 1.

—— *Flamma fumo est proxima.*

Fumo comburi nihil potest, flamma potest.

Qui e nuce nucleum esse vult, frangit

Qui vult cubare, pandit saltum suaviis,

Sic Comastes apud *Theocratum Idyll.* 3.

Νύμφα; πρόσπτυξαί με τὸν αἰπόλον ὥς τυ φιλάσω,

Ἔστι καὶ ἐν κενεοῖσι φιλάμασιν ἁδέα τέρψις.

Nympha, amplectere me caprarium, ut te deosculer,

Inest & in osculis inanibus dulcis voluptas.

Tibull. lib. 4. eleg. 8.

Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse

Oscula, sed femori supposuisse femur.

Et amoris præceptor, *lib.* 1. de artic. amandi:

Oscula qui sumsit, si non & cætera sumsit,

Hæc quoque quæ data sunt perdere dignus erat.

Quantum defuerat pleno post oscula voto!

Hei mihi, rusticitas non pudor ille fuit.

Celebratur & δίστιχον *Platonis*, apud A. *Gellium, lib.* 19. *noct. Attic. cap.* 11. & *Macrob. Saturnal. lib.* 2. *cap.* 1. quo adolescens lusit, cum tragœdiis faciendis præluderet.

Τὴν

> Τὴν ψυχὴν, ἀγαθῶνα φιλῶν, ἐπὶ χείλεσιν ἔσχον,
> Ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων ὡς διαβησομένη.

quod licentius liberiusque Latine versum apud eosdem scriptores legere est. Egregie vero æmulatus est *Daniel Heinsius* in erotopægnio, quod inter poemata ejus extemporanea legitur:

> *Hesterna mea lux mihi luce impresserat udum*
> *Basitium*, reliqua ibi legantur.

Socrates, apud *Xenophontem*, tantam osculo vim inesse monet, ut phalangiorum, tenuim licet animalium, acerbis tamen morsibus, tumoremque inducentibus ea comparet, quo alludit & ille amator, Poeta Græcus, in epigrammate ἀνεκδότῳ, & tamen edito a *Renato Vallino*, in notis ad *Boethium lib.* 3. *consol. Philos.*

> Ποιεῖς πάντα Μέλισσα φιλάνθεος ἔργα μελίσσης,
> Οἶδα, καὶ ἐς κραδίην τοῦτο γυναι τίθεμαι.
> Καὶ μέλι μὲν στάζεις ὑπὸ χείλεσιν ἡδὺ φιλεῦσαι
> Ὂν δ' αἰτῇς κέντρῳ τύμμα φέρεις ἄδικον.

Quantulum vero ab osculo distat illa capitum limatio? *Plaut.* Mercat. Act. 3. *Sc.* 1. 40.

Hoc amicitiæ symbolo pessime multi abusi ad teterrima tegenda facinora, & sub amoris specie etiam amicissimos fallendos, quod fuit scelus Joabi circa Amasam, 2. *Sam.* XX. v. 9. Absalomi furantis corda Israelitarum, 2. *Sam.* XV. vers. 5. & Judæ proditoris in mundi Sospitatorem. *Matth.* cap. XXVI. vers. 49. κατεφίλησεν αὐτὸν, quo eodem verbo, usus est *Plutarchus* in Bruto, ubi narrat conjuratos sellam Cæsaris, curiam ingressi, circumstetisse, quasi aliquid rogaturos, osculabundos, manus alios, pectus alios, quosdam caput, καὶ συνέδοντο πάντες, ἁπτόμενοι τε χειρῶν, καὶ στέρνα, καὶ κεφαλὴν κατεφίλων. Sicut præpositio κατὰ in compositione significationem intendit, ut videre est *Luc.* VII. *v.* 38. & 45. & cap. XV. *v.* 20. *Actor.* cap. XX. *v.* 37. Sic etiam simplicis abusum notat, & in malam partem flectit, ut in κατάχρησις, κατατομή. *Philipp.* c. III. v. 2. aliisque manifestum est. Ideoque hoc verbo eleganter, tum gestum horum proditorum externum & hypocriticum, tum fraudem in pectore latentem scriptores expresserunt. Verissimum est illud:

> *Tuta, frequensque via est per amici fallere nomen,*
> *Tuta frequensque licet sit via, crimen habet.*

Hæc sunt oscula osoris נשיקות שונא quæ jure merito quis repudiet, ex sententia Salomonis, *Proverb.* cap. XXVII. vers. 26. Huc referendum est illud osculum, quo gladiatores jam jam pugnaturi sibi valedicebant, quasi scilicet unus alteri ignosceret, & mortem inferendam vitio non verteret, de hoc agit *Tertullianus* de resurrectione carnis cap. 16. cujus hæc verba: *Calicem, non dico venenarium, in quem mors aliqua ructavit, sed fictricis, vel Archigalli, vel gladiatoris aut carnificis spiritu infectum quæro an minus damnes quam oscula ipsorum?* „ Operæ pretium est scire quæ *Franc. Junius* ad hunc locum „ notavit. Duo, *inquit*, hic calicis ge„ nera ponuntur, Venenarium & sangui„ narium. Venerarius calix sine signifi„ catione præbebatur, quia mors clam „ veneno quæritur: sanguinario suæ ad„ jungebantur significationes, quibus osten„ debatur qui usus calicis, quod officium „ potantis esset, qui eventus, & similia. „ Hanc significationem manibus solenne „ fuit dari, & data significatione oscu„ lum ab aliis, qui utebantur, jungi, „ quasi extremum vale dicentibus. Ex „ eo manus illa *Fictrix*, quæ rem finge„ ret significaretque appellata, & ambæ „ manus *Fictrices* latinis eleganter dictæ. „ In hanc sententiam scribebat *Lucilius* lib. 9.

> „ *Fictrices compono, amplector labra*
> „ *labellis.*

„ qui locus plurimum ad hujus eviden„ tiam facit. Ex eo calix *Fictricis*, quem „ *Fictrix* manus præbebat, dictus est. „ Erat autem iste fictricis calix infectus „ spiritu vel Archigalli, vel gladiatoris, „ idest, furoris ac cædis: ad hæc duo ca„ lix fictricis pertinebat, ut animarentur „ μαινόμενοι καὶ ὁπλόμαχοι. *Et postea*: De „ altero calice, quem fictrix spiritu gla„ diatoris aut carnificis infectum dabat, „ minus est controversiæ, nam hac etiam „ memoria nostra observatur ab iis qui „ sæpe duello experiuntur, μονομαχοῦσι. „ Nam pugnaturi & συμπίνουσιν, & dex„ tras & oscula jungunt mutuis vulneri„ bus inter se concisuri. Et quam vere, „ obsecro, calix iste fictricis appellatur. Hæc *Junius*. *Cato Major*, rigidior ille rigidi servator honesti, censoria virgula notavit *Manlium*, eumque senatu movit, quod interdiu, inspectante filia, uxorem oscu-

osculatus esset, teste *Plutarcho* in ejus vita. Μισοφιλήμων nimis severus!

Alii aliorum oscula ex fastidio & contemtu rejecerunt, quod τῆς φιλῆντας indignos judicarent, quos ad illum honorem admitterent; quomodo & Augustus L. *Tucinio* indignatus scripsit: Eum parum modeste fecisse, quod filiam suam Bajas salutatum venisset. *Sueton. Aug.* cap. 64. Hoc quidem in sola salutatione, quanto magis in osculo? in Alexandro Magno hic fastus notatus est a *Plutarcho*, cum in convivio quodam bibisset, uni eum ex amicis phialam porrexisse, qui ea accepta ad aram versus assurrexit, ac cum hausisset, adoravit, & Alexandrum osculatus, rursus accubuit. Postquam id omnes ordine fecissent, Callisthenes phialam cepit, & non attendente Rege, sed cum Hephæstione fabulante, libit, atque ad ferendum Regi osculum accessit. Demetrius Phidon Regem monuit, hunc unum esse qui non adorasset, ideoque Alexander osculum declinavit. Callisthenes autem alta voce dixit: Φιλήματι τοίνυν ἔλασσον ἔχων ἄπειμι. *Uno ergo osculo minus ferens abibo*, quo facto Calisthenes magnam sibi conflavit invidiam, & in vitæ discrimen conjecit.

Elegans est illa miseri bubulci querela, apud *Theocritum* Idyll. 21. qui conspicatus puellam urbanam, eam osculari volens, ab ea rejectus est: non dissimilis asino Æsopico, qui exemplo canis Melitei domino blanditurus fustibus exceptus. Sic ait Βουκολίσκος:

> Εὐνίκα μ' ἐγέλαξε θέλοντά μιν ἁδὺ φιλᾶσαι,
> Καὶ μ' ἐπικερτομέοισα, τάδ' ἔννεπεν, ἔρρ' ἀπ' ἐμεῖο.
> Βουκόλος ὢν ἐθέλεις με κύσαι τάλαν; οὐ μεμάθηκα
> Ἀγροίκως φιλέειν, ἀλλ' ἀστικὰ χείλεα θλίβειν.
> Μὴ τύ γέ μευ κύσῃς τὸ καλὸν στόμα, μηδ' ἐν ὀνείροις.

Et *Idyll.* 28. quod ὀαριστὺς inscribitur, puella, osculo a bubulco accepto, ait:

> Τὸ στόμα μευ πλυνῶ, καὶ ἀποπτύω τὸ φίλαμα.

Illi autem instanti respondet:

> Καλόν σοι δαμάλας φιλέειν, οὐκ ἄζυγα κώραν.

Mecænati, allium comedenti precatur *Horatius* Epod. 3.

> *Manum puella suavio opponat tuo,*
> *Extrema & in sponda cubes.*

Sempronia Gracchorum soror, uxor Scipionis Æmiliani, cum eam Senatus, populusque Romanus cogere vellet, ut Equitio, cui Semproniæ gentis falsum jus quærebatur, tanquam filio fratris sui, osculum daret; illum e tenebris protractum, execrabili audacia, ad usurpandam alienam propinquitatem, tendentem repulit, ut ait *Valerius M.* lib. 3. cap. 8. Festivum est quod narrat *Gaspar Bruschius* tom. I. *de Episcopatibus Germaniæ*. Fridericus Episcopus Spirensis Elisabetham Rodolphi I. sive Habsburgensis, Imperatoris Rom. uxorem e curru excipiens (forma ipsius inductus) osculatus est. Imperatrix vero talis osculi impatiens, apud Imperatorem de Episcopi lascivia conquesta est. Imperator Episcopo nuntiari jussit. *Se sibi soli hoc pacificale osculandum comparasse, quod si ipse quoque osculari vellet, proprium sibi pacificale quæreret, non alienum, & ad se non pertinens oscularetur.* Pisistratus uxori, moleste ferenti quod Thrasybulus filiæ osculum dedisset, suaviter respondit: *Si amantes odio prosequimur, quid iis faciemus qui nos oderunt?* Filiam porro Thrasybulo, bonis avibus, uxorem dedit, quæ hujus osculi dulcissima & felicissima merces, quo etiam tanquam in bono ac fausto omine hanc de osculis exercitationem finio.



JOHANNIS NICOLAI
TRACTATUS
DE PHYLLOBOLIA,
SEU
Florum & Ramorum ſparſione in ſacris & civilibus rebus uſitatiſſima.

PRÆFAMEM AD LECTOREM.

VArii *ritus* & cæremoniæ in vita noſtra quotidiana occurrunt, quarum origo nobis adhuc latet: quare ſemper opera eſt danda, ut penitius inſpiciamus Scripta Veterum & excerpamus, quæ ad hanc vel illam materiam neceſſaria reperiuntur. Inter has deprehendimus etiam Phylloboliam antiquis temporibus nec non noſtris frequentiſſimam & in Sacra Scriptura fundatam, qua viæ Principum ingredientium floribus ſternebantur ad teſtandam lætitiam magnam. Clamabunt quidem fortaſſe nimis quidam religioſi, miſceri Sacra profanis: At ii diſcant oportet, qua ſacris ſerviunt, profana non eſſe. Hic vero ſacrari potius humana, quam profanari divina. Si rem ipſam ratione & veritate penſaverint, cenſeant, ex illis profanata pleraque ab Ethnicis, quam a noſtrarum ſacrario literarum ablata obſcœnis fabulis polluere. Itaque Chriſtiano ritu luſtrata, ab ſuo jure debent vindicari. Siſtimus igitur Tractatum de Phyllobolia variis ritibus refertum, ubi ſimul locus ille *Matth.* XXI. de ingreſſu Chriſti & ſparſione ramorum ſatis explicatur. Interim tamen te benevole Lector precibus flagito, ut ſerena fronte hunc tractatulum accipias, perlegas & in uſum magnum tuum convertas. Faxit Deus Opt. Maxim. cujus hæc a me nutu elaborata ſunt, & cujus ſolius gloriæ, quæ cum proximorum utilitate conjuncta eſt, conſecrantur, ut non aliter atque a me ſuſceptus eſt, a cunctis accipiatur labor. Vale, benevole Lector & his utere. Dabam Giſſæ. die 1. Decembris 1698.

CAPUT I.

De Etymologia, & florum morumque usu.

I. Dicturo de φυλλοβολίᾳ primum omnium nominis ratio seu Etymologia vocis haud perfunctorie evolvenda. Illa autem hinc in proclivi est, cum descendat a φύλλον, quod significat folium, & ideo per unum L. scribitur, quia antiqui non geminabant consonantes. *Fest.* φύλλον autem est a φύω nascor. conf. *Martin. Lexicon etymolog.* Forte tamen melius ab Hebræo עלה ut pro forti adspiratione aut flatu, qui in litera *Ain* latet, digamma Æolicum F. positum sit. Vid. *Joh. Henric. Ursini Arboret. Bibl. pag. m. 61.* significat autem vox עלה, teste *Buxt. in Lexic. Rabbinico-Talmudic. ascendere*, quia folia in summitate quasi virent, seu ut *Martin.* cit. loc. quia est in summitate plantæ. Et a βάλλω *jacio, spargo*. Ita βάλλω est jacio, pono, βάλλειν ἐν θυμῷ ponere in mentem. Ergo βάλλεσθαι ponere in mentem. Ergo βάλλεσθαι poni, *Matth.* VIII. 6. βέβληται jacet, ut habet vetus interpres, projectus est, Actus igitur ipse dicitur φυλλοβολεῖν & φυλλοβολεῖσθαι *folia floresque spargere*, quanquam posterius ab *Herodiano lib. 7. cap. 10. num.* 15. & passive usurpetur.

II. Homonymiam autem quod attinet, alias in Græcis autoribus reperire licet ἄνθη βάλλειν, στεφάνους καὶ ἄνθη ἐπιῤῥίπτειν *Herodot. lib. 5. cap. 6.* βαΐα στέειν, vel ἐπιστέειν. Pro φυλλοβολία, vel ἄνθεος βολαὶ, quo apud *Apulejum* inde eleganter redditur per jacula floris serti & soluti, *lib. 4. Metam. cap. 10. Tertull. lib. de corona militis pag.* 181. *edit. Jac. Pamel.* flores & insertos & innexos, & in filo & in scirpo, quod liberi, quod soluti sint, vocare amat. Cæterum de cortice verborum non anxie soliciti ad rem ipsam pergamus.

III. Ut autem totius rei descriptionem aliquam proferamus *Joh. Conr. Dieter.* nobis sufficiat, quam exhibet in *differt. de sparsione florum* mem. 1. §. 1. hoc modo: *Est* itaque *sparsio florum mos occupatus circa honorem tam diis, quam hominibus exhibendum, iisque vel vivis, vel mortuis, idque flores in eos emittendo, aut eorum substernendo pedibus.* In ipso autem limine sese offert florum διχοτομία insertos & solutos. Jacula floris serti & soluti vocat *Apulejus lib. 10. Asin. aur.* more suo ἑλληνίζων, judice *Casaubon.* ad *Sveton. Ner. cap. 25. pag.* 493. De qua re fuse *Dietericus in cit. differt.* egit.

IV. Origo cæremoniæ hujus accurata demonstrari non potest; extra omnem dubitationis aleam ponitur, antiquam esse. Ut autem ordine procedamus, prius exponemus, quæ apud exteros invenimus, deinde quæ apud nostros tantum prosequequemur, quantum satis erit ad id, quod quærimus investigandum atque intelligendum. Et quoniam *Virgilii* versus *ex 4. Æneid.* ad ratiocinandum aditus patefacient, eos primum, tametsi adversus *Servium* explicabimus: *Poetæ* igitur versus sunt pietatis *Didonis* erga maritum commemorantis: quos *Servius* perperam explicasse videtur:

> *Præterea fuit in tectis de marmore templum,*
> *Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,*
> *Velleribus niveis & festa fronde revinctum.*

Servius in hunc locum: *colebat*, inquit, *ea, quæ circa vivos solent fieri, moris enim fuerat, ut nubentes puellæ simul ut venissent ad limen mariti, postes, antequam ingrederentur, ornarent laneis vittis, unde ait velleribus niveis, & oleo ungerent: unde uxores dictæ quasi unxiæ.* Hæc *Servius*, sed ut vere, non apte.

V. Si etenim rem accuratius perpendimus, hic non ritus nuptiarum, sed sacrorum tangitur, quo *Sychæum* uti numen aliquod inter divos relatum in templo marmoreo venerabatur, & eo quidem *vittato*, & festa fronde vestito, quo illa *Ovidii* spectant:

> *Est mihi marmorea sacratus in æde Sychæus,*
> *Appositæ frondes, vellera alba tegunt.*

Ita etiam *Adrian. Turneb. lib. 22. cap. 12. adversf.* rejecta prius *Servii* opinione, accipit Poetam de more, quo templa veteribus ornari vittis consueverant, nam *Papin. lib. 4. sylvar.* dixit:

> *Pande fores superum vittataque templa Sabæis,*
> *Nubibus, & pecudum fibris spirantibus imple,*

Sed morem signatiorem aliud ad Poetam docet me *Cœlius* Comicus in *Androgino*, quo videlicet sepulcra mortuorum vittis ornabantur, ait enim; *sepulcrum plenum tæniarum est, ita ut assolet.* Has tænias uti *Scaliger* in *Fest.* explicat de fasciis, quibus involvebantur mortui, quasque Ἰχαείας vocabant. *Plutarchus in Philopœmene* do-

docet defunctorum urnas tæniis cingi & redimiri. *Varro lib. 6. de LL. itaque cum nunc ad sepulcrum frondes & flores ferunt, lanas addunt*. Eo spectant verba ista *Ammiani* lib. 16. *suasitque consarcinatis mendaciis læsa majestatis arcersere maritum insontem & fingere, quod velamen purpureum a Diocletiani sepulcro furatus quibusdam consciis occultabat*. Hinc jam perspicue Poetam capies; cum enim sepulcrum *Sichæi* templum vocaverit, consequenter illi dat fascias, tegumenta, vellera, nam sepulcra quoque ita ornabantur. Itaque non tam de templo cum *Tunebo* accipe, quam de sepulcro accipe, ut satis ex *Cæcilio*, *Festo*, *Varrone*, *Ammiano*, *Plutarcho* constat. Non dubium certe quin omnia sive sepulcra, sive templa, sive deorum simulacra vittis laneis ornarentur. Ad quem morem pertinet locus *Cyrilli Alexand. in Amos*, ubi sic Deum loquentem introducit: *Ego illo honestavi, illi vero eo insipientiæ devexerunt, ut vestimenta sua ligantes funibus, velamina facerent adhærentia altari*.

VI. Perpendenti, unde nata hæc esset consuetudo, occurrebat, originem fortasse duci ab ea consuetudine, qua veteres illigabant vinculis deorum simulacra, ne hostili carmine evocarentur, quem morem *Tyrios* habuisse *Curtius* docet *lib. 4. de gest. Alexandr. Magni* eo loci, ubi late agit de expugnatione Tyri. Docent & alii multi. Et eo forsan allusum a *Livio lib. 40.* cum ait: *Lanaque cum integumentis, quæ Jovi apposita fuit, decidit*. Sed *Livium* satius est referre ad cultum & stemma; quam ad vincula. Scias quoque hic ἐκ παρέργου deos vinctos non solum *lana*, sed *ferro* & *plumbo*. Inde *Prudentius lib. 1. in Symmach. suffuso figunt vestigia plumbo*. Sed redeo ad *vellera*. Potuit itaque a diis consuetudo derivari ad sepulcra & templa, ut quemadmodum illi, sic *templa* laneis vittis vincirentur. Possit aliquis moris hujus originem ducere a matre *Pessinuntia*, quæ velleribus contexit pinum illam, sub qua Atys sibi virilia desecuit. Quam rem ita repræsentant verba *Arnobii lib. 5. Quid lanarum vellera, quibus arboris colligatis & circumvolvitis stipitem? nonne illarum repetitio lanarum est, quibus jam deficientem contexit, & leporis aliquid rata est se posse membris conciliare frigentibus?* Etenim ut ferax est superstitio, potuit hinc propagari ritus ad fovenda frigentia mortuorum membra in sepulcris.

VII. De more autem, quo in celebritatibus veteres uterentur ramis arborum, in sequentibus loquamur. Porro ad hunc locum signata est explicatio *Nanni. 7. Miscell.* qui cum videat una cum velleribus frondes, versum hunc refert ad stemmata, quibus dii coli solebant. Est autem *stemma*, ut apparet ex interprete *Sophoc. in Œdip. Tyran.* lana ramo circumvoluta. Ad hæc stemmata trahit illa verba hæc *Jul. Obseq. de Prodigiis:* In latisternio *Jovis*, terræ motu, Deorum capita se converterunt, lana cum integumentis, quæ *Jovis* erant, apposita, decidit. Et ego versum *Papin. lib. 22. Theb.* loquentis de Templo misericordiæ:

> *Vittata laurus & supplicis arbor olivæ.*

Et possit aliquis duos *Lucani lib. 1.*

> *Festa coronato non pendent limine serta,*
> *Infulaque in geminos discurrit candida postes.*

CAPUT II.

De Deorum simulacris, templis & aris floribus & frondibus ornatis.

I. RAmorum & florum usus conspiciendus est ex coronis, seu vittis deorum simulacris impositis. *Bacchi* caput coronatum fuit *hedera* & *vite*. Vid. *Guilielm. Stuck. antiquit. convival. lib. 3. fol. m. 370. edit. Tigur.* At *Horatius lib. 3. carm. od. 25.* redimit eum *pampino*,

> —— *dulce periculum est,*
> *O Lenæe sequi deum,*
> *Cingentem viridi tempora pampino.*

i. e. fronde vitis virentis sequi deum sc. te, aut sequi te deum, cingentem tempora sc. capitum eorum, qui te sequuntur, pampino viridi. Vide *Horat. Comm. Jodoc. Bad. Ascens. edit. Venet. 1584. fol. 81.* Et alibi de eodem, *Horat. lib. 4. carm.* iisdem prope verbis. Ergo hoc numen coronatum *racemis* pingebatur & ornabatur, uti *Athen. lib. 5. Tibull. lib. 1. eleg. 7. Sil. Ital. lib. 7.* testantur. Et sane quisque Numini, cui se suasque res commendabat, coronas & flores offerebat, quo subsidio & auxilio esset: sicuti apud *Dionem Chrysostom. orat. 12.* pro liberanda filia legendum. Hac ipsa sive pietate, sive ostentatione pietatis *Xenocrates* Philosophus, quod ebibisset congium vini uni sibi a Dionysio tyranno oblatum, corona ab illo donatus, eam *Mercurio*, qui stabat ante ædes regias, & quem prius floreis coronis colere sueverat, domum rediens injecit. *Jovi* quoque varia coronamenta tribuit antiquitas, florea, frondea, me-

metallica, de quibus *Carol. Paschal. in libro elegantissimo de coronis* variis in locis egit, ad quem benevolum lectorem mittimus. Certe simulacrum *Jovis* corona vernis floribus fuisse ornatum, refert *Pausanias lib.* 5. *Hercules* in deliciis habuit *frondes querneas*. *Stat. lib.* 3. *Sylvar.* in fine. *Valer. Flacc. lib.* 6. *Argon. Marti* frondes populeæ conveniebant. *Vertumno* corona nectebatur e gramine desecto, teste *Ovid. lib.* 14. *Metam. Lucina* herba odorata coronabatur, quæ confert ad facilitatem partus. *Theophr. l.* 1. *de plant.* Plura qui desiderat evolvat *Pascal. lib. de coronis lib.* 4. *cap.* 2. *&* 3. *pag. m.* 208. ubi fuse de his actum, conf. *Elias Sched. de diis German. cap.* 29. *pag. m.* 367. conf. *Joh. Conrad. Dieter. dissert. in fine annexam de florum sparsione tom.* 2.

II. Progredimur ad illorum *templa*, quæ ab antiquitate coronabantur & vittis ornabantur, uti *Euripides act.* 1. *Jo.*

> Χο. ἆρ' ὄντως μέσον ὀμφαλὸν.
> Φοίϐου κατέχει δόμος; Ἴων. στεμμασίγ' ἐνδυτὸς,
> Ἀμφὶ δὲ Γοργόνες.

An revera in medio (terræ) umbilico Phœbi delubrum est, Jon. Coronis etiam redimitum & circa Gorgones, Disertim *Plutarch.* περὶ σωι. ἐνων. *Adorant*, inquit, *sedes Deorum*, *&* *coronant templa*. Cum Jupiter queritur de *Epicuro*, si, inquit, ei credant homines, tum nobis templa erunt incoronata, id est infrequentia, inculta ac deserta. Potissimum autem in *publica lætitiæ* templa coronis & floribus exornabantur; ut in triumpho *Pauli Æmilii*; nam omnia *templa* fuerunt aperta & *coronarum* & *suffitionum* plena. Hoc autem *coronare* templa nihil aliud est, quam *frondibus contegere*. *Valer. Flacc. lib.* 2. *Argon.* —— *æquora cuncta.*

> *Prospiciunt, simulantque choros; delubraque festa,*
> *Fronde tegunt.*

Statius ad *Julium Menecratem*:

> *Pande fores superum vittataque templa Sabæis,*
> *Nubibus, & pecudum fibris spirantibus imple,*

Similiter hoc declarat *Propertii* locus *lib.* 4. *eleg.* 10.

> *Devia puniceæ velabant limina vittæ,*
> *Putris adorato luxerat igne casa,*
> *Populus & longis ornabat frondibus ædem,*
> *Multaque cantantes umbra tegebat aves.*

Hæc & alia quamplurima in scriptoribus occurrunt, quæ huc adducere non operæ pretium esse ducimus. Confer. *Saubert. de sacrif. cap.* 15. *p. m.* 369. 370. Notatu dignus est locus *Hieronymi de quodam presbytero epist. lib.* 2. *epist.* 22. dicentis: *Qui Basilicas ecclesiæ, & martyrum conciliabula diversis floribus & arborum comis, vitiumque pampinis adumbrant* &c.

III. Ipsæ quoque *aræ*, apud quas res sacræ fiebant, fuerunt *coronatæ*, i. e. umbratæ *foliis*, *frondibus*, *floribus*. Testatur hoc *Virgil. eclog.* 8. *Molli cinge hæc altaria vitta. Verbenasque*. Ubi *de la Cerda fol. m.* 157. per has omnis generis herbas intelligit. Huic *Propertius lib.* 3. calculum addit, ita canens: *Inde coronatas ubi thure piaveris aras*. Et *Statius lib.* 8. *Theb.*

> —— *gemina ergo illcet aras*
> *Arboribus vivis & adulto cespite texi,*
> *Imperat: innumerosque deæ sua munera flores,*
> *Et tumulos frugum, & quicquid novat integer annus,*
> *Addit.*

Antoninus ingressus ditionem Persicam, simulabat se lætari, quod undique sibi adducerentur sacrificia & ubique aræ coronarentur. *Herodian. lib.* 4. Memorat *Athenæ. lib.* 5. in Pompa *Ptolomæi* transvecta fuisse altaria quinquaginta cum aureis coronis. *Euripides Iphig. in tav. act.* ait, aram habere rubras e sanguine comas, i. e. serta & coronas, nam τειχώματα *capillamenta* sunt *sertæ* & *flores Stat. lib.* 3. *Sylv.*

> —— *date serta per aras,*
> *Festaque pallentes hilarent altaria lucos.*

Et alibi: *Semper odoratis spirabunt floribus aræ*. Conf. plurib. *Saubert. de sacrif. cap.* 15. *pag.* 353. 354. ubi plura. Disp. *Joh. Conrad. Dieter. de sparsion. flor.* ubi ex *Apulej. lib.* 1. *florid. pag.* 556. rem probat. *Theophrastus lib.* 1. *de plant.* autor est, Ægyptios coronare aras ea planta, quam vocavit ὅιτον sive ὅιγγον. Ipsa quoque *sacella* eadem ratione erant coronata, i. e. *flore* conspersa. *Propertius lib.* 4. asserit:

> *Flore sacella tego, verbenis compita velo,*
> *Et crepat ad veteres herba sabina focos.*

IV.

IV. Clare ex his prædictis cognoscimus *Romano-Catholicos* ritum hunc ab *Ethnicis* traxisse, cum *festis diebus* & lætitiarum tempore *Januas* & *fores templorum* variis coronarum generibus ornent ipsaque pavimenta floribus conspergant. Testatur hoc *Polydor. Virgil. de invent. rerum lib.* 5. *cap.* 1. Sunt itaque, inquit, multi ritus prope germani ex quibus & hic est: Apud nos festis diebus templa & domus nuptiales aulæis exornantur: *lauro* & *hedera* aliisque festis frondibus vestiuntur fores, ac vestibula decorantur coronis sparguntur floribus: Quæ hercule omnia ipsi idolorum cultores antea servabant. *Virgil. lib.* 2. *Æneid. vers.* 248. 249. ita canit:

> *Nos delubra Deum miseri quibus ultimus esset,*
> *Ille dies, festa velamus fronde per urbem.*

Ex more gentium omnium, quæ in privatis publicisque lætitiis januas velabant ramis arborum, templa & vias, omnem denique urbem: cujus moris frequentissima mentio fit. *Lucan. lib.* 2.

> *Festa coronato non pendent lumine serta.*

Sic *lib.* 4. *Æneid. vers.* 201.

> —— *Et variis florentia lumina sertis.*

Non utcunque flores in sacris apud veteres usitati, erant sed sæpe intexti formatique in modum coronarum. *Ovid.* 4. *Fastor.*

> *Et tegat ornatas longa corona fores.*

Et *Tibull.* 1. *eleg.* 1.

> *Flava Ceres tibi sit, nostro de rure corolla,*
> *Spicea, quæ templi pendeat ante fores.*

Item *Juvenal.* testatur: *Postibus & densos per limina tende corymbos.* Tradit idem *Tertullian. in Apolog. Cur die læto non laureis postes obumbramus?* Idem ibidem: *Quam recentissimis & ramosissimis laureis postes perstruebant? quam elatissimis & clarissimis lucernis vestibula enubilabant.* Attigit morem sanctus *Eprehem sermone in crucem: Coronemus portarum frontes, ut Christiani, & non ut gentiles, atque Pagani, lauris aut storibus aliisque herbarum generibus.* Verum morem gentilium imitantur Romano-Catholici, & utilitatem inde sperant, teste *Beyerlingio in promtuario suo morali part.* 3. *p. m.* 308. ubi ex *Chrysost.* & *Hieronymo* hæc adducit. *Non enim est res nova*, inquit *Chrysostom. habere templa ornata. Dic oro, si Rex tibi præcepisset domum exstruere, ut illic habitet*, nunquid omnia fecisset? *nunc igitur regia est Christi Ecclesia, ne sumtum spectes, sed fructum computa. D. Hieronymus epist. ad Heliodor. Nepotianus*, ait, *erat solicitus si niteret altare, si parietes absque fuligine, si tersa pavimenta, si janitor creber in porta, vela in ostiis, si sacrarium mundum* &c. *Basilicas Ecclesiæ & Martyrum conciliabula diversis floribus* & *arborum comis vitiumque pampinis obumbrabat.* Et *epistol. ad Nepotianum*: *Multi*, ait, *ædificant parietes & columnas Ecclesiæ substruunt, marmore* nitent, *auro* splendent laquearia, *gemmis altare distinguitur* &c. Sic de altaribus dicendum, quando variis floribus exornantur.

CAPUT III.

De victimis, vasis sacrificialibus, sacerdotibus & sacrificantibus floribus & frondibus redimitis.

I. Victimas coronatas fuisse testantur Poetarum scripta, & has coronas vocabant vittas. Audiamus hic de *vittis*, seu coronis victimarum Poetas. *Virgil. Æneid.* 2. *v.* 133. *Et salsæ fruges & circum tempora vittæ.* Et paulo post *vers.* 156. *Vittæque Deum quas hostia gessit.* Idem 3. *Æneid.*

> —— *stans hostia ad aram*
> *Lanea dum nivea circumdatur infula vitta.*

Corona porro aut victimis nudis, aut etiam jam vittatis imponebatur. In *Actis Apostol.* sacerdos *Jovis* tauros & coronas adfert, *Jovi* sacrificaturus *c.* 14. *vers.* 13. Vid. *Cornel. a Lapid. in h. l.* itemque *Sauberti prodr. Philol.* 5. *pag.* 33. Liquet etiam hoc ex *Prudentio in Apoph.*

> *Pontificum festis ferienda securibus illic*
> *Agminas vaccarum steterant: vitulasque revincta,*
> *Fronte coronatas umbrabat torta cupressus.*

Hinc constat cupressum coronam fuisse interdum quandoque ex aliis frondibus, uti hoc probat *Choul de sacrific. Si la victime petite devoit estre immolè, elle estoit coronnèe du rameau de l' arbre, qui estoit dediè au Dieu, auquel se faisoit*

soit sacrifice: Quandoque coronabantur ea fronde, quæ illius numinis propria esset, cui immolabantur: vid. *El. Sched. de Diis German. cap.* 29. *Carol. Paschal. de coron. lib.* 4. *pag.* 256. *cap.* 17. Victima interdum fuit coronata aliis frondibus & foliis, ut apud *Prudent. peristeph. hym.* 10. taurus,

> *Huc taurus ingens fronte torva ac hispida,*
> *Sertis revinctus aut per ramos floreis,*
> *Aut impeditus cornibus deducitur.*

Plura videnda sunt *in antiquit. Græcis Pfeiffer. pag.* 64. *Job. Conrad. Dieter. in dissert. de florum sparsione pag.* 1.

II. Vasa quoque & cistas in quibus condebantur sacrificio necessaria, sertis redimitas, fuisse constat. *Euripid. Jon. act.* 5.

> Ὁρᾷς τὶ δ' ἄγγος ὑπ' ἀγκάλαις ἐμαῖς,
> Ἴωνι ὁρῷ παλαιὰν ἀντίπηγ' ἐν στέμμασιν,

Viden' hanc cistam sub brachio manus meæ? J. *video antiquam arcam sertis* implicatam & *floribus*. *Tibullus lib.* 1. se & canistra coronat myrto:

> *Hunc pura cum veste sequar myrtoque canistra,*
> *Uncta geram myrto, vinctus & ipse caput.*

Similiter *Ovidius lib.* 2. *Metamorph.*

> *Illa forte die castæ de more puellæ,*
> *Vertice supposito festas in Palladis arces,*
> *Pura coronatis portabant sacra canistris.*

III. Quod ad sacerdotes attinet, tunc omnes coronatos fuisse constat e multis locis. E quibus promo verba *Jonis* alloquentis Xanthum virum *Creusæ*, quam ipse nesciebat esse matrem suam, *Eurip. Jo. art.* 2.

> Παῦε, μὴ ψαύσας τὰ τῦ Θεῦ,
> Στέμματα ῥάξεις χερὶ, i. e.

Quiesce, ne contrectans coronas Dei, eas frangas manu. Hanc coronam *Ammian. Marcellin. lib.* 29. vocat sacerdotalem: *Bidaoque*, inquit, *post Icosium oppidum militaria signa & coronam sacerdotalem cum cæteris quæ interceperat, nihil cunctatus restituit*. Apud *Plinium lib.* 51. *c.* 10. pingitur sacerdos adstante puero cum *acerra & corona*. Qui mos coronandi sacerdotes & in *Syria* viguit, ut liquet ex hisce *Hieronymi in vit. D. Hilarion.* verbis: *Non prius abiri passi sunt, quam futuræ Ecclesiæ lineam mitteret, & sacerdos eorum, ut erat coronatus Christi signo denotaretur*. Calculum his adjicit *Guilielm. Stuckius in descript. sacrif. Gentil. fol.* 79. *edit. Tigur.* Testatur & hoc *Elias Sched. de diis German. pag.* 369. Ostentat lauream suam *Delphicus Virgil.* 3. *Æneid.*

> —— *Phœbique sacerdos.*
> *Vittis & sacra redimitus tempora lauro.*

Cum illa *Apollini* sacra fuerit. *Fulgentius lib.* 1. *Albricus de Deorum imag. c.* 4. *Palæphatus de fabb. c. de Ladon. Meurs. de lauro*; itemque *Flamines*. *Prudent. in apoth.*

> *Flamen & ipse suas miratur vertice laurus,*
> *Cedere.*

Spiceam fratres arvales. *Plin. hist. Nat.* 18. 2. *Agell.* 6. 7. *Ant. Thylesius lib. de coron. Pineam* Galli: quod *Atis* se sub pinu castrasset. Vid. *Arnob. lib.* 5. *Mimallones* hederaceam. *Tacit.* 5. *hist. Taxeam* sacrorum infernalium antistes. *Senec. Œd.* 3. 1.

> *Squallente cultu mæstus ingreditur senex,*
> *Mortifera canam taxus adstringit comam.*

Coronatos fuisse sacerdotes & vittatos asserit *Stat. lib.* 3. *Theb.* ita canens:

> *Huc gemini vates sanctam canentia olivæ,*
> *Fronde comam, & niveis ornati tempora vittis,*
> *Evadunt pariter.*

Et hæc paucis de coronis & frondibus sacerdotum dicta sunto.

IV. Ad ipsa sacrificia pergimus, quæ coronata erant. Prodent *Clem. Alexandr. lib.* 5.

> Θυσίας τε τύτοις ϗ καλὰς πανηγύρεις,
> Στέφοντες. ὅτως ἀσεβεῖν νομίζομεν.

Sacrificia his, & pulchros conventus coronantes, ita pietatem colere existimamus. Et vero inter alia omnia, quibus sacrificii apparatus continetur, corona eminentissimum locum obtinet. Idem *Aristophanes* docet, teste *Carolo Paschal. de coron. lib.* 4. *pag.* 264. *Lactant. lib.* 6. *Instit. cap.* 24. *Ad quod*, ait, *sacrificium neque verbenis opus est, neque fibris, neque cespitibus, quæ sunt utique vanissima*. Sacrificiorum ornatus erat in collo serta & aurum in cornibus. De sertis jam constare potest ex *Luciano de sacrific.* similiter de istis locus extat apud *Theophrastum*

ſtum cap. XXII. *Ethic. Charact.* ubi dicit de μικροφιλοτίμω, h. e. inepte ambitioſo: *Et ſi bovem ſacrificavit, ſolet anteriorem partem capitis magnis redimitam ſertis pro foribus in ipſo introitu figere.*

V. Habitum & ornatum ſacrificantium perluſtrare quoque lubet, qui etiam coronati incedebant, uti probati autores hoc approbant. *Sveton. in Auguſto* morem horum deſcribere ita dicit: *Candidati coronatique & thura libantes.* Cydonius: θύουσι ἐπινίκια καὶ ϛεφανῶνται. *Ovid. lib.* 5. *Triſt. Feſtaque odoratis innectunt tempora ſertis. Virgil.* 1. Georg. *Cereri tota redimitus tempora quercu* lib. 3. Georg. *Ipſe caput tonſæ foliis ornatus olivæ* lib. 5. Æneid. *Ipſe caput tonſæ foliis evinctus olivæ.* Idem lib. 8. Æneid. *Cingite fronde comas & pocula porgite dextra. Tibullus* 1. 10.

> *Hunc pura cum veſte ſequar myrtoque caniſtra,*
> *Vincta geram, myrto vinctus & ipſe caput.*

Idem lib. 2. eleg. 1.

> *Cernite fulgentes ut eat ſacer agnus ad aras,*
> *Vinctaque poſt olea candida turba comas.*

Verum hæ coronæ ex aliis ſubinde frondibus nectebantur. Utpote in *Dionyſicis Myrto*, ut ait *Timochiadas in lib. de coronis*, & *Ariſtophan. in Ranis:*

> Ἴαχ᾽ ὦ Ἴαχχε,
> Ἐλθὲ τὸν δ᾽ ἀνὰ λειμῶνα χορεύσων,
> Ὁσίους ἐς διασώτας,
> Πολύκαρπον μὲν τινάσσων,
> Ἀμφὶ κρατὶ σῷ βρύοντα,
> Στέφανον μύρτοον.

> *Veni per hoc pratum tripudians,*
> *Sacros & initiantes;*
> *Fructiferam concutiens,*
> *Circa caput tuum virentem,*
> *Coronam Myrtorum.*

At in *Cerealibus* e *quercu* coronabantur, ad perpetuum accepti ab illa Dea beneficii memoriam, ut ſignificavit in his *Virgilius lib.* 1. *Georgic.*

> ——————— *neque ante*
> *Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,*
> *Quam Cereri, torta redimitus tempora quercu,*
> *Det motus incompoſitos, & carmina dicat.*

In ſacris *Cybelis* matris Deum e pinu coronabantur. Sic *Ovid. lib.* x. *Metamorph.* & *lib.* 2. *Faſtor.* In ſacris *Herculis populo* coronabantur, ut teſtatur iterum *Virgil. lib.* 8. *Æneid.* In ſacrificiis *Apollinis lauro*, ut eſt apud *Apoll. Rhod. l.* 2. *Argon. verſ.* 159. Verum plura hic adducere poſſemus, ſi neceſſitas hoc poſtularet. Remittimus tamen lectorem ad *Saub. de ſacrific. cap.* XI. *pag.* 246. *Eliam Sched. de diis German. p.* 368. *Guil. Stuck. deſcript. ſacrif. Gentil. f.* 79.

CAPUT IV.

Phyllobolia Geniorum, Larium & Terminalium.

I. **G**Enius ut *Cenſorinus in lib. de die Natali cap.* 3. ait, eſt Deus, cujus in tutela, ut quiſque natus eſt, vivit. *Auguſtin. lib.* 7. *cap.* 13. *de Civ. Dei. Genius eſt Deus, qui præpoſitus eſt, ac vim habet omnium rerum gignendarum.* Nomen habet, ſive quod genamur, curat: ſive quod una gignatur nobiſcum; ſive quod omnes genitos ſuſcipiat ac tueatur: Certe a *Genendo* genius appellatur, *Cenſor. cap.* 3. *de die Natal. M. Hieronym. Dathe in diſs. de Geniis Veter.* edit. *Witteb.* 1690. Is dicebatur *Deus Natalis. Tibul. lib.* 1. *eleg.* 5. & præſes nativitatis credebatur a viris, ſicut *Juno* a mulieribus. *Genii* erant duplices: *Boni & mali*, teſte M. *Hieronym. Dathe diſſert. de Geniis* §.4.5. *Serv. ad lib.* 6. *Æneid. Virgil.* Boni Genii, qualem Socrates habuiſſe fertur, apparuerunt ſpecie pulchra ac amabili, præcipue humana majore, qui credebantur hominum ſalutem tueri. *Peucer.* 29. *lib. de divinat.* Mali Genii ſunt, qui homines ad vitia impellunt: & hi apparebant horrida ſpecie, cum primis ſi aliquod malum immineret. Ita *malus Genius Bruto* Cæſaris percuſſori apparuit, *Plutarch. in vita Bruti. Appian. lib.* 4. *de bell. Civil. Florid. lib.* 4. *cap.* 6.

II. Erat autem *Genius* (1) *Regni*: uti *Claudianus* talis Genii meminit. (2) *Juſtitiæ. Stobæ.* ſerm. 44. *Juſtitia & præfectus ejus Genius digniores ſunt majoriſque habentur quam ut injuſtitiæ gratifeceris.* (3) *Famæ*, *Martial.* lib. 7. Epigr. 11.

> *Ludimus innocui: ſcis hoc bene: juro protentis*
> *Per Genium Famæ Caſtalidumque gregem.*

(4) *Exercituum*, qui toti *Exercitui* præerat, eumque putabatur tueri. (5) *Focorum*

corum apud *Arnob.* lib. 4. pag. 77. adverſ. Gent. (6) *Lecti.* De quo Genio *Juvenal.* Satyr. 5. v. 22. *Antiquum & vetus eſt alienum Poſthume lectum concutere, & ſacri genium contemnere fulcri.* Hinc *Lectus Genialis*, i. e. *nuptialis*. *Horat.* l. I. epiſt. I. Quamvis & Lectus Genialis dicatur, qui ſternebatur in nuptiis in honorem Genii. *Catullus* vocat pulvinar Geniale.

III. Colebant *Genios* rebus ordinariis, utpote *Vino*. *Horat.* in arte Poetic. v. 219. *Thure*. *Tibull.* lib. 4. eleg. 7. & præprimis *floribus*. *Horat.* lib. 2. epiſt. I. multoque *coronarum* & conjectu & impoſitu. *Tibull.* lib. 2. eleg. 2.

Ipſe ſuos Genius adſit viſurus honores
Cui decorant ſanctas florea ſerta comas.

Et hoc ex communi ritu, nam circa Deorum ſimulacra ea fiebant, quæ circa ipſos homines. Ita *Arnob.* lib. 7. adverſ. Gent. Etiam Dii ſertis, coronis afficiuntur & floribus. Conf. *Martin. de Roa* ſingular. pag. m. 588. *Joh. Conrad.* Dieter. in diſſert. de flor. ſparſione §. 6. *Alexander ab Alexandro* Genial. dier. 22. *Scaliger.* 3. Poet. 102. p. 394. *Horat.* 2. ep. I. *Barth.* adverſ. XVIII. lib. f. 920. *Turneb.* adverſ. XXVI. *Dilberr.* Tom. I. diſput. Academ. XIV. pag. m. 427. ſeqq.

IV. *Lares* ſuccedunt, quos cum *Penatibus* ſæpe confundunt Scriptores & utroſque vocant ἐφεϛίυς θεὺς focarios *Cerda* ad lib. 8. *Virgil.* Æneid. pag. 238. nomen habent a *Thuſca* voce *Laris*, qua ita appellatur προϛάτης ſive *præſes*. Unde illis *Lars* eſt populi Princeps. Et ita Dii domeſtici dicti ſunt *Lares*, quod ſint domus ſive familiæ præſides. Origo iſtorum juxta fabulas ita ſe habet. Cum *Lara* nympha *Junoni* indicaſſet *Jovis* mariti adulteria, ipſe ira exardeſcens ſtatim *Mercurio* eam præſecta prius lingua ad inferos deducendam tradidit, quam tamen in via compreſſit, & ex ea natos vidit gemellos, quos *Lares* dixit. *Ovidius* lib. 2. Faſt.

V. De cultu *Larium Voſſius* l. I. c. II. de Idol. agit. Colebantur plerumque oblatione τῶν προφορημάτων primitiarum, teſte *Horatio* lib. 2. ſerm.

——— ——— *dulcia poma*
Et quoſcunque feret cultus tibi fundus honores.
Ante larem geſtat venerabilior lare dives.

Hinc eſt, quod *Tibullus* Larem coronat *ſpicis & uva*, lib. I. eleg. 10.

Hic (Lar) *placatus erat, ſeu quis libaverit uvam,*
Seu dederat Sanctæ ſpicea ſerta comæ.

Coronabantur quoque plurimis floribus *bis* in anno, *vernis*, ſcil. *floribus* & *æſtivis*: ubi per *vernos* flores intelligunt *heliochryſon*, *hyacinthum*, *roſam* & violam albam, quæ prima florum eſt. Per *æſtivos* vero *flores* eos, qui vermis ſuccedunt, cujuſmodi ſunt *Lychnis*, *Jovis flos*, *amareus*, *iris*, & quoddam genus *lilii*. Lares itaque *violis* ornatos fuiſſe teſtatur *Juvenal.* Satyr. 10.

——— ——— *laribuſque paternis*
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.

Sic etiam *Tibullus* lib. 2. el. I. cum ait coronam de *verno flore* factam puerum impoſuiſſe *Laribus*, non de alio flore loquitur, quam de viola:

Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit & antiquis impoſuit laribus.

Redimiebantur *myrto* quoque & *rore marino*, teſte *Horat.* lib. 3. carm.

Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto.

VI. Terminos quoque ſive Terminales lapides coronis floribuſque donavit antiquitas, tanquam judices & arbitros finium, ac proinde pacis & amicitiæ cuſtodes. Vocabantur alias *Hermæ*, de quibus conſulendus tractatus noſter de *Hermis* ubi plura. Cum ergo *Terminus* juri & juſtitiæ locum aſſereret merito coronabatur, teſte *Ovid.* lib. 2. Faſt.

Termine, ſive lapis ſive es defoſſus in agro
Stipes, ab antiquis, tu quoque nomen habes.
Te duo diverſa domini de parte coronam,
Binaque ſerta tibi, binaque liba ferunt.

Hoc autem coronamentum non ſolum conſtitit e floribus, ſed e faſciis ſeu faſciolis. *Prudent.* contr. *Sym.* lib. 2.

——— ——— ——— *& lapis ille*
Si ſtetit antiquus, quem cingere ſueverat error.

Plura qui desiderat evolvat *Adrian. Turneb.* advers. lib. 18. *Demster.* ad *Rosin.* lib. 2. 20. pag. 410. 411.

CAPUT V.

De ramis & floribus in rebus lætis, nec non in Pompis Deorum usitatis.

I. RAmorum usus & florum sparsio tam in *publica* ac *solenni* lætitia, quam *privata* usurpabatur, dum *templa*, *Turres*, *Januas* ac *seipsos* concepti gaudii indicium exhibentibus ramis ac floribus coronabant. Et si hæc juxta lancem mentis & judicii examinamus, certo constat, reliquias remansisse in Germania nostra. Nonne certis & statutis temporibus anni multis in locis festis quibusdam diebus non solum fores templorum, sed & turres frondibus exornantur ad testandam lætitiam? Moris etiam hodienum est, ut fabri lignarij, cum ædificium ad finem perduxerunt & erexerunt, in apice illius frondem collocent. Sie stecken einen grünen Strauch auff die Spitze / qua re lætitiam significare volunt. Ramos itaque in quibusvis latis rebus usurpatos fuisse testantur Scriptores probati. *Seneca* epist. 78. *Quid tu*, inquit, *existimas ea tantum optabilia esse, quæ per voluptatem & otium veniunt? Quæ excipiuntur foribus exornatis? Cornelius Tacitus* lib. 4. Annal. *Fuit inter irritamenta invidiæ domus foro imminens festo ornatu*: Scilicet ob lætitiam Domini redeuntis. Ornatus autem festus erant *lauri & lucernæ*, quem ritum duabus vocibus exprimunt Græci φωτὶ ϗ̀ ςεφανώμασι. Hinc *Tertullianus* in Apolog. hæc profert: *Cur die læto non laureis postes adumbramus, nec lucernis diem infringimus. Juvenal.* Sat. 10.

> *Pone domi lauros duc in Capitolia magnum*
> *Cretatumque bovem*

Nempe ob lætitiam *Sejani* superati. *Rutilius* etiam *Claudius* Itinerarii lib. 1. ob sui reditus lætitiam:

> *Festa dies, primosque meos dignata penateis,*
> *Poste coronato vota secunda colat.*

II. Sic in *Natalitiis* & aliis festis Hebræorum *Lucernæ* & *flores* ad januas positæ erant. Moris apud eos fuit, in sacris celebrandis non intra templa modo, sed ad januas etiam lucernas accendere, eas *ramis* & *floribus* exornare, testis hujus est *Persius* ita canens:

> *Herodis venere dies, unctaque fenestra*
> *Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,*
> *Portantes violas &c.*

Herodis autem dies, *Persius*, Sacras Hebræorum ferias & Sabbata intelligit. Illum enim *Pompejus*, *Strabone*, autore, Sacerdotio Judæorum præfecit, postea vero *Augustus* Cæsar, ad regni honorem erexit, quanquam & de die Natali festo *Herodis* alii interpretantur. Similiter *Juvenal.* Satyr. 12. cultum & nitorem exprimit, qui festis diebus adhibebatur: cum ornabantur ædes atque omnia purgabantur. Ita *Plauti Leno* in *Pseudolo*: *Tibi*, inquit, *hoc præcipio ut niteant ædes*. Et infra: *Facite, ut offendam parata, versa, præsterga, strata, lautaque coctaque omnia uti sint: Nam mihi hodie Natalis est.* De hoc cultu *Ambros.* Serm. 13. in Nat. Domin. & *August.* orat. 1. in eod. *Domus etiam*, inquit, *si obscura fuerit dealbatur, pavimenta scopis mundantur & diversis floribus adornantur.* Non prorsus absurdum, si cum domus tota nitida, collustrata, vestita *ramis* esset ob diem festum, quæ quasi sacrorum complementa sunt, ipsa janua operari dicatur, ut apud *Tibull.* lib. 2. Eleg. 1. *Omnia sint operata Deo*: Ornatu enim suo sacro operatur janua. vid. *Martin.* de Roa. singul. p. m. 195.

III. Græcorum ritus in festis diebus observatos, si perpendimus, tunc ex illorum scriptis erudimur, eosdem fere fuisse. Celebrabatur apud iusos, Δαφνηφόρεια, *Festum* apud *Bœotos Apollini*, *Ismenio* & *Galaxio* dicatum. Meminit ejus *Proclus in Chrestomathia*, cum inquit: Παρέπεμπον δὲ τὴν δαφνηφορείαν εἰς Ἀπόλλονος ἰσμηνίου, ϗ̀ γαλαξίου. Singulis autem novenniis agitabatur, *Lauri* in illo a Sacerdotibus, qui proprie Δαφνηφόροι, i. e. lauriferi cognominati, gestabantur, hymnisque *Apollo* celebrabatur; unde & nomen habet ἀπὸ τῆς δάφνης φορᾶς a *gestatione lauri*. Præerat his *Daphnephoris* puer ἀμφιθαλὴς, i. e. cujus uterque parens superstes, cui alius, qui valde familiaris, lignum coronatum gestabat, κωπὼ nominatum. Deinde subsequabatur *alius*, *laurum* manu gestans, inde Δαφνηφόρος, i. e. *laurifer* dictus, ut *Proclus* eodem refert loco. Præterea incedebat ὁ Δαφνηφόρος capillis dimissis & fluxis, aureaque redimitus corona, splendidaque veste talari indutus, calceisque, quos Græci Ἰφικρατίδας vocabant. Hunc virginum chorus comitabatur, ramos ad supplicationem, quæ hymnis celebrabatur, prætendens. Sic *Athenis* Ἀνθεστήρια *Floralia* habebantur. Hoc festum *Baccho* sa-

crum

crum erat, indeque dictum, quod in eo Athenienses ἄνθη *flores* inferrent. In his sacris etiam solebant *hederam* coronare. Hinc τὸ περιφερόμενον καὶ πολυθρυλλούμενον ortum est: κισσὸς μετ᾽ Ἀνθεστήρια, i. e. *Hedera post* Anthesteria, Epheu nach dem Fest oder Tanz. Ita in festo, quod ὑακίνθια vocabant, coronabant se *hedera*; vide *Hesychium*, it. *Athenæum* lib. 4. & 6. & *Macrobium*.

IV. In festo πυανέψια *ramorum ramum oleaginum*, qui Græce Εἰρεσιώνη appellatur, circumferebant. Erat autem *ramus* iste oleaginus lana obvolutus omnigenisque terræ fructibus onustus, quem supplices apud Græcos olim quotannis stato tempore in honorem *Cereris*, vel juxta alios *Apollinis* ante ipsius templi fores, vel ut alii volunt, ante ædium januas ad arcendam famem seu pestem ex Oraculi præcepto statuebant. Vid. *Carol. Paschal.* lib. 5. pag. m. 322. de coron. *Suid.* in Εἰρεσιώνη, & *Schol. Aristoph.* ad Equit. Hæc Εἰρεσιώνη per totum annum foribus appendebatur & integra servabatur, donec redeunte anno nova reponeretur, uti nobis refert *Scholiast. Aristophan.* ad *Plut.* Conf. *Johan. Fasold.* ἱερολογίαν Græcorum veterum *pag. m.* 217. Quid dicamus de *Siculorum* & *Argivorum* Ἀνθεσφόρια, seu *Floriferto*, ubi virgines floribus ornatæ festum agitabant? Pari modo in *Supplicationibus Senatores Patritii* cum *conjugibus* & *liberis* coronati, nonnunquam quoque omnes ordines præeunte *Pontifice Maximo*, & præcedentibus pueris virginibus patrimis & matrimis coronatis vel aurum tenentibus manu solenniter incedebant. Non solum hic mos apud *Græcos*, sed etiam *Sinas* viguit in Festis publicaque lætitia, uti scribit *Maphæus* lib. 6. hist. Indicar. ubi cum de novi anni celebritate narraret, ita literis tradit: *Parietes*, inquit, *fornicesque viridi fronde, micantibus rosis, & pretioso peristromate vestiuntur. Fragrant odoramentis ac floribus viæ; accensis funalibus ac laternis arbores, pergulæ, fenestræ collucent &c.*

V. Hic mos quoque observatus fuit in festis nuptialibus, uti notavit *Ovid.* de nuptiis Hypermnestræ:

> *Undique collucent præcinctæ lampades auro*
> *Dantur in invitos impia thura focos*

Quas ego non de prælatis tantum, sed de suspensis accipio. *Statius* de nuptiis *Stellæ* lib. 1. Sylvar.

> *Fronde virent postes & fervent compita flammis.*

Claudian. de Nuptiis *Honorii* & *Mariæ*.

> *Alii funalibus ordine ductis &c.*

Huc spectat *Seneca* in Thyeste Act. 1. sub initium.

> *Ornetur altum columen, & lauro feres,*
> *Lætæ virescant &c.*

In aliis quoque *Conviviis* hilaribus *flores* conspicimus.

Coronæ etenim & flores in conviviis adhibebantur, non tantum honoris Deorum aut lætitiæ causa, sed maxime ut vapores e vino & cibis cerebrum petentes infringerent. Audiamus hac in re *Plutarch.* Sympos. 3. cap. 1. qui moris fuisse ostendit, ut floribus caput redimerent firmando cerebro. *Ideo*, inquit, *maxime floreas coronas ex collo suspendentes hypothymiadas vocabant, quasi pectorales & pectora unguento ex iis ungebant*. Calculum his addit *Athenæus* Deipnos. lib. 15. his verbis: *Iis, quorum caput meri potione tentaretur, opus remedio fuit; promtissimum id erat ex florum fasciculis ac sertis*. Conf. *Joh. Douythæi* analect. sacr. part. 2. p. m. 175. *Jul. Cæs. Bulenger.* de conviv. l. 3. cap. 24. pag. m. 289. edit. Lugd. 1627. *Guilielm. Stuck* antiquit. Convival. lib. 3. *Dieter.* Differt. de sparf. flor. pag. m. 15. Ubi plures adferuntur autores. Ex his & aliis constat, quod flores & rami in rebus latis usitatissimi fuerint.

VI. Honorem *Phyllboliæ* etiam Diis Deabusque exhibitum fuisse multis testimoniis approbant Scriptores. Horum quædam in medium proferemus. Apud *Lucretium* lib. 5. legimus, *Venerem* in pompa quasi antecedit *Flora præspargens & vias cunctas coloribus egregiis & odoribus opplet*. Sic apud eundem *Cybele* Mater Deum excipiebatur:

> —— *cum primum magnas invecta per urbes*
> *Munificat tacita mortales muta salute*
> *Ære atque argento sternunt iter omne viarum*
> *Largifica stipe ditantes: pinguntque rosarum*
> *Floribus umbrantes Matrem comitumque catervas*

Et *lib.* 2. ibidem legitur:

> —— *scena croco Cilicum perfusa recenti*
> *Araque Panchæos exhalat propter odores.*

In pompa *Isidis* apud *Apulejum* lib. x. *Mulieres candido splendentes amicimine, ver-*

no florentes coronamine de gremio, *per viam*, *qua sacer incedebat comitatus solum sternebant flosculis: quædam unguentis*, & *geniali balsamo guttatim excusso*, *conspergebant plateas*, & *Psychen*, *quasi Deam*, *per plateas commeantem populi floribus*, *sertis* & *solutis*, *adprecantur* lib. 4.

VII. De *Segestanorum Diana*, *Cicero* Orat. 9. in *Verr.* refert, quod floribus & coronis conspersa fuerit. Operæ pretium esse duximus verba ipsa adscribere: *Quid hoc tota Sicilia est clarius? quam omnes Segestanas matronas* & *virgines convenisse*, *cum Diana exportaretur ex oppido*, *unxisse unguentis*, *complesse coronis ac floribus?*

CAPUT VI.

De distinctione Phyllobolia & *quibus exhibita.*

I. Distinguebatur autem Phyllobolia in *publicam* & *privatam*. *Publica* erat, qua publico mandato unanimique consensu ac voto, viæ, per quas honorandus ingressurus erat, floribus conspergebantur. *Privata* autem non ideo solennis erat & sine mandato peragebatur. Ritus igitur talis erat; Veteres quos insigni honore ac benevolentia complectebantur, eos φυλλοβολίας specie inter alios dignari solebant. Cumprimis autem has prosequebantur *Heroas*, *Victores* ac in universum *Viros illustres*, si vel ipsi eos invisebant aut accedebant, vel prout instituti ratio postulabat, ab ipsis introduci debebant (2), eos, quibus vel ingredientibus, vel discedentibus fausta ac felicia omnia apprecabantur (3). Tandem tales qui de Republica præclare essent meriti, sibique eandem ingenti beneficio devinxerant, sive adhuc inter vivos, seu jam inter plures agerent: adeoque publicæ lætitiæ communiter fuit argumentum, quod nunc singulatim singulis membris fusius monstrabimus.

II. Hoc itaque honore afficiebant *Heroas*, *Victores* & *viros* illustres, *Heroes* unde dicantur non convenit. *Plato* in *Cratyl.* pag. 274. ab ἔρειν dicere, loqui, derivat, quod *Rhetores* & *Oratores* admirabiles cæteris hominibus heroica proles crediti sint. Verba ita se habent: *Quare*, *ut modo dicebamus*, *Attica voce Heroens*, *Rhetores quidam* & *Disputatores* & *amatorii videntur*. *Unde Rhetorum Sophistarumque genus heroica proles existit*. Idem *Plato* etiam vocem descendere vult ἀπὸ τοῦ ἔρωτος ab amore, quod omnes *Heroes*, vel ex amore Deorum erga mulieres humanas, vel ex amore virorum erga Deas sunt geniti. *Augustinus* lib. 10. cap. 21. de Civit. Dei *ab* ἥρα, idest *Junone* originem traxisse credit, eo quod *Junoni* aer sit dicatus, in quo fingitur *Heroas* cum *Dæmonibus* habitare. Alii tamen ab ἔρας dictum volunt, i. e. terra, quasi *Heroes* terreni Dæmones, seu Dii fuerint. Quicquid sit: notatio nominis indicat, illos fuisse homine superiores. An vero Dii fuerint, an Dæmones, an tertium quoddam genus ab illis distinctum, non patet. *Aristoteles* non tam ad Deos, quam ad peculiare genus *Heroas* videtur referre, licet eosdem etiam Deorum numero afferat. Distinguit eos *lib.* 7. *cap.* 12. *Politic.* ab *Heroibus*, dum ait: *Fama quoque per agrum esse debent*, *tum Diis*, *tum etiam Heroibus distributa*, *scil. vel vivis*, *vel etiam defunctis*. Qui jam dixerunt, nullum esse dubium, *Heroas* a Veteribus dictos fuisse homines illustres præ reliquis mortalibus virtute & meritis eminentes.

III. Hi *Phyllobolia* afficiebantur, quod partim exemplis ex *Latio*, *Asia* & *Græcia* deductis fiet manifestum. Sic *Herodianus* id sparsim luculentis comprobat documentis, ut *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 10. ubi refert *Commodi* adventum in urbem Romam εὐφημίαις παντοδαπαῖς καὶ στεφάνων καὶ ἀνθέων βολαῖς *faustis omnimodis acclamationibus*, *nec non coronarum florumque sparsionibus excepisse*. Quemadmodum & de *Antonini Caracallæ* ingressu in urbem *Alexandriam* *lib.* 4. *cap.* 8. Inter alios honores ipsi oblatos, nempe præter concentum Musicum, aromata & suffimenta incensa, δᾳδουχίαις καὶ ἀνθέων βολαῖς eum honoratum recenset. Adde eundem autorem *lib.* 5. *c.* 6. *n.* 18. *lib.* 7. *c.* 10. *num.* 15. & alibi passim. De *Juliano Ammian. Marcellin.* lib. 21. *Suburbanis propinquantem militaris*, & *omnis generis turba cum lumine multo*, & *floribus votisque faustis*, *Augustum appellans*, & *Dominum duxit in Regiam*.

IV. Sic apud Persas mos obtinuit, ut *floribus* & *odoribus* vias, quibus Rex sublimis incedebat, sternerent, teste *Herodoto* lib. 8. his verbis: *Et primus quidem nuntius Susa perlatus Xerxem Athenis potitum esse*, *tanta Persas*, *qui relicti erant*, *voluptate affecit*, *ut omnes vias myrto constraverint*, & *per eas odores incenderint*, & *ipsi in sacrificiis* & *gaudiis versarentur*. Confer. *Barnab. Brisson.* de *Regno Persar. lib.* 2. *pag.* 271. Pari modo *Herodotus* lib. 7. c. 54. qui non immerito pater Historicorum, puta exterorum, salutatur, refert de *Xerxe*, quod cum ponte Hellespontum junxerit ac suos præmonitos ad virtutem bellicam trajecerit, *tantisper fuerit moratus*, *dum Solem orientem*

tem (more Persarum qui cœlo albente prospera quæque cessura existimabant) *conspexerit; Ubi omnifarios odores in pontem congesserint, myrto iter consternentes*, quod scil. Rex ingrediebatur. Pariter *Q. Curtius* lib. 5. cap. 1. *Alexandro M.* Babylonem diurnis nocturnisque itineribus contendenti, siquidem ibidem Gaza regia *Darii* custodiebatur, non tantum *Mazæum* præfectum urbis cum liberis ac conjuge supplicem occurrisse refert; sed quod cum postea ipsam urbem quadrato agmine ingressus fuerit *Bagophanes arcis & regiæ pecuniæ custos totum iter floribus coronisque constraverit, argenteis altaribus utroque latere dispositis, quæ non thure modo, sed omnibus odoribus cumulaverit*. Uti & rursus *lib. 9. cap.* 10. de Alexandro Liberum patrem æmulante commemorat, quod *animo super humanum fastigium elato, vicos, per quos iter erat, floribus coronisque sterni jusserit*.

V. Simonem quoque summum Sacerdotem, magnum Ducem ac Principem Judæorum post debellatam urbem, & acceptam deditione hostium arcem Jerusalem cum laude & ramis palmarum, in eam more triumphantium ingressum sacræ literæ prodiderunt. Libro enim 1. *Machab.* cap. XIII. legimus hæc verba: *Intraverunt in eam tertia & vigesima die secundi mensis, anno centesimo septuagesimo primo cum laude & ramis palmarum, & cynniris & cymbalis & nabliis & hymnis & canticis, quia contritus est inimicus magnus ex Israel.* Roma Triumphantes *florum sparsione* excepti, *Appianus* 1. *Punic.* vid. *Joh. Henric. Ursin.* Analect. sacr. vol. lib. 1. cap. 39. pag. 48. edit. Francof. 1658. *Ovidius de Germanico* ita canit:

> *Quaque ibis manibus circumplaudere tuorum*
> *Undeque jactato flore tegente vias.*

Cum Romam ingrederetur *Severus*, urbs tota ἀνθέσι τε ϗ δάφναις ἐςεφάνωτο floribus & coronis ornabatur: vid. *Xiphilin.* Conferatur *Dieteric.* dissertat. de sparsione florum *them.* 2. §. 5. ubi de hac materia plura.

VI. *Naves* etiam in lætitia & victoria ramis coronabantur. Ita enim explicamus illud *Virgilii* Georg. 1.

> *Ceu pressæ cum jam portum tetigere carinæ*
> *Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.*

Quo etiam spectavit *Propertius:*

> *Ecce coronatæ portum tetigere carinæ,*
> *Trajectæ Syrtes: anchora jacta mihi est.*

Ovidius lib. 3. Amor. *Eleg.* 20. quasi ex amore victoriam retulisset, ita canit:

> *Jam mea votiva puppis redimita corona*
> *Læta tumescentes æquoris audit aquas.*

Ovidius lib. 2. de remedio amoris:

> *Hoc opus exegi: fessæ date serta carinæ,*
> *Contigimus portum quo mihi cursus erat.*

Corymbis autem ornatas naves non semel apud *Valerium Flaccum* legimus, quos tametsi pro navium rostris nonnulli accipiunt, *Suidas* ramorum extremas partes interpretatur, idque Græco epigrammate confirmat. Coronabantur præterea naves apud Romanos mense *Junio*, in *Fortunæ* festo, & per medium amnem convivia celebrabantur, teste *Ovid.* lib. 6. Fast. *Athenæus in Dipnos.* hoc de coronatis navibus affirmat, ita differens: *Chrysogonus*, inquit, *stola indutus Pythica*, τὸ τεῖϰἔλικον, *tibia canebat, cum Alcibiades purpureis demissis velis, jussisque remigibus remis incumbere, navibus coronatis ob victos Lacedæmonios, Pyreum portum ingrediebatur. Plutarchus* autem in *Alcibiade* addit ex *Duri Samio*, Prætoriam navim qua Alcibiades vehebatur, veluti ex Bacchanalibus redeuntem, cum purpureis velis portum ingressam, hoc est, thyrsis, hederaque ornatam fuisse. *Lucullus* etiam ut scribit *Appianus in Mithridatico*, capto apud *Lemnum* Insulam Varo, Alexandro, ac Dionysio Eunucho, navem lauro ornatam: ut *in Victoria*, inquit ille, *mos est;* cum literis Romam misit. Conf. *Carol. Paschal.* de Coron. lib. 4. cap. 18. pag. m. 259.

VII. Affecti quoque φύλλων βολαῖς οἱ Ιερονῖκαι, vel illi qui in *Olympicis* ac *Isthmicis ludis* victoriam reportaverunt, aliosque multis parasangis post se reliquerunt. Ut autem constet, quid sint ludi *Olympici* & *Isthmici*, observandum, quatuor solennes fuisse ludos, quos alii certamina vocant: *Olympica*, *Pythia*, *Nemea*, *Isthmica*, & eorum brabia in sola *corona* ἐν ςεφάνῳ μόνῳ erant: Unde & ςεφανῖται & φυλλῖναι appellabantur. Celebrabantur Olympica quarto anno, & ab *Hercule* Alcmenæ filio in honorem Jovis instituta, vid. *Carol. Paschal.* lib. de coron. cap. 4. lib. 6. p. 346. *Anton. Borremans* var. Lect. lib. *cap.* 12. *pag.* 146. *seq.* Quinque certaminum generibus certabatur, *cæstu*, sc. *cursu*, *saltu*, *disco* & *palæstra*. Qui in ali-

quo

quo vicissent genere *Olympionicos* dicebantur, qui pugillatu simul valebat *Pancratiastes*, & qui in omnibus prævaluisset πένταθλος *Quinquertio* vocabatur. Conf. *Arist. lib.* 1. *Rhetor. cap.* 5. Præmium victoris erat *corona* ex *olea*, vel *oleastro*, non tamen ex quovis coronæ victoribus dabantur, sed e vocata *Callistephano*, sicut tradit *Pausan. in Eliac.* de quibus agit *lib.* v. ostendit, quem *callistephanum* appellant, quasi *coronarium* dices. Simile tradit *Aristoteles in admirabilibus Auscultationibus*, & ex eo *Scholiastes Aristophanis*. Confer. *Carol. Paschal. lib.* 6. de coron. *cap.* 18. *p. m.* 399. *seq.* Athletas non solum coronatos, sed & floribus & ramis conspersos fuisse, tradidit *Scholiastes Euripidis in Hecubam. pag.* 52. cujus ritum magnam partem *Suidas* voce περιαγειρόμενοι pœne iisdem verbis prodit. Idque & *Casparus Stiblinus pag.* 10. confirmat, ita scribens: *Solebant antiquitus victores in certaminibus frondibus etiam a circumstante corona consterni*. Itemque *Clemens Alexandrinus* cum *lib.* 2. *Pædagog. cap.* 8. inter vetustissima agonum præmia tertio loco φυλλοβολίαν recenset.

VIII. Sciendum itaque hoc loco, quod cum præco *athletam* victorem renuntiasset, non illico corona data fuerit, sed *arrha*, quæ *virga* fuit, seu ramus e palma, non præmium victoriæ, sed signum. Et hæc est illa δόσις, quam Clemens Alexandrinus primo Athletis datam memorat supra citato loco. Hanc virgæ dationem sequebatur ἐπεγερμός incitamentum seu adhortatio. Postea *conjectus foliorum* φυλλοβολία, φυλλοβολεῖν enim significat conjicere folia sive flores in Victores e parata materia. Nempe tales foliorum & florum conjectus accipiebantur pro insigni gratulationis argumento. Et hoc est illud apud *Aristidem* στεφανῶσαι coronatum esse. Hoc modo igitur interpretamur locum *Plutarchi in Alcibiad.* ubi ait, Alcibiadem exeuntem e navi concursu hominum coronatum fuisse. Quando itaque Athleta victoriam consecutus, virga data & plausibus factis floribus, frondibus & foliis, quæ erant ex oleastro, totus conspergebatur.

IX. *Pythia* sequuntur certamina, quæ in honorem *Apollinis* sunt celebrata, instituta ab *Agamemnone* vel alio quodam, de qua re videndæ sunt antiquit. Græcæ *Pfeifferi lib.* 1. *cap.* 50. *pag. m.* 129. Certabatur in his ludis a juvenibus *pugna*, *bigis cursuque*. Victores primum ex *esculo Jovi* sacra, deinde *Lauro Apollinea* coronati sunt, vid. *Pfeiff.* antiquit. Græc. lib. 1. cap. 5. pag. 132. *Anton. Borrimans* var. Lect. lib. cap. XII. *pag.* 147. *Carol. Paschal.* de coron. *lib.* 6. *pag. m.* 430. *seq.* In *Nemeis* ludis coronæ ex *apio* & *pinu* erant, vid. *Carol. Paschal.* cap. 26. p. 435. de coron. *Borremans cit. loc.* Sic in *Isthmicis* floribus & coronis exornabantur, vid. *Pfeiff.* antiq. Græc. *lib.* 1. *cap.* 52. aliosque.

X. Imo non tantum dicti victores sed & quilibet, *triumphum ab hoste* reportantes. Sic enim *Pausanias in Messenica* refert *lib.* 4. *p.* 245. edit. Græco-Latin. *Sylburg. Aristomeni* Messeniorum Duci ex prælio *ingredienti mulieres quacunque incesserit* ταινίας καὶ τὰ ὡραῖα, i. e. *tænias & ut anni ferebat tempestivitas flores & fructus conjecisse*. Præterea & omnes vias urbis, per quas triumphus ducebatur, floribus, sertis ac suavissimis odoribus cumulare solebant. Eximium hujus rei exemplum apud *Plutarch.* in vita *Æmilii Pauli* legimus, quod *populus in circis, foro aliisque locis unde triumphi pompa cerni potuerit, fixis tabulatis desuper spectaverint pura veste induti. Omnia templa aperta sertis ac suffitibus consperserint*. Cujus etiam *Ovidius* meminit lib. 4. *Trist.* Eleg. 2. vers. 49.

Quaque ibis manibus circumplaudere tuorum
Undique jactato flore tegente vias.

Et *lib.* 2. *epistolarum* ex Ponto Epist. 1. vers. 36.

Quaque ierit, felix adjectum plausibus omen
Saxaque jactatis (velut alii roratis) *erubuisse rosis.*

Et sic intelligendus est *Tacitus lib.* 2. *histor.* ubi agens de victoria *Othonis populus*, inquit, *cum lauru & floribus Galbæ imagines circa templum tulit, conjectis in modum tumuli coronis juxta lacum Curtii*, i. e. tulere imagines *Galbæ* redimitas corollis laureis & floribus, quas in eum acervatim conjecerant. Quidam vero, inquit *Plutarchus in Jul. Cæs.* & coronas in ipsum, sicuti *athletam* & flores conjecerunt. Hoc exemplo milites *Teleutiam* Ducem *Lacedæmonium* redeuntem *Spartam* ingentibus studiis prosequuti sunt. Horum alius eum coronavit, hoc est, flores & folia in eum conjecit, alius tæniis eum donavit. Qui autem intempestivi erant, coronas in mare projecerunt, illique omnia bona precati sunt. Qui sane conjectus non tantum fiebat humana manu, sed sæpe divina, quæ eos demonstrabat, qui aut jam vicissent, aut inibi erant, ut

ut vincerent. Id quod accidit *M. Lucullo*, ejusque militibus, *Plutarcho autore in Sylla*, quos aura suavis e proximo prato sponte conspersit tanta multitudine florum, ut scuta & galeæ iis coopertæ eam speciem hostibus præbuerint, quæ *Luculli* exercitum coronatum demonstraret.

CAPUT VII.

De Phyllobolia in ingressu, nec non sparsione unguentorum, & unde ritus lucernas (Freuden-Feuer) *accendendi vinum spargendi* (Wein lauffen lassen) *& tormenta bellica displodendi originem traxerint?*

I. ORiginem harum ceremoniarum sequentium non aliunde, quam a φυλλοβολία accersimus. Notum enim est, quod ingredientibus Regibus populus cum floribus & ramis occurrerit, teste *Plutarcho in Pompejo* ita scribente: Pompejum hoc honore exceptum in *Neapolis* ingressu: *Multi præterea*, inquit, *sertis ornati sub lampadibus eum suscipere, flores in eum jacere, gradientem usque comitari*. Similiter *Demochares lib.* 5. & 28. *Historiarum* apud *Athenæum lib. 6. c. 6.* differit: *Athenienses Demetrium ex Leucade Corcyraque Athenas venientem, non solum fumorum odoribus, coronisque, ac vina effundentes exceperunt: verum etiam chori Ithyphallique cum sacris cantilenis tripudiantes ac canentes ei occurrisse*. Flores & coronas spargere in Principes priscis seculis usitatum docet *Livius lib.* 33. qui in hæc prorumpit verba: *Omnes tendere ad Imperatorem Romanum, ut ruente turba in unum, adire, contingere dextram cupientium, coronas, lemnicosque jacientium, haud procul periculo fuerit*. Capitolinus in M. Antonino: *In Saliatu omen accepit Imperii, coronas omnibus in pulvinar ex more jacientibus*.

II. In Principibus viris excipiendis non modo *flores* sparsos & odores incensos legimus, sed etiam *unguenta* profusa loco florum, *Antiochus Syriæ Rex* in pompa, quam in honore *Daphnes* instruxit, ducentas fere puellas induxit, quæ vias inguentis conspergerent, quod *Athenæus l.* 5. *cap.* 4. confirmat ita scribens: *Accesserunt & sexcenti pueri Regii aurea vasa habentes: mulieres postea ducentæ fere unguentis ex pelvibus aureis aspergebant*. De incensis odoribus idem *lib. 6. cap. 6.* quem paulo ante adduximus locum. Non dissimilis apud *Sinas* etiam mos, de quo *Maphæus lib. 6. Histor. Indic. Fragrant odoramentis ac floribus viæ*: Simili apparatu *Metellus pius* in ulteriorem Hispaniam veniens exceptus, ut narrat *Macrobius* ex *Sallustio*, qui de illo in hunc modum scribit: *At Metellus in ulteriorem Hispaniam post annum regressus, magna gloria, concurrentibus undique virili & muliebri sexu, per vias & tecta omnium visebatur. Cum Quæstor. C. Urbinus aliique cognita voluntate, cum ad cœnam invitaverant, ultra Romanorum, ac mortalium etiam morem curabant, ex ornatis epulis, per aulæa & signa scenisque ad ostentationem histrionum fabricatis, simul croco sparsa humus &c. tum venienti thure quasi Deo supplicabatur*. At *Alexander* ille Magnus *unguenta* etiam addit, quibus sibi ingressuro pavimenta spargi volebat, addito etiam vino odorifero ut nihil illi ad divinum sui cultum deesset. Testem iterum habemus prælaudatum *Athenæum lib.* XII. *cap.* 8. differentem hoc modo: *Conspergebat pretioso unguento, vinoque odorifero pavimentum Alexander, myrrhaque, & aliis suffimentis sibi suffumigari videbat*. *Suetonius* etiam in *Nerone cap.* 25. de ejus in urbem cum solenni pompa ingressu: *Incedenti passim victimæ cæsæ, sparso per vias identidem croco, ingestæque aves, ac lemmisci, bellariaque*.

III. Ingredientibus præterea urbem principibus viris hunc honorem habitum videmus, quod cum lucernis excepti & lampadibus fuerint cum apud Hebræos, tum apud Romanos aliasque nationes. *Machabæorum* libro *cap.* IV. *Antiochus Rex Jerosolymam ingrediens* cum facularum luminibus exceptus est. *Judith* etiam 3. Duci *Holoferni* universæ urbes *Syriæ*, *Mesopotamiæ*, & *Syriæ Sobal*, *Libiæ* atque *Ciliciæ* cum ramis & lampadibus obviam exiere. Ita enim sacræ paginæ. *Tantusque metus provinciis illis incubuit, ut universarum urbium habitatores, Princeps & honorati viri simul cum populis exirent in obviam venienti, excipientes cum coronis & lampadibus, ducentes choros in tympanis & tibiis*. De *Romanis Plutarchus in Pompejo* de ejus in *Neapolim* ingressu. *Multi præterea sertis ornati, sub lampadibus eum suscepere*. *Sueton. de Julii Cæs. triumpho cap.* 37. *Ascendit Capitolium ad lumina quadraginta Elephantibus Lychnuchos gestantibus:* ubi Lychnuchi dicuntur, qui lucernas gestabant: quod etiam luminis est, ad lumina præferentes transtulit. In *Ptolemæi* etiam pompa lampades prælatas apud *Athenæum* legas *lib.* 5. *cap.* 5. Aderat etiam umbraculum, atque in quatuor angulis ipsius currus lampades erant inauratæ. Et paulo post in eodem capite: *Thuribula præterea trecenta & quinquaginta aurea, aræque inauratæ & coronis aureis ornatæ processerunt, in una quarum faces: quatuor decem cubitorum erant infixæ*. Et Satyri etiam ibidem lampades ferunt:

runt: *Succedebant his Satyri in ſingulis partibus ſpatii viginti aureas lampadas in hederarum folia inciſas ferentes*. Antonius etiam Triumvir, ut tradit *Athenæus lib.* 4. in *Athenarum* arcem acceptus eſt illuſtrata urbe lampadibus e tectis fulgentibus: *Tranſibat*, inquit, *etiam aliquando ut is aſſerit* (*Socrates Rhodius*) *in arcem cum lampadibus e tectis universa Athenarum civitate faces præferente: & Antonius* Imperator eodem honoris genere dum Alexandriam ingreditur, decoratur, ut ſcripſit *Herodianus*. Nam de *Tiridatis* in Romam adventu, & *Neronis* e Græcia reditu hiſtoriæ multa referunt, quæ ſilentio tranſimus.

IV. Verum de igne Regibus Imperatoribuſque prælato conſulito *Xenophon. de Reg. Lacedæmon.* & *Johan. Stobæ. in collectan. locor. commun.* ſerm. 42. *Herodot. in Urania lib.* 8. ſub initium: *Philon. l.* 2. *de vit. Moſis*. Atque ut ex *Actis S. Sylveſtri* Latine ſcriptis conſtat, Imperator *Conſtantinus* poſt habitam ad Senatum populumque Romanum orationem de Chriſto recipiendo, omnibus Chriſtianis & infidelibus hanc legem laudantibus, & vitam *Auguſto* optantibus, finis ejus rei factus eſt: & revertente *Auguſto* ad palatium tota civitas cereis, lampadibuſque repleta coronata eſt. *Cedrenus* etiam in compendio *Hiſtor.* tradit, populum *Heraclio* Conſtantinopolim ingredienti frondes oleaginas faceſque geſtantem occurriſſe. Nonne ſimile reperimus & conſpicimus hodienum uſitatum eſſe? Nam quoties Rex ſolennem ingreſſum celebrat, lampades & ignes lætitiæ cauſa accenduntur: Es werden Freuden-Feuer angeſtecket / quemadmodum moris eſt in *Anglia* & ſæpiſſime in *Italia*. Fuit igitur communiter hoc florum & coronarum ſparſio publicæ lætitiæ argumentum, conſimili fere modo, quemadmodum noſtrates diebus lætitiæ deſtinatis, pulverem nitratum artificioſe compactum (Ein Freuden-Feuer) accendere, ſclopeta & tormenta bellica diſplodere ſolent. Nec aliunde, quam ex *ſparſione* florum accerſendus ritus *vinum fundendi*, qua ex ſcaturigine artificioſe vinum emittitur: Man läſſet an ſolchen Freuden-Feſten rothen und weiſſen Wein ſpringen / uti in inauguratione Imperatoris vel alius Electoris fieri ſolet, id quod etiam ex *Athenæo lib.* 5. *cap.* 5. de Pompa *Ptolemæi Philadelphi* diſcimus, qui in hæc prorumpit verba: *Scaturiebant ex ipſo* (curru) *binæ ſcaturigines, hæc aquæ, illa vini*. Simile conſpicimus in inauguratione *Maximiliani*, uti eleganter deſcripſit *Guilielm. Stuck. in Antiquit. Convival. fol.* 51. his verbis: *Ante Curiam album & rubens vinum duabus fiſtulis per ſpeciem bicipitis Aquilæ, editæ columnæ impoſitæ ſubterranea derivatione perfundebatur*. Sic *Neapoli* in *Friderici* Cæſaris adventu pluribus diebus nobiliſſima vina in ſpeciem aquæ extemporariis fontibus ubertim fluxerant. *Sab. lib.* 8. *cap.* 7. Ita *Jovius lib.* 37. de *Caroli V.* coronatione meminit. *Is*, inquit, *dum Bononiæ coronabatur e lacubus, qui in ſummo prætorianæ porticus fornice fuerant, fabrefacti per Siphones rubra & alba vina fundebantur*. Et hoc etiam factum in inauguratione *Leopoldi* Imperatoris ſemper Auguſti hiſtoriæ referunt.

CAPUT VIII.

De Phyllobolia privata, & quibus facta.

I. PRivata florum ſparſio etiam frequens & uſitata erat. Utebantur Veteres hoc ritu erga eos, quibus vel incedentibus vel diſcedentibus *omnia fauſta ac bona precabantur*. Hoc teſtatur *Lucret. lib.* 2. ubi agit de plauſibus ac ſonis, quibus Mater Deum fuerat excepta, inter alia ſic canens:

Ergo quamprimum magnas invecta per urbes
Munificat tacita mortales multa ſalute
Ære atque argento ſternunt iter omne viarum
Largifica ſtipe ditantes, pinguntque roſarum
Floribus, umbrantes matrem comitumque catervam.

Memorabile quoque eſt, quod de *Diagora* refertur apud *Gellium lib.* 3. *cap.* 15. quod cum ipſe tres filios habuerit adoleſcentes, *unum pugilem, alterum pancratiaſten, tertium luctatorem, eoſque omnes viderit vincere coronarique eodem Olympiæ die*; cum tres dicti filii patrem amplexi ac coronis in caput ipſius poſitis ſuavitati fuerint, populus glatulabundus flores undique in eum conjecerit, ubi tamen pater inter oſcula & manus ipſorum animam præ gaudio efflaverit. Confirmat hoc *Pauſanias Eliac. lib.* 6. 7. *p.* 356. eum, *conjicientibus in ipſum flores Græcis & liberum cauſa cum plauſu beatum prædicentibus occidiſſe* ſcribens:

II. Geminum in modum, & apud eundem *Gellium lib.* 5. *cap.* 14. non minus recenſitu dignum exemplum occurrit *Androcli Servi*, qui cum leoni cuidam fuiſſet objectus, leo placide ac veluti noſcitabundus ipſum accedens, caudam more ac ritu adulantium blande movit. Quod cum circumſtantes in admirationem rapuiſ-

puisset, adeo ut ipse Cæsar quæreret causam, *Androclus* postea cum hoc leone tota urbe circum tabernas ivit æreque donatus est, *Leo* vero floribus sparsus, & omnes fere ubique dixerunt: *Hic est Leo Hospes hominis, hic est Homo Medicus leonis*. Similiter *Tacitus lib.* 14. *Annal. c.* 62. prodit, quod cum *Nero* conjugem suam revocasset *Octaviam* multi e plebe læti in Capitolium ascenderint, imagines Octaviæ gestaverint humeris, sparserint floribus, foroque ac templo statuerint. Huc quoque collimare videtur *Virgilius* excitans populum Romanum, ut *Daphnidi* suo, hoc est, *C. Jul. Cæsari* recens defuncto honores debitos exhibeat, ita canens *Eclog.* V. *v.* 40.

Spargite humum foliis inducite fontibus umbras
Pastores.

Conferantur *Dela Cerdæ annotationes in hunc loc. fol.* 97. *seq.*

III. Hoc ritu etiam prosequebantur *bene de Republica meritos*, *aut alios amore & officiis sibi obstrictos*, *sive illi adhuc inter mortales agerent*, *sive Divorum numero essent adscripti*. Egregium ac luculentum hujus rei testimonium apud *Livium lib.* XXXIII. est de *Marco Tito Quintio*. Hic enim cum in *Isthmicis ludis* per præconem *Corinthios* aliosque Græcorum liberos & suis legibus esse jussisset, postea ludis dimissis cursu prope omnes tendere ad Imperatorem Romanum cœperunt &c. uti supra dictum. Confer. *Flor. lib.* 2. *v.* 7. quæque ibi notavit *Freinshemius num.* 14. ut & ad *Curt.* 5. 1. 20. & 9. 10. 25. ubi multa veterum ac recentiorum laudat exempla. Consimili modo *Nearcho Alexandri M.* Duci contigisse, testatur *Arrianus de rebus Indicis pag.* 197. *edit. Græco-Latin. Henric. Stephan.* ut ipse quoquo versus per castra iverit floribus ac sertis fuerit petitus. Sic *Poetas* & *Rhetores* eorumque fores & postes a Clientibus palmis & coronis coronatas fuisse, testatur *Lucian. in Rhetor. Doctor. circa fin.* Confer. *Ursini arboret. bibl. pag. m.* 52. *Carol. Paschal. lib.* I. *de coron. cap.* XII. *pag.* 320. *seqq.* Addi etiam possunt *Martyrum* sepulcra.

IV. Non vero tantum flores, sed & alia omnis generis munuscula, quæ ad manus erant, in eum, quem honore afficere volebant, conjiciebant, utpote *Zonas*, *tunicas*, *fasciolas*, *petasos*, *lemniscos* & *crepidas*, nec non similia hujus generis. De *Zonis* legendus *Paschal. lib. de coronis pag.* 37. Cætera vocabula facile intelliguntur, modo prius explicetur, quid sit *Lemniscus?* Est autem, ut obiter addamus *Lemniscus* verbum *Syracusanum*, juxta interpretes quo stricta augustaque tænia, vel fasciolæ purpureæ dependentes ex coronis significantur, vid. *Carol. Paschal. lib.* 2. *de coron. p. m.* 111. *seq.* Cum prædictis munusculis affectus fuit *Draco* severus ille *Atheniensium* Legislator, sed magno suo malo, imo interitu. Cum enim *Æginam* proficisceretur, & oblatas leges faustis acclamationibus populi in Theatro acceptus esset, multitudine petasorum, tunicarum, & vestium in caput ejus conjectarum suffocatus interiit. Memorat *Suidas* voce Δράκων. Inofficiosum sane erat officium, uti *Salvianus* loquitur, *ita aliquem honorare ut inde moriatur.* Multi etiam alii hoc ritu fuerunt excepti, de quibus videatur differt. *Dieterici* tractatui huic in fine adjecta.

CAPUT IX.

De Phyllobolia ad statuas illustrium.

I. Solenne fuit veteribus, ut illi, qui singulari devotione erga Principes aliosve affecti esse volebant videri, statuas eorum subinde ornarent coronis. *Ambrosius Serm.* 10. *in Psalm.* 118. Qui coronat imaginem Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit. *Irenæus lib.* I. *advers. Hæres. cap.* 24. *de Gnostic. Imagines quasdam*, inquit, *habent depictas*, *quasdam autem & de reliqua materia fabricatas has coronant*. Morem eum apud Græcos antiquissimum fuisse, ut *heroum* statuas post mortem coronarent, ex eo constat, quod de *Alexandro M. Plutarchus in ejus vita cap.* XXIV. tradit, quod nimirum *ipse oleo unctus cum sociis circum Achillis statuam decurrerit*, *eam coronans*, cum videlicet illum transgressus *Minervæ & Heroibus* sacrificaret. Nec imponi solum coronæ, sed & in statuas conjici solebant. Idem *cap.* XXVIII. Cum *Alexander Theodectæ* (*Phaselites ille erat*) mortui imaginem in foro positam vidisset, post cœnam ei, bacchatus multa serta ingessit. *Lucian. in Scytha. Athenis statua Toxaris*, etsi humi sita erat, *tamen frequentissime sertis recentibus redimiebatur.* Ortum hoc ex eo, quod Numinum in statuis fieri solebat. De quo *Capitolinus* in vita *M. Antonin. Philosoph. c.* IV. *In Saliatu*, inquit, *omen accepit imperii*, *coronas omnibus ex more jacientibus*, *aliæ aliis locis hæserunt. Hujus velut manu capitis Martis aptata est.* Confer de his *Carol. Paschal. lib.* 4. *de coron. c.* XII. *pag.* 244.

II. Cæterum amantes invicem etiam suas imagines coronabant. Unde est, quod Plu-

Plutarchus Amatorio inter ἐρωτικὰ ponit etiam *redimire*, *sive sertis ornare imagunculas*, eorum nempe quos amarent. De statuis coronatis est, & hic *Justini* locus *lib.* XVIII. *Missi a Senatu in Ægyptum Legati*, cum ingentia sibi a Ptolomæo Rege missa munera sprevissent, interjectis diebus ad cænam invitatis aureæ coronæ missæ sunt, quas illi honoris causa receptas, postera die statuis Regis imposuerunt. Quod ab antiqua consuetudine similiter profectum est; Nam habuere veteres præ foribus ædium suarum alicujus Numinis simulacrum, quod sæpe discedentes e conviviis coronabant, corona ibi accepta. *Athenæ. Dipnosoph.* x. 10. scribit *Timæus Xenocraten*, *quam congiorum die festo acceperat coronam*, *cum domum rediret*, *injecisse Mercurio ante palatium erecto*, *quem coronis e floribus textis ornare frequenter solebat*. Fuerunt autem in universum tales coronæ partim ex *auro*; partim ex arborum, puta *quercus*, *oleæ & lauri frondibus*. De prioribus duabus *Martial. lib.* 7. *epigr.* 24. ubi *Charus* coronam sibi a Cæsare *Domitiano* donatam, *Cæsaris* statuæ reddidisse se dicit:

O cui virgineo flavescere contigit auro
Dic ubi Palladium sit tibi, chare, decus?
Adspicis & Domini fulgentes marmore vultus,
Venit ad has ultro nostra corona comas,
Albanæ livere potest pia quercus olivæ
Cinxerit invictum quod prior illa caput.

Ubi insinuat solitum *Domitiani* statuam alias querna insigniri, quæ nunc potuerit videri oleagineæ *Chari* coronæ, præreptum sibi honorem invidere. De *lauru* cujus præcipuus usus in gratulationibus amicorum testis est *Cicero pro L. Muræna* ita scribens: *Quo se vertet? domumne? ut eam imaginem Clarissimi viri, Parentis sui quam paucis ante diebus laureatam in sua gratulatione conspexit, eandem deformatam ignominia, lugentemque videri?*

III. Redimiebant quoque *tæniis* & foliis inauratis non caput modo, sed etiam pectus in statuis eorum, a quibus beneficium accepere. *Lucian. Philopseud. Vidi statuam Pelichi Medici a dextra Saturni, quæ tænias coronasque aridas habebat, pectoreque folia quadam inaurata. Ego,* inquit, *Eucrates, ea inauravi, cum me sanasset triduo febre pereuntem.* Præterea spargebant etiam *floribus*. Quod genus honoris ipsis alioquin hominibus conferri solebat, *cum vivis*, quod reddita *Achajæ* libertate bello Macedonico primo Consuli *Flaminio* contigit. Quid, inquit, *Florus* II. 7. *florum in Consulem profuderunt*. Et *Aristomeni*, *Pausan. Messenic.* item *Caracallæ*, *Herodian.* IV. 15. tum *mortuis*, partim *in feretro*, partim in *sepulcris*.

CAPUT X.

De Phyllobolia mystica significatione.

I. IN præcedentibus vidimus Deos, Deasve, Imperatores & Principes festis diebus lætis floribus & frondibus ornatos fuisse, id quod sane non fortuito, sed ex aliqua mystica significatione factum fuisse asserimus. Conspicimus etiam hunc ritum *Christo* quoque exhibitum acclamante populo *Hosanna*. Hinc dubitari non potest, quin si Christum eo ritu & acclamationibus professi sint, *Messiam* verum agnoverint, cum dicant, *Regem* pariter ac *Deum* dicant necesse est. Deum namque quin ea ratione professi sint, negari non potest, cum id genus honoris non nisi Deo exhibere soliti sint. Quid enim aliud olivæ? quid palmæ Christo ingredienti prætensæ, nisi veri Dei verique Regis manifesta confessio? Recte itaque vetus Poeta:

Perque viam ut Regi velamina purpurata
Arboreasque solo frondes, & olentia serta
Sub pedibus stravere, Deum omnes voce fatentes.

II. Significare etiam potest ramorum & florum sparsio humanarum rerum conversionem, fragilitatemque suam, quæ arboris symbolo indicatur, & firmitatem atque constantiam a Deo, cui prætenderentur, exposcere. *Clemens Alexandr. Strom. lib.* 5. *Dionysii Thracis* Grammatici in *lib. de Declarat. Symb.* de rotulis, sententiam laudat dicentis: Veteres per verba, & per Symbola significasse. *Per Symbola autem ut & rota quæ vertitur in Deorum templis quæ tracta est ab Ægyptiis*, & rami, qui dantur iis, qui adornant. Dicit enim *Orpheus Thracius:*

Ramorum ut quis sunt hominum terrestria curæ
Non uno stant fata loco, in mente omnia circum
Volvuntur: nec fas una est consistere parte
Ut cœpit cursus.

Et quidem genus: *Homerus Iliad.* 6. simile facit foliis hominum

Per-

Persimile est foliis hominum genus omne caducis.
Quæ nunc nata vides pulcrisque virescere sylvis
Autumno veniente cadunt.

III. Hoc etiam evenit Christo, mox excipitur cum jubilo & ramis, mox crucifigitur & corona spinea coronatur. Ex ramorum frondibus quoque cognoscere licet, quam instabilis & labilis sit gloria mundi. Ita etiam passionem Christi acerbissimam indicare voluerunt ramorum sparsione, & quasi dicere: O Domine arbor es nunc florida, veniet ergo cito tempus, cum fructum proferas & tunc aliter tecum agetur. Arbor florida es, & ab omnibus laudaris, mox autem omnes contra te agent & ramos avellent. Hodie florida hæc arbor est, sed continuo folia dilabentur. Confer. *Osor. concio. in Dom. Palm. pag. m.* 875. Hæc omnia autem eo spectant, ut intelligamus, cur Dominus noster, non sine majore instinctu e Cælis a populo φυλλοβολία exceptus sit. Deus ora lactentium quasi aperuit, Filioque suo hanc gloriam tribui voluit, quod & Deus ipse, & Dei Minister, Præco, summus Sacerdos, Rex, Triumphator, Athleta nosterque Patronus & Advocatus adventaret. Ut Regi per viam

Arboreasque solo frondes & olentia serta stravere &c.

IV. Cum θεοπνύςω acclamatione votisque faustis hoc fecerunt, ea enim ipsa hac florum frondiumque sparsio significabat: *Feliciter*, *Feliciter*! quicquid calcaverit hic, rosa fiat! Nuspiam offendat, molliter incedat!

Ne teneros lædant spina rubusve pedes!
Crescat, florescat, perennet
—— *fugiant te nubila cœli*
Adventumque tuum, suaves tibi Dædala tellus
Submittat flores! Lucret. lib. I. princ.

Hinc *Zemah* dicitur Messias, sub cujus pedibus crescere omnia & florere debeant. *Zachar.* VI. 12. Lepidum illud nec omittere possumus *Lamprid. de Heliogabalo: oppressit in tricliniis versatilibus, parasitos suos violis & floribus, sic ut animam aliqui efflaverint, cum eripi ad summum non possent*. Ita flores spargit mundus, quibus suos parasitos suffocet. Sic

Cantharidum mors rosa.

Vid. *Camer.* Emblem.

—— *Nocet empta dolore voluptas*
Fortuna nimium quem fovet stultum facit.

CAPUT XI.

De Festo Tabernaculorum seu σκηνοπηγίᾳ.

I. HUc usque descripsimus varios *Phyllobolia* ritus profanos; jam progredimur ad mores Judæorum in Festo Tabernaculorum usitatos, ubi primum *Tabernacula* ipsa considerabimus, dein ad alia pedem movebimus. Apud Judæos igitur jejunii & afflictionis diem solennem mox excepit *Festum Tabernaculorum* jucundum & hilare toti populo. Causam hujus festi & hilaritatis *Spencerus lib.* I. *c.* 6. & *lib.* 3. *c.* 8. *diss.* I. pro more suo dabit, quod *conventu solenni omnes sese Hierosolymam conferre tenerentur, quibus ab omni labore servili feriatio, & ingens lætitia ac convivatio lege fuerit injuncta, eo quod Gentiles in honorem Deorum festa peracturi in lucum aut urbem aliquot diebus magna frequentia convolare soliti, quibus citharis, tubis aliisque instrumentis musicis omnia personuerint*. Hæc ipsi dictarunt *Lucianus*, *Plutarchus* & ejus farinæ homines, populi Judaici derisores, qui sub Romanis Imperatoribus vixerunt. Hi testimonium perhibere debent rerum antiquissimarum, quæ tempore *Mosis*, imò ante *Mosem* gestæ. Si vel ipsum *Herodotum* producat passim, in eum quadrat illud *Ciceronis de Oraculis loquentis*: *Herodotum cur veraciorem dicam Ennio? num minus ille potuit de Crœso, quam de Pyrrho fingere Ennius?* Missis igitur fabulatoribus ex divinis Oraculis veram causam hujus festi indagare volupe est.

II. Inter solennitates majores statas & anniversarias divinitus mandatas ultima erat חג הסכות *Festum Tabernaculorum*, seu umbraculorum, quæ σκηνῶν ἑορτὴ *Levit.* XXIV. 34. ἑορτὴ τῆς σκηνοπηγίας, *Deuter.* XII. *vers.* 16. apud LXX. Interpp. ἡμέραι τῆς σκηνοπηγίας 2. *Maccab.* I. 9. σκηνοπηγία & σκηνοποιία alibi appellatur. Quia Judæi solebant σκηνὰς seu καλύβας, tabernacula h.e. tumultuaria quædam οἰκίδια seu tuguriola ex frondibus & viridibus ramis arborum omnis generis, præprimis *olivæ*, *myrti*, *citri*, *palmarum*, *cedrorum* &c. (ut annotat *Joseph. lib.* 3. *Antiquit. Judaic. cap.* 10.) ad breve tempus compingere sive exstruere inque iis septiduum habitare. *Anglus Ainsvvorth fol.* 144. reddit: *Tabernacles made of boughes of greene trees*, vide annotat. *ad Sigon. lib. de Republ. Ebr. lib.* 3. *cap.* 13. *pag.* 202. *edit. Helmstad.*

III. Causam institutæ Solennitatis Moses

ses exprimit, recordationem afflictissimæ & miserrimæ conditionis, qua sine certis sedibus focisque exules quondam in deserto per integros XL. annos egissent, & sub vagis Tabernaculis habitare coacti fuissent. Cum enim primum desererent Ægyptum, profecti sunt filii Israelis *Rhamesesso* urbe *Ægypti*. *Gen.* 47., *Succothas Exod.* 12. urbem vel pagum Ægypto vicinum, a tabernaculis ita appellatum, quorum istic materia fuit copiosa, quæ levissimo opere ex arborum frondibus structa & æque facile destruenda, viatoribus usitata. *Altera ratio* hæc erat, quod debuerint etiam meminisse Israelitæ, juxta Hebræos, admirandæ protectionis sub nube, velut sub umbra quadam vid. *Levit.* XXIII. *Tertia causa* erat, ut gratias Deo agerent pro frugibus toto anno collectis. *Doctissimus Anglus Johann. Lighfootus* aliam his adjungit populum scilicet cum a *Mose*, qui Deo propter fabricatum vitulum placato, decimo mensis *Tisri* a monte descendens lætum de peccato Numine & recuperato ejus favore nuncium apportat, intellexisset, figendum esse Tabernaculum, propter peccatum vituli fabricati aliquandiu impeditum, nec inde scil. a monte *Sinæ* abeundum esse, donec istud opus absolutum esset, castra ponere, & tentoriis adversus adventantem hiemem se munire incepisse, atque opus lætum aggressum fuisse. Hanc *Ligfootus* istius solennitatis originem esse docet ejusque occasionem, quod Deus inter populum suum habitare in Tabernaculo haud graveretur, idque sexto exacto mense, postquam eum ex Ægypto eduxerat. Vide ejus *Harmon. Evang. ad Luc.* 3. 21. Potest quoque hæc ratio cogitari, sed non est prima ab ipso Deo expressa.

IV. Cum itaque ex mandato Dei Judæis injunctum, ut tabernacula sibi exstruerent, *Levit.* XXIII. videbimus materiam, ex qua confecta tabernacula fuerint. *Clar. Buxtorffius in Synagoga Judaica cap.* XVI. *pag.* 32. *edit. Basil.* 1641. ita differit: *Tabernacula olim fiebant e ramis pulcrarum virentium arborum, quales sunt arbores omnes oleosæ, oleæ myrti, arbores coniferæ & aliæ ejusmodi, quæ propter pinguedinis & olei copiam diu virent, hoc verbis istis innuitur Levit.* XXIII. 40. Sumetis vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ: spathulasque palmarum & ramos ligni densarum frondium & salices de torrente. Hæc paulo magis pespicue & dilucide indicantur in libro *Nehemiæ cap.* 8. 15. *Egredimini in montem & afferte frondes olivæ & frondes arboris resiniferæ, frondes myrti, & ramos palmarum & frondes ligni nemorosi ut fiant tabernacula*. Hinc videre est, priscis temporibus ex istiusmodis ramis facta fuisse tabernacula, in quibus per octiduum manebant: præterea, eos pluribus ad id speciebus fuisse usos, quam quatuor illis, quæ in *Levitico* recensentur, adde quod hic apud *Nehemiam Salicum torrentis* nulla mentio, quibus tantum utebantur ad ramorum tabernaculis extruendis compactionem & colligationem.

V. Calculum his addunt *Henry Ainsworth in Levit. c.* 23., *fol. m. pag.* 146. & *Joh. Henric. Ursin. in arboret. bibl. pag.* 55. *cap.* 11. Prior in hæc prærumpit verba: *They* (Tabernacula) *wre made of te branches of tres, as there appearet, v.* 15. *And by the Hebrew canons, the Boothes might not be covered with any cloth, or other thingh, which had not growne out of the earth, or was not cut off from thense, or with an ything, that might receive uncleanesse, or that had an evill savour, or that was faded, or fallen-off alone, if they covered it with any of these, it was unlawfull.* Talmud Bab in *Shccah. c.* 1. & *Maimonid.* in *Shophar. c.* 5. *sect.* 1. 2. Alter autem ita: *Quis credat, tantæ multitudini tot millium ad manum fuit tot olivarum myrtorum aliarumque electarum & speciosarum arborum frondes ad ejusmodi tabernacula? Fuisset hæc festivitas publica hortorum nemorumque circa Hierosolymam calamitas & pernicies*. Negat itaque *Sanctius* ex tam pulchris frondibus contexta, his & aliis motus. Sed quid textui historiæ fiet, ubi diserte jubentur Judæi egredi in montem & adferre istarum arborum frondes, ad faciendum tabernacula, sicut in lege scriptum? Respondeo: finis principalis ponitur, accessorius non tollitur, sed supponitur. Nam in lege utrumque scriptum est, & tabernacula frondea esse facienda, & gestandas in manibus pulchras arborum electarum frondes. Alia itaque genera adhibita structioni; vulgarium arborum, *salicis*, & *pini* & quæcunque densis essent ramis: *Plutarchus Symposiac*, tabernacula e palmitibus & hederis contexta fuisse refert, & credo vidisse, ut ipse indicat: neque aliter fieri potuit, cum speciosæ arbores tot casis non essent suffecturæ.

CAPUT XII.

De Ramorum gestatione.

I. Visis tabernaculis ad ramorum gestationem progredimur & species arborum perlustramus, ex quibus fasciculi conficiebantur. Quatuor autem reperiun-

riuntur in Scriptura *Levit.* XXIII. *Sumetis nobis die primo fructus arboris pulcherrime, ſpatulaſque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium & ſalices de corrente*. Videbimus ſingulas, quales fuerint. Prima igitur vocatur fructus arboris pulcherrimæ פרי עץ הדר. Quæritur hic, quænam fuerint ligna? De הדר *Hadar* diſputat prolixe in Levitic. *Bonfrerius Citrum* eſſe, & probat (1) quia *Chaldæus* Interpres habeat nomen אתרוג *ethrug* quod ſignificat arborem citri. Calculum his addit *Gabriel Groddeck in diſſert. doctiſſ. de ceremonia Palmar. edit. Lipſ.* 1694. §. 10. *pag.* 21. & ſententiam ſtabilire laborat ex *Gemara in Maſſech. Succa cap. Lulaf Hagazul ad Miſchn.* 5. his verbis: *Tradunt Rabbini noſtri, per fructum arboris pulcherrimæ talem arborem intelligi, cujus ſapor fructui ſimilis eſt, & hanc arborem dicas eſſe malum citri:* ita etiam ex Rabbinis *Anglus Henry Ainsworth fol.* 145. *in Levit. cap.* XXIII. *ex Maimonid in Shophar* & *Succah. cap.* 7. *ſect.* 2. refert: *the fruit ofthe good y tree ſpoken of in the law, is the Pome-citron.* (2) Quia *Joſephus* teſtetur in ramis illis geſtata quoque fuiſſe *mala Perſica*, 3. *Antiquit. c.* 10. & *Citria* eodem *Joſepho* teſte 13. *Antiquit. cap.* 21. (3) quia hæc Citrus, malus medica ſcil. aut perſica arbor pulcherrima ſit. Cujus ſententiam modeſte & argute explicat vir clar. *Gabriel Groddeck in citata eruditiſſima diſſertatione pag.* 19. §. 6. cujus verba huc adſcribere non pigebit. *Quod autem Joſephus;* inquit, *hic pro citri malo quem in uſu hodie Judæi habent, malum perſeæ ſubſtituunt, ſciendum, pleroſque Veterum hæc inter ſe ita confundiſſe, ut malum Perſicum ſeu Medicum pro citro & contra uſurparent, uti in altero adducto loco*. Unde etiam *Plinius lib.* 15. *Natur. Hiſtor. cap.* 14. *Citrea*: a Græcis *medica*, i. e. *Perſica* dici obſervat. Et *Dioſcorid. lib.* 1. *c.* 131. Medica mala perſicave aut cedromela vocari ait *citrea* a Latinis, quod etiam ex *Athenæo* conſtat. *Medicum* autem malum pro *Perſico* accipi ex *Theophraſti lib.* 4. colligitur, & cum *citro* apprime convenire: conf. cl. *Salmaſ. Comment. in Solin fol.* 949. 959. *ſeq.* & 964. *edit. Pariſ.*

II. Hæc utut ſpecioſe dicta, probabilior tamen apparet, quæ & communior ſententia: eſſe hæc vocabula עץ הדר & עץ שמן non *propria*, ſed *appellativa*; non certæ *ſpeciei*, ſed *generis* cujuſdam. Probatur (1) ad Perſonam: *Vulgatus* enim Interpres clare indicat, ſe de genere non de ſingulari ſpecie ſenſiſſe, nec arborem הדר *Hadar* pulchritudinis, ab arbore *Schemen* pinguedinis diſtinxiſſe. (2) Ad rem; ut Sacra Scriptura ratione ſitus alias arbores vocat *ligna agri*, *ſilvæ*, *aquæ*; ſic pro differentia *effectorum* & *adjunctorum*, alias *ligna cibi Levit.* XIX. 23. *Deut.* XX. 20. alias *ligna fructus*, *Eccleſ.* II. 5. alias *ligna frondis*, ut his ipſis locis, *Levit.* XXIII. 40. *Nehem.* VIII. 15. eadem ratione quaſdam pulchras dixit & pingues. (3) Itaque arbores denſarum frondium his locis non certam ſpeciem ſignificant; ſed genus quoddam multis ſpeciebus commune: ſic & illæ quæ decoræ ac pingues dicuntur. Idque (4) rationi congruit. Nam neque debuit Deus certas ſpecies frondium præſcribere neque potuit. Non debuit; ſuffecerat denotatio generis & addita denominatio quarundam ſpecierum, ut *palmæ* ſolius Judææ propriæ & *Salicum* torrentis, quas vel myſterii cauſa, vel ſingularis uſus, vel quod neutro genere arborum, a pulchritudine & pinguedine dictarum continerentur oportuerat exprimi. Nec *potuit*; nam ſi ſpecies aliqua defeciſſet, impoſita fuiſſet neceſſitas Scenopegia celebraturis, vel omittendi geſtationem horum ramuſculorum, vel prævaricandi contra legis præſcriptum. Cogita, ſi omnibus *Citriæ* frondes fructibus ſuis onuſtæ, aut *oleaginæ* aut *myrteæ* geſtandæ fuiſſent, quanta circa Hieroſolymam hortorum quotannis fuiſſet calamitas? quanta frondium talium raritas & caritas? (4) Neque ſequitur; *Nehem.* 8. certæ memorantur ſpecies, in lege non expreſſæ, quæ de olea, arbore Schemen, myrto, nihil habet; nec de Perſea nec de Citro quicquam: Ergo hæ ſpecies præſcriptæ fuere in lege, nec aliæ generali nomine permiſſæ. Nam quis non videt contrarium ſequi? In lege quatuor omnino vocabula ſunt arborum, (1) *arbor Aadar*, (2) *palma*, (3) *arbor Aboth*, & (4) Arabim *ſalices* forte ad ligamenta neceſſariæ, apud *Nehemiam* ſunt quinque vocabula: *Olea*, *lignum Schemen*, *myrtus*, *palma* & *arbor Aboth*. His addit *Joſephus Perſeam*, Chaldæus forte *Citrum* LXX. *Cupreſſum* aliique Interpretes ut & *Hieronymus Cedrum*, *pinum balſamumque* adhuc alii.

III. Quare concludamus (5) & frondes geſtaſſe Iſraelitas in ea feſtivitate, & ſcenas ſtruxiſſe ex quocunque genere arborum; quas in deſerto non habebant, Dei munere in terra promiſſa invenerant; ut undecunque glorificandi Deum acciperent occaſionem: is enim hujus feſti finis fuit. Duas tamen ſpecies expreſſas a Legiſlatore fuiſſe, ex quibus thyrſos facerent geſtandos *palmam* & *ſalicem*: qua in re miranda Dei bonitas, ne noceret arbori-

boribus fructiferis, aut sterilitatem adferret: harum enim duarum hoc est ingenium, ut tonsura gaudeant & copia luxurient. Symbolum enim fuit Ecclesiæ Judaicæ. Quam Deus monere volebat, ornandam esse fructibus omnigenis, ac colligandam vitilibus fidei & mutuæ concordiæ, ut *Ephes.* 4. *v.* 2. 3. Ad Objectiones respondes cum *Ursino in arbores, Bibl. cap.* 44. *pag.* 579. (1) *Ethrug* esse *pomum Citrium*, concedo: corrupte legitur in versione Averrois de simpl. *Eltrog. Atrung* Citrus est arbor & fructus: inde *toronga*, *Melissophyllon* Melissen/ *citrago* dicta, quod odorem mali redoleat. Sed hoc nomen recentius esse apparet, nec Judæis eo tempore poma nota. Ponamus Judææ olim domesticam fuisse, sed quomodo sequitur; ergo sola *Citrus* est Hadar? Has & alias responsiones ad objectiones exhibet citatus *Ursinus c. l.* qui evolvatur.

IV. Alteram speciem vocat Scriptura *Spatulas palmarum*, de qua re *Johann. Henric. Ursin. in Arboret. Bibl. cap.* 41. *pag. m.* 524. *seq.* Heb. *Cappoth* כפות dicuntur, quas *Anglus Henry Ainsworth fol. m.* 145. *in Levit.* ita describit: *Cappoth so named of being bowed or crooked:* the *Chaldee* and *Jerusalemy Targum* called *Lulabin as growing out the heart of tree, and the Hebrewes descibe them to be shoots (or stiffe branches) of the palme (or date) tree, when they are budded, before the leaves be spred abroad, whiles it is yet like a rod (or scepter) and that is called Lulaf Maimonid. in Shophar cap.* 7. *sect.* 1. Verum an *Lulaf* palmarum frondes tantum significet, dein videbimus. *Tertia* succedit: *species sumetis ramos ligni densarum frondium*. Angl. reddidit: *branches* of thicke trees *frondes densarum arborum*, quas *Chaldæus Hadasin* vocat, *frondes myrti*. Ita inter festas frondes, quas in *Scenopegiis* gestare mos fuit. *Nehem.* 8. 16. hæ referuntur, ubi LXX. φύλλα μυρσίνης. Hanc opinionem ex *Gemara ad Mischn.* 3. *fol.* 32. 2. confirmat. *Gabriel Groddeck in dissert. supra citata pag. m.* 25. his verbis: *Tradiderunt Rabbini nostri, quod quando in Scriptura dicitur:* Ramos arboris densæ scil. accipietis, *ejusmodi densa arbor intelligatur, cujus folia arborem suam obtegunt. Quænam vero est ista arbor? Resp. myrtus. Sed fortassis olea esse potest? neutiquam, nos enim requirimus ut densa sit, qualis olea non est. Ergo forte erit arbor castanea? at vero nos talem arborem requirimus, cujus folia obtegunt arborem suam, quod non fit in arbore castanea* &c. Conferri potest *Buxtorff. Lexic. Talm. fol.* 632. *Henry Ainsworth fol. m.* 145. *edit. Londin. ex Maimonid. in Shophar cap.* 7. *sect.* 2. ita disserit: *The branch of the thicke tree, spoken in the Law, is the Myrtle branch whose leaves cover the vovod the rof, as when there are three leaves or moe upon one place of the stalke: but if there be two leaves together, and a third leafe above them, it is not thicke, but is called Hadas shoteth*, i. e. *frondes arboris densæ; de quibus lege dictum, sunt myrti frondes, cujus folia obtegunt arborem cum tria vel plura folia in uno loco unius caulis reperiuntur: Verum si his duo folia simul & tertium super illa, non est densa arbor sed vocatur Hadas fatua*. Ut igitur conciliemus hunc locum cum *Nehemiæ* loco: Resp. *Sal. Jarchi* in annotationibus verba proferemus ita scribentis: *Hadas cujus mentio fit cap.* 8. *Nehem, est myrtus fatua, quæ illegitima est ad Lulaf, sed ad tabernacula aptissima: & arbor densa, quæ Hadas seu Myrtus, est aptissima ad Lulaf.*

V. Ad quartam nos conferimus speciem *salices torrentis*, de quibus fuse egit *Henric. Ursin. in Arboret. biblic. cap.* XII. *a pag.* 192. *usque* 197. *seq.* quem benevolus Lector evolvere haut gravetur. Nos itaque his missis fasciculum ipsum consideramus, qui ex sequentibus quatuor compactus erat, vocabaturque לולב *Lulaf*, quo tamen *Targumistæ* solum *palmæ frondem* intelligunt; *Talmudistæ* autem & *Minhagici* Scriptores non tantum partiatim palmæ frondem, verum tres reliquas species, adeo tum demum, quando omnes IV. species, nempe *palmæ frons*, *myrti rami*, *salices* atque *citri malum* adsunt לולב vocent, & sic omnes quatuor species conjunctim sumptæ מצות לולב seu unum præceptum *Lulaf* constituant, id quod præter alios R. *Maimonid. part.* 1. *Mishn. Thora Hilch Lulaf cap.* VII. *fol.* 262. nos docet, cujus verba Anglice tradidit *Henry Ainsworth fol. m.* 145. *edit. Londin.* hoc modo: *These foure kindes are one commandement, and are called the commandement of the Palmebranch* (Lulaf,) *And they may not have fewer or moe then these. And if they cannot, finde any one of them, they may not bring for it of another kinde, like thereunto. They binde the Palme-branch, and Myrtle, and willow branch, and make of them three one bundle. And when a mann takes them up to goe forth with them, he blesseth God first, of the taking up of the Palmebranch. This bundle he carrieth in his right hand, and carrieth the Pome-citron in his left; and carrieth them as they grow, with their rootes downewartd to the earth, and their tops upward

ward into the ayre. If he wanted any one of these branches, he carried them not till he hadall. The Palmabranch might not be lessertben foure handbredths long: the myrtle and the willow branch, not lesse then three: thoug they were longer, it was allowable. The Pome-citron mightnot belesser in bignes se then an egge; greater it might be as neuch as they would. As they carried, they waved (or mo ved) the branches thre times towards every wind (or quater of the vvorld) They carried them at the time of reading the hundred and eightent Psalme. They myght cary them any time of the day, but not by night. The commandement to cary these branches is but for the first day of the feastonely, as it is said (in Levit. XXIII. 40.) *And ye sl ull take unto you in the Sanctuarie onely, they carried them every of the seven daies of the feast, upon this ground, ye shull rejoyce be fore the Lord your God seven daies.* (Levit. XXIII. 40.) *Whosoever is bound to (the Lavv of) the Trompet, and the Boothes, is bound to cary the Palme-branch: other are free. The childe that knovveth hovv to vvave it, is bound, by the doctrine of the Scribes, to cary the branch, that he may be trayned up in the commandements Every day they vvent about the Altar once vvith the Palme-branches in their hands and said:* Olord save now (*or Hosanna*) *and in the seventh day, they vvent about the Altar seven times,* i. e. *Quatuor istæ species unum præceptum constituunt, & omnes uno nomine vocantur præceptum Lulaf, seu Palmarum frondium. Nec licebat plures vel pauciores his habere. Etsi has reperire non poterant, similes his afferre non permittebatur, ramos, palmarum & myrti & salicum colligabant, & ex tribus unum fasciculum conficiunt. Et quando quis accipit illos, primo Deo benedicit pro sublatione ramorum palmarum. Hunc fasciculum dextra tenebat manu, & sinistra pomum citri & gestat uti crescant radicibus versus terram & apicibus versus cœlum. Si uno horum ramorum carebat, non capiebat, donec omnes accepisset. Ramus palmarum quatuor palmarum spatium longitudine non excedebat; Myrti vero & salicum tres palmas longæ erant, licet longiores sint, non illegitimum esset. Pomum citri mole minus ovo esse non licebat; majus ut sit, permissum. Accipientes ramos concutiebant ter versus omnes plagas cœli. Agitabant illos ad lectionem* Psalmi CXVIII. *Tempore diurno non nocturno capere licebat. Primo tantum festi die gestabant hunc fasciculum, uti dictum* Levit. XXIII. 40. Et sumetis vobis die primo. *Semel singulis diebus atrium ingrediebantur, fasciculos manibus tenentes, & sex continuabant dies ex hoc fundamento:* Septem die lætamini coram Domino vestro. Levit. XXIII. 40. *Quilibet obligatus est gestare palmarum ramos. Infans, qui novit, quomodo fasciculi movendi & concutiendi obligatus est doctrina Scribarum gerere fasciculum, ut educetur & instruatur in præceptis. Singulis diebus fasciculos manibus tenentes altare semel circumibant dicentes:* O Domine salva nunc (aut Hosanna) *Septimo autem die septies circumibant.* Conf. *Johan. Henric. Othon. Lexic. Rabbino-Philolog. pag. m.* 198. *edit. Genev. Joh. Lighfoot. Hor. Talmud. pag.* 410. *edit. Lips.* Clar. *Buxtorf. Synag. Judaic. cap.* 16. *Joh.* Doctiss. *Meyer. Diatrib. de Fest. pag. m.* 350. *edit. Amstel.* 1693.

VI. Verum si vel una harum specierum deficiebat, jam non amplius לולב *Lulaf* dici neque debitum suum tunc aliquis exsolvere poterat, uti pluribus ostendit Clar. *Gabriel Groddec. in dissertat. de cæremon. palmar. edit. Lips.* 1694. *p.* 6. 7. ex *Hilcoth Gedeloth. cap.* 15. *fol.* 34. his verbis: *Antequam hæ quatuor species conjunctim adsint, non prius aliquis debitum suum exsolvere potest, cum Traditionem habeamus, quod* IV. *species in* Lulaf *impediant una alteram,* i. e. si una desit, nec altera valorem accipiat. Et dixit *R. Chanin filius Rabba, illud non aliter intelligimus, quam si quis non habeat quatuor has species, quod si autem haberet omnes non impediret altera alteram, etiamsi non omnes simul sumeret. Dico si non haberet omnes, altera alteram impediret, quia omnes ex uno præcepto constant, scriptum enim est Levit.* XXIII. 40. Et sumetis scil. *sumtione plena & integra, nam singulæ species ex iis sumtione opus habent. Contra etiam dixi, si non haberet omnes, non impedirent se invicem, forte dicas, quod si non omnes sumeret, & simul in altum tolleret, non absolvisset debitum suum? Neutiquam, verum si modo singulas separatim sumat atque in altum ferat, sufficit; Statutum enim habemus,* Lulaf *non opus habere colligatione.*

VII. Hic aliquis regerat & dicat: *Si omnes quatuor species necessario ad* Lulaf *requiruntur, cur Judæi, quando benedictionem super hunc actum faciunt, non omnes quatuor species, sed unam tantum nominare solent nempe ad palmam?* Nam teste *Maimonide in Sophar cap.* 7. Rami palmarum, de quibus Lex, sunt virgulta palmarum crescentia, antequam folia hinc illinc dividantur; at cum sunt sicut bacilluli, atque hi vocantur לולב. Confer. *Johan. Lightfoot hor. Talmud. p. m.* 409. *edit. Lips.* Rationem hujus rei reddit autor

tor libri *Colbo cap.* 72. *fol.* 81. quando literis tradit: „ Et benedictionem dicunt „ super Palmæ frondem, non autem super reliquas etiam species, ideo quod „ hæc sit major reliquis omnibus, i. e. „ quod hæc sit principalis species, reliquæ saltem ei adjungantur: Ideo benedictionem dicit super principale, & „ cum ea liberat accessorium. Alii autem dicunt, quod quia palmæ frons „ pretiosissima est præ omnibus aliis speciebus, ideo integer fasciculus ejus respectu *Lulaf* dicitur, idemque est, ac „ si aliquis expresse super singulas species „ peculiarem benedictionem faceret sub „ ejus nomine. " Aliam rationem adducit sæpe laudatus *Gabriel Groddeck.* ex R. *Itzchack ben Arama in Akedath Itzchack fol.* 189. 4. qua huc adscribenda. „ Quod „ ad benedictionem attinet, ea hoc inprimis modo ordinata est: qui sanctificasti nos in præceptis tuis, & justissimos sumere *Lulaf*, quia præceptum quod „ incumbit homini in eo tantum consistit, ut inquirat homo & scrutetur, usque dum pertingat cum speculationibus „ suis ad palmæ frondem (i. e. Angelos, „ ad quos palmæ frons alludit) " &c. Has itaque frondes gestabant magno cum gaudio tripudiantes, & canentes, uti fuse hanc rem *Buxtorf. in Synagog. Judaic. Henry Ainsworth. comment.* in h. l. Celeber. *Jo. Meyer. in diatrib. de Fest.* 351. 352. tractarunt.

CAPUT XIII.

De Ramorum horum mystica significatione.

I. HActenus perlustravimus ramos quos Judæi in Scenopegia gestarunt & eorum species in medium produximus. Cur autem hæ frondes ad fasciculum requisitæ fuerint, non sine ratione factum arbitramur, quare harum mysticam significationem rudi quasi *Minerva* depingemus, ut ex his eo facilius colligere possimus, cur Christo Domino Triumphatori nostro *Palmæ* prælatæ fuerint? Hinc Cl. *Buxtorfius in Synagoga Judaica cap.* XVI. *pag. m.* 332. *edit. Basil.* 1641. motus, harum mysticam significationem adduxit sequentibus: „ Magna in quatuor istis „ speciebus arcana latent. *Palmæ ramus* „ falsos *Judæos* denotat; quemadmodum „ enim Palma pulchra quidem est & decora, sed fructum profert insipidum & „ inolentem: sic eadem est illorum ratio, qui legem quidem habent, sed „ nullos bonos fructus & opera proferunt. *Mala citrea* justos & pios designant: Non secus enim ac genus hoc „ malorum pulchrum est & speciosum, „ sed optimi simul & suavissimi odoris: „ sic quoque sunt pii, qui legem habent, „ & una bonos fructus proferunt, dum „ præcepta observant. *Myrti* suave quidem olent, sed sunt infructiferæ: sic „ sunt quidam, qui quamvis careant lege, bona tamen opera præstant. Rami *salicum* impios denotant, qui & lege & bonis operibus destituuntur instar „ salicum, quæ nec odorem ullum gratum exspirant, nec ullum bonum fructum proferunt.

II. Verum alias mysticas rationes proferemus, quæ ritui huic conveniunt, & ad Triumphatorem nostrum Christum trahi possunt. Notum enim est, & e tractatulo nostro *de Triumphis* satis constat, quod Triumphatores manu palmam tenentes introducti fuerint Triumphum solennem celebrantes simul ac omnes viæ floribus & unguentis sparsæ. Quid aliud hoc significabat, quam ut de hostibus triumphum acturus sit vel egerit Victor, & palma signum sit victoriæ? teste *Pausan. in Arcadicis.* Qua ornare voluit populus Christum certamen ineuntem, *Hosanna* acclamans, quod significat: Salvum fac filium David, prospere ei in bello succedant omnia: Concede ei victoriam inimicorum, ut cum illo salvi simus omnes ab omni tyrannide. Videns igitur turba, se accepisse Triumphatorem, ei fausta acclamans, dicit: *Concede ei victoriam*, quia hodie venit in certaminis locum, ut prælium committat cum *Dæmone* ac *Morte*. Conf. plur. *Osor. in Domin. Palm. p. m.* 876. *edit. Colon.* 1600. Illud enim semper celebratissimum fuit, quod *Palma* victoriæ signum; Unde olim ut annotant *Isidor. lib.* 17. *Etymol.* & *Lyra in cap.* XV. *Deut.* Victores in præliis, ramis palmæ in capite & manibus ornabantur, quare *Apocal.* VII. *Johannes*, ait, se vidisse Martyres victoriam de Tyrannis reportantes manibus palmas gestare; imo habenti justam causam dabatur palma in manu, quasi victoriam jam habuisset in ea. Ita *Plinius lib.* 16. *natur. histor. cap.* 25. non solum ait, palmas triumphi & victoriæ symbolum fuisse, sed & præsagium. In cujus probationem refert, palmam natam in basi Cæsaris Dictatoris ante bella civilia, futuræ ejus victoriæ & trophæi prognosticum extitisse. Nonne Judæi idem augurantur? spargunt ramos palmarum & manibus gestant, ut sint quasi prognosticum victoriæ certissimæ Christi in hostes infensissimos confer pluribus *Johann. de Cartagena Hispan. celeber. homil.* VIII. *pag. m.* 413. *Ursin. arboret. Bibl. cap.* 41. *pag.* 54. *seq.*

III.

III. Refert R. *Abarbenel ad Lev.* XXIII. *fol.* 266. Lulaf esse propter præsens beneficium id quod optime ad Ecclesiam Dei applicari potest. Ecclesiam Judaicam si adspicimus in *Babylone*, tunc non male *Sanctius* differit: *Cum in captivitatem irent Judæi similes fuisse salicibus amaris, sed per pœnitentiam evasisse similes myrtis.* Inter tot improbos supererant piæ reliquiæ: vid. *Henry Ainsworth Commentar. in Levit.* XXIII. *fol. m.* 145. Quod Ecclesia cum Myrteto comparari possit fuse ostendit *Johan. Henric. Ursin. in arboreto Biblico cap.* XXXVII. *pag. m.* 480. *seq.* ad quem benevolum Lectorem mittimis. Quod autem *salices* & in tabernaculo, & fasciculo illo quem gestabant manu Judæi adhibitæ fuerint, per id significatum fuit, quod Sancti & fideles cum hac arbore comparari possint, quod probat locus hic, ubi tabernacula ex salicibus facta, quia ex conventu Sanctorum cœlestis Tabernaculi perfecta futura est lætitia. Nam ut *salices* arefactæ aquis virescunt, & resectæ in humido radicibus sese ipsæ demergunt; quomodo alias nempe arbores cura, per demersionem talearum aut ramorum instar arcus curvatorum, propagantur; Sic electi Dei natura mortui, peccatis aridi, a prioris vitæ radice in Adamo decisi, eloquio Dei & Sacramenti Baptismi vitalibus aquis reviviscunt. Quare in scenopegiis cum gestarent Israelitæ salicum frondes cantabant & lætabantur coram Domino: vid. plur. *Hieron. Laurcat. Sylv. Allegor. de Salice.* Conf. *Ursin. arboret. Bibl. cap.* XII. *pag. m.* 200. ubi plura. *Malum citri seu Persea quod concernit, illius arbor Isidi consecrata fuit, hac ducti non absurda ratione, quod fructus ejus cordi similis sit, folia linguæ: ut admonerentur Templum adituri, sancte de Deo sentire & modeste loqui debeant.* Plura colligere possemus ni hoc fecissent citati autores, quibus adjungendus est *Picinelli Mundus Symbol.* Confer celeb. *Joh. Meyer. diatrib. de fest. p. m.* 356. 357.

C A P U T XIV.

De convenientia festi Tabernacul. cum Festo Bacchi. Ὀσχοφορία, & Θαλλοφορία Gentilium.

I. RItum ramos gestandi Gentiles a Judæis acceperunt, qui Festo Tabernaculorum hanc cœremoniam usurparunt. Pari modo Gentiles in festo *Bacchi*. Hinc *Plutarchus Sympos.* 4. *probl.* 5. in quo disputat de Judæorum abstinentia a carne suilla, festivitatis hujus Tabernaculorum, luculentam mentionem facit, illamque τελεπειχῆ παντελέα hoc est, festo illo triennali, quod in honorem *Bacchi* olim agitabatur, comparans, inde probare conatur, Judæos *Bacchi* sacri initiatos ejusque cultores esse. Operæ pretium itaque erit, illam *Plutarchi* descriptionem hujusce festi cum ea, quæ in sacris literis continetur, conferre. Primo itaque festivitatem illam μεγίστην & πλειοτάτην, maximam & perfectissimam vocat & quidem merito. Nam festum illud Judæorum maxime festivum lætissimumque fuit, quod collectis compositisque omnibus terræ frugibus ac fructibus summa cum lætitia & gaudio celebratum fuerit. Quod maximum vocat, illud congruit cum eo, quod *Johannis* VII. dies octavus & ultimus festi, qui XXII. mensis dies magnus appelletur; qui etiam vocatur dies *Azereth*, i. e. retentionis, cujus nominis ratio hic inquirenda.

II. Vox Hebræa *Indictum, coercitionem, detentionem, convocationem, conventum, imperium* sonat. Chaldæus interpres voce בנישתן utitur, quæ notat *cœtum congregatum vel congregationem*. LXX. vertunt Ἐξόδιον *exitum*, sc. Festi, *Raschi & Ramban* dicunt, *perinde esse, ac si quis septem dies cum amico fuisset convivatus, & octavo die adhuc majoris amicitiæ ergo detineretur.* Quod illi habent ex *Siphra*. Eadem fere habet Anglus *Henry Ainsworth* in *Levit. cap.* XXIII. *vers.* 36. *fol. m.* 144. *edit. Londin.* ubi hæc leguntur verba: *The Chaldee translateth it, ye shall be assembled together: and so the word is in other cases used for an assemblie.* Item *Raschi Num.* 29. 35. & Autor *Michlal Jophi* vocunt עצרת dici, quod eo die interdictum sit opus servile, quibus adstipulatus citatus *Ainsworth* c. l. עצרת *which hath the signification of restraining or retaining, because this day the people were restraining from worke: and retaineth together in a publike assemblie*; vel quod eo die, finito festo tabernaculorum clausum sit jugum festorum. Alii *collectionem & collectam* significare volunt, quod eo die populus retineretur propter collectam pecuniæ pro oblationibus, de quibus *Num.* XXIX. vel ob collectionem frugum, quod 22. *Tisri* primitiæ fructuum serotinorum adductæ & Deo pro iis gratiæ actæ. Observandum quoque venit, quod hæc vox עצרת in Scriptura *Paschatis* septimo, & *Tabernaculorum* octavo diei duntaxat tribuatur, & Festum Pentecostes eodem nomine vocetur, quibus *Henry Ainsworth* calculum addit, ita differens: *The last day of the Passcover is called also by this namo.* Deut. XVI. 8. *And the Hebrew Doctors apply the name absolutely to the feast of Pentecost, often in their writings, wh-*

ereupon Josephus Saith. cap. 10. *at Pentecost, wich the Hebrewes call* Asarta, *and that signifieth Pentecost.* Sed errant, qui putant octavum diem dedicationis Templi primi עצרת quoque nuncupatum 2. *Paral.* 7. 8. 9. diversum esse ab hoc octavo die festi Scenopegiæ, quum idem festum tunc celebraretur: vid. Celeber. *Joh. Meyer diatrib. de festo pag. m.* 354. *edit. Amstel.*

III. Rabbi *Isaac Abarbenel* insuper differentiam explicuit diei עצרת *Atzeret* septimi Paschatis & octavi tabernaculorum *Comment. ed* Levit. XXIII. *fol.* 261. 4. 262. 1. *Moses*, inquit, *non utitur* (Levit. XXIII.) *termino* Atzereth, *qui derivatur ex phraseologia* Genes. xx. 18. *plane occluserat Dominus &c.* & Judic. XIII. 8. *Si detineres me, non comederem de cibo tuo. Cum autem die septimo festi tabernaculorum detentus est unusquisque Hierosolymis ad festum celebrandum cum gaudio, vocabatur* Atzereth *detentio, quo nomine non venit septimus Paschatis, quoniam eo die non detinebantur Hierosolymis omnibus septem diebus Festi Azymorum, sicut fiebat septem diebus Tabernaculorum. Sed* Deuteron. 16. *vocavit diem septimum Paschatis* Atzereth *detentionem, seu interdictum Domino Deo tuo,* vers. 8. *quo significatur, die septimo quoque a fermento abstinendum & azymos panes comedendos. Cum hoc ipso coerceretur populus, non quidem ut maneret Hierosolymis, sed ut observaret festum azymorum quoque die septimo, ideo illic ait* Atzereth *interdictum seu detentio est Domino Deo tuo. Hoc autem loco* Levitici, *de eo non loquitur, nisi quia detinebatur Hierosolymis, ideoque hoc respectu utitur voce* Atzereth *in festo tabernaculorum, in festo Azymorum non item.* Porro עצרת *imperium* significare probat *Abarbenel fol.* 263. ex 1. *Samuel.* 9. 17.

IV. Porro *Plutarchus* diem hujus festi priorem σκηνὴν, i. e. Tabernaculum dicit fuisse appellatum, in quo propius ad veram hujus festi appellationem accedit. Dictum enim est *Hag Hasucoth*, h. e. festum tabernaculorum. Ita etiam ratio seu forma illius festi, quam *Plutarchus* proponit cum sacris literis bene admodum congruit. Nam ἀκμάζοντι τρυγετῷ, i. e. fervente vindemia (die nimirum XV. mensis septimi, qui ob vindemiam *Thisri* a *Tirosch*, hoc est, musto fuit appellatus (τραπέζας προτίθενται παντοδαπῶς ὀπώρας hoc est mensas proponunt plenas omnis generis frugum. Sic enim in sacro Codice legimus, *Judæos per 7. dies una fuisse epulatos*. Et sub σκηνᾶις, i. e. tabernaculis degunt ἐκ κλημάτων μάλιστα, καὶ κιττοῦ διαπεπλεγμέναις, h. e. ex palmitibus potissimum & hedera contextis. Ex *Levitici cap.* XXIII. vidimus materiam ex qua fasciculi facti, quos mane VII. illis diebus gestarunt, nec cibum cuiquam sumere fuisse licitum, nisi prius fasciculum portasset. Hoc congruit cum eo, quod *Plutarchus* dicit fuisse apud Judæos festivitatem quandam, κρατηφορίαν & θυρσοφορίαν in qua nimirum θύρσους gestantes templum ingrediebantur. Ab hac igitur fasciculorum gestatione festum illud κρατηφορίαν, & θυρσοφορίαν vocat. In priore membro videtur esse mendum, & pro κρατηφορία legendum κραδηφορία ἀπὸ τῆς κράδης. Est autem κράδα, sive κράδη Medicis, *ramus ficulneus* sive folliculus caprificorum, vel etiam *Nicandro* ficus & summum ficorum germen, quod plantari consuevit. Ergo *Plutarchus* hanc quoque fasciculorum, qui ex ramis arborum fuerunt contexti, gestationem exprimit, cum scribit: homines illo (*Bacchi*) festo manibus tenentes *thyrsos*, seu fasciculos frondium templum intrare fuisse solitos, & (uti verisimile) *Baccho* sacra fecisse.

V. *Josephus lib.* 3. *Antiquit. cap.* 10. fasciculum hunc ramorum vocat εἰρεσιώνην. *Hesychius* εἰρεσιώνη est κλάδος ἐλαίας. Εἰρεσιώνη, ajunt esse ἀμεγέθη κλάδον ἐξ ἐρίων ἔχοντα στέμματα, κλῶνας, καὶ ἰσχάδας, καὶ τῶν καθαρτῶν ἀκροδρύων ὁρμαθοὺς *per magnum ramum e lana habentem stemmata, surculos, caricas, & purorum fructuum* series, ἤ, inquit autor Etymologici, θάλος ἐστὶν ἐλαίας πάντας τοὺς καρποὺς ἔχον ἐπηρτημένους, καὶ στέμμα λευκὸν καὶ φοινικοῦν, *aut truncus est oleæ omnes fructus habens suspensos, & stemma album & purpureum*. Paulo aliter *Plutarchus in Thes.* describit εἰρεσιώνη, his verbis: *Eiresionem efferunt ramum oleæ lana quidem redimitum, quemadmodum tunc caduceum, omnigenis repletum primitiis.* Addit causam *Plutarch.* διὰ τὸ λῆξαι ἀφορίαν, quod sterilitas cessasset. Res ita se habet. E quodam prisco oraculo manavit mos pro foribus ponendi hunc ramum cui nomen *Eiresione*. Forte enim & fame, & quod a *Plutarcho* tacitum est, peste universam terram conflictante consultantibus, quo pacto malum averruncari posset, respondit *Apollo*, si sacrificium ante sulcamina terræ fieri suetum pro omnibus Atheniensibus fieret. Qua re peracta, lues cessavit. Ea re finitimi omnes gratulationis causa omnium fructuum primitias miserunt Atheniensibus. Etsi non sum nescius alios hujus originem referre ad *Thesenm*, ut paulo post dicemus. Aut *Eiresionem*, aut ἱκετηρίαν, aut his quippiam simile fuit πίνος, quam interpretantur coronam oleagineam lana intextam.

VI.

VI. Porro *Eiresione* ponebatur pro *foribus* avertendis iis, quæ imminerent periculis. Ideo apud *Aristophan.* ππ. populus conspicatus duos cives factiosos & promtos, qui ipsius fores pulsaverant, indignabundus respondet: *qui hi clamantes? non abitis ab janua? Eiresionem meam fregistis*. Ac si dicat, mihi propter vos nulla est annonæ abundantia, sed potius sterilitas. Nec omittamus, super *Eiresione* hos versus cani solitos ab *Athenienfibus*, uti refert *Clem. Alexandr. l. 4. Strom.*

Εἰρεσιώνη σῦκα φέρειν καὶ πιόνας ἄρτους
Καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ, καὶ ἔλαιον ἀναψήσασθαι,
Καὶ κύλικ' εὔζωρον, ὡς ἂν μεθύουσα καθεύδῃ.

Eiresione fert ficus & pingues panes, & mel in catino & oleum ad detergendum, & calicem purum, ut inebriata dormiat. Eo quoque ramo supplicabant *Apollini* illo ipso die, quo *Theseus* una cum sociis periculo exemtus creditur. Ibi vero & bellaria & calicem vini effundentis canebant prædictos versus. Hanc lanam vocabant στέμμα τὸ προσειλημμένον ἔριον τῷ θαλλῷ coronam obvolutam lanam *ramo oleæ*, vid. plur. *Carol. Paschal. lib. 5. de coron. pag. m.* 333. Gerebant autem *Athenienses* mense *Pyanesione*, quasi hoc signo testarentur, se Dei beneficia prædicare, quod *oleum*, *lanam & victui necessaria fruges & fructus* præbuerit, ut *Ose. cap. 2. v.* 5. 8. Conf. *Ursin. Arboret. bibl. c.* 2. *pag. m.* 45.

VII. Autor *libri secundi Maccabæorum c.* 10. θύρσους vocat. *Hesychius* ait *thyrsum* dici βακτηρίαν βακχικὴν *baculum Bacchicum*, cui *Natal. Comes Mytholog. lib. 5. pag. m.* 480. *edit. Genev.* 1653. calculum adjicit, & ex *Euripid. in Bacch.* sententiam probat his verbis: *Consuevit* (Bacchus) & *pro sceptro* thyrsum gestare, quæ hasta erat frondibus vitium aut hederæ aliquando suaviter ornata, & cervi pellem, quam nebrida vocabant:

Πρώτας δὲ Θήβας τῆς δὲ γῆς Ἑλλάδος
Ἀνωλόλυξα νεβρίδ' ἐξάψας χροὸς,
Θύρσον τε δοὺς εἰς χεῖρα κίσσινον βέλος.

i. e. *Primas vero Thebas hujus terræ Græcanicæ Ululatu complevi, induens cervinam pellem corpori. Et thyrsum dans in manus hederaceum* i. e. hedera *tectum telum*. *Thyrsus*, itaque erat insigne *Bacchi*, & fuit hasta vestita frondibus, pampinis, ac foliis hederæ; in cujus extremitate cuspis erat, aut mucro forma conipinei. *Plin. lib. 6. cap.* 34.

Hedera Liberi patris adornat thyrsos.

Ovid. in Epist. hastam pampineam vocat:

Ut quas pampinea tetigisse bicorniger hasta
Creditur

Justinus ὥσπερ αἱ βάκχαι διὰ σχήματος εἰρηνικοῦ τὰς λόγχας ἐν τοῖς θύρσοις περιφέρουσιν: *veluti Bacchæ per speciem pacis lanceas in Thyrsis circumferunt*: Addit *Macrobius*, *mucronem quoque ipsum tegi lambente hedera*, *Senec.* clare in *Hercul. furent. Act.* 4. *tectam virenti cuspide thyrso gerens*. *Nonnus lib.* 9. hunc thyrsum dicit κευθόμενον πετάλοισιν: occultatum foliis: alibi, κατάσκιον: inumbratum. Hunc Bacchho proprium esse, certo constat. A *Sidonio Antipatro Bacchus* dicitur θύρσῳ δεινὸς, *thyrso terribilis*. *Stat.* 5. *Sylvar.*

—— —— *cui jus venerabile thyrsi*
Bacchus.

Eandem rem firmat insania *Antigoni & Antonii*. Prior apud *Herodot. lib.* 1. Bacchum repræsentaturus tum hederam capiti circumponebat pro diademate; tum maxime ferebat θύρσον ἀντὶ τοῦ σκήπτρου *thyrsum pro Sceptro*. Posterior apud *Vellejum*: Cum Liberum patrem appellari se jussisset, cum redimitus hedera, coronaque velatus aurea & thyrsum tenens, cothurnisque succinctus, curru velut Liber Pater vectus esset Alexandria.

VIII. Fuit vero *thyrsus* non *Bacchi* solum, sed *Baccharum*, cujus virtute nixas illas, atque eludente Dæmone, mira quæpiam prodigia fecisse, antiqui prodidere. Apud Euripidem *Bacharum* una cum petram thyrso percussisset, *fons exsiliit aquæ rorulentus*. Alia, ut in terram jecit, remisit Bacchus κρήνην οἴνου *vini fontem*: & fere statim: ἐκ δὲ κισσίνων θύρσων γλυκεῖαι μέλιτος ἔσταζον ῥοαί: *ex hederaceis thyrsis fluxere mellis fluenta dulcia*. Neque abest mentio lactis apud eundem Tragicum:

Ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον,
Ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσᾶν,
Νέκταρι:
Fluit & lacte campus
Fluit vino, fluit & apum
Nectare

Cum igitur tot ac tanta miracula Thyrsus Bacchi patraret, possis elicere hanc formam adagii *Bacchi thyrsus* ad explicandam summam felicitatem & aurei ævi remigrantem naturam: velit enim fortas-

ſe aliquid, mentione celebritatis *Bacchi* translatæ a Cæſare *Romam* ex *Armenia*, innui ævum aureum & floridum, quod ille Romam invexerit. Quam vere nihil moror; nam quid veri requiras in adulante Poeta? Ex his, quæ diximus, apparet etiam ratio proverbii: *Platonici* in *Phædone: Sunt enim (ajunt qui in myſteriis verſantur) Thyrſigeri quidem multi, Bacchi vero pauci*.

IX. Celebrantur etiam *Bacchi* ſacrificia cum *tripudiis*, quare *Dionyſius* vocatus eſt ἐνορχης δαίμων *tripudii Deus*, ut ait *Lycophron*.

Deus tripudii Phigaleus, Phauſtertus.

Nam ὀρχεῖσθαι tripudiare ſignificat, qui idem dictus eſt *Phigaleus* & *Phauſterius*, vid. *Natal. Comit. Mytholog. lib.* 5. *pag. m.* 489. Nonne hæc accurate conveniunt cum moribus Judæorum in feſto tabernaculorum, qui ſaltando & canendo lætitiam teſtatam faciebant, uti celeber. *Johann. Meyer in diatrib. de feſtis pag.* 352. declarat. *Gaudium*, inquit, peculiare erat ſacræ *ſaltationis*. Poſt ſacrificium veſpertinum in loco hauſtæ aquæ magno numero conveniebat populus, cum, omnis generis muſicis inſtrumentis productis, melodiæ & cantus inciperent, nec *vulgus*, ſed *Magnates* & populi *Principes*, Seniores, Synedrii membra & Scholarum Doctores, viri quique graviſſimi ſaltarent, manibus plaudentes & lætitiæ geſtus edentes coram plebe; quæ ſedibus in circulum compoſitis hæc omnia ſpectabat. De iis omnibus, vide *Succa Hieroſolym. f.* 55. *& Babyl. f.* 5. ne non *Maimonid. Hilch. Schophar. c.* 8. §. 12.

X. De inſtitutore Feſti Tabernaculorum conſtat Deum præcepiſſe in Levit. c. XXIII. *Anno Mundi* 2454. paulo poſt exitum ex Ægypto. Inde Gentes, ut alia acceperunt. Primus in Græciam videtur intuliſſe *Bacchus Semeles filius* poſt annos fere ducentos tempore Judicum & ſervitutis ſub *Jabinæ Judic.* 4. Magus fuit ille inſignis: *Multorum mores hominum qui vidit & urbes*, Moſis, ut in *Analect. Sac. vol.* 2. *docuit Urſinus*, gloriæ æmulus, qui viti ſator vinique repertor, & Deus ideo haberi voluit. Hinc Oſchophoria inſtituta, & quidem *Athenis a Theſeo* circa *annum Mundi* 2726. in honorem *Bacchi*, quo tempore judex erat *Thola*. In iis adoleſcentes muliebriter veſtiti palmites vitis geſtantes plenos maturis uvis, canebant *Oſchophorica* carmina ut refert *Proclus in Chreſtomathia apud Photium*. Conf. *Joh. Faſoldi tract. de Græcor. veter.* ἱερολογία. *Decad. V. feſt.* X. *pag. m.* 187. *edit. Jenenſ.* 1676. *Joh. Henric. Urſin. analect. ſacr. tom.* 2. *lib.* 3. *pag. m.* 129.

XI. Ac ut Judæi in Scenopegiis acclamabant ſuum Hoſanna, ſalutem & liberationem precantes a Deo, de qua re videndi fuit *Iſaac. Caſaubon. Exercit.* XVI. *ad Anal. Eccleſiaſt. Baron. pag. m.* 321. *plur. Reverend. D. Majus Profeſſ. hujus Academ. celeberrim. in Exegeſi ſuper Evangel. Janſen. Concord. Evangel.* aliique; Ita inter libandum Græci ſuum Eleleu, ju, ju! de quo *Plutarchus* qui *Sympoſ. l.* 4. *quæſt.* 5. argutatur, Deum Judæorum fuiſſe *Bacchum*, vel *Adonia* & inde Scenopegia, ut & *Cradephoria* ac *Thyrſophoria* eorum orta: quæ *Sacras* Antiquitates non ignoranti, vix puto condonanda. Eadem profert clar. *Joh. Faſold. l. c. pag. m.* 189. §. 7. Inter libationem ΕΛΕΛΕΥ, ΙΟΥ, ΙΟΥ acclamabatur. Nam Greci teſte *Euſthathio* ad *Odyſſ. V.* Deum propitium ſibi petentes exclabant ἰή, ἰή, id quod demum, in ἴη, vel ἴυ transformatum ut teſtatur *Plutarchus* ἐλελεῦ ἴυ ἴυ ἀναφωνεῖν οἱ παιανίζοντες εἰώθασι, *ſolent ii, qui Pæana canunt, exclamare* ἐλέλεῦ ἴυ, ἴυ hoc enim tam ἐλελεῦ ἴα quam ἐλελεῦ ἴακχε originem non aliunde habet, quam ex Hebræorum הללוי יה ut obſervat *Heinſius in Ariſtarch. ſacr. c.* 1. & ex eo deſcribit *Angl. Dikinſon Delph. Phæn. c.* 6. Nonne hæc Græci ab Hebræis, qui poſtquam ſibi proſpexiſſent de *faſciculo*, quem manu geſtarent, & alio, quem ad altare collocarent, ſemel ſingulis diebus atrium ingrediebantur, & *faſciculos* manibus tenentes altare circumibant hoc occinentes אנא יהוה הושיעה נא ה" העליחה נה. *Salva obſecro nunc Domine, proſpera, obſecro Domine*. Ita in hoc feſto cani ſolitum eſt *Hallel Magnum*. Dumque ab uno occinerentur verba Pſalmorum, a toto cætu aliquando reſponſum eſt ad quaſdam clauſulas Hallelujah, vid. *Joh. Henric. Othon. Lex. Rabbino-Philolog. pag. m.* 198. *edit. Genev.*

XII. Ita Diabolus Dei Simia & gloriæ crilegus æmulator fuit. Ab *Hebræis* iſta *Græcos* accepiſſe, ipſa illa Hebraica inter libandum acclamatio teſtari potuit: Sunt enim mere ſacra Dei noſtri nomina, *Baccho* per ſacrilegium tributa: El Eohejao, Jao Confer *Wormii. antiq. lib.* 1. *ex Tacit. & Martial. edit. Hafn.* Ita in Oraculo vetuſto apud *Macrob.* 1. *Saturnal.*

Pluto hiemis, veris naſcentis Juppiter, & Sol
Æſtatis præſes autumni eſt mollis Jao.

Hactenus aſſentimur *Samueli, Boccharto lib.* 1. *Chan. cap.* 18. Bacchica myſteria & Orgia ex Oriente in Greciam tranſlata;

ta; sed a *Nimrodo* orta, & a *Cadmo* invecta, non videmus, cur affirmari debuerit? Gentium κακοζηλία & Diaboli θεομαχία notissima est. Nec veri videtur simile, si mos ille Oschophoriorum, gestandi scil. in Dei Creatoris Datorisque bonorum omnium, honorem, frondes, jam olim a *Tyriis* aut *Assyriis* receptus fuisset, quod eum morem præcepto sancire Deus voluerit in populo suo peculiari; quem a Gentium profanis ritibus quam longissime semper voluit abductum. Denique, ut nullum putamus hujus moris ante legem Dei in Levitico latam, reperiri vestigium; ita quod autore *Baccho* ad *Thebanos*, & *Theseo* ad *Athenienses* pervenerit, ostendimus. *Adonis* quem *Syri* & *Assyrii* ut alterum *Bacchum* coluerunt, *sive Cinyræ* filius fuit, qui in *Cypro Paphum* condidit; sive *Thoantis* ex *Myrrha* filia incestuosa; non tantum *Mose*, verum etiam *Baccho Thebano* videtur aliquot seculis recentior, ut ex *Apollodoro* colligere licet *lib.* 3. *Biblioth.* Isiacos in *Ægypto*, pro divæ fronde, quam in Ægypto vivere posse negant, *ramulos absynthii Scryphii* manu præferre solemne habuisse, referunt *Dioscorides* & *Plinius lib.* 27. *c.* 7. *probatissimum nasci in Taphosiri*, cui a sepulchro *Osiridis* nomen, testantur. Itaque in ejus honorem amarissimam herbam gestavisse conjici potest.

XIII. Cæterum & *Athenis* in pompa Panathenaica Seniores manu ferebant ramos, dicebanturque θαλλοφόροι. Certe ille chorus senum apud *Aristophanem* de senibus loquens ait eos ut inutiles rebus agendis ac pompæ traducendæ tantum idoneos per ridiculum vocari θαλλοφόρους, vid. *Paschal. de coron. lib.* 4. *pag. m.* 243. & *lib.* 6. *cap.* 16. *pag. m.* 394. Adoraturis quoque θαλλοὺς in manus datos, qui eos primi alimenti & vitæ fugacis admonerent, tradit *Clem. Alexandrin.* 5. *strom.* Credo potius, ut scirent, quo animo, quaque cum pietate Deum adire deberent, qui peccatores non audit

—— Procul, o procul este profani!
contra
Implent fata, Viri quod voluere boni.

Qui Domino occursuri gratumque Osanna, o Domine salvum fac! decantaturi sunt, gestent talem εἰρεσιώνην cogitent, quam sint ævi brevis, ut ramus a matre avulsus: cogitent Dei Creatoris paternam providentiam, qua nos tot bonis cumulavit: cogitent *Messiæ* victoriam, cujus signum palma est: cogitent, fructus novæ obedientiæ quos offerre debeant.

CAPUT XV.

De Phyllobolia mortuis exhibita.

I. NOn autem duntaxat hic honor, uti monstravimus *Vivis*, sed etiam mortuis habitus est, quod non tantum patet ex *Suetonio*, *August. cap.* 18. ubi *Augustus Alexandri Magni conditorium & corpus prolatum floribus aspersis veneratus* dicitur; nec non e *Plinio lib.* 21. *c.* 3. ubi agit de funere *Scipionis c.* 3. Sed inprimis laudabile est illud, quod de *Marco Antonino Philosopho Capitolinus in ejus vita* refert: Hic scil. *tantum honoris Magistris suis detulit, ut imagines eorum aureas in Larario haberet, ac sepulchra eorum aditu, hostiis, floribus semper honoraret.* Sed & apud *Dionysium Halicarnass. lib.* XI. *pag. m.* 719. *Edit. Græco-Latin. Francof. Frider. Sylburg.* pulchrum reperitur exemplum de *Virginia* virgine desponsata cuidam *Icilio* dicto. Hanc cum illicito amore ambiret *Appius Claudius*, eamque nunc sibi vendicare vellet ipsius pater *Virginius*, hoc animadvertens cultrum ex officina coquinaria arreptum in viscera filiæ adegit, eamque interfecit his verbis: *liberam te & Pudicam sub terras ad majores demitto.* Hoc cum factum ac deinceps mortua in forum lecticæ imposita esset omni lugubri ornatu, *prosiliebant ex domibus mulieres & virgines* τὸ πάθος ἀποδυρόμεναι, αἱ μὲν ἄνθη καὶ στεφάνους βάλλουσαι κατὰ τῆς κλίνης, αἱ δὲ τελαμῶνας ἢ μίτρας i. e. Sylburgio vertente, *casum graviter lamentantes, aliæ flores & coronas in lecticas conjiciebant, aliæ fascias & vittas, aliæ virginales e coma lusus, nonnullæ etiam desectos e crinium plexu concinnos.* Vide de his pluribus *tractat. de luctu Græcor.* nuper editum *Kirchmann. de funeribus edit. Brunsvic. pag. m.* 88. *seqq. Francisc. Rous in Archæol. Attic. lib.* 5. *cap.* 32. *pag. m.* 268. *edit. Oxon.*

II. Sepulcra quoque ipsa & conditoria floribus & unguentis conspersa ostendit supra citatum exemplum *Suetonii in vita Augusti*, & *Capitolini* locus de Antonino. Cui addatur iterum *Sueton. in Neron. Claud. cap.* 57. ubi refert: quod non defuerint eo mortuo, *qui per longum tempus vernis æstivisque floribus tumulum ejus ornaverint.* Inprimis vero *Herodian. lib.* 4. *c.* 8. memoriæ prodit: *Antoninum Caracallam Achillis tumulum* στεφάνοις καὶ ἄνθεσι, πολυτελῶς *inspersisse ac ornasse.* Unde etiam *Virgil. lib.* 6. *Æneid. v.* 883. & 884.

—— Manibus date lilia plenis
Purpureos spargam flores. ——

Mar-

Marcelli admodum adolescentis immaturam mortem sub persona Augusti deplorans. Huc etiam pertinet illud *Juven. Satyr. 7. v. 207.*

Spirantesque crocos & in urna perpetuum ver

Ad quæ verba *Eilhard. Lubin. pag. m.* 340. *edit. Hanov.* Spirantesque crocos i. e. *rosas, violas*, ver perpetuum circum tumulum virescens, crocos fragrantes circum sepulturam, ita dicit nam *Pythagoricorum* more inter herbas odoratas condiebantur. Pariter illud *Propertii* obscure quidem sed eleganter admodum *lib. 1. eleg. 17.*

—— *& tenera poneret ossa rosa*
Ver Arabum Stat. in Sylv.
Cilicumque fluit floresque Sabæi

Et *Prudentii* egregium carmen quod est atque ita claudit:

Nos tecta fovebimus ossa
Violis & fronde sequenti
Titulumque & frigida saxa
Liquidus spargemus odore.

Thessali apud *Philostratum* in *Heroicis* dabant sepulcro *Achillis coronas amaranti*. Attigit & morem hunc sacer Scriptor *Hieronymus epist. 26. ad Pammachium*: *Cæteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia floresque purpureos.*

III. *Nec illud silentio prætereundum*. Veteres *defunctorum urnas quotannis rosis aliisque floribus ac condimentis spargi ornarique solitos*, quod ex descriptionibus antiquorum marmorum patere dicitur. Idem non obscure colligitur ex illo *Tibulli lib. 2. eleg. 4.*

Atque aliquis senior veteres veneratur amores
Annua constructo serta dabit tumulo.

Serta autem illa plerumque ex *apio* erant constructa, quæ sepulchris imponebantur. Inde *apio eos indigere* dicebant, qui periculose ægrotabant & vix animam trahebant. Vid. *Plutarch. Quæst. convival*, & *Plin. lib.* 20. *cap.* 11. Confer. *Carol. Paschal. lib. 4. de Coron. cap. 6. pag. m.* 220. *seqq.* qui fuse hanc materiam pertractavit.

IV. Hic etiam mos spargendi sepulchra floribus ac sertis a Gentilibus posterioribus sæculis ad ipsos Christianos derivatus esse videtur. Insignis hac de re locus occurrit apud *Hieronym. in consolati : ad Pammachium* super obitum *Paulinæ* uxoris *Tom. 1. epist. 26. c.* 2. ubi in hæc prorumpit verba: *Cæteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia floresque purpureos, & dolorem pectoris his officiis consolantur. Pammachius noster sanctam favillam ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat. His pigmentis atque odoribus fovet cineres quiescentes.* Idem *epist. 3. c. 1. ad Heliodorum* scribit: *Quotiescunque nitor in verba prorumpere & super tumulum ejus flores spargere; toties lacrymis implentur oculi & renovato dolore totus in funere sum.* Illud ipsum quoque testatur *Severus dialog. 3. cap.* 22. inquiens: *Licet inani munere solum ipsum* (ubi sepultus Pomponius) *flore purpureo, & suave redolentibus sparge graminibus.* Add. *Barthii Adversar. lib. 4. c.* 18. de more spargendi floribus sepulchra, universe *Wowerium*, *Elmenhorstium* & *Ouzelium* ad illud *Minutii in Octavio*, *Coronis etiam sepulchro denegatis*. Ita Floribus & unguentis sparsa *Martyrum* sepulchra authores probant, *Prudent.* & *Peristepn. Hym.* 3. in *Eulaliæ* laudem!

Carpite purpureas violas,
Sanguineosque crocos metite
Non caret his genialis hyems
Laxas & arva tepens glacies:
Floribus ut cumulent calathos
Ista comantibus e foliis.
Munera virgo puerque date.

Plura qui desiderat evolvat *Martini de Roa singular. lib. 1. cap.* XXII. *pag.* 659. Unde & consuetudo hodierna *Germanorum* originem traxit, qua in diversis regionibus præsertim Juvenum loculos vel rosis vel coronis exornant: Da sie die JüngLinge und Jungfrauen mit allerhand Blumen bestreuen und mit Kräntzen gieren. Imo etiam tumulis eorum omnium generum frutices floriferas imponunt, ut quotannis quasi *Phyllobolia* exornant.

V. Ex his conspicimus, eam etiam in re funebri φυλλοβολίαν fuisse adhibitam, & alioquin in rebus non adeo lætam præ se ferentibus faciem. Lubet hac de re, ut eo evidentius hoc sese oculis nostris insinuet, adhuc locum adscribere ex *IV. Verrina Ciceron. Quid*, sunt verba ipsius, *hoc tota Sicilia est clarius: quam omnes Segestanas matronas & virgines convenisse, cum Diana exportaretur ex oppido? unxisse unguentis? complesse coronis & floribus? thure odoribusque incensis usque ad agri fines prosecutas esse?* Agit enim ibidem de Simulachro *Dianæ* dicendi Magister, quod *Verres Segestanis* non sine ingenti dolore ac luctu abstulerat; quod simulacrum quoque

que ab ipso ibidem multis describitur. Ex memoratis igitur evidentissime patet, quod eos, quos honore *Veteres* voluerint exceptos φυλλοβολίᾳ affecerint.

VI. In contrarium vero quibus contumeliæ notam inurere satagebant, aut quos odio prosequebantur, eos *Lapidibus*, *rapis*, *fimo*, *cœno & luto*, & aliis rebus petere solebat. Confirmat id *Svetonius in vit. Tiber. Claud. Flavii Vespasiani c.* 4. *Adumeti seditione quædam rapa in eum jacta scribens*. Necnon *S. Aurelius Victor*, qui de Antonino Pio scribit, *eum ob suspicionem inopiæ frumentariæ lapidibus a plebe perstrictum*; & de *Bibulo Consule* quendam *cophinum stercoris plenum in caput ipsius effudisse*. Quemadmodum etiam hunc morem tangit *lex prima ff. l.* 47. *de extraordinar.* criminibus. Huc quoque referenda *theatralis illa lapidatio*, quam sæpius mali Poetæ sustinuerunt. Ut enim *Virgiliis flores & coronas*; ita *Mœviis* lapides injiciebant. Hinc Athenis quoque observatum, ut facinorosi extra fines ablegandi, aut alii damnati, luto illinirentur; quemadmodum hujus rei testis autor *Etymolog.* annotante *Casaubono in vit. Vesp. cap.* 4. ad *Sveton.* Qui mos & consuetudo variis in locis adhuc viget, ut illi, qui ob aliquod crimen ex patria vel civitate ejiciuntur, *luto* vel lapidibus petantur & maculentur. Et hæc ita breviter de Phyllobolia dicta sunto. Faxit igitur Deus ut hæc omnia ad nominis sui gloriam & studiorum emolumentum vergant, cui sit laus & gloria in æternum.

JOH. CONRADI DIETERICI
ΦΥΛΛΟΒΟΛΙΑ
SEU
SPARSIO FLORUM.

THEMA PRIMUM.
SUMMARIUM.

Distinctio florum in sertos & solutos ex Apulejo, Tertulliano, Arnobio. *Serti alias sertivi dicti a Plinio, cujus varia lectio indicatur. Florum sertorum e Græcis maxime Poetis periphrasis. Coronarum inde florearum prolixior tractatio, cum floribus solutis intime conspirans.* Στεφανοβολίᾳ *admodum* ἀνθοβολίας *in honorandos introducta. Emendatur* Capitolinus *ex mente* Lipsii. *Deorum simulacra propriis cuique floribus coronata. Hominum quoque ac benemeritorum statuæ coronatæ. Coronarum usus in sacrificiis circa aras, sacerdotes, victimas. Coronati oracula adeuntes. Coronatæ puppes navium. Adhibitæ coronæ diebus solennibus ac festis, in quibus & ipsæ personæ coronatæ. Locus* III. Macchab. VII. 14. *Dissensus* Tertulliani, *coronas Judæis usitatas negantis. Contrarium probatur ex* Esaia XXVIII. 1. 3. Sapient. XI. 8. *De* Tertulliani *præpostero studio Beati Rhenani judicium. Coronæ convivales, earumque finis. Vina, pocula, fercula, coronata. Mortuorum sepulcra coronis roseis, myrteis &c. coronata. Coronarum usus a* Tertulliano Minutio Felice, Prudentio, Clemente Alexandrino, Augustino, *in Christianis improbatus, qui tamen suo modo iis usi*. Paschalius *de coronis*.

I. UT de iis, quæ integra hac dissertatione tradenda sunt, eo melius constet, non inconveniens fuerit, si ὡς μακρὰν παραινῶν descriptio aliqua tractanda proponat. Est itaque *Sparsio florum*, Græcis ἀνθοβολία καὶ φυλλοβολία dicta, mos occupatus circa honorem tam Diis, quam hominibus exhibendum, iisque vel vivis vel mortuis, idque flores in eos emittendo, aut eorum substernendo pedibus, & si qui alii occurrunt ritus suo loco adducendi. Non enim hic omnibus numeris absolutam descriptionem damus, sed talem saltem, quæ neminem hospitem plane dimittere possit ad sequentium lectionem.

II. Nunc itaque quædam circa hunc morem distinctius explicanda veniunt. Et ipso quidem in limine statim sese offert illa Florum διχοτομία in *sertos & solutos*: *Jacula* floris serti & soluti vocat *Apulejus* (*l.* X. *Asin. aur. p. m.* 466. *Edit. Wouwer.*) more suo ἑλληνίζων, judice *Casaubono* (*ad Sveton. Neron. cap.* XXV. *pag.* 493.)

493.) *Sparsis utimur mollibus ac* solutis, *&* sertis *colla complectimur*, ait *Arnobius*, vel si mavis, *Minutius Felix* (*in Octavio, vel ut alii*, Arnob. *lib.* VIII. *contr. gent. pag.* 231.) *Liberos, solutos & undique vagos a floribus in coronam coactis* distinguit *Tertullianus* (*Apologet. cap.* XLII. *pag.* 712. *Edit. de la Barre.*) *Serti* sunt integræ coronæ ex florum vario genere compactæ, inde propria voce *plectiles* dictæ, *Weitzius* (*ad Prudent. Apotheos. vers.* XXXVI. *pag.* 631.) a futilibus distinctæ, *Turnebus* (II. *Adversar.* 30.) ut & volubilibus, seu κυλιςοῖς, de quibus *Casaubonus* (*Animadvers. in Athenæ. lib.* II. *cap.* 10. *pag.* 101.) Sicque *plectilem coronam* apud *Plaut. Bacchid.* capit *Gothofredus Jungermanus* (*ad Long. Soph.* ποιμενικ. *lib.* I. *pag.* 198.) *Soluti* vero sunt nudi flores. Sertos flores alias quoque *sertivos* dicebant veteres, teste *Plinio* (XXI. *Histor. natur.* 2.) *Cum vero e floribus fierent sertæ*, a serendo sativæ *appellabantur*. Ita quidem hunc locum recitari & emendari vult *Turnebus* (XXVIII. *Adversf.* 29.) non *serviæ* aut *seriva*, sed eam lectionem audacter se improbare asserit *Lipsius* (*lib.* III. *Antiq. lect. in Oper. Critic. pag.* 157.) qui restituit *sertivæ*, non inconcinne, quanquam ab utrisque discedat *Aug. Buchnerus* (*in recogn. Thesaur. Schol. Fabr. Sorani pag.* 1264.) qui reponit *sertæve* hoc modo: *Cum vero a floribus fierent* (strophia seu coronæ) *a serendo serta* sertæve *appellabantur*. Exprimit utrumque genus florum eleganter *Longus Sophista* (*lib.* I. ποιμενικῶν *pag.* 11.) Τὰς μελίττας μιμέμενοι τὰ ἄνθη συνέλεγον, τὰ μὲν ἐς τὰς κόλπες ἔβαλον, τὰ δὲ στεφανίσκες πλέκοντες ταῖς Νύμφαις ἔφερον. Has ex floribus coronas proprie στεφάνες dici, ex alia autem quavis materia, ut auro &c. στεφάνας observant Grammatici ex *Hesiodi Theogonia*. Merito quoque *Servium* notavit antea laudatus *Buchnerus*, qui *sertus* in fœminino & absolute dici posse negaverat, cum manifeste contra eat *Propertius* (*lib.* I. *Eleg.* 17.)

> *Cum tua propendent* demissæ *in pocula* sertæ

Sic enim ex *Sosipatri* sententia legis festinantibus nimium fatis rei literariæ ereptus *Lucas Fruterius Brugensis* (II. *Verisimil.* 10.)

III. Στεφάνες hosce varie περιφράζεσι veteres. Ut unum vel alterum adducam, στεφάνες ἰοθαλέας vocat *Philoxenus* (*apud Athenæ. lib.* IX. *Dipnosoph.*) ἀώτες στεφάνων *Pindarus* (*in Olympic. Od.* IX.) quæ στεφάνων ἄνθεα appellat *Thyllus* (*lib.* III. Ἀνθολογίας *cap.* XII. *Epigr.* XII.) στέφανον ἀνθέα, idem *Pindarus* (*Isthmic. Od.* VII.) στέφεα πεῤῥολα. *Euripides* (*Iphigen. vers.* 1477.) στέφη θαλέα. *Empedocles* (Ἀνθολ. 86.) ἀπετάλες στεφάνες. *Palladas* (II. Ἀνθολ. XLVII. 19.) ἡδυπνόες. *Meleager* (VII.) demum στέφος ἄνθεσιν πλέξας. *Rufinus*. (Ἀνθολ. 5. *Ruf.* VII. Ἀνθ. 126.) *Apulejus* (*lib.* XI. *Milef. pag.* 412.) nominat *coronam multiformem variis* floribus *sublimem distringentem verticem*, item *coronam totis* floribus *constructam* &c. Dicuntur alias Latinis quoque *Corollæ*, *coronamenta*.

IV. De *Origine* ipsarum florearum coronarum non usque adeo ambigimus; primum ne textæ sint in *Brutiis* circa *Vibonem Valentiam*, cujus πεπλεγμένα, quod ἀλέμωνα ἢ ἄνθερα essent, τῆς Κόρης ἐκ Σικελίας πεπιςεύκασιν ἀφικνεῖσθαι, δεῦρο ἀνθολογήσεσαν, ut ait *Strabo* (*lib.* VI. *Geograph. pag.* 177. *Edit. Casaub.*) num vero *Spicea* coronarum prima fuerit Romanis, quod vult *Plinius* (*lib.* XVIII. H. N. *cap.* 2.) & an nondum invento coronas e floribus texere, antiqui Romani usi fuerint, *tæniis tortis*, quod aliis placet. Nec de ipsa etiam coronarum antiquitate dispicimus, quam *Prometheo* superiorem demonstrat *Scaliger* pater, (*l. poetic.* 23.) Bifronti æqualem Jano *Victorius* (XXXVI. *Var. Lect.* 16.) Conf. *Cæl. Rhodig.* (III. *Antiq. Lect.* 33.) Sed ad eam coronarum tractationem nos accingimus quæ hujus loci propria est, nec sine injuria solutorum florum dimitti potest.

V. Primum itaque locum sibi vindicet ea florum sertorum mentio, quæ ab ἀνθοβολίας ritu non usque adeo est aliena, ut potius, si ullum aliud, intime cum eo consentiat & conspiret. Sicut ergo *florum solutorum sparsione* eximium exhibendi honoris specimen dabant, de quo deinceps, ita *sertorum* quoque & *integrarum jaculationibus & emissionibus coronarum*, magnam ad honorem accessionem & augmentum fieri putabant. Hujus στεφάνων βολῆς varia sunt exempla. *Livius* (*Decad.* III. *lib.* 2.) de Flaminio liberatore Græciæ: *Omnes tendere ad Imperatorem Romanum, ut ruente turba in unum adire, contingere dextram cupientium*, coronas lemniscosque jacientium, *haud procul periculo fuerit*. *Capitolinus* (*in Antonin. Philos. cap.* 4.) *In saliatu omen accepit imperii*, coronas *omnibus in pulvinar ex more* jacientibus: Ita enim binis locis emendavit *Lipsius* (I. *Elector.* 30. Idem *ad lib.* XIV. *Annal. Tac. num.* 146.) qui & de coronis, quas sibi detractas in Martis statuam Salii conjiciebant; & sic quoque præ se fert editio in *Volum. Histor. Roman. Scriptor.* S. Gervasii anno 1628. adorna-

ornata. Apud *Pindarum* (*Pyth.* Od. IV.) Jasonem, Draconem expugnantem, ἑταῖροι ejus στεφάνοις ποίας ἔρεπτον, ubi vetus Scholiastes τὸ ἐρέπτειν, per στεφανῶν explicat. Similiter Iphigeniam jam jam immolandam Chorus apud *Euripidem* (*Iphigen. in Aulid. vers.* 1512.) introducit ἐπὶ κάρα στέφη βαλλομέναν, & *Heschylus* (II. Ἀνθολ. XXII. 12.) jubet τὸς σοροπηγὸς Ἀγαμίτραις βάλλειν καὶ στεφάνοις (de mitris obiter addo ex *Scholiaste Pindari:* (*in Olymp. Od.* IX. *pag.* 91. 92.) Μίτρας ἔνδοθεν τῶν στεφάνων καὶ διαδήματα ποικίλα ἔωθασι σωδῶν.) Hæc nunc de coronarum sparsioninibus dicta sufficiant, plura videantur apud *Paschalium* (II. *de Coron.* II. *pag.* 105.)

VI. Quomodo ἄνθεα ποιάεντα στεφανώματα tulerint veteres, porro dicendum erit. Offert se hic in frontispicio illud non sicco prætereundum pede, qua ratione, ut hæc mihi de suo largiatur *Clemens Alexandrinus* (II. *Pædagog.* 48. *pag.*78. *Edit. Sylburg.*) ἄνθη οἱ ἀνόητοι λαβόντες ἐκ εἰς τὴν ἰδίαν εὐχάριστον χρῆσιν, ἀλλ' εἰς τὴν δαιμονίων ἀχάριστον ὑπηρεσίαν κατεχρήσαντο. Scilicet, cum nihil infectum relinquerent Ethnici quod testandi sui in Deos affectus μνημόσυνον esset, illos *in simulacris, statuis & imaginibus, iis floribus ac frondibus coronabant*, quorum maxime delectatione capi eos perspectum habebant, *Alexander ab Alexandro.* (IV. *Genial. dier.* 17.) Inde apud *Longum* (*Soph.* III. *pastoral. pag.* 105.) Daphnis & Chloe ἀναζητῶσιν ἄνθη στεφανῶσαι θέλοντες τὰς θεὰς, qui idem (IV. *pastor. p.* 144. 150.) Bacchi τοῖς ἄνθεσι στεφανωθέντος meminit, de cujus alias coronis *Natalis Comes.* (V. *Mythol.* 13. *pag.* 480.) *Nicias* (IV. Ἀνθολ. XII. 36.) de simulacro Mercurii:

> Ἑρμῆς ᾧ ἐπὶ παῖδες ἀμάραθον ἠδ' ὑάκινθον
> Πολλάκι καὶ θαλερὰς θῆκαν ἴων στεφάνας:

De Feronia ἀνθηφόρῳ *Dionysius Halicarn.* (III. *Antiq. Rom. pag.* 173. ubi v. *not. Sylburgii.*) De Musis, rosis coronatis, *Victorius.* (XIV. *var. lect.* 18.) De Cupidine a Zeuxide floreis coronis picto *Meursius.* (II. *Athen. Attic.* II. *p.* 118. 119.) De Compitalibus Laribus ab Augusto bis anno vernis floribus & æstivis ornatis *Suetonius* (*August. cap.* XXXI.). Ipsa quoque inanimata in Deorum coronata honorem, quale de lapidibus Terminalibus referunt *Turnebus*, (XVIII. *Adverf.* 8.) *Dempsterus*, (*Paralip. ad Rosin.* II. 20. *pag.* 410. 411.) *Weitzius*, (*ad Prudent. pag.*768.) & de pinus ramulis in honorem magnæ Matris violaceis coronis comptis, & redimitis *Arnobius* (*lib.* V. *contr. gent. p.* 187.) cujus elegans etiam de eo, quem modo dixi, more locus est. *Arnob.* (*lib.* VI. *contra gent. pag.* 211.) *Etiam Dii sertis coronis afficiuntur & floribus?* sicut alias quoque præclare de republica meritorum imagines & statuæ coronatæ, quale de victorum statuis ex *Cicerone* & *Tacito Dempsterus*, (*ad Rosin.* X. 29. *pag.* 1677.) & de Maximi, Balbini, Gordiani imaginibus στεφάνοις καὶ δάφναις κεκοσμημέναις ex *Herodiano Ursinus* (I. *Analect. Sacr.* 55.) refert. Ipsorum coronatorum ob res bello bene gestas meminit *Livius*, (*Decad.* I. *lib.* X. *cap.* 47.) quam *honoris coronam* interpretatur *Corn. Nepos*, (*Thrasybul. c.*4.) nec injucunda hanc in rem de Græcis profert *Casaubon.* (XII. *in Athen.* 3. *p.*832.) Concludo verbis *Tertulliani:* (*lib.* V. *in Marcion. p. m.* 259.) *Nemo non diliget imaginem quoque sponsæ, imo & servabit illam & honorabit, & coronabit.*

VII. Strictius nunc ad *coronarum florearum in sacris gentilium* usum descendendum. *Aræ* floribus redimitæ & coronatæ meminit *Apulejus* (I. *Floridor. pag.* 556.) a *Salmasio* (I. *Epistol.* 87. *pag.* 193. *seq.*) emendatus. De *Genii aris* ex *Propertio* & *Ovidio* agit *Taffinus* (*de Ann. & lud. secul.* I. 13. *p.* 107.) *Sacrificuli* etiam στεφάνοις ἱερατευόμενοι *Stuchius*, (*de Sacrif. p.* 70.) Persarum myrto coronabantur, cujus multifariam in Persarum sacrificiis superstitionem notat *Strabo* (*lib.* XV. *Geogr. p.* 504.) sicut populo, Diis inferis facientes, *Ursinus* (*Arboret. Biblic. cap.* 10. *num.* 10.). Plura habent *Lipsius*, (*in* I. *Ann. Tac. num.* 63.) *Weitzius* [*ad Prudent. p.*773.] Sicut sacerdotes, ita *Poetas* quoque coronari solitos observat *Turnebus.* [XIX. *Advers.* 3.] Deos etiam *coronari precabantur*, *Juvenalis*, [*Satyr.* IX. 135. XII. 90.] & oracula additturi ἐπὶ κεφαλῆς, μετώπε καὶ τραχήλε coronari, indeque revertentes, a domesticis flexis genibus coronati excipi soliti, *Hartungus*, [*Decur.* I. *Locor. Memorab. cap.* VIII. *num.* 6. & 26.] *Lipsius:* [IV. *Epist. quæst.* 21.] Adde quod de Q. Fabio Pictore refert *Livius.* [*Decad.* III. *lib.* 3. *cap.* 11.] Sic personæ sacræ coronatæ, nec semper tamen; Abstinebant enim nonnunquam coronis floreis, ut de θεσμοφοριαζέσαις notat *Meursius*, [IV. *Attic. Lection.* 21. *pag.* 218.] nec in Areopagi cancellos coronæ intromittebantur, observante eodem alibi *Meursio.* [*Areopag. cap.* IV. *pag.* 26.] *Victimarum* quoque *coronatarum* varia apud veteres mentio. Minores [de majoribus enim hic nullus dicendi locus est] victimæ floreis sertis redimitæ, *Carolus Paschalius:* [IV. *Coron.* 17.] Cupresso coronatarum mentionem facit

facit *Prudentius*, [*in Apotheos. verf.* 530. ubi V. *Weitz. pag.* 624.] quo ad ferale cupreſſi ſignum referendum, *Caſaubonus*, [*ad Theophraſt. Character.* XVII. *p.* 353.] *Wouwerius*, [*ad* Petronii *pag.* 159. *v.* 14.] *Urſinus*, [*Acerr. Philolog. lib.* I. *num.* 88. & *Dendrol. Sacr. cap.* VIII.] & alii multi. Plura de victimis coronatis habent *Renatus Laurentius*, [*ad Tertull. de Cor. Mil. pag.* 357.] *Ravanella*. [*Biblioth. Sacr. v. corona num.* 4.] Antequam hinc abeam de *puppibus* adjicio, in Tutelarium Deorum honorem coronari eas ſolitas, ex *Franciſco de Mendoza*, [*lib.* V. *viridar. cap.* 31. *pag.* 394. 395.] *Mureto*, [X. *var. lect.* 19.] *Turnebo*, [XIX. *Adv.* 2. & XXVI. *Adv.* 5.] & qui eum verbotenus deſcripſit, *Taubmanno*. [*ad* I. *Georg. v.* 304. Conf. ad IV. *Æn. v.* 418. ad X. *Æn. v.* 171.]

VIII. Nunc ad illum anthoboliæ vel maxime geminum morem, cum in publica ac ſolenni lætitia, privata etiam, *Templa*, *Turres*, *Januas*, ac *Seipſos*, concepti gaudii indicium exhibentibus ramis ac floribus coronabant. Enarrant morem inter alios *Bernartius*, [*ad Stat.* II. *Thebaid. v.* 248.] *Turnebus*, [XXII. *Adv.* 12. & XXV.] *Weitzius*, [*Adv.* 24. *ad* Prudent. *pag.* 763.] *Chokier* [II. *Fac. Hiſtor.* 8. *pag.* 205. 206.] qui idem in Chriſtianis notat. Inde nuptiarum die poſtes ſponſæque ipſæ ac januæ coronatæ, *Joh. Bapt. Caſalius*, [*de Urb. & Imper. Rom. part.* II. *cap.* 16. *p.* 295. 297.] *Dilherrus*; [*Tom. I. Diſputat. Academ.* 25. *th.* 97. *pag.* 805.] puerperarum quoque domus, ſi maſculum peperiſſent, oleagina, ſi fæmellam, lanea ornabantur corona, teſte *Meurſio*. [IV. *Attic. Lect.* 10. *pag.* 186.] De dierum feſtorum coronis unum ſiſto *Strab.* [*lib.* VI. *Geogr. pag.* 177.] qui narrat, ταῖς γυναιξὶν τῆς Ὀυϊβώνης Ὀυαλεντίας ἐν ἔθει γεγονέναι ἀνθολογεῖν καὶ ςεφανωπλοκεῖν, ὥστε ταῖς ἑορταῖς αἰσχρὸν εἶναι στεφάνους ὠνητοὺς φορεῖν, & præclare obſervat *Caſaubonus*, [*ad Perſ. Sat.* V. 183.] Græcos ſcriptores celebrationem diei feſti duabus vocibus deſignare, φωσὶ καὶ στεφανώμασι. Judæis hoc lætitiæ exprimendæ genus familiare notat *lib.* III. *Macchab. cap.* VII. *verſ.* 14. ubi Judæi priſtinæ libertatis poſſeſſionem a *Ptolomæo Philopatore* adepti ἀνέζευξαν ἐκ τῆς πόλεως παντοίοις εὐωδεστάτοις ἄνθεσι κατεστεμμένοι μετ' εὐφροσύνης καὶ βοῆς ἐν αἴνοις καὶ παμμελέσιν ὕμνοις. Dubites hic non parum de libri, quemque ἀποδοκιμάζει, *Philoſtorgius* [I. *hiſt. Eccleſiaſt.* I.] τερατώδη vocans, fide, ſi cum *Tertulliani* graviſſimi patris [*de Cor. Mil. pag.* 347.] autoritate contuleris, omnem omnino coronarum uſum a populo Judaico removentis, quanquam de coronis convivalibus lis ei moveri poſſit, maxime, ſi quis *Eſai.* XXVIII. *verſ.* I. & 3. per עטרת גאות שכורי אפרים has ipſas coronas [quas Judæi a gentilibus, ſicut multa alia per κακοζηλίαν accepiſſe poterant] intelligat, ebrioſorum ſermonibus ſubnixus, quos recitat *Sapient.* II. 8. στεψώμεθα ῥόδων κάλυξιν πρὶν ἢ μαρανθῆναι, ita ut *Tertullianus* in coronarum geſtatione Chriſtianis adimenda alicui nimium operoſus fuiſſe videri poſſit, & undique corraſiſſe, quod pro ſuo faciat inſtituto judice *B. Rhenano* [*in ar. num. l.* Tert. *de Cor. mil.*]

IX. De *coronis convivalibus roſeis* ordo nunc jubet, ut quædam addantur. Coronari iis ſoliti ebrii, quos inde *Argentarius* [I. Ἀνθολ. XLVI. 2.] vocat στέψαντας ἀνθοβόλον κρατὸς τρίχα. Varia coronationis hujus in Ἀνθολογίᾳ Græcorum ab *Anacreonte*, *Empedocle*, *Thyillo* mentio, qui modo ῥόδοις κατασέφειν κάρηνα, modo ἄνθος ἐπὶ κροτάφους ἀναδεῖν &c. nominant. Ex variis florum generibus eæ coronæ confectæ. *Euripides* [εἰδυλλ. ζ. *v.* 63. 64. 65.]

> Κηγὼ τῆνο κατ' ἆμαρ ἀνήθινον ἢ ῥοδόεντα
> Ἢ καὶ λευκοΐων στέφανον περὶ κρατὶ φυλάσσων
> Τὸν πτελεατικὸν οἶνον ἀπὸ κρητῆρος ἀφυξῶ

Unde non ſine cauſa θαλείας, ſeu convivia ἀπὸ τοῦ θάλλειν dicta autumat *Lambertus Barlæus*, [*ad Heſiod. Theogen. v.* 65.] quod floribus coronati epularentur antiqui. De fine hujus coronationis ex multis vide unum *Mendozam*: [*lib.* VIII. *Viridar. Decad.* IV. *Saturn. cap.* 4. *pag.* 804.] An in conviviis præſtent ex floribus corollæ, an vero ex arborum ramis, diſquirit *Cæl. Rhodiginus*. (XIV. *Ant. Lect.* 59.) De vinis & poculis coronatis *Taubmannus*, (*ad* I. *Æneid. verſ.* 228.) *Polydor. Virgilius*, (II. *Rer. in v.* 17.) *Ren. Laurentius*, (*ad* Tert. *de Cor. Mil. pag.* 360. 361.) *Turnebus*, (XXI. *Adv.* 13. (ad quæ etiam reſpicit *Palladas*, (II. Ἀνθολ. XVII. I.) *Euripides*, (*in Cyclop. verſ.* 389.) *Athenæus*. (*lib.* I. *Dipnoſoph.*) De ferculis coronatis habet *Caſalius*. (*Part.* II. *de Imp. & Urb. R. cap.* 19. *pag.* 328.) De coronarum autem uſu multiplici in conviviis ex profeſſo agit *Stuckius*, (III. *Antiq. Conviv.* 16. *pag.* 368. *ſeqq.*) de ebrietatis corona *Barthius*. (LVI. *Adverſ.* 7. *p.* 2641.)

IX. Nec florum ſertorum *in ſepulcris* uſus negligendus, quæ roſis, myrto aliiſque floribus coronata ex *Anacreonte* & *Sophocle* annotat *Dalechampius*, (*ad Plin.* XXI. 3.) *Leonidas*: (III. Ἀνθολογ. XXVI. 4.)

Εἴαρι

Ἔιαελ δὲ πρώτῳ λειμώνιον ἄνθος ἀμέρσας
Χωρίτης ςεφέτω τύμβον ἐμὸν ςεφάνῳ.

Sepulcrales quoque columnæ, & ipſa cenotaphia coronis exornata ex *Luciano* & *Xenophonte* memorat *Caſalius*. (*Part.* II. *de V. & I. R. C.* 21. *p.* 353. 355.) Plura de funeralibus coronis legere eſt apud *Kirchmannum*, (*I. de Funer. Rom.* II. & IV.) *Paſchalium*. (IV. *Coron.* 5. 6. 7.)

XI. Facile hunc locum dimitto, ſi quædam prius *de Chriſtianorum Coronis* adjecero. Quam rigido eas in Chriſtianis obeliſco notarint S.S. Patres, notum eſt, timentes ſcilicet, ne coronarum geſtatio nondum ſepultæ judicium idololatriæ in argumentum reſuſcitandæ verteret. Et Tertullianus quidem tum integro *de corona militis* libro, tum *in Apologetico* ea in re ſedulus eſt. Nec minori labore Minutius Felix *in Octavio* defungitur. Prudentii quoque mens nemini obſcura eſſe poteſt ex invectiva in militem veteranum Chriſtianum. (*Prudent. in Pſychomach.* v. 353. *ſeqq. ubi V. Weitzium p.* 699.) Extat & in hanc rem eruditum πρόβλημα (*Cl. Alexandrini l.* II. *Pædagog.* C. 8. *p.* 75.) Ει μύροις κὴ ςεφάνοις χρηςέον, cujus negativam piis ſatis tuetur rationibus. Graviter hac de re ſentit etiam Afra Auguſtini eloquentia, (*Tom.* VIII. *in Pſ.* 52. *cit. Ren. Laurentio ad Tertull. coron. Mil. p.* 357. *in fin.*). Uſi tamen coronis, ſed ob pias cauſas Chriſtiani; nam & mortuos ἐς ἀχλοήτε ἀμεριμνίας σύμβολον coronabant ut c. l. habet Cl. Alexandrinus; & neophytis ſerta ac coronas dabant de quibus *Saubertus Filius*; (*in not. ad parentis ſui b. m. prodrom. Philol. S. p.* 65. 66.) in nuptiis etiam earum uſu retento, V. *Maderus*; (*libell. de Coron. nupt. p.* 44. *ſeqq.*) & ſi quæ alia in republica Chriſtiana coronarum mentio occurrit. Quo in loco illud non prætermittendum, quod coronas de violis, roſis & liliis *ad martyres* tranſtulerint Chriſtiani ſcriptores, quos eam in rem laudat *Weitzius*, (*ad Prudent. p.* 598.) *Conſ. Barthium* (XXIII. *Adverſ.* 27. *p.* 1164. 1165.) imo & ipſam vitam æternam *coronæ* appellatione deſignaverint, obſervante eodem *Barthio*, (*Idem* II. *Adv.* 2. *pag.* 50. 51.) Qui & de Judæis, eodem loquendi genere utentibus. Quas vero nos Chriſtiani pro variis illis gentilium coronis, coronas habeamus, pie explicat *Stuckius* (*de Sacrif. p.* 159. *b.*)

XII. Sed hæc de coronis floreis protuliſſe ſufficiat. Multo plura, de his etiam, quæ dicta ſunt, dici potuiſſe, ut non facile inficias iverim, ſic libenter ac ambabus conceſſerim; quo minus autem dicerentur, pagellæ reliquæ vetabant, quas huic unice tractationi dicare ſine extrema tituli injuria atque adeo violata inſtituti ratione fieri non poterat. Sunt hactenus propoſita diverſa ab ἀνθοβολίᾳ fateor, aliena ac peregrina non ſunt, quin bonam partem adeo cum ea connexa ut divelli ab illa non ſatis commode poſſint, quæ cauſa eſt, quod in ſequentibus coronarum ſæpius ac florum ſertorum cum ſolutis mixta, ut ita loquar, facienda mentio ſit. Cæterum uberem pariter ac accuratam de coronis notitiam vix aliunde quam ex accuratiſſimo Caroli Paſchalii de Coronis opere decem libris elaborato haurire eſt, quod undique exaſciatum, ut demorſos ſapere ungues dicamus, facile honorifica magnorum de eo virorum judicia impetrant, & ſi ullum aliud dignum certe, in quo recudendo typothetarum deſudet induſtria, Plantinianæ æmula, quæ eum Pariſiis Anno 1610. magno reipubl. literariæ emolumento primum edidit: Tyleſii etiam, qui de eodem argumento extat, libellum citat *Stuckius*, (III. *Antiquit. Convival.* 16. *pag.* 373. *b. in fin.*) quem tamen nondum videre licuit.

THEMA SECUNDUM.

SUMMARIUM.

De floribus ſolutis, eorumque ſparſione, in gentilium ſacris varia. Sparſi Dii Deæque. Emendatus eam in rem ex mente Wouweri Apulejus. Singulis Diis ſui dicati flores: Aræ ſparſæ. Majumæ feſtum. Sparſionis, ut ita dicam, ſacræ reliquiæ adhuc dum in Indis. Ἀνθοβολία κὴ φυλλοβολία *in vivos videnteſque inſtituta. Ea vel publica vel privata. Utriuſque tractatio.* Προχύται, Ἄνθημα *ſaltationis genus.* Ἐρῶντες μήλοις κὴ ῥόδοις. *Heinſii de iis ſententia in dubium vocata. Locus Cantic.* II. 5. *Poetarum noſtri ſeculi alluſio ad hanc florum ſparſionem. In floribus jacere.*

I. FUit hactenus de ſertis floribus, nunc ad *ſolutos* eorumque ſparſionem. Expedienda hic primo loco ea eſt, quæ in ſacris recepta & uſitata, qualis in Deos Deorumque honorem inſtitutæ meminere veteres. Elegans eſt Apuleii locus, ſupra quoque Tmem. 1. θ. 2. memoratus, ubi inducit Gratias & Horas, quæ *jaculis floris ſerti & ſoluti Deam ſuam* (Venerem) *propitiantes, ſcitiſſimum conſtruxerunt chorum, Dominę voluptatum veris dono blandientes*; ſic enim ſcite admodum corrigit *Wouwerius* (*ad Apulej. p.* 694.) & *veris donum* explicat flores, qui veris

veris donum & munus. Veneri alias familiares flores in ſacris, quale illud I. Calend. April. celebrari ſolitum in Calendario Veteri quod recitat *Dempſterus*. (*ad Roſin.* IV. *p.* 546.) In pompa Iſidis deſcribenda occupatus dictus *Apulejus* (*lib.* XI. *Aſin. aur. pag.* 417.) ait: *Mulieres candido ſplendentes amicimine*, verno *florentes* coronamine, *quæ de gremio per viam*, *qua ſacri incedebant comitatus*, *ſolum* ſternebant floſculis. De Segeſtanorum Diana *Cicero*: (*Orat.* IX. *in Verr.*) *Quid hoc tota Sicilia eſt clarius? quam omnes Segeſtanas matronas & virgines conveniſſe, cum Diana exportaretur ex oppido? unxiſſe unguentis? compleſſe coronis ac* floribus. Certe Chloe & Daphnis apud *Longum Soph.* (*I. ποιμεν. p.* 46.) ἐκ νομῆς ἀνιόντες προσεκύνων καὶ πάντως τὸν ἀπέφερον ἢ ἄνθος, ἢ ὀπώραν, ἢ φυλλίδα χλώραν ἢ γάλακτος σπονδὴν, ex quo floribus inſtitutam libationem non obſcure colligas. Idem *Longus* (*II. ποιμ. pag.* 68.) introducit Nympham exprobrantem Daphnidi & Chloe, quod Pana floribus non honoraverint, ὃν ait, ὑμοῖς οὐδέποτε οὐδὲ ἄνθεσιν ἐτιμήσατε, quanquam *Paſchalius* (*II. Coron.* 13. *p.* 115.) ἄνθη hoc loco de coronis explicet, quas nudorum florum mentione facta ſæpe intelligunt authores, ut c. l. probat.

II. Suos etiam flores *Deabus maxime dicatos* fuiſſe; ex quibus deinde in ſacris earum ſparſio adornaretur, conſtat. Hinc Com. *Cartularius* (IV. Ἀνθολ. XXX. I.)

> ἄνθεα ποίων
> Εἰσὶ θεῶν. Ἥρης καὶ ῥοδίης Παφίης.

Et apud *Leonidam* (VI. Ἀνθολ. VII. 10.) Biton Nymphis attribuit.

> σκιερῆς εὐπόκιλον ἄνθος ὀπώρης
> φύλλατε πεπταμένων αἱματόεντα ῥόδων.

Quibus ipſis lilia quoque candida propria erant, *Pontanus*. (III. *Progymn.* 20. *p.* 572.) Buxum in Cythorum portare videar, ſi operoſus hic ſim. Ad alia itaque.

III. Flores etiam per *Deorum aras* ſparſas ex *Statio* (*lib.* III. *Sylvar.*) liquet:

> *Semper odoratis ſpirabunt* floribus *aræ*.

Confer *Chockierum*. (II. *Fac. Hiſtor.* 5. *p.* 201.) Appoſite imitatus eſt elegantiſſimus, politiſſimus & nunquam ſine laude nominandus *Barclajus* (*l.* V. *Argen. p.* 567.) [liceat *Freinshemii* (*ad Flor. l.* XIV. 4. & III. XIII. 7.) & *Boecleri* (*Diſſert. Acad.* III. *p.* 163. *Conf. Diſſ.* XIII. *p.* 558.) verbis uti] quique, judice *Ruperto* (*Obſ. ad Val. Max. l. I. p.* 58.) in novitio argumento religiones antiquas ſubtiliter exprimit: [nihil enim moror auſteros nonnullos, & inter eos *Scioppium* (*de Rhet. Exerc. gener. p.* 20.) ad homines irridendos natum] Ille inquam appoſite, ut alia omnia, tranſtulit his verbis:

> *Nam quem de ſuperis colemus omnes?*
> *Cui plus* floribus *intumeſcat ara?*

Et alias quoque in ſacris ipſis florum ſparſio varie adhibita fuit. Narrat *Pauſanias* (*in Corinth. p. m.* 42. *Edit. Ald. Manut.*) de Sicyoniis, quod ille Deabus, ἃς Ἀθηναῖοι Σεμνὰς, Σικυώνιοι δὲ Εὐμενίδας ὀνομάζουσι, κατὰ δὲ ἔτος ἕκαστον ἑορτὴν ἡμέρᾳ μιᾷ ἄγουσι, θύοντες πρόβατα ἐγκύμωνα μελικράτῳ δὲ σπονδῇ καὶ ἄνθεσιν ἀντὶ στεφάνων χρῆσθαι νομίζουσι, cujus ipſius moris ex Pauſania meminerunt *Cæl. Rhodiginus* (VII. *Lect. Antiq.* II.) & *Salmaſ.* [*in Epiſt. ad Menag. p.* 51.] De Ἀνθισφορίοις Proſerpinæ & Ἀνθεστειοις Bacchi res abunde ex Cl. Meurſii Græcia Feriata nota. Quo celebre illud *Majumæ feſtum* [de qua & Codice Theodoſiano & Juſtinianæo lex peculiaris extat] referendum eſt, ſeu eos audias; qui illo Calendis Maii celebrari ſolito puellam quandam pretioſis indutam veſtibus, currui frondibus ac *floribus* referto imponi, & Reginam vocitari ſolitam aſſerunt; ſeu eos admittas, qui ludum exponunt, hodieque frondibus ac *floribus* celebratum, originem Romanorum Floralibus debentem, qua de re prolixe *Dilherrus* [*Tom.* II. *Diſp. Acad.* VI. *Exerc.* I.] & conciſius *Calvinus* [*Lex. Jurid.* V. *Majum. p. m.* 555. *b.*) *Chokierus* [I. *Fac. Hiſt.* 56. *pag.* 126. 127.] agunt. De *Genio* pene oblitus fueram, debebam enim ſupra meminiſſe, eum, cum nulla ipſi facerent hoſtia, de quo *Alex.* ab *Alexandro*, [II. *gen. dier.* 22.] *Scaliger pater*, [III. *Poetic.* 102. *p.* 394.] *Barthius*, [XVIII. *Adv.* 14. *p.* 920.] inter alia *floribus* etiam piatum, ut ex *Horatio* [II. *Epiſt.* I. *p. m.* 254. *Ed. Bond.*] habet *Turnebus*, [XXVI. *Adv.* 24.] *Gryphiander*, (*de* Εὐθανασία *Diſſert.* II. *n.* 87. *p.* 132.) aliique multi. V. omnino *Dempſterus* (*ad Roſ.* II. 14. *p.* 348.) *Dilherrus* (*Tom.* I. *Diſp. Acad.* XIV. θ. I. *pag.* 427. *ſeqq.*)

IV. Idololatriæ hactenus enarratæ reliquias in *Indis* noſtrorum temporum adhuc ſupereſſe nullus dubito; ut enim ab antiquis illis ipſa haud differunt ſuperſtitione, ſic harmonico in idololatria adornanda cum iis conſpirant concentu. Siſtit certe *Indorum ſacellum* Pimerus Jeſuita apud *Juſt. Heurnium* [*de legat. Ind. C.* VIII.] *multis roſis odoriferis elegantiſſimiſque floribus ita exornatum ut cælum videretur*; deque Chinenſibus elegantia ſunt quæ memorat *Maphæus*: [*l.* VI. *Hiſt. Indor.*] *Feſto novi anni*,

anni, ait, *parietes fornicesque viridi fronde, micantibus rosis & pretioso peristromate vestiuntur, flagrant odoramentis ac floribus viæ, accensis funalibus ac laternis.*

V. Nunc ad specialissime dictam talem Ἀνθοβολίαν καὶ φυλλοβολίαν descendamus necesse erit, in homines *vivos* partim ac videntes, partim *mortuos* institui solitam. Eam, quæ *in vivos* adornabatur, haud incommode distinxeris in *publicam*, festam mage, famosam ac solennem; & in *privatam*, ac minus solennem quidem, nihilominus tamen eam, e qua non exigui in honorandum redundarent honores. Dixi itaque *minus famosam* cum publica illa, omniumque maxime famosa conferendam, qua publico mandato, unanimique consensu ac voto, viæ, per quas honorandus incessurus erat, ἄνθει καὶ χλόῃ conspergebantur. Illustre, si ullum exemplum, est in Alexandro Magno, cui Babyloniam ingressuro, *Bagophanes totum iter* floribus *coronisque* constraverat, narrante *Curtio*, [*l.* V. *c.* I. *n.* 20.] ad quem morem hunc Persis familiarem norat Freinshemius, confer *Ursinum*. [*Acerr. Phil. l.* IV. *n.* 28.] Romanis non minus inusitatam eam fuisse consuetudinem ex adducendis constabit. Triumphantes Imperatores illi eo honoris genere mactabant, ut per vias, quas ingressuri erant, rosas aliosque spargerent flores, quale de subjugata Germania, triumphante Druso narrat *Ovidius*, [IV. *Trist. Eleg.* 2.] & præ aliis eum morem explicat *Johan. Bapt. Casalius*. [*de Urb. & Imp. R. part.* 2. *c.* I.] Addo de *Imperatoribus Romanis*, queis vel nuper in id fastigium evectis, vel urbem intrantibus, vel quamvis aliam denique ob causam, eo favoris, amoris ac benevolentiæ indicio cives non defuerunt. *De Pompejo M. Plutarchus* [*Oper. p. m.* 694.] πολλοὶ στεφανηφοροῦντες ὑπὸ λαμπάδων ἐδέχοντο καὶ παρέπεμπον ἀνθοβολούμενον. Sic *de Vitellio Tacitus* (II. *Histor.* 70. 3.) memorat, quod in ejus honorem viam lauris & *rosis* constraverint Cremonenses. De Juliano novo Imperatore *Marcellinus*, [*l.* XXI. *p.* 189. *Ed. Henr. Vales.*] eum a militari & omnis generis turba, cum *lumine multo ac* floribus *votisque faustis* Augustum appellatum, & ductum in Regiam: Et Heliogabalum ad maximum in suburbano templum Deorum suorum simulacrum deducentem præcedunt cives Romani cum facibus, δαδουχίας καὶ ἀνθέων προπομπεύοντες, apud *Johannem Antiochenum* [*Excerpt. Peiresc. p.* 829.] De Commodi Imperatoris adventu in urbem *Herodianus*: [*l.* I.] Τοιοῦτον δὲ θεασάμενοι, τὸν βασιλέα οἱ Ῥωμαῖοι εὐφημίαις τε παντοδαπαῖς καὶ στεφάνων καὶ ἀνθέων βολαῖς ὑπεδέχοντο. Corippi (*l.* III. *v.* 64.) etiam omittenda non sunt, quæ habet de Justiniano:

> —— —— *nemus omne refertum*
> *Frugibus & glaucæ frondes rapiuntur olivæ.*

Ubi *nemus refertum frugibus* sunt rami arborum, cum ipsis frugibus avulsi, ut studium honoris Justiniano collati indicet plenius, loquente *Barthio* (XLVI. *Adv.* 15. *p.* 2185.) id quod majus ἀνθοβολίας nostræ incrementum & augmentum oppido indicat, si eo veteres devenisse intelligas, ut nuda ac sola florum sparsione non contenti, pendulos etiam arborum cum ipsis fructibus ramos decerperent, spargerentque; quo modo illa in Christi honorem στοιβάδων instituta sparsio capienda, cujus mentio *Marc.* XI. 8. *Matth.* XXI. 8. de qua sequenti Tmemate pluribus. Hactenus de publica sparsione, in cujus recitatis exemplis ut sparsionem privatam vix admiserim, sic illam quam dixi, publicam præcelluisse ac primas tenuisse asseruerim; nec enim aliud tantorum, in quo positi erant, virorum fastigium suadere videtur. Nec negligenda hoc loco est illa ἀνθοβολία, quam in ludis Græcorum usitatam colligere manifeste est ex *Clemente Alexandrino*: (*II. Pædag.* 8. *p.* 78.) Ἐν δὲ τοῖς ἀγῶσι πρῶτον ἡ τῶν ἀθλητῶν δόσις ἦν, δεύτερον δὲ ὁ ἐπεγερμός. Τρίτον ἡ φυλλοβολίας τελευταῖον ὁ στέφανος. Quæ verba, ut ea ex Friderici Sylburgii viri de Græcis literis meritissimi editione recitavi, eleganter illustrat & corrigit *Casaubonus* (*ad Sueton. Neron. c.* XXV. *pag.* 492. 493.) ἄθλων pro ἀθλητῶν substituendo, ut explodere hac ratione merito possis *Paschalium* (VI. *Coron.* 27. *p.* 415.) qui δόσιν exponit de virga e palma, quæ Athletis prius donabatur quam coronæ.

VI. *Privata* illa *sparsio*, quo frequentior usitatiorque, eo plura etiam ejus occurrunt exempla, hic non cumulanda, cum abunde notata sint a *Lipsio* (*ad l.* XIV. *Ann. Tac. n.* 146.) *Ludovico d'Orleans*. (*Nov. Cogit. in Tacit. p.* 762. 763.) *Bernartio*, (*ad V. Silv. Stat. v.* 259.) *Freinshemio*, (*ad Flor.* II. 7. 14.) *Barthio*, (XLIII. *Adv.* 9. *p.* 1562.) *Buchnero*, (*ad Venant. Hymn. de Resurr. Dom. p.* 29.) *Ursino*, (*Dendr. Sacr. c.* II. *Obs.* 25.) *Caussino*. (*not. ad Clem. Alex. Hierogl. quæ additæ sunt Observationibus ejusd. ad Hor. Apoll.*) Notavit morem quoque *Scholiastes Pindari*: (*in Pyth. Od.* IV.) ἰστέον ait, ὅτι τὸ παλαιὸν ἐφυλλοβόλουν τοῖς τῆς γῆς χλωροῖς. Ascribo, & quæ de Aristomene, eo honoris genere affecto habet *Pausanias*: (*Messen. p. m.* 99.) Ἀριστομένει δὲ ὡς ἀνέστρεψεν ἐς τὴν Ἀνδανίαν

ται-

ταινίαις αἱ γυναῖκες ϗ τὰ ὡραῖα ἐπιβάλλουσαι τῶν ἀνθρώπων ἐπέλεγον ἆσμα: & de Curione *Plutarchus*, (*in Pompej. p.* 650.) quod λαμπρὸς ὑπὸ χαρᾶς εἰς τὸν δῆμον ἐξήλατο κρότῳ ϗ βολαῖς στεφάνων ϗ ἀνθῶν δεξαμένων αὐτὸν, unde colligas etiam, κρότον ſeu voces acclamantium & applaudentium ἀνθοβολίας actum concomitari ſolitas. Nec de Diagora Rhodio prætereo, quod eſt apud *A. Gellium an Agellium*, [III. *Noct. Attic.* 15.] in eum a populo gratulabundo *flores* undique conjectos, cum tres filios adoleſcentes vidiſſet vincere & coronari eodem Olympiæ die; qui idem (*Id. Gell. V. Noct. Attic.* 14. *in fin.*) & doleone, quod ſe fidelem Androdo Achaten exhibuiſſet, narrat ex Appionis Ægyptiacis eum *floribus* ſparſum. De roſæ ſparſione publicæ lætitiæ indice ex Steſichoro & *Lucretio Paſchalius*: (III. *Coron.* 5. *p.* 149.) A quibus, quantum inhumanitas & crudelitas Heliogabali diſſideat, cuivis facile liquere poteſt: *Oppreſſis* ille *in tricliniis verſatilibus paraſitos ſuos violis & floribus, ſicut animam aliqui efflaverint, quum eripi ad ſummum non poſſent*, authore *Lampridio*. (*in Heliogab. C.* XXI.) Sed ad rem. Προχύται florum illa fructuumque ſparſio dicebatur, obſervantibus Grammaticis ex illo Plutarchi in Dione: Καὶ καθ᾽ ὃς γένοιτο προχύταις τε βαλλόντων: alias quoque Ἀνθοβολία ϗ φυλλοβολία proprio nomine dicta.

VII. Ex hac quam toties dixi florum ſparſione, intelligendam puto ſaltationem illam idiotis uſitatam, ἄνθημα dictam, ubi ſaltantes præter apium, roſas & violas poſcebant, his verbis: Πȣ̃ μοι τὰ ῥόδα, πȣ̃ μοι τὰ ἴα, πȣ̃ μοι τὰ σέλινα, teſte *Athenæo*, (*l.* XIV. *Dipnoſ.*) ut ſcilicet mutua ſparſione ſe oblectarent & recrearent ſaltantes: Sicut alias quoque gemina ſuperioribus erat ἀνθεμώδης τιμὴ τῶν ἐρωμένων, μῆλος ϗ ῥόδοις ἀλλήλȣς ἐρώντων, cujus rei in veterum ἐρωτικοῖς frequens mentio. Nec uſque adeo facile in *Heinſii* (*Lect. Theocrit. c.* XVII. *p.* 353.) mentem manibus, quod ajunt, pedibuſque eundum exiſtimo, qui illud μήλοις ϗ ῥόδοις ἐρᾶν de vulgariter amantibus interpretatur, emendato hanc in rem Theocrito. Ex eo certe quod Veneri σπείροντι ϗ διδόντι ἔρωτα, atque adeo amoris præſidi poma ac roſæ apud eundem Theocritum voventur, non obſcure quis colligat impenſum ac immenſum amorem, quo μῆλα ϗ ῥόδα διδόντες ſeſe proſequebantur. Verba prædicti *Theocriti* hæc ſunt: (*I. v.* 33. 34.).

> Χρύσεοι ἀμφότεροι κ᾽ ἀνακείμεθα τῇ Ἀφροδίτᾳ
>
> Τὼς αὐλὼς μεν ἔχοισα ϗ ἢ ῥόδον ἢ τυγ μᾶλον.

Quod votum Veneri cum Bombyce ſua facit Battus, ſi Crœſi divitias adipiſceretur. Quæ ἐρωτομανία inter Daphnin & Chloen fuerit, ex Longi Sophiſtæ ποιμενικοῖς notum eſt, nihilominus tamen ille ipſe (*l. I.* ποιμ. *p.* 25.) eo ſiſtit μήλοις ἀλλήλȣς βάλλοντας, & alibi (*Id. Long. l.* III. ποιμ. *p.* 136. *ſeq.*) narrat de μεγάλῳ ϗ καλῷ μήλῳ quo Daphnis deſponſatam jam ſibi Chloe donaverit. Eccleſia etiam de ſponſi ſui Chriſti amore tripudians, ſic exultabunda loquitur *Cantic.* II. 5. Er erquicket mich mit Blumen / und labet mich mit Aepffeln / vertente *Luthero* ὁμοψήφῳ ferme Vulgatæ, niſi quod hæc ad intima & pia ſponſæ deſideria referat, ſecuta fonte *Hebr.* LXX. Sed judicent de his alii:

> *Queis de meliore luto finxit præcordia Titan.*

Alias vino quoque ἐπιχύσεις in honorem τῶν ἐρωμένων inſtituta de quo *Caſaubonus*. (X. *Animadverſ. in Athen.* 7. *pag.* 722.)

VIII. Obiter, antequam hinc abeo, moneo (exempla enim & frequentia ſunt, & a ſtudioſo harum rerum lectore copioſe ſatis obſervabuntur) de noſtrorum temporum Poetis, ſolitum iis ac familiare eſſe, ad hanc ſparſionem ſæpe alluſionem inſtituere. Geminum jam de Salvatore noſtro Jeſu Chriſto exemplum produxiſſe ſatis ſit, quorum alterum e Latio ac media Italia petitum ex *Sannazario* eſt, (*lib.* III. *de Part. Virgin.*) ſic Jordanem Chriſtum excepturum Napæas inter alia alloquentem introducente:

> *Purpureas miſcete* roſas, *miſcete* hyacinthos
>
> *Liliaque & pulcro Regem conſpergite nimbo.*

Alterum noſtræ majeſtatem vernaculæ præ ſe ferens, Pauli Gerhardi de naſcente Chriſto ſic inſonat:

> Nehmt weg das Stroh/nehmt weg das Heu
>
> Ich will mir Blumen holen/
>
> Daß meines Heylands Lager sey
>
> Auff Kräntzen und Violen/
>
> Mit Rosen/ Reseten/ Roßmarin
>
> Aus schönen Garten willich Ihn
>
> Von oben her bestreuen./

Quibus eleganter etiam ad veterum alludit opinionem, qui ſummam arbitrabantur voluptatem *in roſis jacere*, id quod ex variis authoribus illuſtratum dedit *Barthius*, (LVIII. *Adv.* 16. *p.* 2757.) & de Neronis cænationibus index eſt *Suetonius* (*Neron. C.* XXXI.) emendatus a *Turnebo*,

(XXVI. *Adv.6.*) hucque referri etiam debet illud supra *th.* VI. ex *Lampridio* de *Heliogabalo* adductum; confer *Paschalium*. (III. *Coron.4. p.* 145. *& cap.6. p.*151.)

THEMA TERTIUM.

SUMMARIUM.

Digressio de ὀχοφορία *Ethnicorum.* Ὀχοφόροι. Θαλλοφόροι. Δενδροφορία. *Sui Diis in sacris rami.* Ὀχοφορία *e Judæorum Scenopegiis per Diaboli* κακοζηλίαν *transportata.* Ὀχοφορία *Judæorum.* Εἰρεσιώνη. *Hosannoth,* Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ τοῦ Δαβίδ. *Ramorum in festis Judæorum usus. Versio Lutheri* Psalm. CXVIII. 27. *Palmæ foribus affixæ. Palma lemniscata. Regressio ad* ἀνθοβολίαν, *quæ in statuas & imagines etiam instituta, in quas ipsas in contumeliam lutum & lapides sparsi.* Λιθοβολία ἀντὶ τῆς ἀνθοβολίας *in dedecore afficiendum adornatæ. Lapidum jactus ad avertenda pericula.* Ἑρμαῖοι λόφοι.

I. LIceat hic occasione moris, hactenus enarrato sicut lac lacti aut ovum ovo similis, paulisper excurrere & digredi. Dixi hactenus pro re nata de florum sparsionibus in honore afficiendos receptis, dicam jam de ὀσχοφορία βαιοφορία καὶ κραδηφορία. Rami itaque iis exhibebantur aut præferebantur, quos insigni omnium favore honestatos significare volebant, quem morem latius explicant *Nic. Caussinus*, (*ad Clem. Alex. Hierogl.*) & *Joh. H. Ursinus*. (*Arbor. Bibl. cap.* II.) Mutuati sunt id genus honoris a Baccho, in cujus honorem Athenienses festo die ei rei dicato ὄσχους, seu ἕλικας, ἕλικας, κλήματα καὶ κλάδους τῆς ἀμπέλου præferebant, unde ὀσχοφόροι dicti παῖδες ἀμφιθαλεῖς, λαμβάνοντες κλήματα ἀμπέλου ἐκ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Διονύσου ἔτρεχον εἰς τὸ τῆς σκιῤῥάδος Ἀθηνᾶς ἱερόν, ut ex interprete *Nicandri* citant Grammatici: & ὀσχοφορία ipsum festum, de quo *Aristodemus* apud *Athenæum*, (*lib.* XI. *Dipnosoph. pag. m.* 202. V. πενταπλόα.) *Hesychius* & *Alciphron* apud *Barthium*, (III. *Adv.*17. *pag.*142.) confer *Natalem Comitem*, (IV. *Mythol.*13. *p.* 490.) *Chokierum*. (II. *Fac. hist.*59. *pag.* 296.) Parum hic absunt eorundem Atheniensium θαλλοφόροι, ramos λευκοπτεῖς in Panathenaica pompa ferentes, de quibus *Paschalius*. (IV. *Coron.* 12. *pag.*243. & VI. *Coron.*16. *pag.* 393.) Δενδροφορίαν de Musis, Cerere & Baccho meminit *Strabo*: (*lib.* X. *Geogr. pag.*322.) Δενδροφορίαι, inquit, καὶ χορεῖαι καὶ τελεταὶ κοιναὶ τῶν θεῶν εἰσὶ τούτων, ubi δενδροφορίας *ramorum gestationes* interpretatur *Casaubonus*, & in notis cum hac, quam dixi, Atheniensium ὀσχοφορίᾳ confert. Sic scil. δεισιδαίμονες illi putabant, se non satis sacris defunctos, ni ut certas arbores Diis suis dicaverint, sic & earum ramis in sacrificiis uterentur; unde *Guil. Stuckius* (*de sacrif. p.m.* 103.*a.*) monet, gentiles ad ignem sacrificiorum adhibuisse ligna ex iis potissimum arboribus, quæ Diis quibus rem divinam faciebant, erant dicatæ: Itaque cum Baccho inter alias arbores thyrsus, vitis & abies sacræ essent, earum ramos ei in sacris præferebant, quin & iis delubra & aras exornabant. *Long. Sophista* (*lib.* IV. ποιμ. *pag.*143.) περιέσχε τὸν μὲν βωμὸν κιττὸς, τὸν νεὼν δὲ κλήματα.

II. Qua in re, si in ulla alia, nefanda sane Diaboli elucescit κακοζηλία καὶ θεομαχία, dum, quem vero Deo proprium exhibeant honorem Judæi, ad seipsum violento raptu transtulit. In Scenopegiorum certe festo celebrando jussi erant Israelitæ *Levit.* XXIII. 40. λαμβάνειν καρπὸν ξύλου ὡραῖον καὶ κάλλυνθρα φοινίκων καὶ κλάδους ξύλου δασεῖς, καὶ ἰτέας καὶ ἄγνου κλάδους, ut LXX. vertunt, & *Nehem.* VIII. 15. itidem jubentur ἐνέγκειν φύλλα ἐλαίας καὶ φύλλα ξύλων κυπαρισσίνων καὶ φύλλα μυρσίνης, καὶ φύλλα φοινίκων, καὶ φύλλα ξύλου δασέος ποιῆσαι σκηνὰς κατὰ τὸ γεγραμμένον. Habes de tabernaculis e frondibus extructis, more etiamnum apud Judæos, teste *Buxtorfio* in tabernaculorum festo cum iisdem ramorum speciebus in *Levitico* præscriptis, superstitiose obtinente. *Buxtorf.* (*Synagog. Judaic. cap.*XVI. *pag.* 324. 331. 332.)

III. De ipsa autem in sacrificiis usitata ὀσχοφορίᾳ diserte meminit *Josephus*, (II. *Antiq. Jud.* 10.) dum Judæos in festo Tabernaculorum victimas Deo incendere scribit, & simul pro gratiarum actione sacrificare ἐν ταῖς χερσὶν φέροντας εἰρεσιώνην μυρσίνης καὶ ἰτέας, σὺν κράδῃ φοίνικος πεποιημένην, τοῦ μήλου τοῦ τῆς περσέας προσόντος εἰρεσιώνην autem Grammatici ex *Aristophane* interpretantur ramum oleaginum, lana obvolutum, arborum circumpendentibus fructibus, in honorem Apollinis ante fores ædium suspendi solitum, ut ex oraculi jussu famem arceret. V. omnino *Paschalius* (V. *Coronar.* 15. *pag.*332. 333.) de origine εἰρεσιώνης & superstitionibus circa eam variis eleganter differens. Quod εἰρεσιώνην Græce exprimit *Josephus*, Judæi הושענות vel הושיעהנא vocabant, cujus ὀνοματολογίας rationem reddit vir Clariss. *Thomas Reinesius*; (*Epist. ad Vitum Wolfr.* 15. *Jan.* A. 1626. *scripta.*) τεχνικὴ enim solum hac in re vocis hujus significatio est, non propria & nativa, quam contra

Baro-

Baronium explicatam legere est apud *Casaubonum*, (*Exerc.* XVI. *ad Baron. An.* 34. *n.* 5. *p.* 321.) confer *Glassium*. (*Grammat. Sacr. lib.* III. *Tr.* 6. *Can.* 1. *p.* 634.) Ex quo facile dijudicare licet ὡσαννὰ illud Christo Hierosolymas introeunti a populo acclamatum, *Matth.* XXI. 9. *Marc.* XI. 9. *Joh.* XII. 13. quod de ὀσχοφορίᾳ explicant eruditi, ita ut ὡσαννὰ τῷ Θεῷ τȣ̃ Δαβὶδ idem sit quod ὄσχος τῷ υἱῷ τȣ̃ Δαβὶδ, ut ex *Josephi Scaligeri Animadv. Euseb.* explicat *Christ. Becmannus*, (*Orig. v. Hosanna.*) velut disertius antea laudatus *Casaubonus: Hæc baia sive termites palmæ oleave aut salicis altasque arboris frondes in honorem filii David*, videlicet φέρομεν καὶ πάλλομεν. Quem tamen audire non vult *Heinsius*, (IV. *Exercit. sacr.* 8. *p.* 234.) dum αἴσακον hunc ramum Hosanna vocatum contendit, & αἰσάκȣ ἔτυμον ex Syria arcessit. Moralis, mage ac mystica explicatio est *Joh. Bapt. Casalii*, (*Part.* II. *de Urb. & Imp. R. cap* 1. *p.* 187.) nec satisfacit, dum Judæos morem illum per Pompejum devictos accepisse astruere videtur. Eleganter etiam ii, sed ab illo, quem nos jam intendimus, scopo alieni qui ad R. הושיע respicientes ὡσαννὰ per σῶσον exponunt, de quo inter alios: v. *Heinsium*. (I. *Exerc. sacr.* 15. *p.* 66.)

IV. Alias quoque *ramorum in solenni lætitia & diebus festis* apud Judæos usus, ex I. *Macchab.* XIII. 51. constat ubi εἰσῆλθον εἰς τὴν ἄκραν ἐν Ἱερȣσαλὴμ μετὰ αἰνέσεως καὶ βαΐων, & quæ alia lætitiæ indicia ibidem apponuntur. Hinc David *Psalm.* CXVIII. 27. Schmücket das Fest mit Meyen/ bis an die Hörner des Altars/ vertente *Luth.* recedentibus ob id ab eo, *Calvinianis Hermeneutis*, *Tremellio*, *Junio*, *Piscatore*, *Coppenio*, *Tossano*, Lutheranis etiam nonnullis, videsis *Christianum Matthiæ*, (*Colleg.* II. *Antiphot. in Exerc.* 2. *Coroll. p.* 108.) & *Glassium* (*Rhetor. sacr. Tr.* 1. *cap.* 4. *n.* 3. *p.* 61.) qui ipsius *Luth.* pro hac versione sua verba apologetica recitat.

V. Ad alia ibo, si addidero ex *Caussino*, quem *th.* 1. hujus tmem. laudavi, & *Casaubono* (*ad Svet. Domit. cap.* XXIII. *p.* 580.) veteres nec ramorum gestationibus, nec florum sparsionibus, illustrissimis alias favoris & benevolentiæ signis contentos, *palmarum* etiam *ramos* ad insignium fores virorum affigere solitos fuisse, præsertim oratorum ac causidicorum, victoriam in foro obtinentium, qua de re etiam videatur *Barthius*. (XLIX. *Adverf.* 7. *pag.* 2293.) Similiter & eximii Poetæ *palma* donabantur *lemniscata*, seu lemnisco ornata, de quo *Turnebus*, (XVIII. *Adv.* 3. XXVI. 30. XXIX. 1.) *Scaliger filius*, (I. *Auson. lect.* 10.) (qui idem de iis, qui in Agonibus Capitolinis vicerant, refert) *Casaubonus*, (*ad Svet. Neron. cap.* XXV. *pag* 494.) *Dalechampius ad Plinium*, (XXI. *hist. nat.* 3.) in quo, ut & Festo *Lanisci* pro *Lemnisci* reponit *Hieron. Magius*, (II. *Miscell.* 17.) conf. *Ursinum*, (*Arb. Bibl. cap.* 10. *n.* 9.) & præprimis *Carolum Paschalium*. (II. *Coron.* 12. *pag.* 111. 112.)

VI. Sed hic finis hujus excursus esto, quem eo facilius veniam meriturum spero, quod ipse devia agnoscens [in quæ tamen nec invitus nec imprudens delapsus sum] nunc justam planamque viam fidentiori remetior gradu. Nec enim superfluæ omnino ejusmodi digressiones habendæ sunt, dummodo, sicut in χρυσȣ̃ν μίλιον Romæ omnes Italiæ viæ desinebant, sic hæ in præfixum competant scopum.

VII. E diverticulo itaque in viam reversus, absoluta ejus, quæ in vivos instituebatur, florum sparsionis mentione, quem *statuis etiam* eorum, quibus bene volebant, hac in re honorem fecerint, videndum est. Præterquam enim, quod aureis, argenteis, aut æreis auro obductis amiculis statuas ornarent. *Wouwerius*, (*ad Petronii pag.* 123.) *Dempsterus*, (*ad* IX. *Rosin. pag.* 1510.) varieque comtas eas exhiberent, non florum sertorum honore contenti eas affecisse, de quo *Thmem.* 1. *th.* 6. solutorum quoque insuper addiderunt. Testis hujus imaginum ἀνθοβολίας *Tacitus*: (XV. *Ann.* 61. 1.) *Octaviæ imagines gestant humeris*, spargunt floribus, *foro ac templis statuunt*. Extatque eum in modum elegans Epigramma *Callimachi*, (I. Ἀνθολ. *lib.* 1. *p. m.* 147.) quod Poetica donatum toga recitat *Mendoza* (*lib.* VII. *Viridar. Dec.* 4. *Saturn. cap.* 10. *pag.* 811.) de puero, statuam novercæ demortuæ floribus exornante, eamque statuam subito corruentem puerum oppressum exanimante.

VIII. Approbavi morem ipsum ac honorem, qui eo relucescet illustrior, quo magis ignominiæ ac dedecoris tempestatem vereri coactus est. Scilicet, ut rem paucis comprehendam, luto sæpe statuas earumque titulos conspergebant ac commaculabant, si quem πονηρȣ̃ χρώματος esse, & a se haberi significabant; quale optimo juveni Alexandro, filio suo adoptivo fieri voluit monstrum illud mundi Heliogabalus, narrante *Lampridio*. [*in Heliogab. cap.* XIII.] De tota vero, quæ omnem hactenus paginam implevit, ἀνθοβολίᾳ quid dicam? Nimius sim, si omnia ignominiarum genera huc transferre animum induxerim. *Lapidum ejaculatio* ei quæ florum esse debebat, successit, si quem ignominia notatum volebant. Imaginum, de quibus simili modo dixi, ea contumelia fuit *Casaubonus*. (*ad Svet. Calig. c.* V. *p.* 408.)

p. 408.) In recitationibus quoque (de quibus apud Lipsium, [*Centur.* II. *Epist. ad Belg.* 48.] *Raderum*, [*Comm. in Martial. lib.* X. *Epigr.* 69. confer *ad* III. *Epigram.* 33.] *Wouverium*, [*Polymath. c.* 16. *pag.* 132.] *Heinsium* [*Proleg. Aristarc. sacr. p. m.* 642. 643.] legere est) mos invaluit, eos insectari lapidibus, qui parum probe aut ad mentem audientium dixissent: Hinc *lapides* in Eumolpum recitantem mittuntur apud *Petronium*, [*Satyr. p. m.* 103. ubi V. *Wouw.*] quam lapidationem Romanis alioqui non usitatam asserit *Barthius* [X. *Adv.* 22. *pag.* 500.]. De lapidum missione in malos V. *Aristophanem*; [*in Acharnens. Act.* II. *Scen.* 2.] conf. *Marc.* XII. 4. Sed ἀπέχω, ne ad lapidationis supplicium Judæis familiare delabar, video enim in Marco lapidationem pœnam capitalem, & quæ ipsam post se trahat mortem, explicare interpretes.

IX. Non omnis tamen lapidum sparsio eo, quo dixi, modo contumeliosa fuit. Erat enim, qua Deorum iram avertere conabantur, ut cum, si infaustum animal occurrisset, periculum se subterfugisse existimabant, quod infelix ille occursus conferre poterat, si id lapidibus petiissent & feriissent, quem morem ex *Augustino* & *Dione Chrysostomo* deducit *Casaubonus* [*ad Theophr. Charact.* XVII. *pag.* 343.] quem potissimum ex gentilismo morem in sua transtulisse puto Mahumedem, dum lapidum retrorsum facta jactione Diabolum a mystis suis fugari voluit, V. *Holmius*. [*Theolog. Muhamm. Part.* III. *Art.* 12. *th.* 1.] Erant & ἑρμαῖοι λόφοι, cumuli lapidum, quos prætereuntes viatores in honorem Mercurii crebra lapidum emissione augebant, de quibus omnino videndi *Seldenus*, [2. *Deor. Syr.* 15. *pag.* 350. *seqq.*] *Barthius*, [IX. *Advers.* 5. *pag.* 422. 423.] *Rupertus*, [*Observ. ad Flor. lib.* I. *cap.* 7. *pag.* 131. 132.] moris originem ad Chananæos referens: & nos [*Par.* III. *Antiq. Biblic. pag.* 21. *seqq.*] in antiquitatibus Biblicis.

THEMA QUARTUM.

SUMMARIUM.

Sparsio funebris. Flores e terra ac tumulo in honorem vivorum ac mortuorum erumpentes. Ver perpetuum. Florum sparsio quadruplex: in feretro, in mortuis, in mortuorum statuis, in sepulcris, φυλλοβολίας hujus frequens usus. Ea ex omnibus promiscue instituta floribus, non solo apio, ut perperam voluit Baptista Pius. Apium Græcis in sepulturis familiare. Inferiæ floribus sparsæ, quod manes iis delectari crederent. Ἀνθοβολίας hujus mos apud Christianos & finis. Patritius obscure nimis ex ea humationem sub dio elicit. Nostri ævi poetæ huc alludentes. Ludovici Cortosii JCti Paduani impietas notatur.

I. Accingor nunc demum ad eam florum asperginem, quam *in mortuos* receptam habebant veteres, amplo satis, ut illi quidem existimabant, honore. Impetrabant hoc honorifica ad felicitatem eorum plus quam humanam exprimendam aptata verba; de vivis scilicet ex illorum vestigiis nasci flores, ipsam quoque terram sponte sua in honorem eorum flores producere, de mortuis vero ex eorum tumulis suaveolentes quoscunque erumpere flores. *Casaubonus* ad illa *Persii* (*Satyr.* I. *vers.* 39.).

> *Nunc non e* tumulo *fortunataque favilla*
> *Nascentur* violæ.

& qui inde exscripsit, *Taubmannus* [*ad Virg. Eclog.* IV. *vers.* 23.] Hinc inde *Persius* [*Sat.* II. *vers.* 37.] dum muliercularum pro liberis & nepotibus suis vota precesque superstitiosas perstringit, ita ait:

> *Hunc optent generum Rex & Regina: Puellæ*
> *Hunc rapiant*, quidquid calcaverit hic rosa fiat,

quibus verbis proverbii loco usus est Carolus Calvus Rex Francorum Epistola ad Hadrianum II. Papam expostulatoria, quam cum epistolis *Hincmari Rhemensis* [*oper. pag.* 457.] edidit *Johannes Cordesius*. Et *Bion Smyrnæus* [*Idyll.* I. 65. 66.] ex Adonidis ab apro occisi sanguine enatos flores ait:

> —— τὰ δὲ πάντα ποτὶ χθονὶ γίγνεται ἄνθη
> Αἷμα ῥόδον τίκτει

Id quod *Barthius* [III. *Advers.* 8. *p.* 123.] qui se integrum illud carmen anno ætatis decimo quarto Latino itidem carmine transcripsisse ait, ita reddidit:

> *Sanguine de roseo rosa fit lacrymisque papaver*
> *Omnia quæ mutat tellus miserata laborum*

Confer *Paschalium* [III. *Coron.* 6. *pag.* 155. 156.], utque e tumulo Sophoclis nascantur

tur flores, vovet *Simonides* [III. Ἀνθολ. XXV. 59. Conf. *Epigr.* 40. 46. 48. 61.]:

> Ἠρέμ' ὑπὲρ τύμβοιο Σοφοκλέος ἠρέμα κισσὲ
> Ἑρπύζοις χλοεροὺς ἐκ προχέων πλοκάμους.
> Καὶ πέταλον πάντη θάλλοι ῥόδου.

Philodemus [III. Ἀνθολ. XII. 11.]:

> Φῦς κατὰ στήλης ἱερῇ κόνι τῇ φιλοβάκχῳ
> Μὴ βάτον ἀλλ' ἁπαλὰς λευκοίων κάλυκας.

II. *Ver* itaque suis optabant *perpetuum*. Inde *Juvenalis* [*Satyr.* VIII. *vers.* 208.]:

> *Dii majorum umbris tenuem & sine pondere terram*
> *Spirantesque crocos*, *& in urna* perpetuum ver.

Quare hinc vulgi enatam opinionem puto, vivere mortuos in campis Elysiis in æternis rosis, atque in æterna vivere rosa summam ut voluptatem, sic felicitatem habere, quod satis pro more explicat *Barthius* [VI. *Advers.* 11. *p.* 275. IX. *Advers.* 20. *pag.* 456. XXXII. *Advers.* 21. *p.* 1499.] Sed jam ad sparsionem ipsam.

III. Quadruplicem eam potissimum invenio, vel in *feretro*, vel in *mortuis*, vel in *eorum statuis*, vel denique in ipsis *sepulcris*. De sparsione in feretro antiquissimum quod meminit in historia Romana extat exemplum apud *Dionysium Halicarnassæum* [*lib.* XI. *Antiq. Rom.*] de funere Virginiæ; ubi sistuntur γυναῖκες καὶ παρθένοι τὸ πάθος ἀποδυρώμεναι, αἱ μὲν ἄνθη καὶ στεφάνους βάλλουσαι κατὰ τῆς κλίνης, αἱ δὲ πλοκάμους ἢ μίτρας &c. Sparsionis in mortuos institutæ apud *Suetonium August. cap.* XVIII. mentio his verbis: *Per idem tempus conditorium & corpus Magni Alexandri cum prolatum e penetrali subjecisset oculis* [Augustus] *corona aurea imposita ac* floribus aspersis *veneratus est*. Ubi simul habes de tumulo. Sparsionis, quæ in defunctorum statua facta, quodammodo memini *Tmem.* 3. *th.* 7. & pulcra extat historia apud *Fulgentium* [*lib.* I. *Mythol. ab init. cap. unde idolum dicatur.*] Ex Diophanto Lacedæmonum autore memorata de Syrophane Ægyptio, tam acerbe mortem filii ferente, ut ejus simulacrum in ædibus statueret. *Universa*, ait Fulgentius, *familia in Domini adulationem aut coronas plectere*, *aut* flores inferre, *aut odoramenta simulacro succendere consueverat. Nonnulli etiam servorum culpabiles*, *Domini furiam evitantes ad simulacrum profugi veniam merebantur*, *& quasi salutis certissimo collatori* florum *atque thuris offerebant munuscula*.

IV. Sepulcralis autem illa sparsio & prædictis fuit receptior, & memoria autorum copiosior. Ante excisam Trojam vix ulla, aut nulla plane ejus mentio. *Homerus* certe, utut tumulorum meminerit sparsionis non meminit, quod nemo magis mirari debet, quam quod idem ne στεφάνων quidem καὶ τοῦ στεφανοῦσθαι in propria significatione mentionem faciat, observante *Casaubono* [I. *in Athen.* 15. *p.* 45.]. Primus ni fallor in historia ejus ævi *Virgilius* [*Æneid.* VI. *vers.* 884.], qui Æneam ad Anchisæ patris sepulcrum, purpureos jacentem flores introducit. Inde certatim hujus ἀνθοβολίας mentio apud *Virgilium* [*Æneid.* VI. *vers.* 884.] alias, sed in historia Augusti:

> *Tu Marcellus eris*, *manibus date* lilia *plenis*
> *Purpureos* spargam flores,

quo versu audito in animi deliquium incidisse *Octaviam* notatum alibi; [*in Augusto Part.* II. *th.* 6. *p.* 137.] & in Græcis Poetis sæpe ac lapidibus antiquis, [nil enim hic moror *Bechererum Respons. ad Apolog. Becm.* C. XXXII., lapidibus vetustis virorum linguæ & antiquitatum Romanarum peritorum industria erutis omnem derogantem fidem] qui quotannis rosas ad monumentum defuncti deferri jubent, quale Drusi monumentum Ravennæ ex lapide prisco sistit *Justus Lipsius*; [*ad* II. *Ann. Tacit. n.* 17.] nec enim putandum est, semel tantum φυλλοβολίαν hanc institutam esse, sed sæpius, ac toties, quoties libuit; imo ut quotannis institueretur, testamento cautum ex veteribus marmoribus constat. Cæteroquin bis anno quam commodissime institui poterat, verno & æstivo tempore, idque ἐαρινοῖς καὶ θερινοῖς ἄνθεσι, V. *Casaubonum* [*ad Sueton. Aug. cap.* XXXI. *p.* 183.]. De ἐαρινοῖς, seu vernis floribus prolixe admodum agit *Paschalius* [III. *Coron.* 2. *in genere*, *& cap. seqq. in specie.*] qui evolvendus, æstivorum autem tractationem cur omiserit, conjectare non possum. Memorat utrosque junctim *Suetonius cap.* LVII.] de Nerone, cui non defuisse dicit, *qui per longum tempus* vernis æstivisque floribus tumulum *ejus ornarent*. Imo post aliquot demum seculorum intervalla, & Augustus Alexandri M. conditorium floribus exornavit, de quo antea: & Antoninus Imperator (quamvis Alexandri M. nomen assumens) Achillis, *Johanne Antiocheno* [*in Excerpt. Peiresc. pag.* 826.] teste.

V. Spar-

V. Sparsio illa ex omnibus promiscue instituebatur floribus, integris etiam sæpe arboribus, annotante *Paschalio*; (IV. *Coron.* 7. *pag.* 225.) ut videre satis non possim, quæ causa fuerit *Baptistæ Pio*, (*Annotat. c.* XV.) impio aliarum rerum boni sui ingenii detortori, quo eum elogio *Barthius* (V. *Adv.* 10. *p.* 229.) ornat, ut, cum hanc mentem juvenis & eloquentiæ candidatus tenuisset, Plutarchi Timoleonte adductus mutaret eam, & quod de floribus dicunt autores, ad solum restringeret apium; quam illius opinionem *deliramentum* merito vocat *Hieronymus Magius*, (II. *Miscellan.* 17.) (indignus certe vir, qui impuris Turcarum manibus strangularetur) & contrarium contra eundem accurate evincit. Non enim nisi de solis Græcis loquitur Plutarchus, ut eum quoque exponit doctissimus Episcopus *Levinus Tortentius* (*ad Sueton. August. c.* 18. *p.* 105.) & solis Græcis in funeralibus apium peculiare notant *Hadrianus Junius* (V. *Animadv.* 11.) *Alexander ab Alex.* (V. *Genial. dier.* 8.) *Muretus* (XVI. *Variar. lect.* 18.) & alii.

VI. Existimabant autem veteres, floribus ejusmodi semper vernantibus umbras & manes defunctorum quam suavissime affici: V. omnino *Taubmannus*: [*ad Virg. Culic. v.* 408.] unde in *inferiis* non solum lac, mel, vinum, &c. fundebant, sed & *flores* spargebant, quam in rem elegantem ex Æschylo locum producit *Turnebus* [IV. *Adv.* 22.]. Plura de funeralibus qui desiderat floribus, adeat *Kirchmannum*, [IV. *Funer. Roman.* 2.] *Casalium* [*Part. II. de Urb. & Imp. Rom. c.* XXI. *pag.* 355.] *Desiderium Heraldum* [*I. Adversar.* 6.] *Jacobum Pontanum* [IV. *Progymnasm.* 60. *pag.* 1123. 1124.]

VII. Christiani etiam tumulos floribus sparsis exornabant, ad immotam futuræ resurrectionis spem testificandam, quod, sicut flores verno tempore redeant, sic nos quoque extremo die simus redituri. Hinc *Prudentius*: [*Cathemerin. Hymn.* X. *v.* 177. 178. Confer *Peristeph. Hymn.* IX. *v.* 200.]

> *Nos tecta fovebimus ossa*
> Violis *& fronde frequenti.*

Colligas alium finem hujus Christianæ ἀνθοβολίας, ex verbis *Cypriani* (*Epistol.* XVI.) Mosen & Maximum Presbyteros Romanos consolantis: *Successit hyemi verna temperies, rosis læta & floribus coronata, sed vobis rosæ & flores de paradisi deliciis aderant & caput vestrum serta cælestia coronant*; Beatitudinem scilicet æternam & gaudia cœlestia, quibus frueretur anima defuncti, hac etiam sparsione indigitare poterant Christiani V. multa S.S. P.P. loca apud *Dilherrum*, (*Tom.* I. *Disp. Academ.* XV. *th.* 3. *n.* 6. *pag.* 461. & *n.* 23. *pag.* 468.) quibus adde quæ ex Jotsaldo Monaco in funere Odilonis profert *Barthius* (IV. *Advers.* 18. *p.* 195.)

VIII. Illud hic prætermittere non possum, nodum in scirpo, quod ajunt, quærere mihi videri Patricium, & qui eum laudat, Keckermannum. Verba *Patricii* apud *Keckerm.* (*Disput.* XXX. *Curs. Philos. Problem.* 13. *pag.* 429.) inter alia hæc sunt: *Nullum sepulturæ genus magis laudandum puto, quam humationes sub dio, ubi flores & herbæ nascuntur, cum id in sepulcris vetustissimis inscriptum sit:*

> *Sparge rosas, lector vel candida lilia pone.*

Versum illum, *vetustissimis*, ut ait, *inscriptum sepulchris*, de sparsis loqui floribus, vel cæcus videat, quid ergo ille ad *humationes sub dio, ubi flores & herbæ nascuntur?* Fuit tempus, quo suis quisque in ædibus sepeliebatur nec adeo officere potuerunt leges XII. tabularum, quin cineres virorum triumphalium, Imperatorum, summorum Ducum, Vestaliumque in foro conderentur, teste *Turnebo*. (*ad l.* II. *Cicer. de LL. Tom.* I. *Oper. pag.* 163.) Non video itaque, fateor, quid sibi velit hisce Patricius, quidque in iisdem ipsi reliquum sit pro humatione sub dio. Sed ad finem properandum est.

IX. Ad ἀνθοβολίαν hanc nostri Poetæ Epitaphia condentes sæpe collimant. Non opus multis rem pertexere. Monuisse sufficiat ex *Scaligero Patre*, (VI. *Poeticor.* 4. *pag.* 810.) Pontani tumulorum libros universos pene constare verbis hisce: *rosæ*, *violæ*, *lilia*, *hyacinthi* &c. Ad ver perpetuum alludit *Sannazarius* (*l.* I. *Epigr. de Pulitiano.*)

> *Heroum opacis qui sub umbris arborum*
> *Strati ac perenni flore suffulti caput*
> *Ducunt quietem æternam, perpetuam, optimam.*

Ipsius prædicti Sannazarii tumulum hoc Epitaphio ornavit Petrus Bembus Cardinalis:

> *Da sacro cineri flores, hic ille Maroni*
> *Sincerus Musa proximus ut tumulo,*

referente Paschasio Grosippo, vel si mavis *Caspare Scioppio* [*in Paradox. literar. Epist. ad Jul. Cæs. Capac. pag.* 34.]

X. Illud etiam colophonem dissertationi impositurus, non possum non quin de Lu-

Ludovico Cortosio JCto Paduano memorem, eum decem condidisse Leges, quibus, ne mortem suam lugerent amici, cavit, inter quas duabus voluit, ut exornarent domum floribus & conchyliatis peristromatis, usque feretrum ejus sequerentur adolescentes & virgines cum viridibus ramis, non nænias aut lessum, sed ludrica cantantes, quod ipsum ex Philippo Camerario & Scardeone de JCtis Paduanis narrat nobilissimus *Harsdofferus*: (*Part.* II. *Secretar. German. cap.* 3. *num.* 49.) Quo profanam de mortuorum resurrectione & animæ immortalitate mentem satis testatus est, quam ab omnibus Christianis procul esse jubeat Deus T. O. M. cui gratias agens debitas filum abrumpo.

JOH. NICOLAI GRABERG DISSERTATIO DE UNCTURA CHRISTI BETHANIÆ FACTA.

PRÆLOQUIUM.

Cum e cathedra superiori specimen quoddam Academicum edere jubear, ejusmodi selegi argumentum, quod tempori instanti quam maxime esset conveniens: Præcipue cum hoc ipso tempore templa omnia omnesque suggestus acerbissima Christi ac crudelissima morte personent, omniumque in ore versentur amarissima ista crudelitatis genera, quæ dilectissimus noster Jesus pleno inductus amore subiit, sanctoque consilio est perpessus. Quæ tempora tacito sum veneratus cultu, nihilque prius aut antiquius habendum esse existimavi, quam si promptus his me accommodarem, talemque susciperem laborem, qui non plane jam ab hac tempestate foret alienus. Animus hinc est UNCTURAM CHRISTI BETHANIÆ *factam thesibus nonnullis Philologico-Historicis pro virium facultate exponere, omnesque, quarum sacra historia meminit, circumstantias commemorare. In quo vero labore expediendo tantum studebo brevitati, iis usurus præsidiis, quibus benevolus fautorum animus, quem jure deveneror, beavit me atque instruxit: Commoda insimul mea unice respiciens, cum alios opella hac doctiores reddere vix valeam. Ad hoc autem perficiendum me excitavit elegans monitum sapientissimi quondam Philosophi*, Senecæ, *graviter in* lib. de Sapientis otio *scribentis*: Hoc ab homine exigitur, ut prosit hominibus, si fieri potest, multis, sin minus, paucis; si minus proximis: si minus, sibi. *Quod & mihi dictum esse arbitratus sum, quapropter, ut cum* Th. Reinesio in Var. Lect. Epil. ad Lect. pag. 694. loquar, tentabo aliqua, & faciam paucula. *Deus vero conatus nostros prosperet benigne, gratiaque sua indies indiesque faciat auctiores.*

I. Antequam de ipsa Christi unctura agam, lubet prius eam verbis sacrorum Evangelistarum descriptam hic exhibere. Ita vero *Matthæus cap.* 26. *vers.* 6. 7. τȣ̃ δὲ Ἰησȣ̃ γενομένȣ ἐν Βηθανίᾳ ἐν οἰκίᾳ Σίμωνος τȣ̃ λεπρȣ̃, προσῆλθεν αὐτῷ γυνὴ ἀλάβαστρον μύρȣ ἔχȣσα βαρυτίμȣ, καὶ κατέχεεν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτȣ̃ ἀνακειμένȣ. *Quum autem*

tem Jesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Marc. 14. 3. Καὶ ὄντος αὐτοῦ ἐν Βηθανίᾳ ἐν τῇ οἰκίᾳ Σίμωνος τοῦ λεπροῦ, κατακειμένου αὐτοῦ, ἦλθε γυνὴ ἔχουσα ἀλάβαστρον μύρου, νάρδου πιστικῆς πολυτελοῦς. Καὶ συντρίψασα τὸ ἀλάβαστρον, κατέχεεν αὐτοῦ τῆς κεφαλῆς. *Et cum esset in Bethaniæ in domo Simonis leprosi, accumbente eo, venit mulier habens alabastrum unguenti, nardi pisticæ prætiosæ: & comminuto alabastro, effudit illi in caput.* Et *Joh.* 11. 2. Ἦν δὲ Μαρία ἡ ἀλείψασα τὸν Κύριον μύρῳ, καὶ ἐκμάξασα τοὺς πόδας αὐτοῦ ταῖς θριξὶν αὐτῆς. *Maria autem erat ea, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis.* Et *c.* 12. *v.* 1. 2. 3. Ὁ Ἰησοῦς πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα ἦλθεν εἰς Βηθανίαν. Λάζαρος εἷς ἦν τῶν συνανακειμένων αὐτῷ. Ἡ οὖν Μαρία λαβοῦσα λίτραν μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτίμου, ἤλειψε τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ. Καὶ ἐξέμαξε ταῖς θριξὶν αὐτῆς τοὺς πόδας αὐτοῦ. Ἡ δὲ οἰκία ἐπληρώθη ἐκ τῆς ὀσμῆς τοῦ μύρου. *Jesus ante sex dies Paschæ venit in Bethaniam; Lazarus unus erat de numero discumbentium cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pisticæ pretiosæ, & unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis: domus autem impleta est odore unguenti.*

II. Atque hi sunt tres illi viri θεόπνευστοι, (de quarto enim, Luca, infra agam) qui hoc factum literis consignarunt: Exponam vero nunc omnes circumstantias brevique pensitabo commentatione, quid circa easdem notatu maxime dignum contigerit. Primum autem in ipsum locum, generalem scilicet, *Bethaniam*, ubi Unctura hæc fuit peractam, inquiram.

III. Duo ergo statim veniunt consideranda, *Nomen* puta, & *Res*: Et quidem circa vocis Etymologiam plane non concordant autores, ita ut ob diversarum sententiarum pondera vix certi quid asseri possit atque defendi; Redigam tamen scriptorum hæc dicta in Compendium, duasque constituam classes, unam eorum, qui pro *Syriaco*, alteram, qui pro *Hebraico* id ipsum venditant nomen.

IV. Ex priori est *Ludovicus de Dieu* in *Comment. ad Matth.* XXII. 17. *p.* 92. *Nec dubium est*, inquit ille, *quin formæ sit Syriacæ, non Hebrææ*. Quo pacto duo statuit, (1) esse *vocem Siriacam*, (2) antithesin ponit, non esse *Hebræam*: quam ex eo probat, quia non conveniunt, seu (ut ipse loquitur) *non quadrant vocales*. Sed neque hæc ratio, quæ fundamentum est sententiæ suę, aliquid ponderis habebit atque valoris. Respondeo itaque dupliciter, (1) in genere, (2) in specie: (1) quidem, nullam adesse necessitatem, ut in ejusmodi Etymologiis omnes ex æquo correspondeant vocales: cum verbum quoddam ab alio obsoleto sæpius descendat, quæ tamen verba quoad vocales non inter se conveniunt; (2) negando & pernegando, quod h. l. vocales non quadrent, præsertim cum hæc vox ex ביח, quod significat *domum*, & עני notante *Afflictionem* & Paupertatem, deducatur: Ecquid vero clarius, quid convenientius? Quod si tamen prælaudatus autor Bethaniam per allusionem quandam tali modo ex Siriaco vellet deducere, nec nos habebit dissentientes: Et ita *domus* esset *ovium*, item *domus occupati*, *multis negotiis districti*, quoniam *Bethania locus erat in monte Oliveti*, *ubi ex pressura olivarum maxima erat occupatio*.

V. Porro, dum vocem hanc Hebraicam esse pronunciavi, hic quoque Philologorum non unam observo mentem: Alii quippe exponunt per *domum afflictionis & paupertatis*, cujus radix esset ענה *respondit*, *exaudivit*, *afflixit*, *humiliavit*, alii *per domum gratiæ domini*, *obedientiæ*, *cantici*, *&c.* & hinc quoque fieret domus exauditionis. Mihi vero in præsenti eorum sese commendat sententia, qui *domum* vertunt *paupertatis* & *oppressionis*, quam argumentis nonnullis haud difficulter illustrabo: Bethania scilicet (1) vicus erat exiguus, bonis fortunæ non abundans, & imprimis respectu *Urbis Hierosolymæ* admodum pauper, nec nisi pauperes alebat incolas. (2) Christo & videtur valde esse conveniens. Hic enim omnium pauperrimus cum fuisset, talem quoque paupertati sibi elegit locum. Imo (3) paupertatem istam comprobant incolæ, & qui quidem tum quoque principes erant & nobiles, Lazarus nimirum, Simon leprosus, Maria, Martha; (4) Vicus iste situs erat ad radices montis Olivarum, ubi sane proventus bonorum sic satis exiguus aut non tantus, ut inde magnæ multæque sperari possent divitiæ. (5) Bethphage sæpius & Bethania, tanquam loci subobscuri conjunguntur, ut *Marc.* XI. 1. *Luc.* XIX. 29. Jam quod de uno dicendum est loco, dicendum & erit, cætera cum sint paria, de altero. Sed conjecturas has quales quales melius si fuero edoctus, mutabo & volens & promtus. Per allusionem vero nonnullos scriptores vocem hanc accepisse & exposuisse haud infrequens est, demonstrarunt id præclarissimi sacrarum iterarum commentatores, quique egregiis observationibus sacrum codicem explanarunt. Non paucas vero collegerunt *Joh. Gerhardus in Harmon. Evang. pag.* 95. *seq.* 142. 566. *seq.* & *Cornelius a Lapide Comm.* *in*

in Joh. pag. 412. quas hic adducere nostri instituti non est.

VI. Quamvis autem hic ipse locus sic satis fuerit obscurus & non adeo celebris a Christo tamen ita nobilitatus est postea, ut vel propter solam ascensionem, quæ inibi facta, notabilis semper existat atque illustris. Sed ad rem ipsam propius paululum accedo, perlustraturus qualis Bethania nostra fuerit locus. Fiet autem id perquam commode, si aliqualis ejus formetur descriptio. *Est itaque Bethania vicus ad radices montis Oliveti positus, quindecim stadiis Hierosolymis distans, in quem Christus ante mortem secesserat, ubi & Lazarum e mortuis resuscitarat & non adeo procul ascensionem suam instituerat.*

VII. Hanc descriptionem Bethaniæ nostræ nunc quoque quoad singula sua membra illustrabo.

VIII. Dixi vero (1) esse vicum contra *Theod. Bezam. qui in Comment. ad Joh.* XI. *p.* 407. eum tractum Oliveti tantum esse statuit; sed ipse *Joh. c.* II. *v.* 1. eam Κώμην nominat, vicum, oppidulum, klein geringe Städtgen, ceu *Joh.* 7. *v.* 42. & *Luc.* 24. 13. vox hæc de minoribus oppidulis accipitur, ein armselig Dorff. Plures apud *G. Pasorem in Lex. p.* 299. leguntur. Imo apud ipsum *Hesiodum p.* 131. vicus per κώμην exprimitur. Et quos κώμας alii dixerunt, eos ab Atticis δήμους vocatos esse, pernotum est. *Vid. Joh. Cunr. Dietericus in Antiquit. N. T. pag.* 459. Non itaque causam ullam deprehendo, cur hic Bethania tantum tractum montis denotet, cum melius Evangelistæ verbis congruat, si eam vicum fuisse dicam, & si tractus Oliveti fuerit, quod & nos asserimus, quid impedit quo minus & vicus fuerit. Rationes alias suppeditat *Dan. Heinsius in Aristarcho sacro p.* 912. *seq.*

IX. (2) Vicum istum tetigisse radices montis Oliveti ex claris Scripturæ sacræ verbis cognoscimus. *Marc.* 11. 1. *Luc.* 19. 29. Hic vero oliveti mons dictus, *quod multis consitus oleis* (lubet eum describere verbis *Casp. Sagittarii Harm. Pass. J. C. pag.* 312.) *incubuit urbi ab oriente, distitit Hierosolymis itinere Sabbathi. Situs ejus peramœnus fuit, e quo montes Judææ, Arabiæ desertæ, mare mortuum, Jordanis fluvius, & planities Hierichuntis visu obiri potuerunt. Noctu hic mons illuminatus fuit a luminibus in templo accensis.* Montem hunc hodie reperiri & peregrinantibus hominibus monstrari, varia produnt itineraria. Istud vero commentum non admitto, nec existimo, quod vera sit illorum sententia, qui Christi in cœlum ascendentis vestigia & adhuc hodie in hoc monte superesse statuunt; Autorum aliquorum, Paulini scilicet & Sulpitii testimonia, quæ hoc affirmant, exhibet *Franc. Juretus in Not. ad L. V. Paul. de Vita Mart.* Mascule vero huic asserto sese opposuerunt viri eruditi & rerum sacrarum optime gnari, præcipue istius relationis falsitatem in pecul. dissert. ostenderunt *Sam. Andreæ, Prof. Marpurg.* & in Acad. Witteb. *M. Nicol. Christoph. Remlingius de vestigiis pedum Christi in monte Oliveti.*

X. (3) Vicum nostrum quindecim duntaxat stadiis Hierosolymis abfuisse diserte profitetur *Joh.* 11. *ver.* 18. Duplicis autem generis Veterum erant stadia, *Hebræorum* alia, alia *Græcorum*; de quibus ob ingenii imbecillitatem solicitus esse nolo, cum arduum omnino sit inextricabile ferme, certi aliquid de iis affirmare. De Græcorum vero stadiis egerunt Scriptores & antiqui & novi, *A. Gellius Noct. Attic. l.* 1. *c.* 1. *p.* 1. 2. & *A. Thysius & I. Oiselius in Observ. ad l. c.* Quænam Hebræorum fuerint stadia, id ex antiquorum Rabbinorum monumentis optime peti potest atque cognosci. Sufficit nunc annotasse, quod Joannes hoc in loco habuerit respectum ad mensuram Hebręorum, & quidem ad stadia minora, non vero majora, uti cum *Ludovico de Dieu Comm. in Act. Apost. p.* 6. suspicatur Vir Clarissimus *Michael Waltherus in Dissert. Witteb.* 1673. *hab. de Itinere Sabbathi* §. 20.

XI. (4) In hunc vero vicum Christus ante mortem secesserat, quod ex S. historia oppido clarum est & perspectum, ut *Matth.* 21. 17. *Marc.* 11. 11. *Luc.* 21. 37. Nec dubium est (5) eum ibidem Lazarum, jam mortuum, resuscitasse, *Joh.* 11. 43. Qui lapsi Adami apud Patres præbet Symbolum, ut *Macarius* Senior, seculi IV. pater *in Hom.* 30. *p.* 416. *edit. Paris.* 8. eleganter expressit.

XII. (6) Christum ibidem cęlum ascendisse ex *Luc.* 24. 50. & *Act.* 1. 9. 12. discimus, scilicet post resurrectionem suam, cum per quadraginta dierum intervallum conspiciendum sese discipulis præbuisset. Qui dies postea in prisca Ecclesia ut sacer fuit observatus. Ideo *Socrati H. E. l.* 7. *c.* 26. *p.* 368. Ἡ ἀναλήψιμος τοῦ Σωτῆρος πάνδημος ἑορτὴ dicitur. Ex eo vero tempore, quo Quinquagesima cessavit, dies hic peculiare festum esse cœpit, monente *Jos. Arndio in Lex. Antiquit. Eccles. pag.* 414.

XIII. Atque hæc nostra fuit Bethania, in quam Christus secessit. Sed antequam locum specialem, *Domum* puta *Simonis leprosi*, perquiram, ista prius erit expedienda quæstio; quomodo scilicet Bethania Mariæ & Marthæ, ceu *Joh.* 11. *v.* 1. scribitur, fuerit vicus? Ubi certe vix opus erit, ut præter literam ejusmodi fingamus castellum

ſtellum ſeu vicum Marthæ proprium; ſed potius dicimus, Bethaniam eam ob cauſam vicum Mariæ & Marthæ vocatam eſſe, quoniam hæ principes quaſi fuerint hujus oppidi fœminæ. *Non tam dominæ erant*, ait *Corn. a Lapide ad Johan.* II. I. *fol.* 412. *quam honoratiores incolæ.* Conf. *Joh. Maldonat.* ad *Job.* II. 18. *f.* 391. & ad *Luc.* 10. 38. *f.* 104. qui eadem ferme habet, ſcribens: *Caſtellum Marthæ & Mariæ dicebatur, non quod earum eſſet, ſed quod ibi habitarent.* Num vero in eo caſtello hæ mulierculæ ſint natæ, merito cum *Franc. Toleto in Comm. ad Jo. l. c. p.* 712. dubitamus. Quod autem caſtelli hujus fuerint dominæ ejuſque habuerint dominium, aſſerere nolo; quin potius contrarium cum *Sebaſtiano Berradio in Concord. Harm. Evang. T.* III. *pag.* 361. amplector.

XIV. Viſa nunc Bethania, ipſam domum *Simonis Leproſi*, tanquam ſpecialem locum, exponam. Hunc Simonem *Ambroſius*, magnus ille ſeculi IV. Doctor Mediolanenſis, invictique animi præſul, in *Lib.* VI. *Com. in Luc. cap.* 7. *pag.* 77. *edit. Baſil.* leproſum dictum cenſet, quod tunc temporis lepra, familiari iſto Judæis morbo, laboraverit, id quod ex ipſis ejus verbis, ne venerando Patri aliquam ſententiam affingere videar, clarum redditur atque certum. Ita vero ille: *Venit Dominus Jeſus in domum Simonis leproſi. Apparet œconomia quod leproſum non refugit, non vitat immundum, ut maculas humani corporis poſſit abolere.* Lege quidem erat cautum & ſuperiorum conſilio ſancitum, ut ejuſmodi homines urbem deſererent atque extra mœnia, uſque dum liberati fuerint, degerent, ne morbus figeret radices, alioſque perderet. Conf. *Jo. Henr. Hottingerus in jure Hebræorum p.* 261. *ſeqq.* ſed obſervat *Guil. Saldenus in Exercit.* XI. *lib.* IV. *pag.* 801. *Otior. Theol.* abſolute non eſſe verum, leproſos extra mœnia ſemper debuiſſe manere, quod verbis *Job. Lichtfooti Hor. Hebr. in Luc.* 5. 12. probat. In Oriente vero morem hunc, ut leproſi ab hominum conſortio viverent remoti, inuſitatum eſſe, teſtatur *Balſamon Comment. in Epiſt. Athanaſii p.* 920. apud *Svicerum l. c. p.* 226. Οἱ λέπραν νοσήκοντες παρὰ μὲν τῷ παλαιῷ νόμῳ, ὡς ἀκάθαρτοι ἀπεπέμτοντο. Μετ' ἡμῶν δὲ καὶ ἐκκλησιάζουσι καὶ συνέχονται, ἀπὸ τῆς νόσου μηδὲν ἐμποδιζόμενοι, ἀλλὰ μᾶλλον καὶ οἰκειούμενοι.

XV. Rectius hic ſentiunt, qui *Simonem* hunc *leproſum* dictum volunt, vel a Parentibus & Majoribus leproſis, cum quibus laudatus *Dn. Sagittarius l. c. pag.* 26. amice conſpirat, vel quod ipſe olim lepræ morbo laboraverit, a Chriſto vero poſtmodum mirabiliter ſanatus, gratitudinis quoddam Symbolum hac ipſa cœna Chriſto exhibuerit. Vid. *Gerbard. l. cit. pag.* 93. & *Joh. Himmel. Paſſional. Homil.* 11. *pag.* 171. Simonem hunc noſtrum Lazari fuiſſe patrem commenti ſunt *Theophyl. in Matth. cap.* 26. & *Nicephorus H. E. lib.* 1. *cap.* 27. Sed fidem hæc patrum aſſerta hic vix invenient, præcipue quod *Nicephorum* attinet, habemus omnino compertum, quod exigua ejus fides ſit, niſi dicta ſua ex aliorum relatione ſint comprobata; Conf. *Degor. Whear in Relect. Hiſtor. Jo. Gottf. Olearius in Abaco Patrol. pag.* 319. Quam ſententiam noſtram videtur ſtabilire hæc ratio, quod Monachus fuerit in S. Sophiæ aſceterio, vid. *Guil. Cave in Cartophyl. Eccleſ. pag.* 273. Monachos autem multos fidem non ſemper in hiſtoria præſtare debitam, non ignotum eſt. Veriſimile nobis videtur, Simonem hunc Lazarum vel cognatione, Mariam & Martham, ſorores, attigiſſe, vel quod ipſius ædes Lazari ædibus his fuiſſe contiguas. Itaque ad hanc cœnam acceſſerunt Maria & Martha vel propter familiaritatem, vel propter affinitatem, vel propter vicinitatem. Diverſus autem hic fuit a Simone, cujus *Luc.* 7. 40. fit mentio; Quia hic fuit Phariſæus hypocrita; iſte vero Chriſti diſcipulus atque fidelis: Bethaniæ habitavit, & optimo animo Chriſtum recepit, omnique humanitatis genere coluit: Iſte fuit ὁ λεπρὸς Capernaitanus, vel ſaltem Galilæus; hic λεπρὸς, quam rationem non immerito urget *Eraſm. Schmidius in Annotat.* ad *Matth. cap.* 26. 6. *pag.* 341. Taceo circumſtantias alias, quas prolixe enumerant nunquam ſatis laudandus *Gerhardus p.* 47. *ſeq. Jo.* Deutſchmann *in Homil. Paſſion. p.* 27. & *Maldonatus ad Matth. f.* 534. 537.

XVI. In hac domo Simonis, qui convivii hujus fuit hoſpes, Chriſtus cœnavit, ſuper menſa autem more Hebræis uſitato diſcubuit. Num *medio*, num vero *dextro* loco, expedire eſt difficillimum. Si conjecturæ venia ſit danda, dicerem, Chriſtum *medio loco* fuiſſe conſtitutum: dextro quidem autoritatem quandam tributam olim fuiſſe ex locis nonnullis Script. S. edocemur. Iſta vero cum reſtrictione quadam eſſe accipienda, facile videmus. Scilicet quando unus ſummo honore dignus cum altero dignitate diſpare publice congrediebatur, ille certe dextrum occupabat locum, quando vero plures aderant perſonæ in conviviis, medius ei qui majori pollebat autoritate aſſignabatur locus. Hæc ego conjicio: quid de hac conjectura ſit definiendum, brevibus forſan docebit *Erneſtus Gerard. Siricius* in differt.

(quam

(quam promisit in *Schediasm. Hist. Rostoch.* 1685. publicato *de honorat. loco in congressibus*) *qui locus in conviviis dignissimus fuerit habitus*.

VIII. Lazarus, cui Christum vitam iterum restituerat, unus erat e numero discumbentium, nec non Martha & Maria præsentes aderant, quæ valde erant occupatæ ac in curandis omnibus & administrandis admodum solicitæ, quo Christo ejusque discipulis optime inservirent, quod *Barradius in Concord. Evang. p.* 416. scribit, Martham noluisse ministerium hoc ancillis concedere, id nulla solida nititur ratione, cum adhuc dubium sit; an ancillis fuerit stipata. Contrarium potius evinci videtur posse; cum admodum fuerit pauper, nec in alendis ancillis sumtus impendere potuerit. *Sed quæri potest* (loquor cum Wolffg. Musculo, Comm. in *Matth. cap.* 26. *p.* 544.) *an non alio pacto amicitiam suam & reverentiam erga illum declarare potuerint, quam isto convivii apparatu. Homines fuerunt, & humano more erga hominem Christum amoris affectum ostenderunt. Is est in mensæ communione potissimum situs, quæ symbolum habet amicitiæ. Et Christus pro sua humanitate hoc genus declarandæ amicitiæ non affectabat quidem, attamen non respuebat*. Et hoc convivium Bethaniæ parabatur, ab amicis scilicet Bethaniensibus, qui ceu *Nicol. Lyranus in h. l.* existimat *communi sumtu* cœnam hanc utpote lautiorem instruxerunt. Nulla ergo me adigit necessitas, ut affirmem, Christum duobus distinctis temporibus cum Bethaniensibus tum in domo *Simonis leprosi*, tum in domo *Lazari* cœnasse. Indefinite enim dicit *Joh. l. cit.* Ἐποίησαν αὐτῷ δεῖπνον ἐκεῖ. Id quod non pauci interpretum suo confirmant calculo, ex quibus Clariss. Dn. *Sagittarium l. c. pag.* 24. qui judiciose veterum vestigia est secutus, placet audire: *Johannes nuspiam asserit in domo Lazari convivium instructum fuisse, sed indefinite dicit, Christo fecisse convivium: discipulos videlicet & amicos ejus, cumprimis vero Simonem: in cujus domo illud fuisse adornatum ex* Matth. *&* Marco *liquet: Nec quia Lazari sit mentio eundem cœnam instruxisse, est necessum, cum convivæ instar adfuisse potuerit*. Nec dubium aliquod esse potest, quando *Joh. l. c.* sex ante Pascha diebus Christum Bethaniam venisse, atque ibidem convivio fuisse exceptum, memoret: *Matthæus* contra & *Marcus ll. cc.* referant unctionem Christi factam biduo ante Pascha in domo Simonis. Veruntamen si dicta hæc *Matth.* atque *Marci* excutiam, tanta non erit difficultas, quanta & speciosa quidem esse videtur: Quapropter cum *B. Gerharlo l. c. pag.* 79. & *Andr. Prucknero Vindic. Bibl. pag.* 275. respondeo, sanctos hos duumviros hic loci ὑστερολογίᾳ quadam esse usos: cum enim in antecedentibus pertractassent Pontificum decretum, quod callido dolo Christus sit capiendus & occidendus, non tamen festo, ne tumultus propterea oriretur, ideo per digressionem quandam non inconcinnam exprimere voluerunt causam, quæ permoverit magnates, ut animum suum mutarent. Causa ista fuit perquam commoda, quam Judas ipsis sponte sua obtulit: Is enim ad eos accedens sub pacto triginta argenteorum recepit sancta fide, se magistrum suum sine labore multisque curis in manus ipsorum traditurum. Huic itaque historiæ de detestando proditionis scelere præmittunt *Matthæus* & *Marcus* unctionem Bethaniensem, utpote ex qua ostendi potest, quid nefarium hunc hominem ad tam horrendum scelus impulerit. Vel descriptio temporis apud *Matthæum* & *Marcum*, quod *biduo ante Pascha* hæc contigerit, nec spectat ad convivium Bethaniense ex occasione insertum; sed ad consilium Pontificum de Christo interficiendo, & ad spontaneam Judæ oblationem, cui Historiæ addit *Matthæus* notam temporis τότε, tunc cum Christus discipulis dixisset, post biduum fore Pascha, *congregati sunt principes sacerdotum* vers. 3. *tunc etiam abiit unus ex duodecim ad Principes sacerdotum* vers. 14. quæ particula in descriptione unctionis Bethaniensis neque a *Matthæo*, nec a *Marco* observatur, sed *Matthæus* simpliciter ait: *Cum autem Jesus esset in Bethania: Marcus* eodem modo. *Cum esset Bethaniæ in domo Simonis;* ex quo non obscure colligitur, historiam unctionis quatriduo prius factam ab Evangelistis per ὑστερολογίαν repeti: vid. *G. J. Vossis in Harm. Evang. pag.* 22.

XVIII. Manet ergo unum convivium, quod in domo Simonis leprosi Bethaniæ fuit celebratum: Sed dum Christus hic præsens est, ipsæ mulieres impigre omnia adornant, quo Christo charitatem adprobarent. Cum vero ritus iste, ut convivæ variis unguentis exciperentur, nondum abiisset in desuetudinem; ecce promta quædam adest, quæ officio suo rite cupit defungi. Ista vero mulier a *Matthæo* & *Marco* γυνὴ indefinite dicitur, & a *Johanne* specialiter Μαρία salutatur, & quæ erat fidelis & diligens Christi μαθητρίς, studiose audiens & observans verbum Dei, hæc etenim *Luc.* X. 39. *quæ ad pedes Jesu sedisse* dicitur, magnoque & elogio, cum non tantopere ceu Martha laboriosa, ad rem familiarem intenta esset, *quodque optimam partem elegerit*, *quæ ei non possit*

possit auferri, a Christo est affecta. *Lazari* insimul fuit soror, qui non ita pridem a Christo erat resuscitatus, cujus beneficii haud immemor sumtuosæ hoc unctionis officium grata mente voluit rependere.

XIX. Scripturæ autem sacræ est contrarium, velle asserere hanc mulierem fuisse eandem, quæ *Luc.* 7. Christi pedes unxit & peccatrix appellatur. Quam sententiam plurimi ferme Patrum Græcorum tenent, *Irenæus*, scilicet, *Origenes*, *Jo. Chrysostomus*, *Macarius*, *Theophylactus* & Latinorum, ut *Tertullianus*, *Augustinus*, *Gregorius Magnus*, *Beda* aliique, quorum verborum copiam nobis fecit *Natalis Alexander Hist. Eccl. Sec.* 1. *Part.* 11. *dissert.* 16. *pag.* 110. *seqq.* Nec desunt ex recentioribus nonnulli, quibus idem perplacet assertum, ut *Card. Baronius Tom.* 1. *Annal. Eccles. p.* 126. *seqq. Fr. Toletus in Com. in Joh. p.* 979. *Antonius le Grand in Hist. Sac. pag.* 347. *Hug. Grotius in Annot. ad Matth. p.* 438. *Bald. Walæus in Annotat. ad N. T. p.* 289. Quam vero sententiam admodum infirmam esse & vacillantem facile videmus. Illa enim apud *Lucam* peccatrix erat sat celebris, & cujus pessimum scortationis vitium ipsi pueri in plateis noverant; hæc vero integritatis laude & pietatis conspicua magnis a Christo commendabatur modis. Illa fuit Galilæa, hæc vero fuit Judæa. Illa soror Lazari, Scriptura teste, hæc vero non affinitate, vel sanguine ipsi erat juncta. Quod non temere ab Evangelista factum fuisse verisimile est; ne videlicet propter ὁμωνυμίαν confunderetur cum *Mariis aliis*, cum *Maria* puta matre Jesu: cum Maria Cleopha, cum Maria Magdalena. Leg. *Christoph. Pelargus Com. in Joh. p.* 119. Nos S. Historiæ inhæremus, quæ eam *Sororem* Lazari appellat; *hanc vero peccatricem* nominat. Prolixi hac in re sunt *B. Berhardus l. c. p.* 98. *seq. & Is. Casaubonus in Exercit.* 14. *Anti-Bar. p.* 293. quos exscribere nolumus.

XX. Quis ergo non videt *Lucam* Evangelistam *cap.* 7. non agere hic de Unctura Christi, quæ Bethaniæ est peracta, ut *Vossius l. c. pag.* 22. autumat, sed de alia longe diversa unctura? Quod ex hactenus jam disputatis ad oculum est ostensum.

XXI. Hactenus egi de loco & muliere ungente, nunc ordine ita postulante ad ipsam uncturam, & primo quidem ad vasculum, in quo unguentum erat reconditum, progredior. Appellatur autem istud Alabastrum, quod a nonnullis deducitur vel παρὰ τὸ μὴ λαμβάνεσθαι, vel ut loquitur *Methodius* apud *Etymolog.* ὐ λαβέσθαι διὰ λεότητα ἀδιώατον, quod prehendere ob lævorem & lubricitatem sit impossibile: vel τὸ μὴ λάβας ἔχειν quod ansas, prehensiones non habeat; sed potius longitudinem fastigiatam, *Scholiastes* hinc *Aristophanis:* Ἀλάβαςρον, τὸ μύρυ τὸ ἄγγος λίθινον, λαβὰς ὐκ ἔχον. *Alabaster, vel Alabastrum, est vas unguenti lapideum, quod nullam habet ansam.* Et ita Alabastrum denotat vel *ipsum lapidem*, vel etiam *vas ipsum unguentarium*. Prius voco *Naturale* propter *materiam* scilicet, quam habet *physicam*, posterius *artificiale*, propter formam accidentariam, *artificialem* puta ab ipso Artifice superadditam: Cum enim vasa ista unguentaria primum ex lapide essent confecta, postmodum etiam ex ligno, auro, argento &c. factum omnino est, ut nomen fuerit retentum, mutata saltim materia, in quam rem inclinat *Jo. Maldonatus in Matth. p.* 438. *Credo*, inquit, *esse probabile ex alia fragili materia fuisse vas factum, sed alabastrum appellatum, aut quia ex alabastro unguentaria vasa fieri solebant, ita ut etiamsi ex alia materia aliquando fieret alabastrum dicerentur, aut quia erat forma, ut ansa carerent, qualibus etiam nunc myropolas & pharmacopolas uti videmus*. Horum autem unguentariorum materia ut plurimum erat lapis *Onyx*, quem alii & *Alabastritem* vocant, præclare in rem nostram *Plinius H. N. l.* 36. *cap.* 8. Hunc (*Onychem*) scribit *aliqui lapidem Alabastritem vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optime ea servare incorrupta dicitur, tum ob puritatem, quia lapides purissimi sunt; tum ob duritiem, ne odor unguenti facile exspiret, neve aer, causa corruptionis subintret, tum ob frigiditatem, ut hæc calorem aromaticorum unguentorum quodammodo attemperare possit*.

XXII. Quapropter vasculum nostrum unguentarium, quo mulier ungens est usa, erit lapideum: Nec est cur cum *Epiphanio in Lib. de Mensur. & Ponder. f.* 418. urceolum vitreum aut vasculum quoddam vitreum statuam. *Alabastrum unguenti*, ait, *vasculum est vitreum capiens libram olei: Mensura vero est sextarii dimidii, alabastrum autem appellatum est propter fragilitatem*, cujus partes & Dn. *Sagittarius l. c. p.* 22. tuetur. Sententiæ vero huic, qua dixi fuisse lapideum, non obstat sacer textus, *Marc.* XIV. 3. *& fracto alabastro effudit super caput ejus*, cum scilicet lapides adeo facilius frangi & conteri non possint; attamen (verba *Gerhardi* sunt *in Harm. l. c. p.* 117.) *confregit non in partes minutissimas, sed quod cum angusti illud esset oris, in summitate particulam discerpsit, ut commodius totum effundi posset*. Plura legi possunt apud Criticos, qui de materia hac admodum difficili sunt com-

commentati, ut *Petr. Ciaccon. in Tr. de Triclinio p. 269. seqq.* ubi & figuras aliaque non injucunda exhibet, ut & *Guil. Stuckium in Antiquit. Convival. l. 3. c. 15.* Vasculum istud unguentarium Constantinum Magnum olim fuisse indeptum ac Constantinopoli in parte inferiore fori, una cum aliis monumentis reservatum, sed a Theodosio Magno sublatum, Suidas commentus est. Sed apud *Eusebium* de eo nihil extat.

XXIII. Viso *vasculo*, ipsum unguentum intimius paululum perpendam; Describitur autem istud varie ab Evangelistis, *Matthæus* illud vocat *μύρον βαρύτιμον*, *unguentum pretiosum*, *ponderosum*, Marcus *μύρου νάρδου πιςικῆς πολυτελοῦς*, & Joh. *μύρου νάρδου πιςικῆς πολυτίμου*, *unguendum nardi pisticæ pretiosæ*. De qua *pistica nardo* mihi nunc quidem cum philologis atque grammaticis, qui in indaganda vocum origine perquam studiosi reperiuntur, esset decertandum definiendumque, quid vocula *πιςικῆς* hic loci significet, & quinam genuinus inde ac justus emergat sensus. Sed cum cognoverim, *Dn. M. Balthas. Ottium*, *in pec. Diatr. Lips. 1673. de nardo pistica* haud infelici successu hæc omnia pertractasse, variisque ex Veterum, pariter & recentiorum scriptorum membranis collectis opinionibus, non inerudita quæque protulisse, instituti maxime vetat ratio, ut hoc in negotio oppido sim prolixus, crambemque bis coctam, ceu in proverbio est, iterum magno Lectoris tedio apponam. Brevitatem ergo sectabor, & posthabita multæ interpretationis relatione verum verborum sensum indicabo.

XXIV. Quod nunc *Matthæo* unguentum hoc generaliter describenti *μύρον βαρύτιμον*, unguentum (non solum propter unctam personam, Christum, sed etiam propter efficaciam ingentem) pretiosum dicitur, id reliquum par Evangelistarum *νάρδον πιςικὴν* appellitant. Est autem *nardus*, prout naturam hujus exprimit *Theodoretus in cap. IV. Cant. p. 1050. edit. Paris. 1641. aromatis genus odoratum, unde oleum fit ejusdem nominis, idem quoque calidum & corporum curationibus accommodatum*. Abundat autem præsertim in Syria & ex India Orientali per Erythræum mare sursum venit in Ormuz, Aden & alia ibidem emporia, e quibus deinde in vicinam Syriam, conf. *Hoffmann. de Medicam. Officin. 157. pag. 467. a Dieterico in Antiq. N. T. p. 33.* citatus, quod ex pluribus locis *Plinii Historia Naturalis* confirmari posset atque illustrari, nec certe abludit *Tibullus*, scribens *jam dudum Tyrio madefactus tempora nardo*. De *nardi* generibus, *Indico* uno, altero *Syriaco* videndus est perantiquus Medicus, *Pedanius Dioscorides Anazarbeus lib. 1. cap. 6. p. m. 6. 7.* plura autem *nardi* genera recensuit *Ælius Medicus Graecus in libris suis Medicinæ univers. per Janum Cornarium Latine conscriptis edit. Basil. 1549. passim.* Hanc vero nardum tanquam unguentum summe pretiosum, uti Veteres adhibere solebant, quod ex *Cantici 1. 12. Plinii & Jac. Dalechampii in cit. Aut. observationibus*, nec obscure colligitur, ita & Mulier Christum mensæ accumbentem nardo ungebat, nardo dico.

XXV. Πιςικῆ. Ubi certe omnes repetere nolo controversias, quas ab eruditis circa vocem hanc olim fuisse motas sum edoctus, exhibuit eas laudatus *Ottius*, quæque suo ingenio non accommodatæ esse videntur, refutavit. Descendit ergo hæc vox Græca *πιςικῆ* non a *πεδίῳ*, ut *Hieron. in cap. 16. Matthæi* cum *Svicero in Thes. pag. 391.* aliisque probatur, sed *ἀπὸ τῆς πίςεως*, quasi fidelem nardum dicas, hoc est probatam bonæque notæ ac fidei, quod haud futiliter Dn. *Ottius*, non minus rationibus, quam bonorum autorum testimonio stabilivit, quem sensum insimul *Raccovienses* intendunt, qui in Versione N. T. An. 1630. edit. apud *Dieter. l. c. p. 122.* ita reddiderunt: Da er zu Tische lage/ kam ein Weib/ das hatte ein Alabaster mit fliessender sehr köstlicher Narden-Salbe/ & *Luth.* versionem non possum non hic loci amplecti & venerari, quando ita loquitur, mit undefälschtem und köstlichem Narden-Wasser/ scilicet, ut *cit. Dietericus l. c.* commentatur, a Seplasariis non adulteratam, pisticam, i. e. fidelem. Plura de hoc unguento suppeditant *Dan. Heinsius in Exercit. Sacris p. 233.* & quamplurimi in *alleg. dissert.* nominati scriptores, quibus adde *Svicerum*, *Dietericum ll. cc. C. Sagittarium in Harm. Pass. Chr. p. 19. seqq. Jo. Henningium in Archæol. Passion. p. 38. P. Ciaccon. in Tract. de Triclinio passim*, *G. Crauserum in Phosphoro voce nardus*.

XXVI. Quantum unguenti hujus nardini in corpus Christi Maria effuderit, id *Johannes* voce *λίτρα* declarat. Est autem *λίτρα* idem quod latinis *libra*, mensuræ nomen & ponderis, duodecim juxta *C. Sagitt. l. c.* continentis uncias: & quia uncia octo drachmis constat, ideo *λίτρα* erit drachmarum sex & nonaginta. *Isidoro* libra dicitur, quod sit libera & cuncta in se pondera concludat, abs qua scribitur *libripens*, qui in mancipationibus libram sive stateram tenebat pendendo, hoc est ponderando, vid. *Jo. Fungerus in Lex. Etymol. pag. 426.*

XXVII. Ejusmodi nunc *λίτραν* unguenti affert mulier hæc pientissima, ut Christum

ſtum ſuum ornare poſſit atque honorare. Effudit vero unguentum ſupra caput Chriſti, ut Matthæus & Marcus ſcribunt, & pedes, juxta *Joh.* XII. 3. Vas etiam confregit, & ita pedes, caput ſolumque corpus inunxit, ita ut totum ædificium ameno odoratu plenum fuerit redditum. Qua certe unctura phyſica juxta & myſtica rite declaravit ſuum officium oſtenditque ſe perpetuam Chriſti eſſe miniſtram, nihilque reperiri poſſe præſtans aut excellens, quod non Chriſti merita exæquent longe atque ſuperent. Fecit tamen optima optime quod potuit, propterea & omne tulit punctum, laudiſque præconia a ſera poſteritate reportavit.

XXVIII. Quo ipſo inſimul ſtatim quilibet ſubodorari poteſt vix ac ne vix diſcipulorum Chriſti patrocinium eſſe ſuſcipiendum, qui obmurmurantes exprobrarunt mulieri, quod tam laute tamque pretioſe Chriſtum exceperit; Cum ipſe unctus Chriſtus ungentem mulierem contra homines perverſos maſcule defenderit, graviter loquens: ἔργον καλὸν εἰργάσατο εἰς ἐμέ. Imo non ex luxu ſed ex uſu factam fuiſſe, egregie oſtenderunt *Joh. Gerh. l. c. p.* 115. *ſeq. & Iſ. Caſaubonus in Exercitat. Anti. Bar. Exercitat.* 14. *num.* 26. *p.* 243.

XXIX. Quod itaque ad uſum Veterum attinet unguentorum, quibus in conviviis uti conſueverant, pauca quædam ex veneranda antiquitate eſſent delibanda, quæ non inutiliter dicta noſtra clariora præſtantioraque efficere potuiſſent; Attamen cum ea de re, ſi Deus vires conceſſerit atque fautores, alio tempore nonnulla tradere conſtitutum habeam, hic ſilere malo.

XXX. Hæ ergo meditationes ſunt iſtæ, quas hoc tempore, ut dicitur, Paſſionali, de Unctura Chriſti proferre literiſque conſignare potui. Etſi libens confiteor atque volens, me non eo præditum fuiſſe ingenio, neque iis inſtructum doctrinæ ſubſidiis, ut dignum aliquid eruditione laudeque præſtiterim, conatus tamen aliquando in parte laudis ponetur, meque facile tenuitatis meæ conſcium excuſabit. Maximo vero rerum noſtrarum moderatori pro viribus benigne collatis devotas nuncupo gratias atque ut ſtudia mea votaque etiam atque etiam ſibi habeat commendata, indefeſſis precibus oro atque contendo: Interea pio illo diſticho, quod in frontiſpicio *Comment. in Matth. Wolff. Muſculi* legitur, diſſertationi huic finem impono feliciſſimum:

Chriſto ſervimus, Chriſto credentibus uni
Noſtra hæc ſcripta damus, cætera turba vale!

SAM. FRIDERICI BUCHERI
DISSERTATIO
DE UNCTIONE IN BETHANIA.

I. **B**Ethania vox eſt origine Hebræa. *Origeni & Theophilacto* apud *Bynæum* vocatur οἶκος ὑπακοῆς, *Hieronymo* בית עני, *domus afflictionis*, vel οἶκος ὑπακοῆς. *Ludov. de Dieu ad Mat.* 21. 17. *Hebraice domus afflicti, Syriace domus occupati*; *Druſio*, *domus ovium*, quod ibi multæ fuiſſent oves, & quia צאן Hebræum apud Syros ſcriberetur עאן, ſ. עז, unde עניא. *Waſer. de Antiq. Menſ. Hebr. l.* 1. *c.* 10. itidem exponit: בית עניא, *caſtellum*, *domus*, vel *ager ovium*. *Lightf. Cent. Chor. Matthæo præm. c.* 41. *p.* 202. derivat a voce אהיני, *dactyli palmarum ad maturitatem nondum perducti*, ut ſit quaſi בית-היני, *locus dactylorum*. Aſſentiunt *Bynæus*, *Daſſovius*, alii, in primis, quod alter e regione tractus ab immaturis ficubus dictus eſt Bethphage. Mons igitur olivarum longe diffundens ſe ab olivis in ſpecie Bethphage, & a palmis inibi creſcentibus, de quibus ſub Servatoris in urbem ingreſſum rami amputabantur, Bethaniæ nomen accepit, quemadmodum vicus in illo tractu pariter Bethania nominaretur, ut recte ſentiunt *Bynæus in Antiq. Paſſion. p.* 136. & *Lightf. ad Joh.* II. 18. licet *Reland. Palæſt. l.* 3. *p.* 470. locum non niſi unum ita appellari, exiſtimet. Fuit autem Bethania patri Lazari, Marthæ & Mariæ, prope Hieroſolymas, ad partem Orientalem montis olivarum, ſita 15. ſtadiis, quæ efficiunt duo circiter millia paſſuum, ab urbe Hieroſ. remota, ubi Chriſtus in cœlum eſt ſublatus, nempe in parte montis, quæ a palmis nomen nanciſcebatur.

II. Δεῖπνον *Julio Polluci*, *Onomaſt. l.* 6. *c.* 1. ſic dicitur, ὅτι τῶν πόνων διαναπαύει, *quod a laboribus requiem præberet*, quam etymologiam neutiquam tamen noſtram faci-

facimus. (1) Γενικῶς & καταχρηστικῶς, omne promiſcue convivium, ſive medio die, ſive veſperi, paratum denotat, apud *Athen. Deipnoſ. l.* 1. *c.* 9. & 10. & *Scholiaſt. Euſtath.* ἁπλῶς πᾶσα τροφή. Nam ordinarie Hebræis, Græcis, Romanis cœna & prandium ſufficiebant. Vid. *Luc.* 14. 1. 16. xx. 46. *Marc.* 12. 39. *Matth.* 23. 6. & *Stuck. Antiq. Conviv. l.* 1. *cap.* 8. (2) Ἰδίως τὸ δεῖπνον Græcis erat cœna, quibus amici ſub veſperam in convivium ducti, daſs ſie, ut ait *Binæus*, in den vergnügten Abend-Stunden, wenn ſie müde von der Arbeit, ſich miteinander lekten. *Vetus Onomaſt. Cœna*, δεῖπνον; *Euſtath.* diſerte; Δεῖπνον καὶ τὸ πρὸς ἑσπέραν ἐλέγετο, ὡς καὶ παρ Ευριπίδῃ ἐν Εκάβῃ, καὶ ἁπλῶς δὲ πᾶσα τροφή. *Δεῖπνον dictum eſt, quod veſperi comeditur, ſicut apud Euripidem in Hecabe & ſimpliciter omnis cibus. Heſych.* Δεῖπνον *notat, quod nos appellamus* τροφὴν ἑσπερινὴν, *cibum veſpertinum. Camerar. ad Luc.* 14. 12. *Tempora cibi capiendi veteres diſtincta habuere præcipue duo, matutinum & ad veſperam vergens, quorum illud* ἄριστον, *hoc* δεῖπνον *vocarunt.* Idcirco *Theoph. ad Luc.* 14. 16. *&c. p.* 436. Δεῖπνον ἐκάλεσε τὴν οἰκονομίαν ταύτην, ἐπειδὴ ἐν ἐσχάτοις καιροῖς, καὶ οἷον ἐπὶ δυσμαῖς τοῦ αἰῶνος ἦλθεν ὁ κύριος; *Cœnam appellavit œconomiam iſtam, quia extremis temporibus & quaſi ſub occaſum ſeculi venit Dominus. Plut. de Sympoſ. l.* 8. *Inter ipſos veteres Romani puſillum edebant, ſed veſperi* συνδειπνοῦντες τοῖς φίλοις, *convivabant cum amicis.* Exinde *Lamprias* apud *Plut. de Sympoſ. l.* 8. *ſect.* 6. *Stephan. Theſ. Tom.* 1. *p. m.* 439. cibum veſpertinum ideo appellari cęnam παρὰ τὴν κοινωνίαν, quia in communione amicorum comeditur, ſuſpicatus eſt, quæ notio non ineleganter vim quandam & emphaſin S. Cœnæ addit, quam σύναξιν vocat Antiquitas, conſtrictionem, coitionem, congregationem, ſive κοινωνίαν, communionem amicorum Jeſu & ſanctorum, ubi Chriſto adjungimur, Sponſo cœleſti, qui nocte eam inſtituit, quemadmodum Sponſus olim Hebræus dilectæ, ingruente plena noctis meridie, aſſociabatur. Δεῖπνον præſens, cujus *Evangeliſta* meminit, erat cœna, id eſt *convivium veſperi* bonos inter amicos bene inſtitutum, ut *Vulgatus* optime vertit, item *Syrus* ܚܫܡܝܬܐ, quod *Tremell.* exponit per סעורת הלילה, *convivium noctis. Nonnus* reddit δόρπον, quæ vox notat τὸ ἐν τῇ ἑσπέρᾳ, ὃ ἡμεῖς δεῖπνον λέγομεν, uti *Scholiaſtes Homeri* explicat: *Epulas veſpertinas, quas nos* δεῖπνον *vocamus.* Sequuntur *Verſio Interlin. Deſid. Eraſm. Caſtal. Beva, Piſcat. Bynæus*, alii. Non vero habitum eſt ex more Judaico, ut δεῖπνον illud quaſi fuerit præludium Cœnæ Paſchalis ab Hebræis quotannis obſervatum, ut aliqui cum *Grotio ad h. l.* & *Bynæo l. c. p.* 122. exiſtimant; Sed in gratiam & honorem Chriſti inſtitutum, cui domum ingreſſo pietas & amoris officia, ſingulariſque amicitiæ teſtificanda.

III. *Simeon*, Hebr. שמעון, Talm. סמעון & סימון, Græce Σιμών, Συμεών, *exauditio*, venit ab radice שמע, *audivit, exaudivit, Gen.* 29. 33. Noſter, ut in moribus olim poſitum erat, a ſtatu præterito *leproſus* dicitur, quoniam lepra aliquando fuit infectus, licet lues illum deſeruerit. Nam in Scripturis quandoque, mutata re, priſtinum nomen manet, ut *Hieron. notat ad Matt.* 26. Sic Bathſeba uxor Uriæ, cui antea nupſerat, Matthæus publicanus, *cap.* 10. 3. Rachab meretrix, *Hebr.* 11. 31. *Bynæus* exiſtimat, Simeonem tum temporis lepra infectum non fuiſſe, quia Chriſtus ædes intraverit, neque etiam hominum commercio Simeon ſecluſus fuerit. Sed enim Chriſtus venit ad deperditas oves domus Iſrael. Medicus non firmorum, ſed diſcumbentium; atque ſic, ſalva autoritate atque ſanctitate ſua, limina leproſi tangere poterat. Leproſis, licet ab hominibus ſecluſi ceteroquin iſti eſſent, *Lev.* 13. 46. *Num.* 5. 1. 3. XII. 10. 14. 2. *Reg.* 15. 5. exire interdum erat licitum. *Juxta legem occludebantur, aſt cum de eorum lepra adhuc dubitaretur, eſſet, an non, quæ occluſio duas durabat hebdomadas. Quod ſi eo intervallo lepra non ſanaretur, leproſi extra urbes & caſtra proiiciebantur, & ſic libere incedere ac obambulare poterant, ita tamen, ut, quando ſynagogam inirent, ſejunctim ſederent, nec alios immundarent, teſte Maim. de Lepra c.* 10. §. 12. *Foris autem exeuntes, caput obvelabant & ora tegebant, prætereuntibus acclamantes:* Immundus ſum, immundus ſum, *ſi Maimon. habenda fides l. c.* §. 6. Haud dubie tamen Simeon geſſit nomen leproſi, non a ſtatu præſenti, ſed, uti diximus, præterito, quod ante id tempus lepra infectus fuerat.

IV. Διακονεῖν *h. l. Bynæo*, idem eſt, quod *in convivio miniſtrare*, & διάκονος *ille, qui in convivio miniſtrat*, quem in finem *Lucianum* & *Luc.* 12. 37. XVII. 8. XXII. 27. *Joh.* 11. 5. *&c.* advocat. At enim vero extra contextum & in theſi potiſſimum triplici ſignificatu venit. (1) *laxiſſimo, communi ſenſu* & γενικῶς, ubi notat promiſcue miniſtrum quemlibet & omne miniſterium eccleſiaſticum, civile, œconomicum militare, atque hactenus διάκονος eſt miniſter, ſive ſacris in officiis, ſive prophanis occupetur & ſudet. *Vid. Matt.* 20. 26. XXII. 13. *Hebr.* 1. 14. & *Stuck. Antiq. Conviv. l.* 2. *c.* 20. *pag.* 215. Sic *Baſilio M.* tabellarius vocatur διάκονος τοῦ γράμματος. *Chryſ.* διά-

κονος γραμμάτων, *Gregor. Nazianz.* διάκονος ἐπιστολῆς. Favet etymon. Venit enim a κονίω, *festino*, *curro*, *famulor*, *operor*, interprete *Hesychio* atque *Eustathio*, unde κόνις s. κονία, quæ vox *pulverem* designat. Διακονία igitur vi vocis est *servitium*, *sc. labor servilis*, qui cum conatu & festinatione, nec sine pulvere & sudore, expeditur. (2) *Sensu strictiori* & ἰδίως, ubi competit Ministerio Eccles. *Act.* 1. 17. VI. 4. διακονία κατ' ἐξοχὴν, *Act.* 21. 19. *Rom.* 11. 13. 2. *Cor.* 6. 3. 1. *Tim.* 1. 12. quo in munere desudandum, usque tandem in pulverem convertamur. (3) *Significatu strictissimo*, & *specialissime* διακονία est cura pauperum, ac διάκονοι peculiariter in Ecclesia veteri dicebantur ærarii Ecclesiastici œconomi curam pauperum gerentes, eleemosynasque distribuentes. *Act.* 6. 1. *obortum dicitur murmur Græcorum adversus Judæos, quod despicerentur* ἐν τῇ διακονίᾳ, in administratione eleemosynarum, quæ in usum pauperum e communibus quotidie bonis erogabantur. Unde διακονίαι Veteribus erant loca, in quibus per Diaconos pauperes alebantur, & διακονικὸν conclave Diaconorum ad *Ecclesiam*, vel prope illam extructum. *Vid. Steph. Thes. T.* 2. *p.* 341. Intra contextum & in hypothesi significat id, quod circumstantiæ innuunt textus. *Locis sigillatim a Bynæo citatis* designat administratorem præsertim mensæ, qui in convivio ministrat, sed non in se, verum ex accidenti, uti diximus, adjectas ob circumstantias, qua significatione hic etiam accipitur. Optime significatus convenit cum etymo. Tales enim administratores erant ἐπίτροποι, *festinantes*, *discurrentes*, *operantes*, welche/ ut Germani dicunt, allenthalben/ hinten und vorn/ seyn musten. Sed de his alibi differemus.

V. Τῶν συνανακειμένων αὐτῷ. *Luther.* ad nostrum loquendi, & ad mensas assidendi morem translationem accommodat, von denen/ die mit Jesu zu Tische sassen. In fontibus sonat: Die mit ihm zu Tische lagen. Discumbendi ritus vetus mos est, cujus mentio sæpe fit in sacris, quando voces extant; ἀνακεῖσθαι, κατακεῖσθαι, ἀνακλίνειν, κατακλίνειν, συγκάθημαι, συνανάκειμαι, ἀναπίπτειν. Obsoletam illam ergo consuetudinem examinabimus. Primos homines, ante scamnorum, mensarum & sellarum usum, cibaturos in gramen aut herbam, se conjecisse, ex *Gen.* 18. 4. colligi quadantenus posse, quidam existimant. Sed enim, uti una hirundo, ut in proverbio habet, non facit ver; Ita a particulari ad universale non valet consecutio. Nam omni ævo moris fuit, ut peregre advolantes, in primis apud Orientales, ob maximum solis æstum, refrigerii causa, sub arbore viridi, aut densa, requiescerent, & lassitudine confecti recrearentur. Nullas ante Abrahamum mensas, scamna nulla, nullas sellas fuisse, quis tam absurdus foret, ut crederet? Veteres perinde ut nos aliquando καθίζοντες, *sedentes ad mensas*, cibum capiebant. Vid. *Genes.* 27. 19. XXXVII. 25. XLIII. 33. *Exod.* 16. 3. *Judic.* 19. 6. *Ruth.* 2. 14. 1. *Sam.* 20. 5. *v.* 24. 25. 1. *Reg.* 13. 20. *Prov.* 23. 1. *Jer.* 16. 8. *Ezech.* 44. 3. Assentit *Philo*, quando περὶ τῦ Ἰωσὴφ *pag.* 376. scribit: μήπω τῶν ἀνθρώπων ἐν ταῖς συμποτικαῖς συνουσίαις κατακλίσει χρωμένων, *nondum recepto more ab hominibus ejus ætatis accumbendi in conviviis*. Similem in modum aliæ gentes sederunt in epulis, ut *Athen. ex Hom.* notat *l.* 1. *Deipnos.* καθέζονται ἐν τοῖς συνδείπνοις οἱ Ἥρωες, ἐ κατακέκλινται; *Heroes in conviviis sedent*, *non recumbunt*. In solemni, splendidoque Alexandri M. convivio duces CCC. argenteis, aureisque sellis purpura obductis, insidebant. De Romanis idem testatur *Serv. ad Æneid.* 8. *Majores nostri*, inquit, *sedentes epulabantur*, *quem morem habuerunt a Laconibus & Cretensibus*; de Germanis *Tacitus*: *Lauti cibum capiunt*: *separatæ singulis sedes*: *& sui cuique mensa*; de Gallis & Hispanis antiquis *Strabo*. Quæ cum ita sint *Bynæus l. c. pag.* 145. bene monuit *Casaub.* quod *Exod.* 16. *cap.* 22. *p.* 431. *s.* omnes initio gentes graminibus aut pellibus, postmodum mensis, accubuisse, accubitumque illum Romanis, Græcis, Persis, Medis, Indis, Hebræis usitatum ab solis Judæis, paucisque, præter illos, aliis, retentum & in dies usque Servatoris servatum fuisse, putat. De cetero moris accumbendi prima injicitur mentio, *Amos* 2. 8. (nisi vestigia invenisse liceat, *Cant.* 1. 11. ubi מסב κατάκλισιν vertunt Græci. Vid. *Grot. ad Mt.* 26. 20.) Ubi *Jonath.* per vestes intelligit triclinia: ועל שויז מסחין בסטר כל אנוריהון, atque super lectulis stratis, sc. ut vox Chaldæa sonat, Tricliniis accumbentes in omnibus aris sui. Scriptores N. T. crebro mentionem istius injiciunt. Sic *Mt.* 26. 20. ἀνέκειτο, *Marc.* 14. 8. κατακειμένε αὐτῦ, *Luc.* 22. 14. ἀνέπεσε καὶ οἱ δώδεκα Ἀπόστολοι σὺν αὐτῷ. *Athen.* sedendi more Veterum allegato, mox subjicit: *Nunc autem eo prolapsi sumus, ut discumbentes cibo fruamur. Plato de Rep. lib.* 2. ἐπὶ κλινῶν κατακλῖσθαι. Ritus igitur ille, judice *Grotio ad Mt.* 26. 20. *ab Assyriis*, addo Persis, *defluxit*, *usuque Græcorum & Romanorum confirmatus est*. Tres autem olim accubituri lectulos habuerunt, aliquando plures, pro numero adjacentium. Primarius discubuit in medio, proximus a tergo ipsius, & tertius ante faciem in

sinu.

ſinu. Optime *Sagitt. l. c. p.* 202. *In ſumendo cibo recumbebant in lectulis, ut quaſi circulum quendam facerent, capitibus quidem ſemper introrſum ad epulas, pedibus vero extrorſum porrectis.* Sinus apud Veteres ſedes fuit amoris, unde in alterius ſinu diſcumbere, ſignum ſingularis benevolentiæ, intimiorisque amicitiæ. Erat ordinarie locus, autore *Plut. Sympoſ. L.* I. *Q.* 3. ἢ γυναικὸς ἢ παίδων, aut uxoris, aut filiarum, quæ & Veteribus maximo in amore & pretio habebantur. Exinde phraſis innotuit, in gremio, in ſinu alicujus recumbere, educari in gremio. *Plin. l.* 4. *Epiſt.* 22. *Cœnabat Nerva cum paucis, Vejento proximus, atque etiam in ſinu recumbebat. Sveton. in Calig. cap.* 24. *pleno convivio intra ſe (ſororem) collocabat, uxore ſupra cubante. Juven. Satyr.* II.

> *Signatæ tabulæ, dictum feliciter ingens*
> *Cœna, ſed in gremio jacuit nova nupta mariti.*

Julius Capitolinus in M. Antonio Philoſopho: educatus eſt in Hadriani gremio. Sic *Johannes*, quem Chriſtus valde amabat, *cap.* 13. 23. cubabat in gremio, ubi amor accubitus illius in ſinu, & accubitus in ſinu amoris χειτπέϊον diſerte nominatur. Similiter uxor Uriæ, ſignificanter admodum, in ſinu mariti diſcubuiſſe, per ſimilitudinem ab ove petitam, legitur, 2. *Sam.* 12. 3. Ad hanc conſuetudinem alludit parabola, *Luc.* 16. 22. quando Lazarus deportatur in ſinum Abrahæ, & *Luc.* 22. 30. ubi promittit Servator diſcipulis: *Ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*; item *Matth.* 8. 11. *accumbent cum Abraham & Iſaac & Jacob in regno cœlorum. Unde dilectiſſimus quiſque* υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τȣ̃ πατρὸς, ein allerliebſtes Schoß-Kind / *filius, qui diſcumbit in ſinu patris*, quo ipſe nomine Chriſtus inſignitur, *Job.* I. 18. Græcis dicitur ἐπιςήθιος, *amicus intimus*, qui quaſi in ſinu recumbit, & ſe admovet ſupra pectus alterius. Exinde Gentiles, vitam æternam ſub imagine accubitus & epularum depingere, amant, ut ex *Empedocle & Epicteto* conſtat. Addimus, quod *Er. Schmidius* non adeo congrue ritum hunc per ſequentia nobis delineet: *Accubuerunt reclinati in thoris*, ſc. *lecticis, ita ut alter ad alterius pedes caput ſuum haberet.* Alterum enim ad alterius pedes caput habuiſſe, quis crederet? Rectius *Sagittar. Capitibus quidem ſemper introrſum ad epulas, pedibus vero extrorſum porrectis.* Vid. *Plutarch. Q. Conviv. l.* I. *q.* 3. *Ciaccon. de Triclin. & Urſin. in Addit. Mercurial. de Arte Gymn. l.* I. *c.* 2. *Pancir. de Reb. deperdit. tit.* 51. *p.* 511. *Lipſ. Antiq. Lect. l.* 3. *& Comment. ad Tacit. Annal.* 13. *c.* 43. *Lightf. Hor. Hebr. ad Joh.* 13. 23. *p.* 659. *Bynæus de Calc. V. H. & de M. C. p.* 407. *Stuck. Antiq. Conviv. l.* 2. *c.* 34. *Caſaub. Ex.* 16. *ſ.* 22. *Roſin. Antiq. Rom. l.* 5. *c.* 28. *Schindler. Lex. Pent. pag.* 1112. *Bukt. de Cœna Dom.* §. 33. *ſeqq. Goodw. Moſ. & Aar. l.* 3. *cap.* 2. *Lund.* Jüd. Heil. *lib.* 5. *cap.* 13. *p.* 999. *alii.*

VI. Νάρδος a נרד, Chald. נרדא, Syr. ܢܪܕܝܢ, Arab. نرد & ناردين, *nardus*, juxta *Plin. lib.* 11. *cap.* 12. *frutex eſt gravi & craſſa radice, ſed brevi ac nigra, fragilique, quamvis pingui, pinum redolente, ut cyperi, aſpero ſapore, folio parvo, denſoque. Cacumina in ariſtas ſe ſpargunt, ideo gemina dote nardi ſpicas ac folia celebrant. Salmaſ. Plin. Ex. pag.* 746. *Exinde oleum ejuſdem nominis* νάρδος, *ſc.* μύρον νάρδȣ, *oleum nardinum ab Indis advectum in Syriæ emporia, e Syria in regiones Europæ, quare nardus Syria vulgo audit, quæ tamen plurimis ſpeciebus miſcebatur. Plin. l.* 13. *c.* I. *Nardinum conſtat omphacio, balanino, junco, nardo, amomo, myrrha, balſamo &c. l.* 12. *c.* 21. *Myrobalanum Troglodytis & Thebaidi & Arabiæ, quæ Judæam ab Ægypto diſterminat, commune eſt naſcens unguentum, ut ipſo nomine appareat, quo item indicatur, & glandem eſſe arboris. Lightf. H. H. ad Marc.* 14. 3. *p.* 456. βάλανος, *ut omnibus eſt notum, apud Græcos eſt glans, ſic eſt* פיסתקא, *piſtaca apud Talmudicos.* Μύρον *autem ab Hebræorum* מור, *unde Æolis* μύῤῥα, *omne* ἁπλῶς *unguentum deſignat, ut videre eſt apud Caſaub. Not. in Athen. p.* 973. *&* 974. Cum autem nardus eſſet varia, utpote Celtica, montana, ſylveſtris, Italica; hæc, ad illarum differentiam, dicitur piſtica. Non enim erat ἁπλῶς μύρον νάρδȣ, ſed μύρον νάρδȣ cum emphaſi πιςικῆς, quæ vox mirum in modum excruciavit ingenia. Opiniones in compendium redegit *Pfeiff. Dubb. Vex. N. T. Loc.* 22. *pag.* 914. *Scaliger in Verb. Ætym. ad Varron.* voc. *Piſtor.* πιςικὸν a πτίσσω, *pinſo*, deducit, nardus expreſſa & contuſa in liquorem & unguentum. Sic vero πτιςικὴ potius diceretur. *Caſaub. ad h. l. Stephan. Theſ. t.* 3. *p.* 141. *Scapula p.* 1318. & *Beza* ad *Marc.* 14. 3. derivant a πίνω, liquida & potabilis, quæ juxta *Athen. l.* 15. apta ſit πρὸς τὸν πότον; item *l.* 6. νάρδον καταπίειν, uti reddit ſemel *Nonnus* ἑέρσην, *liquidam*. Sed enim *Caſaub.* ipſe fatetur, ἀναλογικώτερον ſic fore πιςή, & revocat ſententiam. *Ex.* 13. *Scult. Obſ. ad Marc. cap.* 80. ſuam facere videtur conjecturam *Joh. Hartungi*, qui ex *Athenæo* prope Babylonem fuiſſe oppidum

pidum *Opis* dictum, ubi pretiosissima nardi unguenta confecta, & in alia loca transportata sit, demonstrari posse, existimat. Sic legendum foret ὀπιστικῆς, *nardi opisticæ* e Babylonia. Huic pollicem premit *Gerhard. Harm. cap.* 143. *p.* 115. At vero *Joh. Cloppenburg.* mavult, si proprium sit, dici ab urbe *Persica Pista*, ne sc. necesse sit, vellicare lectionem receptam, aut mendum imputare librariis. Esse autem *Pistam Persidis* urbem, probat e *Scholiaste Æschyli*, statim ab initio Tragœdiæ, quam inscribit Persæ ad verba illa:

> Τάδε μὲν Περσῶν τῶν οἰχομένων
> Ἑλλάδ' ἐς αἶαν Πιστὰ καλεῖται.

Ubi sic post alias glossas *Scholiastes* concludit: Ἀγνοοῦσι δ' ὅτι πόλις ἐστὶ Περσῶν ἐντεῦθεν Πιστεῖρα καλουμένη, ἣν συγκόψας ὁ Ποιητὴς Πιστὰ ἔφη. At monuit *Cloppenburgium Ludov. de Dieu*, *in Persia nardum non crescere, sed vocem potius cum re arcessendam ex India: testari autem Abulfedam, Pistam esse metropolin Caramaniæ, vel regionis Cabul, ad Indum fluvium*, quod tamen taxat *Clericus*, *dum Kirman sit meridiana provincia Persici imperii ad Oceanum, sed Cabul tractus Mogolensis R. ad septentriones in finibus Tartariæ. August.* & *Nonnus* accipiunt pro nomine proprio, Pistische Narden / uti vulgo dicimus, Venetian. Glass / Indian. Seiffe / Engel. Tuch. Ὀπιστικὴ est contra omnium codicum Græcorum lectionem, & licet *Plin. ac Dioscor. Nardi Indicæ, Syriæ, Cretensis*, aliarumque mentionem injiciant, de *Opistica* tamen ne syllaba quidem apud illos extat. Non desunt, (e quibus nominamus *Erasm. Camer. Castal. Zeger. Grot. ad Marc.* 14. 3. *Hammond. l. c.*) qui censent, πιστικὴ vocem per levem μετάθεσιν factam e Latin. spicata, vel Græcos ex spicata fecisse σπικάτη, vel σπεκάτη, corruptius vero Judæos κατὰ μετάθεσιν extulisse פיסתקא, *pistica* pro ספיקתא, *spicata*, quod *Bynæo* & *Sagittar.* non displicet, maxime quod spicatum species unguenti fuit nardini & antiquissimus Bibliorum interpres vertit: *Nardum spicatum*. Vid. *Salmas. ad Solin. p.* 750. & *Cleric. l. c. p.* 295. *Lightf. ad h. l.* vocem πιστικὴ syriassare putat, quia νάρδος a נרד hebraizat, & פיסתקא glans est, sc. myrobalanum. Hinc, νάρδον πιστικὴν esse nardinum balaninum, sc. unguentum, ubi primas obtinuerit nardus & myrobalanum, opinatur. Sed, ut alia taceam, vox Syria, sive quod verisimile est, Talmudico-Græcanica Græcæ est originis, quam Talmudici mutuati sunt a Græcis. Nam *Syrus*, quando earum vim assequi non potuit, plerumque voces αὐτολεξεὶ, iisdem literis, in translatione sua retinuit. Ego, missis tantisper conjecturis, assentior illis, qui simpliciter vertunt νάρδος πιστική, optima, fidelis, vera, genuina, quod placuit *Joh.* 12. *Syro* & *Arabi*, *Mt.* 26. *Æthiopi*, *Josepho*, *Luthero*, qui nervose admodum, reddit: ungefälschte / *Schindlero*, *Calovio*, *Pfeiffero*, *Dassov.* aliis, qui derivant a πίστις, vel πιστὸς, *nardus sincera, non depravata, non adulterina, sed genuina & fidelis*. Erudite *Capellus in Spicil. ad Marc.* 14. 3. *Est* νάρδος ἄδολος & πιστική, *pura & sincera, ut apud Artemidorum* πιστικὴ γυνὴ καὶ οἰκουρός, *fida uxor, Græce* δόκιμος *dici posset, respondetque phrasi Hebraicæ* מור עובר, *Cant.* 5. 6. 13. μύῤῥα δόκιμος, *pura & sincera, unde vers.* 13. *Chaldæus* מורא בחירא, μύρον ἐκλεκτὸν, *unguentum selectum*, *Syr.* ראשיא, *principale*, nardus βαρύτιμος, πολυτελὴς, πολύτιμος. Ita *Euseb. Demonstr. Evang. l.* 8. vinum mysticum in Eucharistia vocat χρῖσμα πιστικὸν τῆς καινῆς διαθήκης καὶ πιστικὸν βάλσαμον, & *Casaub.* solide demonstravit, πιστικὸν Græcis id significare. Plurimi Patrum ita explicant, nempe cum *Theophyl. Marc.* 14. 3. τὴν ἄδολον νάρδον καὶ μετὰ πίστεως κατασκευασθεῖσαν. *Galenus* appellat ἀκέραιον, ungemengte, *Tibullus purum*, ut distinguatur ab adulterino & depravato, *Plin. l.* 13. *c.* 1. *Dioscor. l.* 1. *cap.* 6. Vid. omnino *Heinsius in Arist. S. p.* 919. qui afferit illic, LXX. viris πιστὸν esse *verum & illibatum*, ac πιστὸν cum πιστικὸν, voce ultima V. T. ætate non infrequenti, facere idem; *Casaub. Ex.* 14. *s.* 13. *Salmas. ad Solin. & Sagittar. P.I. Passion. cap.* 3. *pag.* 22. qui breviter, sed docte, scribit: *Facile igitur in tanta fraudis copia usus loquendi obtinuerit, ut* πιστικὴ νάρδος *diceretur, quæ sincera esset, & nullo fuco vitiata. Quam sententiam cum nostram faciamus, concludemus omnem hanc disputationem verbis Veteris Vocabul. Pisticus, a, um, fidelis, a* πίστις, *fides: Unde nardum pisticum, i. e. fidele, purum, non adulteratum commixtione aliarum rerum*. Magnum huic sententiæ pondus ex eo accrescit, quod dicitur *Matthæo* νάρδος μύρον βαρύτιμον, gravi pretio, *Marco* πολυτελὲς, *Johanni* πολύτιμον, multo, vel magno pretio, sc. pondere. Sub diebus enim Servatoris eo majore in pretio habebatur, cum illa ætate unica extaret urbs Laodicea, quæ summo plausu unguentum istiusmodi conficeret. *Sagittar. l. c. p.* 18. Cum *Matthæus*, ait βαρύτιμον, hebraizat, siquidem grave, judice *Bynæo*, idem est Orientalibus, quod pretiosum, qui modus loquendi inde fluxit, quod Veteres pecuniam non numerabant, nostro more, sed communiter libra-

librabant, qua de re alibi quædam commentabimur.

VII. Ἀλάβαστρον, Alabaster-Flasche, *Mt.* 26. 7. *Marc.* 14. 3. Prope est lapis albedine, sc. candore, & levitate insignis, ex quo vasa excavabant Veteres, teste *Polluce Onom. l. 6.* & *Plin. l.* 13. *c.* 2. *l.* 36. *c.* 8. Appellant aliqui Alabastritem, & nascitur adeo tractabilis, ut vasis ex illo lapide cavatis, ipsa vitrea mentiri videantur. Quibusdam dicitur ἄγγος μὴ ἔχων λαβὰς, *vas, quod non habet ansas*, ἀντὶ λαβῆς, quod minime prehendi potest, ab ἀστερητικῷ & λαμβάνομαι, juxta *Suidam* & *Scholiasten Aristophanis*. Vid. *Norton. Knatchbull. ad Marc.* 14. 3. *p.* 20. quod etymon tamen cum *Clerico* recte ridemus. *Salmas. ad Solin. c.* 13. *p.* 187. dici putat pro ἀνάβαστρος, ν in λ Attice & Æolice converso, ut λίτρον pro νίτρον, πλεύμων pro πνεύμων, ἐλύδρης pro ἐνύδρης, λύμφας pro νύμφας. Sic ergo ἀνάβαστρος esset ab ἀναβάσαι, ferre, gestare, βαστάζειν. Ita quoque *Vossius* & *Svicerus*. *Clericus in Annot. ad Hammond. p.* 197. omnium verissime Alabastrum, ait nomen esse Arabicum hujus marmoris, nam בצרה *batsraton*, dicitur, & addito Arabico Articulo, אלבצרה, *Albatsraton*, τὸ ἀλάβαστρον. Statuit id non propter Articulum modo Arab. אל, sed etiam quia ex Arabicis montibus cædebatur, atque inde primum advectum innotuit. *Plin. l.* 36. *c.* 7. *Onychen etiam tum in Arabiæ montibus, nec usquam alicubi, nasci putavere Veteres.* Paulo post: *Nascitur circa Thebas Ægyptias, Damascum Syriæ. Illic in Arabia Ægyptiaca urbs fuit propterea dicta* Ἀλάβαστρα. *Plin. l.* 5. *c.* 9. *Ptolem. l.* 4. *c.* 5. qui montis meminit *Alabastrini*. Sed hac in re incognita nihil certi affirmare ausim. Ad rem propius accedendum est. Balsama in illis vasibus incorrupte servabant. *Suidæ* propterea ἀλάβαστρον dicitur λίθινος μυροθήκη. *Scholiast. Antiph. ad Acharnens. pag.* 302. τὴν τοῦ μύρου λήκυθον, *vas unguentarium*, *Scholiast. Callimachi* ἀλάβαστρον τὰς μυροθήκας. *Scholiast. Theocriti in* Εἰδυλ. 151. *p.* 186. ἀλάβαστρα σκεύη μύρων δεκτικά, *vasa unguentorum receptacula, scil. unguenta recipientia. Etymolog. M. Auctor*; Ἀλάβαστρον καὶ ἀλάβαστρος λήκυθος λιθίνη πρὸς μύρων ἀπόθεσιν, *vasculum lapideum, in quo deponebantur unguenta. Athen.* περιενεγκόντων τῶν παίδων ἐν ἀλαβάστροις καὶ ἄλλοις χρυσοῖς σκεύεσι μύρα: *Circumferentibus pueris in Alabastris & aliis aureis vasibus unguenta.* Sic *Herodot.* refert inter munera, quæ Cambyses rex Persarum, per legatos, regi Æthiopiæ transmisit, ἀλάβαστρον μύρου, & *Ælian. l.* 10. *c.* 18. *Venus*, inquit, *Phaonti* ἔδωκε ἀλάβαστρον αὐτῷ, καὶ εἶχεν αὐτὴ μύρον.

Parili modo vetus Poeta, teste *Salmasio*, νάρδον ὑπὸ γλαυκῆς κλειομένην ὑέλου, *nardum in viride vitrum inclusam. Theocritus* meminit χρυσέων ἀλαβάστρων, & *vetus Vocabul.* ὑελίνε, *vasis vitrei*. Ita *Epiphan.* nostrum vocat βίκιον ὑέλινον. Consonat *Arabs*, *Luther. Desid. Erasm.* & acriter id defendit *Grotius ad Mt.* 26. 7. nec *Casaubono* displicet. *Suidas* dixit βίκιον μύρου, ᾧ ἠλείψατο ὁ Χριστὸς, *urceolum unguenti, quo inunctus est Christus. Sagittar. l. c.* innectit: *Postea vero, cum e vitro & alia materia conflari cœpissent ejusmodi vascula, etiam hæc alabastra sunt dicta, prorsus ut pyxis dicebatur etiam aurea & argentea, quæ tamen proprie a buxo fiebat, & nomen e re invenerat. Fortassis igitur non abeunt a vero, qui alabastrum, cujus in Evangelio fit mentio, vitreum fuisse censent.* Meo judicio frustra taxant aliqui *Lutherum*, quod transtulit ein Glass. Accommodavit enim versionem ad idioma linguæ & morem loquendi inter Germanos receptum. De cetero priscis vitra elaborabantur e cornibus animalium, & lapidibus concavabantur, tam subtilia, ut lux transire & vasculum facile frangi posset. Fuit itaque vasculum, sc. *Vitrum* lapideum, eine Alabaster-Flasche, oder Alabaster-Glass, cujus imaginem dedit *Bynæus*, descripsit *Plin. l.* 9. *c.* 35. quod fuerit fastigiata longitudine in pleniorem orbem desinens. Romani dicebant guttum, quod oleum ex ejusmodi vitro aperto guttatim deflueret. Quidam cum *Hammondo*, Mariam non fregisse, sed tantummodo aperuisse, credunt, uti legunt *Syrus* & *Æthiops Knatchb. ad Marc.* 14. 3. *p.* 20. *Concussit ergo, l. conquassavit, ut unguentum gratiorem odorem redderet, vel ut totum effunderet, nec quicquam in imo vasis resideret. Est enim* συντρίβω, *concutio. Gloss. vet. &* συντρίβει συνθλᾷ, *i. e. conquassat*. Forsan primum concussit, deinceps confregit, dum συντρίβειν manifesto hoc sensu extat. *Sagittar.* notanter ait: *Neque tamen credibile est, in minutas comminuisse particulas, quomodo unguentum, aut in terram, aut una cum unguento, fragmenta vasculi in Christi caput incidissent: Verum, quod vasculum oris forsan angustioris esset, infregit unam atque alteram circa orificium particulam, ut totum, quod in eo erat, unguentum simul ac semel in caput Christi posset infundere, neque quicquam inde sibi reservaret.* Vid. *Cleric. l. c. p.* 198. Sed hac in re parum est situm. Nobis nosse sufficit, inunctionem non tam communis consuetudinis ergo, quam singularis cujusdam mysterii significandi caussa esse factam.

VIII. Olei inerat λίτρα. Exercuit vox Eru-

Eruditos. *Galen.* & *Erasm.* Latinæ originis esse volunt, b in t immutato. Ita quoque sentit *Beza*, *Gerhard.* alii. Sed enim a Græcis ad Latinos venit, uti censent *Camer.* & *Drus.* dum sic reperitur apud vetustissimos *Poetas*, *Aristot. Diosc. Plutarch. Suidam*, *Hesych.* alios. Consentiunt *Hebræi*, sigillatim *Dav. Cohen. de Lara in* עיר דוד, *p.* 48. & *El. Levita in Thisbi ad voc.* סלע. *Grotius ad Joh.* 12. 3. Latinos accepisse a vicinis Siculis, hoc a Macedonibus, & ab his Hebræos, autor est. *Kircher. in Supplem. Ling. Copt. Rest. p.* 508. Coptitas suum λῶβρα, a Samaritanorum ࠋࠈࠓࠀ לטרא, accepisse, putat. At enimvero Coptitæ plurimas voces, mutatis mutandis, a Græcis habent. *Bynæus* & plures alii nihil certi affirmant. *Drus.* ad h. l. „ Utuntur hoc vocabulo Hebræi. „ Nam dicunt לטרא, quod a Græcis acceperant, non ab Latinis. Aut certe „ Græci sumserunt a Phœnicibus, quorum lingua Hebraicæ cognata erat. Nam, „ Latinum vocabulum esse λίτρα, mihi „ non persuadet *Galenus*. Potius assentior „ iis, qui dicunt Græcum. *Elias Thesbite*: In lingua Doctorum nostrorum „ זהב לטרא, libra aurea, & in plurali „ לטרין, libræ vox est linguæ Græcæ, „ quæ latine libra dicitur & Germanice „ Pfund." Ego, vocabulum tuto ab Orientalibus arcessendum, putarem. Nam Chaldæi habent ליטרא, Talmudici לטרין, Habesseni לטר, *lytr.* Samaritani itidem ࠋࠈࠓࠀ, לטרא, Arabes رطل, *retlon*, vel *ritlon*, cujus radix extat رطل, *ratala*, libravit manu ponderis explorandi causa, apud *Golium*, *Lex. Arab. p.* 999. Inde ab Oriente ad Græcos λίτρα, Coptitas λῶβρα, Latinos libra transmigravit. In vocum enim aliam in linguam migratione commutantur vel literæ consonæ, vel literæ vocales, vel tonus. *Pfeiff. Dubb. Vex. p.* 931. Veteribus vero pondera, s. pondo, in usu erant, quibus ad ponderandum usi, ac mensura, ad oleum, aliasque res liquidas, adhibita, quæ tamen accuratissime ponderibus æstimabantur. Romanus libram partitur in 12. partes, quarum quælibet *uncia* dicitur, qua de re *Budæus* prolixe agit. Græci inter *pondera Medica* numerant λίτραν, quæ valet 12. *uncias*, *drachmas* 96. *scripula* 288. *obolos* 576. *æreolos* 4608. Vid. *Gronov. de Pecun. Vet. lib.* 3. *cap.* 9. *& l.* 4. *cap.* 17. qui sic concludit: *Λίτρα Siculis pondus & nummus genuit libram, quæ pro pondere placuit Romanis. Matth. Hostus* L. 1. *c.* 16. *de Mens. Vet. Pfeiffer. Antiqu. Græc. l.* 2. *c.* 47. *p.* 334. *Salmas. ad Solin. p.* 458. qui superaddit: *Romani posterioribus deinceps Græcis tradiderunt. Λίτρα vero Græcorum & Romanorum libra æquipollent. Fuit tamen libra & ponderum & mensuræ, illam pondo, hanc mensuram nuncuparunt. Sveton. in Vit. Cæs. cap.* 38. Romano more oleum vendi consuevit cornibus, quæ unam caperent mensuralem libram, quod ex *Galeno* constat, qui κέρατα dixit λιτραῖα. Quamvis non semper ejusmodi cornua fuerint unius libræ, sed quædam etiam duarum, uti videre est ex his *Horatii* verbis: *Cornu ipse bilibri caulibus instillat, veteris non parcus aceti.* Cornu bilibre enim est vasculum corneum, duarum olei librarum capax. Cum igitur Judæi cum Gentilibus una versarentur, non potuit fieri, quin illorum consuetudinibus in dies assuescerent. *Bynæus de M. C. l.* 1. *c.* 3. *p.* 750. Λίτρα fuit etiam numismatis genus Siculis usitati, & id parvi admodum pretii. Nota τῆς λίτρας compendiaria apud Veteres hæc λ' erat. *Pollux lib.* 9. *Steph. Thes. App. p.* 1385.

IX. Inungendi ritus mos perantiquus est, quem Maria ex Hebræorum more retinuit, licet illo aliud quid, quam vulgo fieri consueverat, innueretur. *Johannes* commemorat, pedes a Maria esse unctos. *Matthæus* autem & *Marcus*, unguentum super caput effusum, docent *Calvin. Gualtper. Paræus*, alii, oleum copiose effusum, ex capite in pedes usque, per vestes, defluxisse, qualem effusionis descriptionem habemus, *Psalm.* 133. 2. statuunt. *Bynæus* & cum ipso plures alii assentiunt *Augustino*, qui mulierem prius unxisse pedes, & postea, quod ex unguento supererat, orificio vasis fracto, in caput effudisse, contendit. Græcis in consuetudinem ivisse, vetustissimi scriptores tradunt. Aliquando pedes inungebant, teste *Athen. Deipnos. l.* 15. *c.* 12. cum affirmat, antiquos in unguentorum usu admodum curiosos, atque nimis scrupulosos fuisse, singulisque corporis membris unguenta designasse, quod ut probet, advocat *Antiphanis*, *Cephisodori* & *Anaxandridis* versus, qui clare docent, pedes unctos unguento Ægyptio atque Bacharino. Ab *Aristophane* allegatur *Phinocleon*, cujus pedes a filia inuncti, ubi *Scholiastes* subjicit: Παλαιὰ ἡ διὰ τῶν γυναικῶν τημέλεια, καὶ οὕτως ἐπιμέλειν τοὺς πατέρας καὶ γέροντας, ὥστε μετὰ τὸ νίψαι ἀλείφειν τοὺς πόδας. *Antiqua mulierum obsequia* (scil. lotio, unctio, pedum deosculatio,) *& sic curabant patres & senes, ut postquam lavassent, inungerent pedes. Aristophanes*, eleganter admodum, meminerat lotionis, unctionis, deosculationis, quæ tria maxime in epulis honoris

ris & amoris ergo Dominis exhibebantur ab uxoribus & inferioribus. *Plato de Rep.* 3. quando ait: *μύρον κατὰ τῆς κεφαλῆς* &c. præmittit, *in honoris maximi testimonium. Jul. Pollux. Onom. l.* 6. *cap.* 16. Ὅτι δὲ καὶ *μύρον ἐν τοῖς συμποσίοις ἐπιμνηστέον*, *unguenti in conviviis recordandum. Athen. ex antiquo Poeta:*

> Αὐτὰρ ἐπεὶ δόρποιο μελίφρονος ἐξ ἔρον ἕντο,
> Ὡραῖος παῖς ἦλθε φέρων μύρον.

Cum cœnæ dulcis desiderium deposuissent, formosus venit puer ferens unguentum. Unguentorum in caput effusio extat apud eundem *Athen. ex Archestrato* adducta.

> Αἰεὶ δὲ στεφάνοισι κάρα παρὰ δαῖτα πυκάζου,
> Καὶ στακτοῖσι μύροις ἀγαθοῖς χαίτην θεράπευε.

Densas coronas in convivio capiti impone, & comam unguentis stillantibus bonis orna. Consonant *Antiphanes*, *Plutarchus*, *Hesychius* & *Scholiastæ* veteres. Vid. *Dougt. Anal. S. ad Luc.* 7. 38. *p.* 52. *seq.* Frequens unguentorum apud Romanos usus ex *Cicerone*, *Catullo*, *Martiali*, *Svetonio*, ceteris innotuit. De Hebræis idem testantur scriptores sacri, 1. *Paral.* 12. 40. *Ps.* 23. 5. XLV. 8. *Eccles.* 9. 7. 8. *Cant.* 1. 2. *Ezech.* 23. 41. *Hebr.* 1. 9. 1. *Joh.* 2. 20. *&c.* Vid. etiam *Genes.* 18. 4. XIX. 2. XXIV. 32. *Jud.* 19. 21. *Lightfoot. Hor. Hebr. ad Mt.* 26. 7. *p.* 375. qui nervose admodum scribit: *Usitatissimum erat in epulis, præsertim sacris, oleum aromatibus conditum, solitumque est, illud capiti alicujus præsentis illinere. Hieros. Berac. fol.* 11. 2. *Schola Schamæana dicit: Oleum suave dextra tenet, at poculum vini sinistra. Recitat primum benedictionem super oleum & dein super poculum. Schola Hilleliana dicit: Oleum dextra, poculum sinistra. Benedicit super oleum suave, atque illinit capiti ministrantis. Si vero ministrans sit discipulus Sapientum, illinit parieti, nam indecorum, i. e. juxta strangulas pedum ejus. Si vult dignissimus cum secundo ab eo colloqui, necesse est, ut se erigat e recubitione sua, ita, ut erectus sedeat &c.* Regibus in primis ac Dominis oleum in caput effundebant antiqui. In nuptiis capita Magistrorum inuncta, *Babyl. Chethubb. fol.* 17. 2. *Lightf. H. H. Marc.* 14. 3. *p.* 456. Ad cæremoniam illam Christum alludit, quando *Luc.* 7. 46. objicit Simoni: *Oleo caput meum non unxisti*, & *Mt.* 6. 17. *Tu vero quum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava.* Pedum lotio ante cubitum usitatissima. Orientales non gestabant calceos cavos, aut tibialia, sed soleas, *Genes.* 14. 23. *&c.* Æstus in Oriente quoniam proficiscentes valde delassabat, inde aqua ad refectionem opus isti habebant. Pedes insuper cum pulvere admodum conspurcarentur, lotiones frequenter iterari debebant. Non autem lege quadam, ut lotio manuum, pedum lotio inculcata est, uti recte notat *Hotting. ad Godw. Mos. & Aar. p.* 482. sed simplicis potius, nudæquæ consuetudinis lavacrum fuit, de quo *Ralbag* ad 1. *Sam.* 25. 41. sic fatus est: אמרה זה על צר הענוה להורות שרי אם תהיה לאשה לאחד מעבדי דוד ותרחץ רגליו כמנהג האשה לבעלה: *Hæc verba humili animo dixerat Abigail, satis sibi fore, si quendam servorum David in maritum habere queat, atque ejus pedes lavare, uti uxor hoc officium præstare solet*, Ποδολουσίαν uxorium fuisse officium, *Maimon. Tr.* אשות *cap.* 21. rotundis verbis asserit: כל אשה רוחצת לבעלה פניו ידיו ורגליו, *unaquæque uxor mariti faciem, manus & pedes lavat.* Fiebat tamen alias per servos, ancillas & vilissimos domus, unde Christus, *ὑπόδειγμα ταπεινότητος*, *humilitatis exemplum*, relicturus, lavit pedes discipulorum, *Joh.* 13. 5. Et *Abigail* de se fatetur: *Ecce ancilla tua pro famula erit ad lavandum pedes servorum Domini mei*, 1. *Sam.* 25. 41. His præsertim ex causis vasa in ædibus apposita, seu *νιπτὴρ*, *pelvis*, *Joh.* 13. 5. vel, ut cum Græcis loquar, *ποδονιπτὴρ*, *pelluvium*. Usui vero illi vulgaria communiter vasa destinata, quo trahunt, nec male, illud: מאב סיר רחצי, *Moab est olla lotionis meæ*, *Psalm.* 60. 10. i. e. interprete *Godwino p.* 484. *Moabitæ ita mihi substernentur, velut pollubrum pedibus meis.* Vid. *Luc.* 7. 38. *Joh.* 13. 4. 5. *&c. Lightf. ad Joh.* 12. 3. *Dougtæus in Annal. S. ad Luc.* 7. 38. *p.* 52. Sicuti vero res inusitata, judice *Lightf. ad Joh.* 13. 5. ut superiores lavarent pedes inferiorum, quod Servator fecit discipulis, quem ritum Papa R. imitatur quotannis, & nimiæ sanctitatis, ut se Vicarium affectu Christi ostendat: Sic unctio pedum ἁπλῶς spectata non erat res insolita, ut in errore hoc versatur *Baron. Annal.* 1. *ad A. C.* 32. *Num.* 26. quando putat, nonnisi Athenis apud aliquos delitiis deditos & delicatas virgines in usu fuisse, quem ideo, nec immerito, castigant, *Casaub. Exerc.* 14. *cap.* 12. *pag.* 297. & *Byn. de M. C. l.* 1. *cap.* 3. *p.* 254. & 257. *Sagittar. P.* 1. *Passion. p.* 170. *Lavandorum pedum ritus prisca Ecclesiæ Christianæ antiquissimus est, unde Mt.* 5. *inter aliæ viduæ in Ecclesiæ ministerium cooptandæ χειλεια refertur: Si sanctorum pedes lavit. Postea in quibusdam* Eccle-

Ecclesiis receptum more fuit, ut post Baptismum lavarentur baptizatorum pedes Ambros. l. 3. de Sacr. c. 1. Qualis lotio interdicta fuit in Concilio Elibertino A. C. 305. Can. 48. ad quæ verba Binius, tom. 1. Concil. Neque censeo in hoc Concilio interdictum, nisi tantum, ne fiat a sacerdotibus. Non sine causa fortassis. *Lascivire enim cœperunt sacerdotes. In aliquibus Ecclesiis S. Eucharistiam accessuris pedes lavabantur. In primis autem homines religiosi piorum hospitum, ut & pauperum pedes abluebant. Tertull. ad Ux. l. 2. c. 4. Tale humilitatis specimen, ad exemplum CHRISTI, postea exhibuerunt Magnates utriusque sexus. De Helena Constant. M. matre refert Nicephor.* 8. *c.* 31. *Ipsam sacris Virginibus ad epulas vocatis* suis manibus escam apposuisse, malluvium & aquam præbuisse, aliaque omnia ministeria obivisse, *quæ, convivis invitatis exhibere, moris est. Nec hodie mos in desuetudinem abiit. Nam, præter Imperatorem R. Regem Angliæ & Galliarum, ipse Papa R. die Viridium pauperibus quibusdam pedes jam ante lotos & odorifera aqua imbutos lavet, lotos mantili tergat, abstersos osculetur, id quod pluribus enarrat Simeon Majolus, Dier. Canicul. P. 3. Colloq. 6. In se non improbatur pedum lotio. Sed eidem meritum adscribere quoddam, aut eandem pro sacramento venditare, aut ex superstitione quadam id officii prosequi, hoc est, quod, in vitiis ponendum esse, & censuram mereri, duco.* Mulier nostra pedibus Servatoris est advoluta & inungit istos, ut patrium morem imitetur, supplicum ritu, tristitiæ, fiduciæ, honoris & amoris testificandi causa.

X. Pedes humectat lachrymis & abstergit capitis sui capillis. Nam Antiqui discumbentes calceos, s. soleas, exuebant, ne lectulos profanarent. Unde *Plato de Sympos.* Ὑπολύετε παῖδες Ἀλκιβιάδην, ἵνα κατακέηται, *solvite famuli* (Pagen) *Alcibiadi soleas, ut ad mensam accumbat.* Exempla plurima apud *Aristoph. Martial. Plaut.* alios prostant. Hebræos vero discalceatos recubuisse, copiose asserit *Bynæus de Calc. Hebr. l. 2. c. 1.* §. 8. Vid. *Lips. Antiq. Lect. l. 3. Ciaccon. & Ursin. de Triclin.* & *Hier. Mercurial.* qui in *Appendice l. 1. c. 11. de Art. Gymn.* hoc in argumento prolixus est, ac insimul ritus imaginem exprimit, quam repetit *Bynæus de M. C. l. 1. cap. 3. p. 260.* Præterea Veterum fœminæ, ut nostræ, cum sequior iste sexus munditiei nimis studiosus sit, in capillorum ligatura ornamentum quærebant. *Capillitium*, interprete Bynæo, *aliquando ad talos usque promissum in crines & sertas divisum, & in capite conglobatum & spiratim convolutum mulieres gestarunt*, quam consuetudinem damnant Apostoli in primorum Christianorum matronis & virginibus, 1. *Tim.* 2. 9. 1. *Pet.* 3. 3. Inter Patres præsertim *Tertullian.* in consuetudinis abusum invehitur, quando crines ejusmodi spiratim convolutos, quos Germani Haarlocken / Galli *favorites* vocant, ob abusum maximum, funes Satanæ, qui ad captivandos juvenes tenduntur, justo nomine appellat. In tristitia tamen constitutæ passis sedebant capillis, quod patet ex *Es.* 47. 2. &c. ad quem locum Magistri notant, tempore captivitatis, luctus, aut alterius cujusdam mœroris, capillos solutos & circum colla fluitantes habuisse. Tum etiam, quod Romanos attinet, ex Livio, Petronio, aliorumque scriptis inclarescit. Confirmant id Veterum marmora, ac nummi post Hierosolymarum excidium cusi, qui imaginem sistunt passis crinibus ad arborem sedentis, aut stantis fœminæ, cum addita inscriptione: *Judæa capta.* Peccatrix similiter mœroris plena subtristis accedit, non sine arcano quodam ductu, εἰς τὸν ἐνταφιασμόν. Pro linteis comam adhibet dissolutam & diffusam, atque capillis pedes abstergit. Minus circumspecte ceteroquin agunt, qui cum *Casaub.* & *Bynæo* hoc abstersionis exemplum vel cum more Veterum Gentilium conferunt, vel ex antiquis Ethnicorum ritibus illustrant, siquidem ab istiusmodi crisi Christianos abstinere oportebat. Sic enim *Casaubon. ad Luc.* 7. 38. abjecte scribit: *Hujus moris exstat vestigium in Romana historia. Legimus enim, imminente aliquo Reipubl. periculo, (ut cum Annibal esset ad portas,) Romanas mulieres solitas, Deum aras suis capillis abstergere &c.* Apud veteres quidem paganos magno in honore semper habebatur oleum, adeo, ut simulacra, saxa, stipites, & quodvis demum adorabile, eo delibuerent, aut delibutum venerarentur; Πᾶν ξύλον καὶ πάντα λίθον, τὸ λεγόμενον, λιπαρὸν προσκυνοῦντες, *quodvis lignum, & quemcunque lapidem, modo unctum, quod ajunt, adorantes, Clem. Alex. Strom. l. 7.* Sed ritum hunc mutuati sunt Gentiles ab Hebræis, ut exemplum extat, *Gen.* 28. 18. *Surgens ergo* (Jacob) *mane tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in statuam fundens oleum in summitatem ejus*, quæ Jacobi inunctio non fit superstitioso, *aut* idololatrico cultu, quod scite monet *August. de Civ. Dei l. 16. c. 38.* sed mystico sensu inunctionem angularis lapidis, *Act.* 4. 11. Christi, præmonstrat, quod contra *Marshamum* & *Spencerum* observandum, quando Hebræos, permissione divina, morem Gentilium assumsisse, non sine scandalo, perhibent. *Dougtæus, Anal. S. ad Gen.* 28. 18. *p.* 31. De reliquis, qui huc poterant duci, ritibus, & *pedum deoscu-*

osculatione Sect. II. *de Oscul. Judæ*, pro instituti ratione, pauca adnotabo.

XI. *Judæ* vox, origine Hebræa, venit ab radice ירה, *manavit*, *emanavit*, & active *emanare fecit*, *emisit*, *ejecit*; In Conjug. Hiphil. *confessus est*, *celebravit*, *laudavit*. Datur radix huic affinis הרה & apud Græcos δίω, *expello rem dimanantem*, item ἀείδω, ᾄδω, *cano libera voce gloriam DEI*, ut ad alios dimanet. Atque sic vi vocis Judas designat *confessorem*, *laudatorem*, *filium celebrationis* & הריה, *publicæ confessionis*, quale nomen mater Patriarchæ dedit Judæ, *quod a partu ejus Deum laudaret*, *Gen.* 29. 35. Priscis enim res non casu, aut fortuito, sed προαιρετικῶς, *consilio*, pleræque nominibus appellabantur. Post tribuum scissuram soli tribui Judæ nomen hoc tributum est, adjunctæque tribui Beniamin, quæ, junctim spectatæ, regnum Judaicum constituebant. Postremum omnes promiscue dicti sunt Judæi. Hoc nomine noster Judas degener & periurus insignitur saltim λεγομένως, κατ' ἀντίφρασιν; *Simon* autem a patre, more gentis suæ perantiquo; Ischarioth denique non ab איש, *vir*, כרת, *abscissio*, *exterminium*, quod turpissima defectione seipsum a Christo, ἀριθμῷ τῶν δώδεκα, & vita æterna absciderit, quemadmodum libellus repudii, βιβλίον ἀποστασίυ, Talmudicis ספר כריתות, *liber abscissionum*, dicitur: Neque a שכר, *merces*, & נטה, *defecit*, *mercede quasi inductus ad defectionem*, uti vult *Tremell. ad Matt.* 10. 4. Neque a סכר, *strangulavit*, uti scribit *Junius ad Matt.* 10. 4. *Aliis secari ut marsupium appellatur & Secariuta ὁ ἔχων γλωσσόκομον, ut Joh.* 12. 6. *Sed ego, omnibus expensis, per anticipationem, statuo appellari, quasi strangulatum dicas, qui ultro declinaverit ad strangulationem sui, ut narratur infer.* 27. 5. *& Act.* 1. 18. *Est enim Secar strangulare Syris & Mascera strangulatio*, cui sententiæ etiam subscribunt *Waser. de Antiq. Num. Hebr. l.* 1. *c.* 19. & qua partem *Lightfoot. Hor. Hebr. ad Matth.* 10. 4. Nec ad illos accedere possum, qui, idem forte significare, quod *Judas cum cinctorio*, arbitrantur, quando ajunt: *Secariut marsupium & Secariuta ὁ ἔχων γλωσσόκομον, unde Iscariores portitor Glossocomi, sive Glossocomarius, Judas cum cinctorio, in quo veteres consutas habebant crumenas, in quibus nummos circumgestare consueverant, prout ex Aruch ad vocem* אפונדה *&* חרמיל *aliqui notant*. Forsitan ab urbe, aut patria, verius notionem derivant *Angel. Canin. Beza, Scultet. Vossius, Drus. Cave, Grotius*, qui tamen a se invicem discrepant, dum illi eam deducunt a קריות, urbe, *Jos.* 15. 25. *hic* autem, nempe *Grotius*, derivari censet ab איש & יששכר, ein Mann von Isaschar, quod nomen extat, *Jud.* 10. 1. & addita terminatione Græcis familiari, Ischariotes pronuntiaretur. Rationes, quas afferunt, sequentis sunt tenoris: (1) Codices non pauci legunt Σκαριώτης, ipse interpres *Syrus* habet ܣܟܪܝܘܛܐ, & *Codex Cantabrigiensis*, qui *Theodoro Bezæ* fuit, ἀπὸ Καρυώτυ, *a Caryoto*. (2) *Chrysost. Theophyl. & Hieron. ad Matth.* 10. 4. ita sentiunt. (3) Cum plerosque inter Eruditos, Apostolos Judæos fuisse, constet, nomen, oportet, ab Hebræis deducamus. (4) *Jos.* 15. 25. urbis fit mentio *Carioth*, קריות, & scimus omnes, qui a patria describuntur, vocari ejus loci viros, vel filios, sed præsertim viros, *Esr.* 1. more Gallico, *enfant de Paris*. Insuper autem hic noto, aliquas dictionem nostram derivare a solo vocabulo קריות, quæ Syria dialecto, aut fortassis Hebræa, Apostolorum memoria Judæis familiari, legeretur סקריות, ut סקבל pro קבל, *caligo*, סגרגר, *granum*, pro גרגר, & סגלגל pro גלגל, *rotundum*, ac præposita Iod Ischariotes. Solitum enim, iis nominibus, quæ a gemina consonante incipiunt, annecti literam i, ut Ἰσπανία pro Σπανία. Sic Turcæ hodie ex Scopia faciunt Iscopia, ex Scodra Iscodra, Galli ex schola suum escole &c. *Bynæus de M.C. p.* 279. qui omnibus expensis, tandem subiicit: *Quare hic ἐπέχειν malo, quam dubia dicere & incomperta, maxime cum parum hac in re situm sit*. Vid. *Kempii Diss. de Osculo Judæ, Art.* 2. §. 4. *p.* 32. *seqq.*

XII. Judas, cum illum unctio, quæ, ut in se est καλὸν ἔργον, talem hic censuram non merebatur, male haberet, indignationem his verbis prodit; Ἐις τί ἡ ἀπώλεια, *ad quod perditio illa*, *inutilis profusio* juxta *Bezam*, ἀσωτία & שחתה juxta *Grotium*, *luxuria*, *prodigalitas*, *profusio*, *nequitia*, *perditio*? Quæ ratio loquendi nec Hebræis inusitata. Græcum enim ἐις τί respondet Hebræo למה, *ad quid*, *quare*, *Gen.* 25. 22. & 32. *Es.* 1. 11. Adjicit proditor, ut pessime sentit, gravem rationem: *Poterat enim venundari plus quam trecentis denariis*. Δηνάριον, *Denarius*, proprie vox est Latina. Scriptores enim sacri, ut *Bynæus*, nec male, tradit, *retinuerunt Romanum nummi Romani nomen*, quomodo & ἀσσάριον, *assarius*, & κοδράντης, *quadrans*, apud ipsos occurrunt, neque aliter a profanis scriptoribus est factum. Denarius vocatur, quod decem assibus constabat, &, teste *Plinio*, *l.* 21. *cap. ult.* idem valebat, quod apud Athenienses drachma. Unde Cleopatra; Τὸ Ἰταλικὸν δηνάριον ἔχει δραχμὴν α'; *Romanus denarius continet drachmam*, sive tres grossos, einen halben Ortß-

Thaler,

Thaler/ & cum Zuza unius est pretii, affirmantibus id *Hebræorum Magistris*, v. c. *R. Gedalia in Schalsch. Hakkabb. pag.* 88. דינר וזוז הכל אחד, *Dinar & Zuza omne unum sunt*; & *Elia Levita in Thisbi ad voc.* דינר, quando ait: דינר יש מטבע נקרא לבשונם דינר והוא כמר זוז, *Dinar est moneta, vocatur in lingua eorum* דינר, & *idem valet, quod* זוז; item *ad voc.* זוז *l.c.* זוז רבע שקל כסף, *quarta pars Sicli argentei*. Unde Kimchius: השקל ארבעה זוזים, *Siclus continet quatuor Zuza*, quare *Syrus* etiam δραχμὴν, *Luc.* 15. 8. 9. vertit ܙܘܙܐ, *Zuza*, & τὰ δίδραχμα, *Matth.* 17. ܬܪܝܢ ܙܘܙܝܢ, *duo Zuzin*. Δηνάριον erat numisma census, *Matth.* 22. 19. &, interprete *Goodwino*, denarius sacer, qui constituit δίδραχμον Atticum, *Matth.* 17. 24. erat dimidia sicli pars, s. מחצית השקל, *dimidius siclus*, *Exod.* 30. 13. qui antiquissimis Hebræorum temporibus quotannis a quovis Israelita trigesimum annum assecuto pendendus erat, eum in finem, ut inde sacrificia jugia, ferta, libamina eorum, manipulum, duos panes Pentecostales, panes propositionis, suffitum, & si quæ alia publico nomine sacra fiebant, emerent. Vid. *Tract.* שקלים, *cap.* 4. & *Aben-Esra ad Neh.* 10. 32. Mansit illa pendendi consuetudo ad excidium usque Templi, quare *Joseph. de B. I. lib.* 7. *c.* 26. *p.* 983. submonet; Φόρον δὲ τοῖς ὅπȣ δήποτ' ȣ̓σιν Ἰȣδαίοις, ἐπέβαλε δύο δραχμὰς ἕκασον κελεύσας ἀνὰ πᾶν ἔτος ἐς τὸ Καπετώλιον φέρειν, ὥσπερ πρότερον ἐς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼν συνετέλȣν; *Stipendium vero, ubicunque degerint, Judæis indixit, binasque drachmas singulis deferre in Capitolium jussit, ita ut antehac Hierosolymis Templo pendebant*. Cæsar, ut habet *Goodwinus*, hunc Templi censum suo gazophylacio inferens abstulit τῷ τȣ̃ Θεȣ̃. Hinc Christus in quæstione illa vexata: *Licet censum dare Cæsari, annon?* Respondet: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo*. Hic igitur census postea in decreti Vespasiano facti Capitolio etiam Romano depensus est, ut ex Josepho constat. *Hammond. ad Mt.* 22. 20. *p.* 166. Denarios hujuscemodi Cæsaris imaginem cum nomine *Augusti* & anno *captæ Judææ* habuisse, existimat. Sed bene *Clericus*: *Denarius potuit esse Tiberii æque ac Augusti, nec necesse erat, subactæ Judææ annum in eo legi. Exigebatur dumtaxat Denarius, in quo Augusti, aut Tiberii imago cerneretur*. Figuram eorum, qui diebus Servatoris cusi sunt, exhibet *Marquard. Freyher. de Numism. Census* & *Casp. Waser. de Num. Hebr. l.* 2. *c.* 20. Ex uno latere apparet Cæsaris imago cum inscriptione: TIB. CÆSAR. AUGUSTI F. IMPERATOR, atque sic amplius; Ex altero Vestæ forma sellæ insidentis, quæ dextera lanceam, frondem olei sinistra tenet, his additis literis: PONTIF. MAX. Scriptura autem meminit Romani nummi, denarii, quia Cæsaris nuntii, s. præfecti, pecuniam R. in Syria & Palæstina vulgarent, & Imperator ab subactis Judæis denarios, tanquam ordinarium censum, exigeret, quod, ut ob brevitatis studium cetera taceamus, vel ex sola inscriptione nummi, cujus mentio a *Matthæo* facta est, *cap.* 22. 16. 17. 19. apparebit. Vid. *Lips. de Magnif. Rom. l.* 2. *c.* 3. *Selden. I. N. & G. l.* 6. *c.* 17. *Casaub. Ex.* 16. *c.* 6. *Goodwin. Mos. & Aar. p. m.* 969. *ed. Hotting.* & *Bynæus de M. C. p.* 287. Summa pretii, videlicet 300. denariorum, importat 37. thaleros & 12. grossos. Nam Romanorum denarii erant argentei, aurei vero, si qui darentur, fuerunt peregrini & adventitii, velut ἡμίχρυσοι Attici, quod observat *Gronou de Pec. Vet. l.* 3. *c.* 15. & *Bynæus*, *l. c. pag.* 287. *seq.* contra *Lightf. Hor. Hebr. in Marc.* 14. 5.

XIII. Γλωσσόκομον, s. γλωττόκομον, Veteribus proprie fuit arcula, s. theca tibiarum ligulis recondendis idonea, a γλῶσσα, *lingula tibiæ*, & κομέω, *curo, curam gero*. *Versio Interlin. Beza, Piscator*: Marsupium; *Belgæ*: De beurse, crumena, ita *Castalio* & *Coccejus*; *LXX. Senibus, Aquilæ* & *Theodot.* idem est, quod ארון, *arca*, vel *cista*. Sic *Chaldæus* Hebræum ארון, *Gen.* 50. 26. exprimit per Græcanicam vocem גלוסקמא. Talmudicis vox illa non infrequens, & juxta *Choen de Lara* in עיר דוד, *p.* 27. est feretrum, loculus, in quo cadavera deponuntur. Nonnus interpretatur δȣρατὴν χηλὸν, ut *Hesychius* explicat, *ligneam cistam*. Denotant illæ voces, tam apud Hebræos, quam Græcos, (1) *feretrum*, loculum, ut ipsum nomen Latinum, in quo reconduntur cadavera, *Gen.* 50. 26. ארון, id est, גלוסקמא, *arca sepulchralis*. Vid. *Moed Katon*, *fol.* 24. 1. & *Massech Semachoth c.* 3. &c. (2) *cistam*, s. arcam, in qua reconduntur thesauri, aliæque res pretiosæ, unde Gazophylacium & arcam Corbanicam LXX. viri vertunt; Γλωσσόκομον. Ita *Talmudici* explicant voces Græcienses גלוסקמא & דלוסקמא, quas Hebræi ab Græcis mutuati sunt; Atque *Syrus* parili modo suum ܓܠܘܣܩܡܐ, *Joh.* 12. 6. 13. 29. Consonant *Aquila* & *Theodot.* item *Lightf. Hor. Heb. ad Joh.* 12. 6. *p.* 653. *Et quare*, inquit, *non potest legi pro scrinio, aut arca? Nam non dicitur, quod Judas* ἐβάσταζε γλωσσόκομον, *sed quod* εἶχε γλωσσόκομον & ἀβάσταζε τὰ βαλλόμενα. *Ita, ut nihil prohibeat, quo minus per* γλωσσόκομον *signi-*

ſignificari poſſit ciſta, *vel ſcrinium pecuniarum domi ſitum*, *cujus claves erant penes Judam*, *ad quod reportavit ille τὰ βαλλόμενα*. Pro arcula portatili ſumit *Hugo Grotius*, quando ad *l. c.* notat: *Creditur fuiſſe arcula oblonga & anguſta*, *quam iter facientes ſecum ferre poterant*. (3) Crumenam deſignat habentem multos ſacculos, vel einen Beutel, cujuſmodi mercatoribus in primis iter facientibus etiamnunc in uſu, ut idem ſit, quod טליקא דסקי, judice *autore Lexici Aruch*, θύλαξ, θύλακος, θυλάκιον. Ita interpretantur *Druſ. Bynæus*, *Camer.* alii, quam translationem cum *Luthero*, qui fontes optime ſecutus, & noſtram facimus. Fuit enim procul dubio loculus, ſ. crumena oblonga, Zonæ inſtar, qualem proficiſcentes circumgeſtant, quam ad ſe adplicant, ventrique circumjiciunt. Hujuſmodi crumenam Germani dicunt eine Katze, alias einen Beutel. Nam ein Beutel und eine Katze quandoque ἰσοδυναμοῦντα ſunt, aut ſic diſcrepant, ut latius interdum & anguſtius, ut Genus & ſpecies differunt. Græco nomine ſigillatim γλωσσόκομον appellatur, a ſimilitudine, ſ. forma linguæ, qualem crumena hujuſcemodi repræſentaverit.

XIV. Ἔργον καλὸν, uti *Camer. in Myroth. Evang. ad Mt.* 26. 10. arbitratur, phraſis quoque eſt *Syro-Chaldæa*, עבדתא עובדא טובא, *egregium ac pulchrum* opus, interprete *Eraſmo ad l. c.* Syriace ſonat ܥܒܕܐ ܫܦܝܪܐ, *opus elegans*, *decorum*, *laudabile*, *gratum*, non ἀπώλεια, non perditio, non ἀσωτία, ut proditione infamis ille impoſtor ajebat, ſed καλὸν, שפירא, טוב, ſ. טובא, quæ voces Orientalibus non ineleganter ſignificant: *egregium*, *elegans*, *pulchrum*, *integrum*, *laudabile*, atque ſic exactiſſime Græcum καλὸν exprimunt.

XV. Servator finem, propter quem illa mulier id fecerit, ſtatim ſubjicit, nimirum πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με, *Mt.* 26. 12. εἰς τὸν ἐνταφιασμὸν, *Marc.* 14. 8. εἰς τὴν ἡμέραν ἐνταφιασμοῦ μου, *Joh.* 12. 7. *Grotius Mt.* 26. 12. adnotavit, τὸ ἐνταφιάσαι interpretandum eſſe per ἔλλειψιν voculæ ὡσεὶ, *fecit quaſi ad me pollinciendum*. Quam vocem prudenter, ut & in hac apud *Marcum* hiſtoria, addidit *Syrus interpres*, quando vertit: ܗܕܐ ܕܝܢ ܕܐܪܡܝܬ ܒܣܡܐ ܗܢܐ ܥܠ ܦܓܪܝ ܐܝܟ ܕܠܩܒܘܪܬܝ ܥܒܕܬܗ *Hoc autem*, *quod miſit aromaticum hoc in corpus meum*, tanquam *ad ſepeliendum me fecit*. Sic, apud *Homerum* ὡς comparativum ſæpe ſubaudiri, notant Interpretes. Voci ἐνταφιάζειν magnum pondus ineſt. Significat enim *condo intra ἐντάφια*, ideſt, *ſepulchralia lintea*, ut explicatur apud *Iſocratem* & *Plutarchum*; Atque ita proprie non deſignat actum ipſum ταφῆς, ſeu τὸ θάπτειν, ſed omnes actus præcedentes præparatorios, qui præſertim conſiſtebant in unctione & ἐνταφίων involutione, de quibus infra *P. III.* de *Sepultura Chriſti* plura dicemus. De diſcrimine hoc jam olim Auguſtinus: *Non invenit lingua Latina*, *quemadmodum appellaret ἐνταφιαστάς*. *Non enim ipſi ſepeliunt corpora mortuorum*, *quod Græce eſt non ἐνταφιάσαι*, *ſed θάψαι*. *Illi ergo ἐνταφιασταὶ id agunt*, *quod exhibetur corporibus humandis vel condiendo*, *vel ſiccando*, *vel involvendo & alligando*, *in quo opere maxime Ægyptiorum cura præcellit*. Idem tradunt *Beza*, *Caſaubonus*, *Druſius*, *Ludov. de Dieu*, *Bynæus*: Corpus ad funus componere, & ornamentis, ut ſic dicam, „ ſepulchralibus ornare, quæ Græcis ἐντάφια nominantur; „ Corpus mortuum parare ad ſepulturam, „ more Judæorum, corpus mortuum τοῖς „ ἐνταφίοις, hoc eſt, ὀθονίοις, linteis ſepul„ chralibus, additis unguentis aromaticis, involvere, " *Joh.* 19. 40. *Caſaub. Ex.* 16. §. 112. præterea inter ταριχεύειν, & ἐνταφιάζειν diſcrimen eſſe, putat. *Ægyptiorum conditura fiebat intrinſecus*, *corpore exenterato*, *& cerebro per nares extracto*, *quod Græci dixerunt ταριχεύειν*. *Hebræi unguento & corpori aromata extrinſecus applicando*, *deinde faſciis involvendo*, *mortuos curabant*, *Mt.* 27. 59. *Marc.* 16. 46. *Luc.* 23. 53. *Joh.* 20. 39. 40. *Unde in ſcripturis de conditura Hebræorum dicitur non ταριχεύειν*, *ſed ἐνταφιάζειν*, ſ. ἀλίφειν. Eodem ſenſu nomen ἐνταφιάζειν LXX. *Senes*, *Geneſ.* 60. 1. accipiunt. Id vero prædixit mulier, capillis lintea ſepulchralia & faſces, quibus pedes Servatoris implicuit, oleo & unguentis, quæ ſuper ipſum effudit, balſamationem præmonſtrans.

XVI. Addit Servator in rei hujus teſtimonium vehementem aſſeverationem Ἀμὴν, quam voculam *Johannes*, quoties uſurpat, geminat; Ἀμὴν, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν. Vox Ἀμὴν ab Hebræis oriunda in Græcos, Italos, Germanos, nationes alias, venit, ab radice אמן, *verus*, *fidus*, *fidelis*, *certus*, *ratus*, *ſecurus fuit*; Arabice *credidit*, *fidit*, *fidejuſſit*. Unde אמן אמנם אמנם, *certe*, *profecto*, *vere*, æquipollent. Circa vocis explicationem Interpretes varias in ſententias abeunt: *Dinckel. Orat. de Hebr. Ling. N.* 4. אמן idem eſſe putat, quod אל מלך נאמן *Deus rex fidelis*. Sed Cabbaliſtica eſt alluſio, non vera etymologia. *Talmud* hanc in vocem ita commentatur, *Lib. Schebhuoth*, *fol.* 36. אמר רבי יוסי בן רבי חנינא אמן בו שבועה בו קבלת דברים בו האמנת דברים בו שבועה דכתיב

דכתיב ואמרה האשה אמן אמן בו קבלת דברים דכתיב ארור אשר לא יקים את דברי התורה הזאת לעשות אותם ואמר כל העם אמן בו האמנת דברים דכתיב ויאמר ירמיהו אל חנניהו אמן כן יעשה יי׳ את דברך: *R. Jose dicit filius Chaninæ*, Amen *modo habet vim jurisjurandi, modo approbandi dicta, modo confirmandi dicta. Jurisjurandi vim habet, cum scriptum est:* Et dicet mulier illa, Amen, Amen; *Approbandi dicta, cum scriptum est:* Maledictus, &c. *Confirmandi dicta, cum scriptum est:* Sic faciet *Jehova*, præstabit *Jehova* verba tua. Similiter jusjurandum designat apud *Maimon. Tr. Schebb.* ſ. 11. Nec alii ex *Hebræorum Magistris* dissonant. Id non erat reticendum, quod Judæi in pronuntiatione *Amen* nimis sint superstitiosi. Unde, quemadmodum inter illos, interprete *D. Pfeiffero, Dubb. Vex. p.* 946. in vulgus notum, *in vitio ponunt triplex* Amen, *scil.* Acceleratum, *quod accelerate & festinanter effertur, quasi cum* א *brevissimo & accentu in ultimo, veluti* אמן, *vel quod ante absolutam orationem præmature respondetur:* Amputatum, *a quo ultima litera* ן *in pronuntiatione quasi succisa & amputata est, ac si diceretur* Ame: Pupillare *denique, quod præcedente benedictione, ceu patre, caret, quando scilicet quis inconsiderate & animo aberrante respondet* Amen, *non ad præviam Sacerdotis benedictionem, vel orationem, sed ad populi murmura. Hæc diversa vocis* Amen *pronuntiatio fructu & effectu caret, immo pœnam secum trahit neglectæ attentionis & zeli intermissi. Id Hebræi judicarunt his verbis:* „ Quicun„ que respondet *Amen Pupillare*, ejus li„ beri erunt pupilli: *Acceleratum*, ejus „ dies accelerabuntur, vel celeriter tran„ sibunt, qui vero protensa pronuntiatio„ ne effert *Amen*, ejus dies & anni pro„ longabuntur. *Lightf. H. H. ad Mt.* 6. *pag.* 302. existimat, Amen publice saltim adhibitum esse in Synagoga, ubi responsum sit a populo Amen ad preces fusas a Ministro; Itemque domi patrifamilias benedicenti, aut oranti a suis; At rarius, aut nunquam privatum quendam orantem suismet precibus illud subjunxisse, unde & factum putat, ut Christus publicaturus orationem Dominicam adjiceret *Amen*, quod apud *Lucam*, ubi privatim eandem recitarit, omiserit, cui tamen sententiæ, cum Christus ad Magistrorum se παράδοσιν nunquam accommodaverit, non subscribimus. Formulam Α᾽μὴν λέγω ὑμῖν involuere juramentum, ex Veteribus volunt *Gregor. Nyssen. Theophyl. Chrysost. Œcumen.* alii; Ex Recentioribus *Sam. Petit. Var. Lect. cap.* 17. *Nullus*, inquit, *dubito, ista esse repetenda e juramentorum formula. Nam judex adjurabat, qui jurabat, respondebat* Amen. *Quare cum dicit Christus,* Α᾽μὴν λέγω ὑμῖν, *idem est, ac si diceret:* Juratus vobis dico. Idem statuit *Ludov. de Dieu ad Mt.* 5. 28. Sed enim, rem si accurate perpendamus, his verborum ambagibus facile supersedere interpretes illi poterant. Multa sciunt aliqui linguarum notitia probe tincti, sed quod sciunt, non sciunt distincte, cum tamen una sæpe numero distinctio omnem rem expediat. Quapropter, qui Philosophiam Linguarum addunt studio, optime sibi consulunt, majorum more, ab soliditate, perspicuitate, ordine, tantum non omnibus, se commendantium. Hoc dum cogitamus, in mentem venit, Α᾽μὴν spectari posse (1) extra contextum, in se ac in thesi, ubi valet idem, quod ἀληθῶς, ut apud LXX. *Senes*, πεπιστευμένως, quo sensu *Suidas* & *Aquila* accipiunt, ἀληθῶς, ἐπ᾽ ἀληθείας, *certe, vere, in veritate*, ut ipsi *Scriptores* interpretantur *Sacri* (2), intra contextum, accidentaliter & in hypothesi, quando significationes assumit, quas circumstantiæ textus & vocum positus postulant. Tum quandoque *formula optandi* est, 1. *Reg.* 1. 36. *Psalm.* 72. 19. 1. *Chron.* 16. 36. Unde clara olim voce universi clamabant Α᾽μὴν, 1. *Cor.* 14. 16. Post preces absolutas & gratiarum actiones πᾶσα ἐκκλησία fauste conclamabat; Α᾽μὴν, *fiat, utinam fiat*, γένοιτο, γένοιτο, quomodo LXX. *Senes*, *Ps.* 72. & alias vertunt, ita ut desiderii vehementiam significet, quod Patribus Græcis, *Just. Martyri* & *Cyrillo* non displicet. Hunc significatum subinvoluit, quando jusjurandum denotat, ut LXX. *Viri* mulieris verba *Num.* 5. reddunt; γένοιτο, γένοιτο. Quamvis enim dantur, qui non juramenti religionem, sed tantummodo asseverationem, corroborationem & sermonis confirmationem Hebræis significare, putant, exempla tamen in contrariam partem ab Orientalibus adducuntur. Erat quoque *formula approbandi*, in Ecclesia præsertim Græca, cum Ministro, qui singulis cœnam distribuebat sacram, pronuntianti benedictionem, seu gratiarum actionem, ille qui panem benedictum & poculum accipiebat, responderet *Amen*. Vid. *Bynæum de M. C. l.* 1. *cap.* 3. *p.* 330. hanc in rem verba *Chrysostomi* ad *Ps.* 106. allegantem. Ut brevis sim, *formula* modo *juramenti* est, modo *votiva*, modo *approbativa*, *confirmativa*, *assertiva*, *contestativa*, *asseverativa*, atque sic amplius, quod ex συναφείᾳ textus dijudicandum. Quando formula sigillatim *l. c.* spectatur *materialiter*, ratione certitudinis & veritatis, ac *objective*, tum cum juramento pari passu ambulat. *Formaliter* vero

vero juramentum stricte sic dictum dici nequit. Tum potius ad vehementem accedit asseverationem, quandoquidem *Scriptoribus Sacris*, LXX. *Senibus*, *Aquilæ*, *Suidæ*, *Græcis Patribus*; Ἀμὴν, ἀληθῶς, ναὶ, ἐπ' ἀληθείας, ἀμετακινήτως, πεπιςευμένως prorsus quandoque ἰσοδυναμοῦντα sunt. Hæc autem dicendi ratio; Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀληθῶς λέγω ὑμῖν, ναὶ λέγω ὑμῖν, ἐπ' ἀληθείας λέγω ὑμῖν, quantum quidem ego judicare possum, est insolita, nemini alias, præter Christum, usitata, eo sensu eminente & ἐξοχικῶς. Sicut enim ἐπ' ἀληθείας λέγω ὑμῖν priorum formularum commentarius & κατήχησις censetur; Ita quævis earum implicat *Objectum*, rerum prolatarum certitudinem, efficaciam, veritatem, *Subjectum*, infallibilem & veracissimum Dominum, qui est in Abstracto ἀλήθεια, Deus veritatis, *Jes.* 65. 16. ὁ Ἀμὴν, *Apocal.* 14. 3. qui αὐτοπίςως & κυρίως, propria nixus autoritate, veritatis testis ὁ Ἀμὴν, ὁ μάρτυς, ὁ πιςὸς καὶ ἀληθινὸς, insuper ἀληθῶς, s. ἐπ' ἀληθείας, quæ voculæ prioris Ἀμὴν, uti diximus, perbrevis sunt & perspicuus commentarius, τὴν ἀλήθειαν, eamque cœlestem revelabat. Unde *Bynæus* notat, *a Johanne ideo repeti* Ἀμὴν, Ἀμὴν, *ut designetur sensus ille duplex: Ego* ὁ Ἀμὴν, *qui sum veritas*, *s.* ὁ Ἀμὴν, ὁ μάρτυς, ὁ πιςὸς καὶ ἀληθινὸς, *dico vobis*, *&* *iterum* Ἀμὴν, *vere*, *s. in veritate*, addo τὸ Ἀμὴν, idest, τὰ ἀληθινὰ, seu τὴν ἀλήθειαν, veritatem *vobis dico*, ratione simul *Subjecti*, *Modi*, *Objecti* dictionis habita. Vid. *Lightf. Harm.* IV. *Evan. P.* 2. *s.* 12. & *H. H. in Joh.* 1. 52. Id vero, quod Servator tam vehementer asseverat, sequentis est tenoris: *Ubicunque prædicatum*: εἰς μνημόσυνον αὐτῆς, *in memoriam ipsius*. Μνημόσυνον, emphatica vox, non simplicem, aut qualemcunque præteritorum recordationem importat, sed perpetuo duraturam, cum laudibus assiduis conjunctam, ita ut factum laudabile momento quasi marmoreo sit infigendum. Sic enim Priscis sonat זכרון, μνημόσυνον, *monumentum sepulchrale*, perpetuæ recordationis ergo in mortui laudem fixum & positum, μνῆμα, μνημεῖον & μνημεῖον, de quo *P.* III. de *Sepultura Christi* verba faciemus. Vid. interim de *Amen Pfeiff. Dubb. Vex. N. T. loc.* 43. *p.* 946. *Buxt. Lex. Talm. Fuller. Miscell. l.* 1. *c.* 2. & *Wagenseil ad Sota p.* 379.

REINERII VERWEY
DISSERTATIO
DE UNCTIONIBUS.

CAPUT I.

De variis Unguentorum generibus.

Etymologia vocis Ungere. Unguenti origo. Plautus, Persius, Horatius illustrati. Discrimen inter ἀλείφειν *&* χρίειν. Μύρον. *Incognitum Græcis antiquioribus. Unguentorum usus antiquissimus. Unctum, luculentum. Unctus, lautus. Unguentatus, mollis. Unguenta stricte dicta. Discrimen inter olea & Unguenta. Oleum pro Unguento. Arabia imprimis Unguentorum patria. Arabes teneri & molles dicti. Arabius odor. Indorum miranda olea. Myrrhodinum oleum. Ægyptiorum Unguenta adversus culices. Oleum Nardinum. Varium. Achæmenia Nardus. Costum Achæmenicum. Tyrius Nardus. Malobathrum Syrium. Unguenti Nardini confectio & præstantia. Locus D. Marci illustratus. Oleorum differentia. Cyprinum. Unguentum Baccarinum. Crocinum. Gleucinum. Myrrhinum. Myrrha Orontea, Achaica.* Στακτὴ. Πλαςὴ. *Foliatum Amaracinum. Sampsucum. Gellius illustratus. Cinnamominum Unguentum. Cinnamomus, avis nomen. Oleum Balsaminum. Apulejus illustratus. Opobalsamum. Justinus notatus.* Ξυλοβάλσαμον. Καρποβάλσαμον. *Amomum. Cardamomum.* Ἀμωμὶς *herba. Ambrosia. Narcissinum oleum. Irinum. Œnantinum. Rosaceum. Achanthinum.* Ὠμοτριβὲς. *Omphacinum. Megalinum. Telinum.* Τήλινον ἄλειφον. *Sambucinum. Unguentum Veneris. Balaninum. Oleum Regium. Jasminum. Casia odorifera. Notati qui Casiam & Cinnamum confundunt. Ladanum. Susimbrinum oleum* Διαπάσματα. *Italorum hodiernorum olea & Unguenta.*

UNde derivetur vox *Ungere*, certo non constat; in partes enim eunt Grammatici. Sunt qui autumant dici sic quasi *unum agere*, quia in unguento *misceantur* atque *uniantur diversa*. Aliis vero placet, hoc verbum origenem *ungui* debere, ut pro-

proprie idem ſit ac *ungue illinere*. Ab *ungo* autem venit *unguen*, vel *unguentum*: in quibus duobus vocabulis, quia U. poſt G. ponitur, ideo multi etiam *unguo* ſcribebant. Qui autem *ungo* malunt, eo nituntur, quod quando V. eſt in præſenti id etiam maneat in præterito: ut *volvo*, *volvi*; & hinc *Ungo* ſcribere jubent. Plura de his deſideranti ſuppeditabit *Velius Longus*, a quo hæc mutuati ſumus. Ab *uncto* etiam apud *Plautum* diminutive dicitur *unctiuſculum* pulmentum, ideſt, oleo conditum. Nam eo in Pulmentariis utebantur, ut refert *Plinius lib.* XIX. *cap.* IV. Hinc *Perſius* Sat. III.

Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.

Et *cœnare ſine uncto* apud eundem autorem *Sat.* VI. idem eſt, ac *obſonio condimentis perfuſo*. Et *Horatius* de arte:

Si vero eſt unctum recte qui ponere poſſit.

Pinguia fere, opinor, Condimenta, ut oleum, & intinctum, quod Græci dicunt ἔμβαμμα, intelligit. *Nam intinctus in oleo aut aceto, vel utroque, ut in acetariis.* Quemadmodum indicat *Voſſius*.

Græcis *Ungere* dicitur ἀλείφειν, ubi tamen obſervandum, aliud eſſe ἀλείφειν, aliud χρίειν, ſi proprie loqui velimus: χρίειν enim, ut in Gloſſis exponitur, eſt *linere*. Unde *quæ illinuntur*, vocantur φάρμακα ἐπίχριστα, quomodo etiam χρῖσμα μήλινον vocat *Dioſcorides*, quod oleum e citoniis *Plinius*. Hæc autem de ſpiſſioribus. At ἀλείφειν liquidis convenit, quibus aliquid perfundimus; qualem etiam diſtinctionem admittit *Athenæus*. *Unguentum* vero iiſdem μύρον dicitur, quamvis in vetuſtioribus eorum ſcriptis hæc vox non inveniatur. Id ideo factum eſſe multi exiſtimant, quod antiquiſſimis illis temporibus μύρα græcis fuere incognita; ita enim de unguentis ſcribit *Plinius lib.* XIII. *c.* I. *Quis primus invenerit non traditur, Iliacis temporibus non erant, nec thure ſupplicabatur*. Nimirum qualia poſteriori tempore fuerunt in uſu. Oleo ſimplici duntaxat utebantur, cui miſcebant e fruticibus odorem, præſertim roſa. Unde Roſaceum oleum laudat *Homerus* Iliad. *l.* XXIII. Et Venus Hectorem ῥοδόεντι χρῖεν ἐλαίῳ, *Roſaceo oleo inunxit*.

De hac igitur ſimplici unctione accipienda ſunt pleraque *Homeri*, & vetuſtiorum Græcorum loca, quippe quorum unguenta, ut & ea, quæ ex una tantum planta conficiebantur, proprie neque unguenta a Latinis, neque μύρα a Græcis dicta fuere, (ut ex ſeqq. ſatis clare apparebit). Ex eo itaque, quod *Homerus* nuſquam μύρου fecerit mentionem (quod etiam obſervat *Euſtathius* ad *Iliad.* ψ.) ſed ſimplicium tantum meminerit oleorum, recte concludere videtur *Plinius*, Iliacis temporibus ignota Græcis fuiſſe unguenta, utpote quorum notitia & uſus poſt bella demum Perſica ad eos pervenerit. *Athenæus* vero ſi conſulatur *lib.* XV. ubi prolixe egit de re unguentaria, contendit *Homerum* noviſſe Χρῆσιν τῶν μύρων, licet ἐλαίου vocem uſurpaverit. Quicquid ſit, *Homerus* non introduxit τοὺς Ἥρωας μύροις ἀλειφομένους. Antiquiſſimum tamen apud Judæos, Ægyptios, Syros, & Perſas unguentorum uſus fuiſſe, ſatis nos docent ſacræ literæ. *Joſephus lib.* II. *Antiq.* longe ante Iliaca tempora apud Judæos unguenta fuiſſe meminit, ſcribens: *Jacob*, qui teſte *Euſebio*, multis tempeſtatibus ante Trojanum bellum fuit, *miſiſſe in Ægyptum ad Joſephum filium ſuum*, *id temporis apud Pharaonem annonæ præfectum*, *inter cætera munera unguentum*. Idem autor in tertio ejuſdem operis, cum agit de purgatione tabernaculi & Sacerdotum, quam Moſes inſtituit, qui vixit juxta nonnullos ante CCCL. annos, quam Troja exciſa eſt, ita habet: *Purificavit autem & Tabernaculum & Sacerdotes hoc modo: ſumſit ſiclos quingentos, & totidem ireos Cinnamomi, & Calami* (quæ & ſuaviſſimi odoris erat ſpecies teſte *Plinio*) *priorum menſuram, & medietatem horum juſſit contuſam miſceri*, *oleique olivarum pondus menſuræ provinciæ*, *quæ dicitur Hin*, *duas chocas Atticas capiens*, *quibus permiſtis & coactis facta eſt arte unguentariorum unctio ſuaviſſima*. Ex quibus jam allatis Hebræos hujus rei autores fuiſſe credere haud abſurdum fortaſſe fuerit; quod tamen nos hac vice in medio relinquimus. Verum apud Perſas etiam ante Darium unguentum extitiſſe, teſtatur *Herodotus lib.* IX. ſcribens, Cambyſen (*proditores*) cum maximis donis miſiſſe ad Æthiopum Macrobiorum Regem, inter quæ unguenti alabaſtrum fuiſſe, Regem vero cum a legatis rationem confecturæ hujuſmodi unguenti didiciſſet, id penitus aſpernatum eſſe.

Fateri tamen omnino heic loci neceſſum eſt, non una eademque ratione hoc nomen uſurpari a ſcriptoribus. Nam non adeo incongrue per *unctum* denotabant ſæpius *luculentum quid* ſive *nitidum*, nonnunquam etiam hominem *lautum* ſeu *divitem*. Ita *Perſius* Sat. IV.

—— —— *uncta vixiſſe Patella.*
Semper:

Et *Horatius epist. lib.* I. describens hominem, qui nitidum & lautum convivium parare posset, de ξηροφάγοις, quibus cynica cœna apponitur, ita loquitur:

Accedes siccus ad unctum.

Conf. idem autor *epist.* XV.

Ubi quid melius contingit & unctius.

idest pingius, delicatius, sumtuosius. Sic alio in loco pro apparate condito cibo, & lauto convivio, opipare instructo hæc vox invenitur. Quod superius vidimus. Denique haud inusitatum fuit adhibere nomen *unguentatum* pro *molli*; ita *Senecam* hircosis unguentatos opponere legimus, cujus apud A. *Gellium lib.* XII. *c.* II. verba sunt: *Quidam sunt tam magni sensus Q. Enni, ut licet scripti sint inter hircosos possint tamen inter unguentatos placere.* Eodem etiam verbo P. Africanus apud eundem *Gellium lib.* VII. *c.* XII. mollissimum hominem significat: *Nam qui*, inquit, *quotidie unguentatus adversum speculum ornetur, cujus supercilia radantur, qui barba volsa, feminibusque subvolsis ambulet, qui in conviviis adolescentulus cum amatore, cum chiridota tunica interior accubuerit, qui non modo vinosus, sed virosus quoque sit, eumne quispiam dubitet, quin idem fecerit, quod cinædi facere solent?* Nos hic per unguenta intelligimus ea, quæ e multis odoribus fuere composita, proprieque & stricte ita olim dicta. *Habemus in hoc consentientem Dioscoridem, qui tractans de oleis*, inquit, *quod illa, quæ sine alterius rei additione fiunt, appellentur olea, reliqua vero omnia, quæ ex oleo, atque alia materia sint composita, unguenta.* Hinc igitur eorum odor suavissimus, de quo *Catullus* XIII.

Quod tu quum olfacies, deos rogabis
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

Interim nequaquam negamus, Scriptores de unguentis agentes sæpius *oleum* pro *unguento* nominasse. Cujus rei testis *Horat. lib.* II. *Sat.* VII.

——— ——— jusserit ad se
Mecœnas serum sub lumina prima venire
Convivam; nemon, oleum feret ocyus?

Faciunt huc etiam illa, quæ *Propertius lib.* III. *El.* XV. habet:

Lævis odorato cervix manabit olivo.

Cui jungatur *Apulejus Metam. lib.* IV. *nudati, & flammæ largissimæ vapore recreati, calidaque perfusi, & oleo peruncti, mensas dapibus largiter instructas accumbunt.* Porro ita heic loci de oleis & unguentis agemus, ut varia eorum genera ostendentes, simul multum ipsorum in sacris & profanis actionibus usum monstremus, ea tamen brevitate, quæ & talibus dissertationibus convenit, & legentium oculos nimia prolixitate non offendit.

Contueamur autem, antequam ad rem ipsam accedamus, quamnam regionem vel terram potissimum unguenta sibi patriam agnoscant; ubi ab omnibus fere autoribus præ cæteris *Arabiam* commemoratam ac laudatam invenies. Ita enim de *Arabicis odoribus* canit *Statius Sylv. lib.* V.

——— Dites nec sic ubi rara Sabæi
Cinnama, odoratas nec Arabs decerpsit aristas.

Cui quoque sententiæ assentientem vides *Tibullum lib.* IV.

Possideatque metit quidquid bene olentibus arvis
Cultor odoratæ dives Arabs segetis.

Idem autor alibi:

——— ——— urantur odores
Quos tener e terra divite mittit Arabs.

Eodem modo alii Arabem *mollem* dixerunt, quo heic *Tibullus tenerum*. Sic enim eorum mollitiem & varios odores indicat *Manilius* in IV.

Nec procul in molles Arabes, terramque ferentem
Delicias, variæque novos radicis odores.

Plautus vero in Pænulo *Arabium* odorem dixit: *Arabius myrrhinusque odor omnia complebat.* Et *Ovid.* in Epist. *Sapphus* ad *Phaonem*:

Non Arabo noster rore capillus olet.

Ubi tamen observandum, Veteres non tantum Arabum unguentis dedisse *roris* nomen, sed & aliis: inde opinor, quia capillorum ornatrices unguenta stillabant, & quasi *rorabant*, quod videre est ex illo *Tibulli lib.* III.

Stillabat Tyrio myrrhea rore coma

Sed transeamus ad Græcos, & perpendamus num & illi Arabiæ unguenta originem debere dicant. *Herodotum* hoc fecisse

cisse indicant ejus verba *lib.* III. Πρὸς δ' αὖ μεσαμβρίης ἐσχάτη Ἀραβίη τῶν οἰκεομένων χωρέων ἐστί. Ἐν δὲ ταύτῃ λιβανωτός τε ἐστι καὶ μούνῃ χωρέων πασέων φυόμενος, καὶ σμύρνη, καὶ κασσίη, καὶ κιννάμωμον, καὶ λήδανον. *Ad meridiem ultima e regionibus, quæ habitantur, Arabia est, in qua sola omnium nascuntur thus, myrrha, Casia, Cinnamomum, & Ledanum.* Et idem autor alibi de Arabia: Ἀπόζει δὲ τῆς χώρης τῆς Ἀραβίης θεσπέσιον ὡς ἡδύ, i. e. *Redolet Arabica regio mirifice jucundo quodam odore;* quibus assentit *Lucianus* in libro, quem inscripsit de Dea Syria: Ἀπόζει δὲ αὐτοῦ ὀδμὴ ἀμβροσίη, ὁκοίη λέγεται τῆς χώρης τῆς Ἀραβίης. Cujus est sensus: *Odorem autem divinum spirat, qualem Arabica regio fertur spirare.* Ex quibus hactenus adductis, satis, spero, apparet vetustus unguentorum mos eorumque primaria origo. At instituti nostri memores, unguenta ipsa considerabimus, & quid circa illa observatum olim fuerit, quantum quidem ex veterum & recentiorum scriptorum monumentis observare nobis licuit, videbimus.

Primo itaque occurrit unguentorum diversum genus. Ea enim non unius fuisse generis nemo facile inficias ire poterit; itaque non est, ut operose hanc rem probare conemur. De multis ac variis Indorum oleis miranda refert *Photius* in *Ctes. Excerpt.* Indicis: Ὅτι λίμνη ἐστὶν ἐν αὐτοῖς, σταδίων ὀκτακοσίων ἡ περίμετρος, ἐν ᾗ ἀνέμου μὴ πνέοντος ἐπάνω τῆς λίμνης ἔλαιον (ὡς τὸ ἡμέτερον) ἐφίσταται· καὶ πλοιαρίοις πλέοντες διὰ αὐτῆς, ἐκ μέσης αὐτῆς σκαφίοις τοῦ ἐλαίου ἀπαρύονται καὶ χρῶνται. Χρῶνται δὲ καὶ σησάμῳ. Καὶ τῷ καρυΐνῳ δὲ χρῶνται. Κρεῖσσον δὲ τὸ λιμναῖον, i. e. *Lacus est apud eos octingentorum stadiorum ambitum habens, cui quoties a nullo vento agitur, oleum (nostro simile) supernatat. Quod quidem ex ejus medio Scaphiis hauriunt, navigiolis per eum navigantes, atque eo utuntur; utuntur autem & oleo, & sesamo, & ex nucibus, sed præstantius est, quod e lacu illo hauritur.* Habuerunt & aliud oleum, quo sese inungebant, quodque e lacte conficiebatur, de quo in iisdem excerpt. Οἱ δὲ ἄνδρες οὐ λούονται μὲν, τὰς δὲ χεῖρας ἀπονίζονται. Ἐλαίῳ δὲ χρίονται τρὶς τοῦ μηνὸς, τῷ ἀπὸ τοῦ γάλακτος γινομένῳ, καὶ ἐκτρίβονται διφθέραις. *At viri se non lavant, sed manus duntaxat abluunt. Sed ter in mense oleo se ungunt, quod e lacte conficitur, & se pellibus abstergunt.* De mirabili quodam oleo ex verme confecto idem talia profert: Ἀγρεύσαντες δὲ, τριάκοντα ἡμέρας κρεμῶσιν αὐτὸν, καὶ ἀγγεῖα ὑποτιθέασι. Καταρρεῖ δὲ ἐξ αὐτοῦ ὅσον δέκα κοτύλας Ἀττικὰς τὸ πλῆθος. Ὅταν δὲ παρέλθωσιν αἱ τριάκοντα ἡμέραι, ἀπορρίπτουσι τὸν σκώληκα, καὶ τὸ ἔλαιον ἀσφαλισάμενοι, ἄγουσι τῷ βασιλεῖ μόνῳ τῶν Ἰνδικῶν. Τοῦτο τὸ ἔλαιον (ὡς πῦρ) ἐφ' ᾧ ἂν ἐπιχυθῇ ἀνάπτει, καὶ καταφλέγει ξύλα καὶ ζῶα. Καὶ ἄλλως οὐ σβέννυται εἰ μὴ πηλῷ πολλῷ τε καὶ παχεῖ. *Ubi ceperunt, per triginta dies suspensum, vasis suppositis relinquunt: intra quod tempus ex eo distillant, quæ decem Cotylas Atticas implere possint. Elapsis triginta diebus ipsum vermem abjiciunt, oleum autem adhibitis custodibus ad solum Indorum regem mittunt. Oleum hoc, id, cui superfusum fuerit, accendit, & ligna pariter animaliaque comburit, soloque luto, eo quidem crasso, extingui potest.* Paucis postea interjectis fragrantissimum quoddam oleum, Myrorhodinum nomine, cujus odor ad quinque stadia pervenit, ita describit: Ὅτι ἐστὶ δένδρα ἐν Ἰνδοῖς ὑψηλὰ ὥσπερ κέδρος ἢ κυπάρισσος, τὰ δὲ φύλλα ὥσπερ φοίνιξ, ὀλίγον πλατύτερα. Ὀνομάζεται δὲ Ἰνδιστὶ μὲν Κάρπιον, Ἑλληνιστὶ δὲ μυρόροδα. Ῥέουσι δὲ ἐξ αὐτῶν ἐλαίου σταγόνες, ἃς ἐρίῳ ἀναψῶντες ἀπὸ τοῦ δένδρου, ἀποπιέζουσιν εἰς ἀλαβάστρους λιθίνους. Ἐστὶ δὲ τὸ μὲν χρῶμα, ἀτρέμας ὑπέρυθρον καὶ ὑποπαχύ, ὄζει δὲ πάντων ἥδιστον. Ὄζειν δὲ φασὶν αὐτὸ καὶ ἐπὶ πέντε σταδίους. Quæ verba ex versione ita legimus: *Habent Indi arbores Cedro aut Cupresso proceritate pares, quarum folia Palmæ foliis paulo latiora, alioqui sunt similia; Nomen illis est Indicum, Carpion. Græcum vero Myrorhoda. Ex illis olei guttæ distillant, quas lana arbori impressa excipientes, in lapideos Alabastros, illam exprimendo, infundunt. Est autem id subrubrum, & crassiusculum, adeoque fragrans, ut ad quinque stadia ejus odor perveniat.* Sed hæc de Indis sufficiant. De veterum Ægyptiorum unguentis, quibus adversus culices sunt usi, talia scribit *Herodotus* in *Euterpe:* Ἀλείφατι δὲ χρέωνται Αἰγυπτίων οἱ περὶ τὰ ἕλεα οἰκέοντες, ἀπὸ τῶν σιλλικυπρίων τοῦ καρποῦ, τὸ καλεῦσι μὲν Αἰγύπτιοι κίκι. Ποιεῦσι δὲ ὧδε. Παρὰ τὰ χείλεα τῶν τε ποταμῶν καὶ τῶν λιμνέων σπείρουσι τὰ σιλλικύπρια ταῦτα. Τὰ γὰρ ἐν Ἕλλησι αὐτόματα ἄγρια φύεται, ταῦτα ἐν τῇ Αἰγύπτῳ σπειρόμενα, καρπὸν φέρει πολλὸν μὲν, δυσώδεα δέ. Τοῦτον ἐπεὰν συλλέξωνται, οἱ μὲν κόψαντες ἀπιποῦσι. Οἱ δὲ καὶ φρύξαντες ἀπέψουσι, καὶ τὸ ἀπορρέον ἀπ' αὐτοῦ συγκομίζονται. Ἐστὶ δὲ πῖον, καὶ οὐδὲν ἧσσον τοῦ ἐλαίου τῷ λύχνῳ προσηνές. Ὀδμὴν δὲ βαρέαν παρέχεται. Πρὸς δὲ τοὺς κώνωπας ἀφθόνους ἐόντας τάδε σφι ἐστὶ μεμηχανημένα. e. i. *Ægyptii qui Palustria accolunt, unguento utuntur ex fructu Sillicypriorum, quod appellant Ægyptii Kiki, hunc in modum conficientes. Sillicypria hæc, quæ apud Græcos ultro nascuntur, ad oras fluminum stagnorumque serunt, multum quidem fructum ferentia, sed graveolentem. Hunc ubi collegerunt, alii contusum ad ignem, alii in sartagine coquunt &* quod

quod ex eo defluit excipiunt, pingue quiddam, & non minus ad Lucernas idoneum, quam oleum, sed graveolentiam exhibens. Sunt autem adversus culices, quorum magna vis est, hæc ab iis excogitata.

Sed ne in remotioribus diutius justo detineamur, redeamus ad propiora & intueamur, quæ olea ac unguenta inter ipsos Græcos ac Romanos in usu fuerint. Si eorum Scriptores perscrutamur, nullum certe inveniemus *Nardino* vel præstantius vel laudabilius: quod pro varietate loci, ubi nascitur, varia quoque nomina induit. *Horatius lib.* II. *Od.* XI. *Nardum Assyriam* dixit; ubi Assyria pro Syria ponitur, non quidem, quod in Syria semper Nardus nascatur, sed quod montis, in quo oritur, pars una ad Syrios, pars altera ad Indos flectatur; unde etiam iterum nomen mutat, ac *Nardus Indica* dicitur. Vid. *Dioscorid. lib.* I. Eadem ratione Nardus, quæ in Persia oritur (vel fortassis eadem in regione, qua Syria, Persiam tamen propius adjacente) *Achæmenia* ab *Horatio* vocatur, id est, Persica, Achæmenes enim Persarum rex fuit, a quo hoc nomen ortum traxit. Ita enim habet in *Epod. Od.* XIII.

Nunc & Achæmenia
Perfundi Nardo juvat.

Iterum vero deposito nomine *lib.* III. *Od.* I. ab eodem rege vocatur *Costum Achæmeneum Tibullus* vero *lib.* III. *El.* VI. *Tyrium* Nardum pro *Syrio* dixit; vel quod in Tyriorum regione Nardus nascebatur, vel potius quod Tyrus, ut quidam volunt, in Syria fuerit sita: odores enim laudatissimi, & omnis copia narium (uti *Horatius* loquitur) e Syria. Hinc, ut supra dictum est, Assyriæ Nardi. Idem *Horatius* etiam alibi *Syræ mercis* commeminit, quum unguentum intelligi vellet *Malobatrum*, quod ab eo *lib.* II. *Od.* VII. *Syrium* appellatur, quia (ut vult *Douza*, & *Vossius*) *e Syria* mari mediterraneo in Græciam atque Italiam portabatur. *Scaliger* vero *exercitat.* CXLVI. §. II. autumat, ita dici non a natalibus, sed officinæ loco; quemadmodum calamus Aromaticus a Græcis quidem κάλαμος Συριακός, a Romanis vero *Alexandrinus* dicebatur, quia ad illos *e Syria* ad hos *Alexandria* apportaretur. Vult autem *Dioscorides lib.* I. *cap.* XI. & *Scaliger* in notis ad *Propertium*, *Malobathrum* in Indicis paludibus nasci. Hinc *Vossius* arbitratur, *Indicam* esse appellationem, forte ex *Tamalabathra*, quomodo *folium Indicum* ab Indis hodie vocatur. Alii autem volunt, *Malobathron* Indis dici *Bathron*, & crescere in loco Indiæ hodie dicto *Malabar*, indeque vocem formari *Malobathron*. Plura vide sis apud *Matthiolum* ad *Dioscorid.* Verum non hic omittendam duco Nardi præstantiam, quam vel hinc colligere licet, quod ex variis oleis inter se commixit *Omphacino*, *Balsamino*, *ligno balsami*, *flore junci odorati*, *calamo odorifero aromatico*, *amaraca*, *costo*, *amomo*, *nardo*, *cassia odorata*, *fructibus balsami & myrrha* constiterit: qui vero illud pretiosissimum reddere volebant, adjungebant *Cinnamomum*. Conf. quæ habet *G. Du Choul in tractatu de Balneis*. Hinc igitur non miremur, quod Marcus Evangelista his verbis eam indicet: Νάρδου πιστικῆς πολυτελοῦς, cujus etiam pretium ostendit, dum paulo post discipulos ita loquentes introducit: Ἠδύνατο γὰρ τοῦτο πραθῆναι ἐπάνω τριακοσίων: quo pretio *Plinius* etiam nardum æstimat. Causam vero tanti pretii indicat ætatis suæ decus *Is. Casaubonus exercitat.* XIV. *quod nempe illis temporibus unica fuerit urbs Laodicea, quæ unguentum hujusmodi cum laude effecerit. Nec multo ante Galeni tempora in aliis etiam urbibus cæperit fieri, quod commendaretur.* Imprimis vero admiratione dignum, quod interpres Syrus, qui sæpius voces, quæ significatione prima Græcæ essent, ex usu ejus temporis servavit, hanc tamen immutarit: & potius sensum, quam vocem expresserit. Nam *unguenti caput* dixit, quo ipso eleganter certe præstantiam significavit hujus unguenti. Quemadmodum etiam Hebræis שמן ראש dicitur, quod caput est unguenti; & Germanis Haupt-Salbe. *Theophylactus* vero ἄδολον interpretatus est: ingeniose profecto: Nardum enim puram ἀψευδῆ antiquis dictam fuisse, alibi jam ostenderat, & sane περὶ τὸ δολοῦν τὴν νάρδον, quæ τῇ πιστικῇ sive ἀληθεῖ opponitur *lib.* I. *cap.* VI. egit *Dioscorides*. Eandem quoque præstantiam respicit *Horatius*, quum cadum integrum vini optimi exiguo Nardi vasculo elici posse ait. *Lib.* IV. *Od.* XII.

Nardi parvus onyx eliciet cadum.

Sed pergamus ad reliqua & consideremus, quæ præterea olea usurpaverint delicatæ mentes. Quædam olea illorum *e floribus* composita erant, sicut *Rhodinum*, *Lirinum*, aut *Cyprinum*, quod posterius conficiebatur ex flore cujusdam arboris *Cyprus* dicta, florem album ac valde odoriferum gerentis, ut testatur *Dioscorid.* Hæc arbor in plurimis provenit locis, potissimum vero in insula Cypro, unde, ut arbitror, ipsi nomen datum.

De unguento *Baccarino* apud *Aristophanem* fit mentio, cujus herba dicitur *Baccar*, florem ferens purpurei coloris. De

quo

quo oleo multa apud Comicos, & præcipue *Hipponacem*, ita alicubi loquentem: Βακκάρει δὲ τὰς ῥῖνας ἤλειφεν. *Æschylus* autem differentiam videtur posuisse inter Baccarinum & alia unguenta, cum ait: Ἐγώγε τὰς βακκάρεις τε καὶ μύρα. *Peto baccarinum & unguenta.*

Habebant etiam *Crocinum* unguentum, quod ex aromatis fiebat & Croco in oleo macerato, ut ait *Diosc. lib.* I. dicitur a Croco Crocinum, ut ab Amaraco Amaracinum.

Habuerunt quoque *Gleucinum* & *Mirrhinum*; prius Græci dixerunt γλεῦκος; quod *Columell. l.* XIII. *cap.* L. componi vult e simplicibus odoriferis, & *Plinius lib.* XXIII. oleum illud inter artificialium species collocat. *Myrrhinum* vero compositum erat ex myrrha; illa autem præ cæteris melior, quam *Oronteam* dixere, non (ut vult *Scaliger*) quod *in Syria* nasceretur, sed quia *Antiochiam*, eo tempore totius orientis celeberrimum emporium, Camelis deferretur. De hac *Propert. lib.* I.

> *Aut quid Orontea crines perfundere myrrha.*

Legimus etiam de Achaica myrrha, sive Græca, i. e. quæ in Cilicia & Amano monte, juxta *Vossii* sententiam, proveniebat, apud *Columell.* cujus verba ita sonant.

> *Et lacrymas imitata tuas Cinyreja virgo*
> *Sed melior stacte ponatur Achaica myrrha.*

Hoc myrrhinum unguentum alio nomine στακτὴ dicitur; quare quando Latini myrrhæ, hoc est, myrrhini unguenti meminere, *Stacten* intelligunt ut ex loco jam e *Propertio* adducto satis paret. Hoc vero unguentum e *sola myrrha* factum est, ut ait *Athenæus*. Quid autem Στακτὴ sit, docet *Theophrastus* libello περὶ ὀσμῶν; ubi tamen etiam *ex cinnamomo* fieri scribit: Ἐκ κινναμώμου, inquit, καὶ ἐκ σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον ῥεῖ. Στακτὴ δὲ καλεῖται διὰ τὸ μικρὸν στάζειν. Idem quoque præter *Theophrastum* affirmat *Dioscorid. l.* I. *cap.* LXXV. Errat itaque *Plinius l.* XII. *cap.* XV. ita de Myrrha arbore inquiens: *Sudant sponte, priusquam incidantur, stacten dicta*. Ex quibus satis apparet, putasse *Plinium* Stacten fluere ex myrrhæ arbore, non autem ex myrrha jam cæsa. Usus etiam hac voce *Plautus in Curcul. Act.* I. *Sc.* II.

Tu stacte, tu cinnamomum, tu rosa, tu crocinum, & casia es. Et *Lucret. lib.* II.

> *Sicut amaracini blandum stactæque liquorem.*

Aliud etiam quiddam ex myrrha confici, quod tamen oleum proprie dici non potest, quippe durius sicciusque, πλαστὴ dictum, indicat locus *Theophrasti in Hist. Plant. lib.* IX. *cap.* IV. Τῆς σμύρνης ἡ μὲν στακτὴ, ἡ δὲ πλαστή. Πλαστὴ igitur erit, quæ in offulas & pastillos fuit convoluta; id enim Græci dicunt πλάσσειν & ἀναπλάσσειν. Unde etiam ipsi nomen, testante *Vossio*. Ad suffitum ergo magis idoneum videtur, quam ad unguendum.

Alia præterea unguenta fiebant ex *herbarum foliis*, veluti *foliatum*, quod nomen suum accepisse creditur, quod constiterit ex foliis Nardi, costi &c. teste *Plinio lib.* XIII. *cap.* I. cujus etiam meminit *Martialis* in Apophoretis. *Amaracinum*, quod erat ex Amaraco vulgo *Majoran* apud *Belgas* dicto. Syris vero & Ægyptiis *Sampsucum* dicebatur, de quo *Plinius lib.* XXI. *cap.* XI. *Amaracum*, inquit, *Diocles medicus & Sicula gens appellavere, quod Ægyptus & Syria Sampsucum*. Quod idem *Dioscorides* affirmat, dum σάμψυχον a *Cizycenis* & *Siculis amaracum* vocari ait; vid́emus igitur *Amaracum* & *Sampsucum* idem fuisse, quod tamen *Artemidorus Oneirocriticῶν l.* I. *c.* LXXIX. hac sua distinctione debilitat: inquiens: σισυμβρίου δὲ, καὶ ἀμαράκου, καὶ λαπάθου, φρυγίου, καὶ ἐλενίου, καὶ ἀνεμώνης, καὶ σαμψύχου στεφάνους ἀναδεῖσθαι, πᾶσι πονηρὸν, i. e. *ex Sisymbrio autem, & Amaraco, & Rumice, & Phrygio, & Helenio, & Sampsuco coronas circumdatas habere, omnibus malum est.* Erit igitur Sampsucinum oleum juxta *Plinium & Diosc.* idem, quod Amaracinum, cujus meminit *Lucretius lib.* VI.

> *Denique Amaracinum fugitat sus, & timet omne*
> *Unguentum. Nam setigeris subus acre venenum est.*

Ex quo etiam loco lucem haurit *Gellii* illud: *Vetus adagium est, nihil cum fidibus graculo, nihil cum Amaracino sui*. Optimum inveniebatur hoc unguentum in insula Coo, & præcipue hyberno tempore etiam utile erat, atque hinc illis, qui frigidas incolebant regiones.

Quædam porro unguenta componebant *e radicibus ac corticibus arborum*, ut ex Cinnamo, vel Cinnamomo *Cinnamominum*, cujus fruticem ita describit *Plinius lib.* XII. *cap.* XIX. *ipse frutex duum Cubitorum altitudine amplissimus palmique minimus*, IV. *digitorum crassitudinis, statim a terra sex digitis surculosus, arido similis.*

Cum

Cum viret, non odoratus, folio origani, siccitate gaudens, sterilior imbre, cæduæ naturæ. Gignitur in planis quidem, sed densissimis in vepribus, rubisque, difficilis collectu. Metitur non nisi permiserit Deus. Sed & Regionem ubi crescat Cinnamon eopse capite indicat. *Cinnamomon, idemque Cinnamon nascitur in Æthiopia Troglodytis connubio permixta.* Pro optimo vero Cinnamo habetur, quod appellatur *Mosylicum*, de quo consulas *Dioscoridem* & *Oribasium*. Dignissima autem notatu sunt, quæ de ejus collectione refert *Herodotus lib.* III. *cap.* CXI. Ὅπου γὰρ, inquiens, καὶ ἥτις μιν γῆ ἡ τρέφουσά ἐστι, οὐκ ἔχουσι εἰπεῖν· πλὴν ὅτι λόγῳ εἰκότι χρεώμενοι. Ἐν τοῖσι δὲ χωρίοισι φασί τινες αὐτὸ φύεσθαι ἐν τοῖσι ὁ Διόνυσος ἐτράφη. Ὄρνιθας δὲ λέγουσι μεγάλας φορέειν ταῦτα τὰ κάρφεα τὰ ἡμεῖς ἀπὸ Φοινίκων μαθόντες, κιννάμωμον καλέομεν. Φορέειν δὲ τὰς ὄρνιθας ἐς νεοσσιὰς πεπλασμένας πηλῷ πρὸς ἀποκρήμνοισι ὄρεσι ἔνθα πρόσβασιν ἀνθρώπῳ οὐδεμίην εἶναι. Πρὸς ὦν δὴ ταῦτα τοὺς Ἀραβίους σοφίζεσθαι τάδε. Βοῶν τε καὶ ὄνων τῶν ἀπογινομένων καὶ τῶν ἄλλων ὑποζυγίων τὰ μέλεα διαταμόντας ὡς μέγιστα, κομίζειν ἐς ταῦτα τὰ χωρία. Καὶ σφεαθέντας ἀγχοῦ τῶν νεοσσιέων, ἀπαλλάσσεσθαι ἑκὰς αὐτέων. Τὰς δὲ ὄρνιθας καταπετομένας αὐτῶν τὰ μέλεα τῶν ὑποζυγίων ἀναφορέειν ἐπὶ τὰς νεοσσιάς. Τὰς δέ, οὐ δυναμένας ἴσχειν, καταρρήγνυσθαι ἐπὶ τὴν γῆν. Τοὺς δὲ ἐπιόντας συλλέγειν οὕτω μὲν τὸ κινάμωμον. Quæ verba ita redduntur: *Quomodo, aut qua in terra gignatur, illud nequeunt dicere, nisi quod probabili ratione utuntur; quod quidam volunt id gigni in iis regionibus, ubi Dionysus educatus est: & ipsas Cinnamomi festucas afferri a grandibus quibusdam alitibus ad nidos e luto constructos in præruptis montium, & homini inaccessis. Contra quas hoc Arabes excogitarunt: boum asinorumque defectorum & aliorum jumentorum membra minutatim concisa in ea loca portant: & ubi juxta nidos posuere, procul abscedunt. Ad hæc frusta delapsæ volucres, ad nidos suos carnem comportant. Cui sustinendæ impares nidi ad terram discissi labuntur. Tunc ad eos colligendos accedunt. Hac ratione Cinnamomum ab illis legitur.* Unguentum autem ex eo confectum fuit pretiosissimum & maximi sumtus: non enim antiquitus ita fiebat, ut hodie apud nos, sed conficiebatur ex oleo Balsamino, e ligno balsami, & squinanto, (qui flos est junci odorati aromatici, secundum *Diosc.*) Cinnamomo, & balsami fructu: his admixtum quatuor vicibus tantum myrrhæ, quantum primo cinnamomi, & tantundem mellis, quantum sufficit ad omnia illa simul humectanda. Hodie vero tale unguentum conficere foret difficillimum, imo quasi ἀδύνατον; quia vero Cinnamomum, & quale hic describitur, plane hodie est incognitum, prout dicunt, qui aromata ex India petentes adferunt. Unde pro Cinnamomo hodie sumitur Cortex odoratus, nobis dictus *Caneel*. Præterea avis cujusdam, quam Cinnamomum quoque appellarunt veteres meminit *Philes* in his *Jambis:*

> Ὄρνις δ' ὁ Κιννάμωμος ὠνομασμένη
> Τὸ κιννάμωμον εὗρεν ἀγνοούμενον.

Fuit fortasse illarum una, de quibus modo scripsit *Herodotus*, quod Cinnamomum in nidos deferant: id enim quodammodo alter illustrat *Jambus*. Sed ut ad unguentum nostrum redeamus hujus Cinnamomi durabilitas observanda venit, quam summopere laudarunt scriptores, eo quod diutissime conservet a putredine, & odorem suum longo tempore non amittat. *Lucanus lib.* x.

> *——— ——— multumque madenti*
> *Infudere Comæ, quod nondum evanuit aura*
> *Cinnamon, externa nec perdidit aera terra.*

Admiranda vero de ejus durabilitate historia, quod nempe tale Cinnamum longissimo tempore post repertum fuerit in sepulcro Mariæ Stiliconis filiæ, conjugis Honorii Imperatoris, qua tradit *Andreas a Lacuna* a *Barthio* laudatus, quibus convenit quod canit *Papinius lib.* VI. *Thebaid.*

> *Tertius assurgens Arabum strue tollitur ordo*
> *Eoas complexus opes, incanaque glebis*
> *Thura, & ab antiquo durantia cinnama Belo.*

Quantum vero ad cætera olea; haud minoris quoque fuisse æstimationis *Balsaminum*, non est ut operose demonstremus: Satis enim id apparet ex *Apuleji verbis lib.* II. *Milesf. Licet omni Gratiarum choro stipata, & toto Cupidinum populo comitata, & baltheo succincta, cinnama fragrans, & balsama rorans calva processerit, placere non poterit nec Vulcano suo.* Quibus e verbis illud observare non erit indignum, quod quomodo *Servius* ad II. *Georg.* & *Isidorus lib.* XVII. *cap.* VIII. Balsamum arborem vocari ajunt, & succum ejus opobalsamum, hoc in loco tamen *Apulejus Dioscoridem* sit imitatus, cui balsamum est, tum liquor aromaticus, tum plan-

planta viti similis, & fragrantissimum illum odorem fundens. Nequaquam tamen negamus, liquorem illum differentiæ causa interdum vocari opobalsamum, idest, succum seu liquorem arboris; Nam ὀπὸς succus seu sponte, seu scarificatione ex vulnere vitro, lapide, osseisve cultellis inciso emanans. Testem in hac re se nobis offert *Plinius lib.* XII. *cap.* XXV. *Succus e plaga manat, quem* ὀποβάλσαμον *vocant, suavitatis eximiæ, sed tenui gutta. Dioscorides* quoque nunc ὀποβάλσαμον, nunc divisim ὀπὸν τȢ βαλσάμȣ vocat. *Plinio* autem est oleum balsaminum quod *Simeon Sethus* βαλσαμέλαιον appellat. *Justinus* vero opobalsamum pro ipsa arbore, balsamum vero pro succo posuit, ordine plane inverso; de arbore scribit: *In ea sylva est, & ubertate & amœnitate insignis; siquidem palmeto, & opobalsamo distinguitur.* Ac alibi: *Arbores opobalsami formam similem piceæ arboribus habent.* De succo autem ait: *Hæ arbores certo anni tempore balsamum sudant.* Improprie sane! Nam vocem ipsam ὀποβάλσαμον indicio esse, ac esse ὀπὸν τȢ βαλσάμȣ, quis est, qui non videat? ita usus est hac voce *Juvenal. Sat.* II.

—— hirsuta spirant opobalsama collo.

Et *Martial. lib.* XI. *ep.* XI.

Lassa quod hesterni spirant opobalsama drauci.

Similiter lignum arboris ξυλοβάλσαμον appellant *Servius* & *Isidorus* locis citatis, ejusque fructus καρποβάλσαμον dicitur apud *Dioscor.* & *Galenum.*

Sed & de *Amomo* aliquid dicamus, quippe cujus præstantia ex ipsa voce claret; nam ἄμωμος & ἀμώμυτος *irreprehensus, reprehensione major* Græcis dicitur. Amomum hoc erat uva ex Indica labrusca, vel potius (secundum *Lubin.*) frutex labruscæ similis in Syria & Armenia proveniens, cujus lignum ita in se convolveretur, ut uvam referret. Conferatur de eo *Dioscorid. lib.* I. *cap.* XIV. *Theophrast. Hist. Plant. lib.* IX. *cap.* VII. Hinc *Cardamomum* est, quod constat Cardamo & Amomo. Cardamum autem prope accedit ad Amomum. Hinc *Plinius lib.* XII. *cap.* XIII. cum superius de Amomo verba fecisset, de Cardamomo ita subnectit: *Simile his & nomine, & frutice Cardamomum semine oblongo.* Etiam ab Amomo dicitur ἀμωμὶς herba adeo similis amomo, ut quemadmodum *Dioscorid.* ait, hoc eo adulteretur.

Porro utebantur unguento, *Ambrosia* dicto, quod pereleganter describit *Athenæus Deipnosophist. lib.* IX. prout verba ejus emendavit *Is. Casaubonus:* Ἡ δ' Ἀμβροσία· ὕδωρ ἀκραιφνὲς, ἔλαιον, παγκαρπία. Ἅπερ ἔμβαλλε. *Est autem ambrosia aqua pura, oleum, & fructuum omne genus: hæc misce ad Ambrosiam:* Sed hæc de unguento Ambrosia; alias enim Ambrosiam fuisse deorum cibum, notum est omnibus, de quo tamen nobis hic sermo non est.

Narcissinum oleum est, quod fit e flore Narcissi, qui flos gravi suo odore torporem adfert, quod claris verbis innuit *Plutarchus Sympos. lib.* III. *probl.* I. Καὶ τὸν Νάρκισσον (ὠνόμασαν οἱ παλαιοὶ) ὡς ἀμβλύνοντα τὰ νεῦρα καὶ βαρύτητας ἐμποιοῦντα ναρκώδεις.

Irinum vero est ex Iridis radice; tempore *Plinii* in Pamphilia componebatur, indeque in Latium devehebatur; melius vero & fragrantius in Elide civitate Arcadiæ.

Sic *Œnanthinum*, quod est e flore vitis sylvestris. Carmani, ut *Possidonius* scribit, *Rosaceo* utebantur oleo, quia id credebant ebrietati resistere. Apud eosdem quoque mixtionem fieri olei *Acanthini*, quo Rex corpus suum fricari voluit, autor est *Theophrastus* etiam libro, quem de odoribus scripsit. Meminit olei cujusdam, Græcis ὠμοτελβὲς dicti, quod fieret ex olivis immaturis: Uti etiam oleo *omphacino* miscebatur ὀμφάκιον, i. e. succus uvæ immaturæ atque acerbæ, de quo videatur *Plin. lib.* XII. *cap.* XXVII.

De unguento *Megalino* mentionem facit *Dioscorides*, id appellans μεγάλειον. Vid. *lib.* I. *cap.* VI. quod *Plinius* Megalium appellat, ac vel a magnis viribus, vel ab ea μεγαλέȣ significatione, qua notat ejus magnificentiam, sive virium magnitudinem nomen accepisse indicat. Talia enim scribit *lib.* XIII. cap. I. *Telinum unguentum erat celeberrimum Menandri Poetæ Comici ætate. Postea multo successit propter gloriam appellatum Megalium. Athenæus* vero in XV. ab inventore Megallo, homine Siculo ita dictum esse affirmat. Cui etiam consentit Etymologus: Μεγαλεῖον ἐςὶ μύρον ἀπὸ Μεγάλȣ Σικελιώτȣ πρώτȣ ἑψόντος. Eadem etiam *Suidæ* sententia est.

Telinum autem unguentum, quod superius laudavit *Plinius*, sic a Telo maris Carpathii insula appellatum fuisse putat *Isidorus lib.* IV. *cap.* XII. qui tamen, cum hanc insulam nesciret, Delum pro Telo dixit. Digna sunt ejus verba ut audiantur: *unguenta*, inquit, *quædam dicuntur a locis, ut Telinum, cujus Julius Cæsar meminit, dicens: Corpus suavi telino ungimus. Hoc conficiebatur in insula Delo, quæ est una e Cycladibus.* Verum hæc sententia falsa

falſa videtur, ſi audiamus, quæ *Dioſcor. lib.* I. *c.* LVIII. de Telino docet; ibi enim τηλίνου σκευασίαν explicaturus, ſumere jubet τήλεως λίτρας ε. Ἐλαίου λίτρας θ. &c. Secundum *Dioſcoridem* igitur μύρον τήλινον dicitur, quia præcipua pars, ex quibus conficitur, eſt τῆλις, quod Latinis eſt *fænum Græcum*. Sic ſimiliter τήλινον ἄλευρον Græcis eſt *farina ex fæno græco* confecta. Sed hanc quoque ſententiam *Plinius* amplectitur *lib.* XIII. *cap.* I. *Telinum fit ex oleo recenti, cypero, calamo, meliloto, fæno græco, melle, melino, maro, amaraco.* Porro de telino unguento, (ut Græcos mittam) e Latinis talia loquitur *Tertullianus lib. de Pallio cap.* IV. *quod apud Omphalen balſamo, aut telino ſpero factum.*

Sambucinum oleum dicitur, quod confectum eſt ex ſambuco, Belgis *een vlierboom*, oleum vero apud nos *vlierolie* appellatur, de quo vid. *Dioſcor.*

De *unguento Veneris* mentionem facit *Homerus*, quod ab ipſo κάλλος vocatur ὀδ. Σ. dictum quoque fuit κῦδος Ἀφροδίτης: ex quibus vero fuerit compoſitum, non conſtat. Aliqui affirmant eſſe Anchuſam; plures tamen Brenthium, aut Baccharin, quæ ſunt genera τῶν παχέων μύρων. Vid. *Heſychius*, qui hunc in modum Βρενθινὰ ῥιζάρια τινὰ οἷς ἐρυθραίνονται αἱ γυναῖκες τὰς παρειάς, οἱ δὲ ἀγχοῦσαν, οὐκ εὖ. Οἱ δὲ φῦκος παρεμφορτὲς κῦδη Ἀφροδίτης.

Addamus hiſce unguentis *Balaninum*, quod ita nominarunt veteres ἀπὸ τῶν βαλάνων, quas Latini glandes dixerunt, earum ſcilicet arborum fructum, quas glandiferas inde appellamus, qualis quercus, robur &c. Hanc Phœnicibus quoque Balanum dictam fuiſſe legitur apud *Plinium lib.* XIII. *cap.* IV. *In aliqua parte Phœnices, Ciliciæque populari etiam nomine a nobis appellantur Balani.* Ex glande itaque conficiebatur hoc unguentum, ſed glande unguentaria; βάλανος enim μυρεψικὴ intelligenda eſt, quam uno verbo μυροβάλανον vocat *Plinius lib.* XIII. *c.* XXI. ubi ſignificat, nomen huic Balano, ſive Glandi, ab unguento eſſe impoſitum, quia liquor ejus magis proprius & uſitatior eſſet in pretioſorum ac odoriferorum unguentorum compoſitionibus. Verba ejus hic apponam: *Myrobalanum*, inquit, *Troglodytis, & Thebaidi, & Arabiæ, quæ Judæam ab Ægypto diſterminat, commune eſt, naſcens unguento, ut ipſo nomine apparet.* Ea porro glans a diverſis regionibus ubi naſcitur & Æthiopica, & Arabica, & Syriaca nominatur. Quondam e regione Barbarica fuit allata; (quæ ſecundum eruditorum judicium Æthiopia fuit, aut pars ejus Troglodytis, quod *Plinii* ſententia paulo ſuperius adducta confirmare videtur) & utebantur liquore de carne ejus fructus extracto unguentarii, ut ſcribit *Galenus*. Optima autem ejus proprietas eſt, quod licet longiſſimo tempore conſervetur, nunquam tamen exſiccetur, unde etiam factum, quod humectaverint Myropolæ compoſitiones ſuas odoriferas hoc oleo Balanino; erant enim ſecuri illas conſervari poſſe, nil timentes temporum injurias. De hoc Myrobalano ſic περιφράζει. Martial. in *Apophor.* LV.

> *Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus*
> *Hoc ex unguento conſtat, & ex Balano.*

Præter hæc omnia, oleum *Regium*, Græcis βασίλειον dictum, magno quoque in pretio erat, quo utebantur Parthorum reges, ejuſque compoſitionem deſcribit *Plinius*. In Perſiæ quoque montibus inveniri nuces Perſicas, e quibus oleum conficiebatur Regium, autor eſt *Amyntas*. Meminit etiam *Herodotus* olei cujuſdam regii, quod (ut ſuperius monui) e verme fiebat. Alio tamen loco ita de eo ſcribit: τοῦτο δὴ τὸ ἔλαιον βασιλεῖ τῶν Ἰνδῶν κομίζουσι, σημεῖα ἐπιβάλλοντες ἔχειν γὰρ αὐτοῦ ἄλλον οὐδ᾽ ὅσον ῥανίδα ἐξεῖναι, i. e. *illud quidem oleum Regi Indorum apportant, vaſis obſignatis. Neque enim alii cuidam vel guttam illius poſſidere licet.* Jaſminum apud Perſas erat oleum ex albis floribus violæ, quod inter epulandum uſurpabant odoris cauſa, de quo egit *Dioſcorides lib.* I. *cap.* LXVI.

In unguentorum quoque compoſitionibus veteres *Caſia* utebantur, non illa, quam *Virgilius* in Bucolicis & Georg. apibus gratiſſimam dicit, ſed odorifera aromatica, cujus meminit *Plinius lib.* XII. cap. XIX. *Frutex & Caſia eſt, juxtaque Cinnami campos naſcitur, ſed in montibus, craſſiore ſarmento, tenue cute verius quam cortice, quem contra atque in cinnamo, levari, & exinaniri, pretium eſt.* Ex his conſtat *Plinii* ſententiam fuiſſe in Arabia hunc fruticem creſcere, quia juxta cinnami campos eum naſci dicit; At ubi Cinnamon naſcatur ſuperius ex ipſo jam vidimus. Qua etiam in ſententia conſentientem habet *Ariſt. hiſt. animal. lib.* IX. *cap.* XIII. Nec ignoravit hoc *Iſidorus lib.* XVII. *cap.* VIII. ſcribens *Caſia naſcitur in Arabia: virga robuſti corticis, & purpureis foliis, ut piperis. Eſt autem virtutis cinnamomi ſimilis, ſed potentia inferior, unde pro cinnamomi vice duplex ejus pondus in medicamentis admiſcetur.* Præterea ſunt, qui putant cinnamum ſive cinnamomum eundem ac caſiam eſſe fruticem,

cem, ſed errant; cum *Iſidorus* ipſi ſimilem duntaxat eſſe dicat, & *Plinius loco ſupra cit.* aperte diſtinguat: quod idem fecit *Perſius Sat.* VI.

> —— —— —— *urnæ*
> *Oſſa inodora dabit, ſeu ſpirent cinnama ſurdum*
> *Seu ceraſo peccent caſiæ, neſcire Paratus.*

Et Martialis:

> —— —— *Caſiaque cinnamoque.*

Odoris quidem ſuaviſſimi eſſe dicunt. Hinc Etymologus κασίαν dixit quaſi κοσμῦσαν διὰ τῆς ἐυοσμίας τὰς αἰσθήσεις, i. e. *ornantem ac reficientem ſenſus odoris bonitate.* Imo Caſiæ ſpeciem vel deteriorem in *Malabar* dici *Cais manis*, i. e. dulce lignum, propter maximam dulcedinem ac ſuavitatem apud Garziam legimus. Quomodo vero in Arabia caſia comparetur, oſtendit nobis inter alios *Herodotus* in Thalia, hunc in modum: *Caſiam autem ſic. Poſtquam ſibi cum cæterum corpus, tum faciem præter oculos obligaverunt, coriis aliiſque pellibus ad Caſiam pergunt. Ea naſcitur in palude non alta, circa quam, & in qua degunt feræ alatæ, veſpertilionibus ſimillimæ, ſtridore diro & viribus prævalentibus: quas ab oculis arcentes, ſic caſiam metunt.* At potius audiamus ipſum *Herodotum* Græca lingua loquentem: Τὴν δὲ κασίαν ὧδε. Ἐπεὰν καταδήσωνται βύρσῃσι καὶ δέρμασι ἄλλοισι πᾶν τὸ σῶμα, καὶ τὸ πρόσωπον, πλὴν αὐτῶν τῶν ὀφθαλμῶν, ἔρχονται ἐπὶ τὴν κασίην. Ἡ δὲ ἐν λίμνῃ φύεται ὀυ βαθέῃ. Περὶ δὲ αὐτὴν καὶ ἐν αὐτῇ αὐλίζεται κυ θηρία πτερωτὰ, τῇσι νυκτερίσι προσείκελα μάλιστα. Καὶ τέτρυγε δεινὸν, καὶ ἐς ἀλκὴν ἄλκιμα. Τὰ δὴ ἀπαμυνομένυς ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν, ὄυτω δρέπειν τὴν κασίην.

Interim non omittenda duco, quæ & idem autor paulo inferius ſcribit de pingui quodam roſcido, quod inſidebat herbæ, cui nomen *ladon* vel *ledon* (Græcis eſt λῆδον, unde etiam nomen roſcido illo *Ladanum*) ad multifaria unguenta conficienda utili, his verbis: Τὸ δὲ λήδανον, ὁ Ἀράβιοι καλέυσι λάδανον, ἐκ τύτυ θωυμασιώτερον γάρ. Ἐν γὰρ δυσοδμοτάτῳ γινόμενον ἐυωδέστατόν ἐστι. Τῶν γὰρ αἰγῶν τῶν τράγων ἐν τοῖσι πώγωσι ἐυρίσκεται ἐγγινόμενον, οἷον γλοιὸς ἀπὸ τῆς ὕλης. Χρήσιμον δ᾽ ἐς πολλὰ τῶν μύρων ἐστί. Θυμιῶσί τε μάλιστα τῦτο Ἀράβιοι, i. e. *At Ledanum (quod Arabes Ladanum vocant) etiam illo* (cinnamomo) *mirabilius comparatur, quippe quod in graveolentiſſimo loco naſcens, tamen fragrantiſſime olet. In barbis Hircorum invenitur innatum, veluti mucor ligni: cum ad conficienda multifaria unguenta utile, tum præcipue ad ſuffitionem, qua Arabes utuntur.* De hac herba eadem *Plinius lib.* XIII. *cap.* XXIII. inquiens: *Lada appellatur herba, ex qua fit Ladanum, in Cypro barbis caprarum inhæreſcens.* Et *Heſychius*: Λάδανον τὸ μὲν ἀπὸ τῶν πωγώνων τῶν αἰγῶν, καὶ τράγων. Τὸ δὲ ἀπὸ τῆς βοτάνης λῆδυ. His addam oleum *Siſymbrinum*, quo brachia confricabant, quodque fiebat ex Siſymbrio herba, ita dicta a Græca voce, σισύμβειον. Qua de re Varro. *Quæ in hortis naſcuntur, alia peregrinis vocabulis, ut Græcis ocymum, menta, ruta quam nunc πήγανον appellant. Item caulis, lapathium, radix. Sic enim antiqui Græci quam nunc raphanum. It. ex Græcis vocabulis* ἕρπυλλον, ῥόδον, *addita & commutata una litera, ſerpyllum, & Roſa. Item Græca* κοείανδρον, μαλάχη, κύμινον. *Item Latina, lilium* ἀπὸ λειρίυ, *& malva a* μαλάχη, *& Siſymbrium* ἀπὸ σισυμβρίυ. Sed hæc de variis Unguentorum generibus hactenus dicta ſufficiant. Plura ſi ſtudioſus lector deſiderat, inveniet ea apud *Dioſcoridem*, *Athenæum* & alios. Neque etiam hic quicquam de hodiernorum Italorum, Hiſpanorum, aliarumque Gentium unguentis & oleis addo, memor inſtituti mei, quo jubeor Gentilium Unctiones tantum conſiderare. Denique etiam pigmenta & ſiccas antiquorum compoſitiones, Græcis διαπάσματα dictas, *Plinio* teſte, ad exſiccandos illorum ſudores, qui balnea relinquerent inſervientes, ut deinde aqua frigida ſe lavarent, ſicco hic pede prætereo, quum alibi fortaſſis commodiorem, mea quidem opinione, locum hæc talia invenient.

CAPUT II.

De Unctionibus Sacris Gentilium.

Ungendi mos in conſecrationibus. Perſonæ ungentes. Pontifices. Statuæ unctæ. Per unctionem lapides Dii fieri credebantur. Aræ ungebantur. Formula in dedicando adhibita, non ſemper eadem. Statuis dedicatis nomina tituli que inſcripti. Statuarum origo. Statuæ dii nuncupatæ. Termini, cippi dicti. Unde? Termini uncti. Termini ſtipites & ſaxa. Termini Dii. Ἀνδριάντες στηλῶν, *ſtatuæ impolitæ. Bætylia. Gammati lapides. Moris informes lapides colendi origo. Moris inungendi lapides origo. Bætylus diverſis Diis dedicatus. Ubi ſiti termini? Cur Plauto Homerum Unctum & lana coronatum e ſua Rep. deduci cenſuerit? Quibus ritibus uncti Termini. Viatores colebant Terminos. Termini Agrorum præ-* ſides.

fides. Fructuum primitiæ Terminis oblatæ. Terminalia festa. Februarius ultimus anni mensis antiquis. Terminum intra tectum consistere nefas. Agna Terminis sacrificabant, pulte item ac Libo. Terminos loco movere impium. Termini muris circumsepiebantur. Certum agri spatium Terminis donatum. Cur? Diræ contra eos, qui res consecratas violarent. Imprecationes. Termini Lares Viales. Lar unde? Lares varii. Agricolæ & Ruricolæ Dii. Νόμιοι θεοί. *Arbores unctæ.*

POstquam varia hactenus Unguentorum genera consideravimus, videbimus nunc, quis in sacris actionibus unguentorum fuerit usus; nihil tamen dicturi de unctionibus Hebræorum cum Regum, tum sacerdotum, passim & in sacris literis, & in multis aliis interpretum locis, imo variis dissertationibus jam uberrime celebratis, sed vel ad ipsos Judæos autores, memoratas dissertationes curiosum Lectorem ablegantes, ea duntaxat, quæ ex veterum & recentiorum monumentis, de vetustinis Latinis ac Græcis observare nobis licuit, tractaturi. Certe si paulo altius rem intueamur, præ cæteris in rebus Diis consecrandis dedicandisque ungendi morem viguisse apparebit. In omni enim re Deo alicui dedicanda consecratio, ut constat, prius requirebatur, antequam illi sanctitas & religio accederet. Quod eleganter indicavit *Minutius Felix* de idolis ad Marcum fratrem: *Quando igitur hic nascitur?* (Deus sc.) *Ecce funditur, fabricatur, scalpitur. Nondum Deus est, ecce plumbatur, construitur, erigitur. Nec adhuc Deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur. Tum postremo Deus est, cum homo voluit, & dedicavit.* Quæ certe consecratio in omnibus rebus sacris studiose observabatur, v. g. statuis, terminis, aris, templis, arboribus &c. In illis vero consecrationibus, quanquam a diversis gentibus pro diversitate Deorum consecrandorum diversæ etiam subinde cærimoniæ adhibebantur; nihilominus tamen in universum præter Coronationes, preces, sacrificia, & adorationes, perficiebantur quoque per Unctiones.

In quibus ante omnia personæ ungentes sunt observandæ, a quibus nempe in consecratione unctio perficiebatur. Apud Romanos quidem consecratio fiebat, (cujus pars fuit unctio) per Pontificem, qui & ipse ut reliqui etiam Sacerdotes unguento perungebatur; de quibus evolvatur *Virgil. lib.* IV. *Æneid.* & *Stuck. f.* LV. Aderat vero aut adesse rite debebat in talibus cerimoniis non solus Pontifex, sed cum ipso plures, imo totum Collegium pontificum: Quod indicat *Cicero* in oratione pro domo sua contra *Clodium*, cujus verba sunt: *Pontifex*, inquit, *affuit. Non te pudet cum apud Pontifices res agatur, Pontificem dicere, non Collegium Pontificum affuisse: Præsertim cum Tribunus Plebis, vel denuntiare potueris, vel etiam cogere?* &c. ac paucis postea interjectis, ita pergit: *Hanc tu igitur dedicationem appellas, ad quam non Collegium, non honoribus Populi Romani ornatum Pontificem, non denique adolescentem quemquam, cum haberes in collegio familiarissimos, adhibere potuisti?* Non tamen omnes Pontifices, ex quibus constabat id collegium, semper aderant, sufficiebat enim, si plures adesse non possent, minor numerus; tres tamen, non vero pauciores, debuisse adsistere colligo ex verbis *Ciceronis* in *orat.* de *Haruspicum* responsis. Ubi ita infit orator: *De sacris publicis, de ludis maximis, de Deorum penatium, Vestæque matris Cærimoniis, de illo ipso sacrificio, quod fit pro salute populi Romani, quod post Romam conditam, hujus unius casti tutoris religionum scelere violatum est, quod tres Pontifices statuissent id semper populo Romano, semper Senatui, semper ipsis Diis immortalibus satis sanctum, satis augustum, satis religiosum esse visum est.* At horum Pontificum si dispiciamus ordinem ac dignitatem, nullus creabatur ex fæce vulgi, sed omnes Amplissimi viri, & in tali civitate celeberrimi, & conspicui, qui non solum adhibiti ad consecrationes rite faciendas, sed & res quæ male aut illegitime ab aliis consecratæ erant resecrandas, & omni religione liberandas; quod factum jussu Senatus ex autoritate, vel horum Pontificum responso per Prætorem Urbanum: Cuncta hæc non obscure meo quidem judicio apparent ex eodem autore, cujus verba oratione superius citata ita sonant: *At vero, meam domum P. Lentulus, Cons. & Pontifex, P. Servilius, M. Lucullus, Q. Metellus, M. Glabrio, M. Messalla, L. Lentulus, Flamen Martialis: P. Galba, Q. Scipio, C. Fannius, M. Lepidus, L. Claudius, Rex sacrorum: M. Scaurus, M. Crassus, C. Curio, Sex. Cæsar, Flamen Quirinalis: Q. Cornelius, P. Albinovanus, Q. Terentius, Pontifices minores, causa cognita, duobus locis dicta, maxima frequentia Amplissimorum, ac sapientissimorum civium adstante, omni religione, una mente omnes liberaverunt.* Vide ibidem plura. Hisce omnibus addendum etiam esse censeo, Plebis quoque Rom. consensum ac jussum fuisse requisitum; Quod tamen an semper obtinuerit ambigo; ex autore enim citato dubium oritur, talia proferente: *Video enim esse*

legem

legem veterem (antiquis igitur id tantum erat temporibus) *Tribunitiam*, *quæ vetet injuſſu plebis*, *ædes*, *terram*, *aram conſecrare*. Sed de perſonis Ungentibus hæc hactenus, quoniam ad reliqua ordo tranſire jubet.

Statuas nunc Deorum oleo perfuſas & nitentes videbimus. Nam, ut ſupra monuimus, non ſtatim poſt ſculpturam, numinis illius, cujus erant imagines iſtæ ſtatuæ, præſentia ipſis adeſſe credebatur; ſed unctione opus erat, ut per eam conſecrarentur, & poſt conſecrationem demum pro diis haberentur. Quam bene congruant hæc verbis *Arnobii*, quæ *l*. I. de ſemetipſo, ſed nondum ad Chriſtianiſmum converſo, loquitur, *ex ſeqq.* patet: *Lubricatum*, inquit, *lapidem*, *& ex olivi unguine ſorditatum*, *tanquam ineſſet vis præſens*, *adulabar*, *affabar*, *& beneficia poſcebam nihil ſentiente de trunco &c.* Notanda & hic ſunt *Auguſtini* verba *l*. XVI. *cap*. XXXVIII. *de Civit. Dei*, quibus indicat crediſſe veteres per unctionem lapides fieri Deos: *Nec more*, inquit, *Idololatriæ lapidem perfudit oleo Jacob*, *velut faciens illum Deum*. *Neque enim adoravit eundem lapidem*, *vel illi ſacrificavit*. De hac quoque ſtatuarum unctione elegantia ſane verba profert *Minutius Felix* de Idolis, ad *Marcum* fratrem, *Non boni viri eſt*, *Marce frater*, *hominem domi foriſque lateri tuo hærentem*, *ſic in hac imperitiæ vulgaris cæcitate deſerere: ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere: Effigiatos ſane*, *& unctos*, *& Coronatos*. Uti & *Lucianus* in Deorum Concilio: Ἀλλὰ ἤδη πᾶς λίθος, καὶ πᾶς βωμὸς χρησμωδεῖ, ὡς ἂν ἐλαίῳ περιχυθῇ, καὶ στεφάνους ἔχῃ, καὶ γόητος ἀνδρὸς εὐπορήσῃ, οἷοι πολλοί εἰσιν. Quæ ita reddidit J. Benedictus: *Sed jam lapis omnis*, *omniſque ara vaticinatur*, *quæ ſit oleo perfuſa*, *& coronas habeat: cuique vir præſtigiator ſuppetat*. Ex quibus verbis apparet, quod etiam aris unctio adhibita fuerit: Quod ſi vero quis dubitaret, an hæc hactenus adducta loca de ſtatuis Deorum intelligi debeant, conſideret, id inde firmius colligi, quod termini & hujuſmodi generis lapides vaticinari nunquam perhibeantur, ſed Dii, aut ad minimum Heroes qui eſſent. Addamus his, quæ de Jovis Cteſii unctione apud *Athenæum* legimus *lib*. IX. *Deipnoſ. Jovis Cteſii ſigna ita ſtatuenda; Cadiſcum novum utrinque anſatum operculo tegendum: Simulacri auribus coronam e lana albæ imponito. Ex humero ejus dextro lanam ſuſpendito coloris crocei: amicito etiam ut erit tibi commodum*, *deinde Ambroſiam illi affundito*. Sed potius audiamus verba Græca ab *Iſ. Caſaubono* emendata: Διὸς Κτησίου σημεῖα ἱδρύεσθαι χρὴ ὧδε. Καδίσκον καινὸν δίωτον ἐπιθηματώσαντα στέψαντα ὦτα ἐρίῳ λευκῷ, καὶ ἐκ τοῦ ὤμου τοῦ δεξιοῦ αὐτοῦ καὶ ἐκ τοῦ μετώπου ἄωτον κρόκινον κρεμαννύμεναι, καὶ ἐννύσθαι ὅτι ἂν εὕρῃς. Εἶτα οἱ χέαι Ἀμβροσίαν. Hanc ſtatuam unguento Ambroſia perunctam fuiſſe dicit: quibus vero Ambroſia conſtaret antea alibi monuimus. Nec hic omittenda duco, quæ de Hecates ſimulacro ejuſque unctione, ac materia, quæ unguentum, quo conſecranda erat Hecate, componere debebat, ſcribit *Euſebius lib*. V. *Præpar. Evang*. Hecaten ita præcipientem introducens:

> Ἄλλα πέλει ξόανον κεκαθαρμένον ὥς σε διδάξω
> Πηγάνου ἐξ ἀγρίοιο δέμας ποίει ἠδ' ἐπικόσμει
> Ζώοισιν λεπτοῖς κατοικιδίοις σκαλαβώταις
> Σμύρνης καὶ στύρακος λιβάνοιο τε μίγματα στείψας
> Σὺ κενοῖς ζώοισι, καὶ ἀθροίσας ὑπὸ μήνην
> Αὔξεσθαι πέλει, αὐτὸς ἐπευχόμενος τὴν δ' εὐχήν.

> *Purum abſolve mihi ſimulacrum, quale docebo,*
> *Sylveſtri e ruta ſacrum mihi perfice corpus:*
> *Accedat tenuis mediiſque penatibus errans*
> *Stellio, quem Styracis, myrrhæ, thuriſque Sabæi*
> *Pulvere, creſcentis commiſce ad lumina Phœbes:*
> *Dumque inſtas operi, ſimul hæc mihi concipe vota.*

Qui verſus poſterior (quod paucis obſervamus) ſatis, ut arbitror, docet, formulam quandam, quam tamen non appoſuit *Euſebius*, in conſecrationibus fuiſſe adhibitam. Cum enim ſtatuas exſculptas haberent, & dedicare vellent, dedicationis formula opus erat, qua illos lapides certis Diis dedicabant. Formulam vero non ſemper eandem fuiſſe uſitatam omnibus ſatis notum; varias enim videmus apud *Livium* alioſque. Dedicatis vero atque unctis ſtatuis nomina tituloſque inſcribebant Veteres, ut illis oſtenderetur, nomen Dei Deæque, cui fuerant dedicatæ, ut patet e pluribus inſcriptionibus apud *Manutium*, *Gruterum*, & alios. Sed de his inferius alio loco agetur. Non vero hic ſilentio prætereundam eſſe puto ſtatuarum originem; admodum enim vetuſtam eam eſſe indicat *Epiphanius*, cujus verba lubet apponere: Ναχὼρ δὲ, inquit, γεννᾷ τὸν

τὸν Θάῤῥα. Ἐντεῦθεν γέγονεν ἀνδρειαντοπλαστία ἀπὸ πηλεργίας καὶ κεραμικῆς ἐπιστήμης, διὰ τε τῆ Θάῤῥα τούτου τέχνης, i. e. *Nachor genuit Tharam. Tunc ſimulacra ficta ſunt figulino opere ex argilla, artifice Thara.* Hæc de artifice *Epiphanius*. At ſtatuas Deos eſſe nuncupandas, omnibus religione proſequendas idem Thara primus docuit: ita enim de ipſo *Suidas:* Ἦν γὰρ ἀγαλματοποιὸς ἀπὸ διαφόρων ὑλῶν εἰκόνας ἐργαζόμενος, καὶ λέγων τούτους εἶναι θεοὺς, καὶ ὀφείλειν προσκυνεῖσθαι, ὡς αἰτίους τῶν ἀγαθῶν, i. e. *erat* (Thara) *Statuarius, qui imagines ex varia materia faciebat, dicebatque illos eſſe deos, & adorandos eſſe, ut bonorum autores.*

A Statuis nunc ad Terminos, ſive Cippos (ita enim dicebantur *Horatio*, *Perſio*, & aliis, monumenta, quæ in ſepulcris & viis extruebantur. Puto, a Syra voce כיף nomen accepiſſe; Syris enim כיף dicitur *lapis*, unde etiam Πέτρος Apoſtolus Syriace κηφᾶς nuncupatus eſt) progredior, quos itidem oleo perfundere cæcarum nationum erat religio. Hi autem ipſis erant Terminorum Dii ac cuſtodes, unde & ipſi dicebantur Termini, ac ſub figura termini, ideſt, rudis ac informis ſtipitis vel lapidis (qui certe non immerito conjunguntur ſunt enim ambo termini; quod indicat *Ovid. Faſt. lib.* II.

> *Termine, ſive lapis ſive es defoſſus in agro*
> *Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes.*

Et *Prudentius:*

> *Quos lana terret diſcolor in ſtipite,*
> *Deaſciato ſupplicare ſtipiti.*
> *Verris cruore ſcripta ſaxa ſpargere.*)

colebantur, teſte *Lactantio lib.* I. *cap.* XX. de falſa religione. Ejus verba, quoniam & in ſequentibus habebunt uſum, non pigrabor hic adſcribere: *Quid, qui lapidem colunt informem atque rudem, cui nomen eſt terminus? Hic eſt, quem pro Jove Saturnus dicitur devoraſſe: Nec immerito illi honos tribuitur. Nam cum Tarquinius Capitolium facere vellet, eoque in loco multorum Deorum ſacella eſſent: Conſuluit eos per auguria: utrum Jovi cedere, & cedentibus cæteris ſolus terminus manſit; unde illum Poeta Capitolii immobile ſaxum vocat*. Hoc idem affirmat *Ovidius Faſtor. lib.* II.

> *Quid, nova cum fierent Capitolia? nempe Deorum*
> *Cuncta Jovi ceſſit turba locumque dedit.*
> *Terminus (ut veteres memorant) conventus in æde*
> *Reſtitit: & magno cum Jove templa tenet.*

Haud illepide etiam de iis *Cedrenus* talia dixit: Ὡς ὄντας αὐτῶν προπάτορας, ἀνδριᾶσι στηλῶν ἐτίμησαν, καὶ ὡς Θεοὺς προσεκύνουν αὐτοὺς, καὶ ἐθυσίαζον, i. e. *Ut majores ſuos, ſtatuis ſtelarum honorarunt, & ut Deos adorarunt, eiſque ſacrificarunt.* Hic vero illud obſervandum, quod juxta plurimos per ἀνδριάντας στηλῶν hic intelligi debeant *ſtatuæ impolitæ, vel lapides informes*, quos *Sanchoniaton* apud *Euſebium Bætylia* appellat: Ἐπενόησε θεὸς Οὐρανὸς βαιτύλια, λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος, i. e. *Deus Uranus* (per quem cælum intelligi nullus dubito) *excogitavit Bætylia, cum fabricaſſet lapides animatos. Bochartus* autem vertit *lapides unctos;* ut habet *Phœnic. l.* II. *cap.* II. Hos igitur lapides informes ſeu terminos Bætylia quoque ab Antiquis dictos fuiſſe nemo amplius dubitabit. *Scaliger* vero eos *Gammatos* appellavit, quia *Gamma* inſcalptum habebant, vel ut alii interpretantur, propter literæ *Gamma* Γ ſimilitudinem. Unde vero ſit Bætyliorum nomen, vel origo, in eo non conveniunt eruditi. Quibuſdam placet ſic dici a Græco βαίτη, quod *pellem* ſive *corium* denotat, quia nempe Rhea lapidem pelle caprina involutum & faſciatum pro Jove Saturno comedendum dederit. Ita enim Etymologus: Ἡ Ῥέα λίθον βαίτῃ αἰγὸς σπαργανώσασα τῷ Κρόνῳ δέδωκε. Et βαιτύλιον Græci lapidem vocant, quem in fabulis Saturnus pro Jove devoraſſe dicitur. *Heſychius:* βαίτυλος, οὕτως ἐκαλεῖτο ὁ δοθεὶς λίθος τῷ Κρόνῳ ἀντὶ Διός. Bætylum igitur intelligit *Lucianus* cum in *Saturnal.* admodum ſatyrice ait: Τὸ μὲν πρῶτον ἐκεῖνο, εἰ ἀληθῆ. Ταῦτ' ἐστιν ἃ περὶ σοῦ ἀκούομεν, ὡς κατήσθιες τὰ γεινόμενα ὑπὸ τῆς Ῥέας, ἐκείνη δὲ ὑφελομένη τὸν Δία λίθον ὑποβαλλομένη ἀντὶ τοῦ βρέφους, ἔδωκέ σοι καταπιεῖν, i. e. *Primum quidem illud, verane hæc ſint, quæ de te audimus, te ſolitum edere liberos ex Rhea tibi naſcentes, eam vero, clam ſubducto Jove, lapidem infantis loco ſuppoſuiſſe, quem tibi dedit devorandum.* Hunc vero lapidem, quam ut in pectore ipſius maneret, duriorem, Saturnus evomuit: quem deinde Jupiter fertur poſuiſſe in anfractu Parnaſſi, ſeu rupe illa & planitie, in qua urbs & templum Delphicum; Uti canit *Heſiod.* in *Theogon. v.* CCCCXCVII.

> Πρῶτον δ' ἐξήμησε λίθον, πύματον καταπίνων.
> Τὸν μὲν Ζεὺς στήριξε κατὰ χθονὸς εὐρυοδείης

Πυθοῖ

Πυθοῖ ἐν ἠγαθέῃ, γυάλοις ὑπὸ Παρνησοῖο.
Σῆμ' ἔμεν ἐξοπίσω, θαῦμα θνητοῖσι βροτοῖσι.

Primum vero evomuit lapidem, ultimo devoratum.
Illum quidem Jupiter firmiter defixit in terram spatiosam
Pytho in divina, in anfractu Parnassi,
Monumentum ut sit in posterum, miraculum mortalibus hominibus.

Longo etiam tempore post βαίτυλον istum eo in loco extitisse testatur *Pausanias* in *Phocicis:* Ἐπαναβάντι δὲ ἀπὸ τοῦ μνήματος, λίθος ἐστὶν οὐ μέγας. Ἔστι δὲ καὶ δόξα ἐς αὐτὸν δοθῆναι Κρόνῳ τὸν λίθον ἀντὶ τοῦ παιδὸς καὶ ὡς αὖθις ἤμεσεν αὐτὸν ὁ Κρόνος. *Ab eo monumento cum rursus ascendere inceperis, lapidem videas modice magnum. Fama autem tenet esse illum ipsum lapidem, qui datus fuerit Saturno pro puero, quemque postea rursus evomuerit.* Sed ne longius ab incepto trahamur, volunt alii, inter quos *Josephus Scaliger*, morem rudes colendi lapides cepisse originem ab eo lapide, quem *erexit in statuam* Patriarcha Jacob in Bethel, de quo *Gen.* XXVIII. *vers.* 18. 19. Nam Jacob lapidem, quem pro Cervicali supposuerat capiti, ἔστησεν αὐτὸν στήλην. Ut ajunt LXX. Vel ut habet textus sacer: וישם אתה מצבה & vocavit nomen loci *Bethel*, ביתאל, indeque lapides hujusmodi βαιτύλους dictos autumant. Quæ sententia magis arridet, vel ideo, quod (uti habet traditio Judæorum) *quamvis consecrationem hanc Deus ratam habuerit*, (dixit enim ei *Gen.* XXXI. 13. *Ego sum Deus ille fortis, Deus Bethelis, ubi unxisti statuam*) *atque ille cippus ab ipso temporibus Patriarcharum amatus fuerit; postea tamen oderit eum, propterea quod Chananæi deduxerunt illum in ritum Idololatriæ.* Ex quibus quid clarius constat, quam quod Chananæi ipsum facientes Idolon, successu temporis alios quoque lapides extruxerint hujus similes, quos pro Diis habuerunt, atque Jacobum imitantes in Consecratione etiam unxerunt? Cæterum Bætylos hosce uni ac soli Deo Termino non fuisse dedicatos, sed etiam diis diversis apud *Photium* tradit *Damascius:* τῶν βαιτύλων ἄλλον ἄλλῳ ἀνακεῖσθαι Θεῷ, Κρόνῳ, Διΐ, Ἡλίῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις, i.e. *Bætylorum alium alii Deo consecratum esse, Saturno, Jovi, Soli, & aliis.* Plura de his Bætilis, vid. apud *Zosimum* in *Aureliano*; quibus confer ea, quæ erudite de cultu hujus lapidis notat *J. Scaliger Animad. Euschian.* ad an. 2198. *p.* 188. 189. & 198.

Præterea Terminos hosce in ipsis terminis seu agrorum finibus, tanquam eorum distinctiores, sedem habuisse vox ipsa satis, ut opinor, ostendit; id quod insuper patet ex *Marone*, quando canit:

Nec plura effatus Saxum circumspicit ingens,
Saxum antiquum ingens, Campo qui forte jacebat
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.

Et *Statius lib.* V. *Thebaid.* de eo ita:

—— rapit ingenti conamine Saxum,
Quo discretus ager.

His jungatur *Tibullus*, de aureo seculo ita loquens:

Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris
Qui regeret certis finibus, arva, lapis.

Hæc igitur Saxa ab antiquissimis uncta, non tantum in consecrationibus, sed & alias; Nam de Bætylo lapide, qui in monte Parnasso inveniebatur, *Pausanias* in *Phocicis* ait: Τοῦτον καὶ ἔλαιον ὁσημέραι καταχέουσι, καὶ κατὰ ἑορτὴν ἑκάστην ἔρια ἐπιτιθέασι ἀργά. *Hunc quotidie oleo perfundunt, singulisque festis lanam in eo ponunt rudem.* Hinc etiam (quod in transitu observamus) intelligi potest, cur *Plato Homerum* e sua republica in aliam civitatem dimittendum, unctum & lana coronatum jubeat educi: cum inquit: Ἀποπέμποιμέν τε ἂν εἰς ἄλλην πόλιν, μύρον κατὰ τῆς κεφαλῆς καταχέοντες καὶ ἐρίῳ στέψαντες. Vera enim ratio, cur *Homerum* ungi & ἐρίῳ coronari voluerit Philosophus, hæc a Viro celeberrimo, splendidissimoque Trajectensium ad Rhenum Lumine *J. Georgio Grævio*, Doctore meo, & Patrono magno, in lectionibus suis *Hesiodeis* adducitur: non quod voluerit illum ejici tanquam exulem, hominem infamem, aut civiliter mortuum, quia mortui ungebantur, nec propter Poetarum mollitiem, quam lanea corona significaverit, ut hercle Musarum & *Platonis* ingratiis docuit *Andreas Schottus*, sed volebat eum dimitti tanquam hominem divinum, dignumque, qui ad instar Dei ungeretur, & lana coronaretur, hoc est, divinis afficeretur honoribus. Diis enim & rebus sacerrimis hic honos habebatur. De modo autem terminos ungendi & consecrandi, ita loquitur *Siculus Flaccus*: *Cum Terminos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram certos*

tos collocabant, proxime ea loca, quibus fossis factis defixuri eos erant. Et unguento, velaminibusque & coronis eos coronabant. In fossis autem, in quibus posituri eos erant, sacrificio facto, hostiaque immaculata cæsa, facibus ardentibus injectis, fossæ cooperati sanguinem instillabant, eoque thura & fruges jactabant: Favos quoque & vinum aliaque, quibus consuetudo est terminis sacrum fieri. Consumtisque omnibus dapibus igne, super calentes reliquias lapides conlocabant: atque ita diligenti cura confirmabant; adjectis etiam quibusdam Saxorum fragminibus circumcalcabant quo firmius starent. Tale ergo sacrificium Domini inter quos fines dirimebantur faciebant. Ex quibus jam allatis videri potest, & ab agrorum possessoribus terminos consecrari, & post unctionem corollis sive sertis floreis coronari; ad prius quod attinet, id alio etiam loco idem autor ostendit his verbis: *Termini in terra collocabantur consecrabanturque, cæsa immaculata hostia a Dominis, qui confines agros possidebant.* Posterius vero ex adductis satis apparet.

Coronati ita, atque ornati, unctique Termini tandem dii erant, quos divino honore afficiebant atque venerabantur Gentiles: inter quos præsertim viatores, quippe quibus in via positi religiosam moram objiciebant. Id quod indicat *Apulejus Florid. lib.* I. *Ut ferme religiosis viantium moris est, cum aliquis lucus, aut aliquis locus sanctus in via oblatus est votum postulare, donum apponere, paulisper assidere:* ac statim paulo inferius plura hæc habet: *Neque enim justius religiosam moram viatori objecerit, aut ara floribus redimita, aut spelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata; vel enim colliculus sepimine consecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel cespes ligamine humigatus, vel lapis unguine delibutus.* Huic jungatur *Xenophon* itidem affirmans superstitiosis hominibus in consuetudine fuisse temere oblatos in via lapides stipitesque venerari, cum ait: Καὶ τοὺς μὲν οὔτ' ἱερῶν, οὔτε βωμῶν, οὔτε ἄλλον τῶν θεῶν οὐδὲν τιμᾶν, τοὺς δὲ καὶ λίθους, καὶ ξύλα τὰ τυχόντα, καὶ θηρία σέβεσθαι. Item *Propertius:*

> *Et quicunque sacer, qualis ubique, lapis.*

Verum planissima hujus ritus enarratio petenda ab *Halicarnasseo*; cujus verba in libro secundo hæc sunt: Θεούς τε γὰρ ἡγοῦνται τοὺς τέρμονας, καὶ θύουσιν αὐτοῖς ἔτι τῶν μὲν ἐμψύχων οὐδέν. οὐ γὰρ ὅσιον αἱμάττειν τοὺς λίθους, πελάνους δὲ Δήμητρος καὶ ἄλλους τινὰς καρπῶν ἀπαρχάς. Hos vero Terminos tanquam agrorum *præsides* (quod *Festus* affirmat, cum inquit: *Termino sacrificabant, quod in ejus tutela fines agrorum esse putabant,*) venerabantur ideo, quia credebant agriculturam tunc demum sibi fore fructuosam, contra vero quibus cultus divinus foret neglectui, iis omnia adverse successura. Idcirco ait *Virgilius:*

> *Imprimis venerare deos, atque annua magnæ*
> *Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis.*

Et *Horatius lib.* III. *Od.* XXIII.

> *Cælo supinas si tuleris manus*
> *Nascente luna, rustica Phidile,*
> *Si thure placaris, & horna*
> *Fruge lares, avidaque porca;*
> *Nec pestilentem sentiet Africum*
> *Fœcunda vitis, nec sterilem seges*
> *Rubiginem, aut dulces alumni*
> *Pomifero grave tempus anno.*

Quamobrem etiam talium sacrorum contemtorem, graviter increpat *Apulejus* in *Apolog.* quando inquit: *Nam, ut audio, percensentibus iis, qui istum novere, nulli Deo adhoc ævi supplicavit; nullum templum frequentavit. Si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admovere. Iste vero nec Diis rurationis, qui eum pascunt ac vestiunt, segetis ullas aut vitis aut gregis primitias impartit. Nullum in villa ejus delubrum situm, nullus lucus consecratus. Et quid ego de luco & delubro loquor? negant vidisse se, qui fuere, unum saltem in finibus ejus aut lapidem unctum, aut ramum coronatum.* Ex quo simul loco hoc notare licebit (id quod etiam ex modo allegatis *Halicarnassei* verbis patet) fructuum primitias illis diis offerri fuisse solitas, eum pro extremæ impietatis homine habitum fuisse, qui nec agrum suum Deum Terminorum fidei vellet committere, nec ipsos in finibus suis erectos pro Deo colere; quapropter etiam talem, tanquam Deorum contemtorem, contumacia evectum supra omnes *Mezentios*, voto publico damnabant atque proscribebant. Quo argumento subnixus quoque *Apulejus*, *Æmilianum* accusatorem impium, & rerum divinarum derisorem infami elogio judicibus prostituit. Denique etiam in honorem Dei Termini dies festi agebantur, quos ab ipso *Terminalia* vocabant; eaque celebrabantur quotannis XXIII. die Februarii, ut ita annum quoque terminare viderentur Termini; Februarius enim erat Antiquis ultimus

timus anni menſis, ac cum intercalaretur de XXVIII. Februarii diebus demebantur V. ut remanerent XXIII. Addam *Varronis* teſtimonium, quo adhuc magis clarum fiat id quod aſſerui: *Terminalia, quod is dies anni extremus conſtitutus, duodecimus enim fuit menſis Februarius, & cum intercalatur inferiores quinque dies demuntur menſe*. Sed an ſemper tamen Terminalia hunc in diem inciderint, non affirmaverim, quippe cum menſis *Merkedonius* tantum XXII. dies habuerit, tum Terminalia celebrata Kal. Juſti Februarii. Qua de re conſ. *J. Scaligerum de emendat. tempor. lib.* II. *p. m.* 176. Terminum vero cum colerent non intra tectum ſtatuebant, ſed ut inquit *Feſtus*: *Quo loco colebatur ſuper eum foramen patebat in tecto, quod nefas eſſe putabant Terminum intra tectum conſiſtere.* Quod idem diſticho ſequenti indicat *Ovidius* II. *Faſtorum*:

> *Nunc quoque ſe ſupra ne quid niſi ſidera cernat,*
> *Exiguum templi tecta foramen habent.*

Verum ipſo die feſto etiam Termino ſacrificabant, atque hoſtiam cædebant, quam *agnam* fuiſſe indicat *Horat. Epod. Od.* II.

> *Vel agna feſtis cæſa Terminalibus.*

Juvenalis vero *Sat.* XVI. *pulte* ac *libo* illi factum fuiſſe oſtendit his verſibus:

> *Aut ſacrum effodit medio de limine ſaxum*
> *Quod mea cum Vetulo coluit puls annua libo.*

Ex quibus verbis & illud obſervo, ſummum nefas fuiſſe, ſi quis illum Terminum violaret vel moveret loco: maximæ enim improbitatis talem hominem hic arguit *Juvenalis*; & id ex fabula, qua credebant, Terminum ne ipſi Jovi quidem voluiſſe cedere. Ut igitur minus eſſet periculum profanationis, Termini, ut & alia loca conſecrata muris circumſepiebantur, vel aliter notabantur; ſæpius etiam Terminis certum agri ſpatium vel menſura, circum Templa in confiniis conſtructa, donabatur. Verba *Horatii*, quæ habet *lib.* I. *Sat.* VIII. apprime huc facere mihi viſa ſunt, quippe quæ oſtendunt loci publici amplitudinem, latitudinem, ac longitudinem:

> *Mille pedes in fronte, trecentos Cippus in agrum*
> *Heic dabat.*

Rationes vero, cur agrorum poſſeſſores certum loci ſpatium reliquerint Terminis, hic data occaſione non omittendas exiſtimavi. Illas enim Aggenus adducit his verbis: *Si enim loca ſacra ædificabantur, quam maxime apud antiquos in confiniis conſtituebantur, ubi trium vel quatuor poſſeſſionum terminatio conveniret, & unuſquiſque poſſeſſor donabat certum modum ſacro illi ex agro ſuo; & quantum donaſſet ſcripto notum faciebat:* UT PER DIEM SOLEMNITATIS EORUM PRIVATORUM AGRI NULLAM MOLESTIAM INCULCANTIS POPULI SUSTINERENT. *Sed & ſi quid ſpatioſius cedebatur*, SACERDOTIBUS TEMPLI ILLIUS PROFICIEBAT. Sed & ex Monumentorum inſcriptionibus haberemus varia exempla pœnis ſeu multis pecuniariis ſtatutis contra eos, qui talia ſacra violarent; quæ tamen brevitatis amore hic omittimus. Quemadmodum etiam multa adhuc dicenda forent de diris imprecationibus, promulgatis nonnunquam contra talium ſacrorum violatores; ſed uno tantum exemplo rem demonſtraſſe nobis ſuffecerit; habet id *Philoſtratus* in Herodis Attici vita *lib.* II. de vitis Sophiſtarum: *Imagines certe ipſorum Venantium, & venatione functorum, & ad venandum paratorum conſecraverat, partim in quercetis, partim in agris, partim ſuper fontibus, partim ſub umbris platanorum; non obſcure, ſed cum imprecationibus ejus qui concideret, aut moveret.* Græca verba ſunt: Εἰκόνας γοῦν ἀνετίθει σφῶν θηρώντων τε, καὶ τεθηρακότων, καὶ θηρασόντων. Τὰς μὲν ἐν δρυμοῖς. Τὰς δ' ἐπ' ἀγροῖς. Τὰς δὲ πρὸς πηγαῖς. Τὰς δὲ ὑπὸ σκιαῖς πλατάνων, οὐκ ἀφανῶς, ἀλλὰ ξὺν ἀραῖς τοῦ περικόψοντος ἢ κινήσοντος. Ut denique concludam; per hos lapides interdum *Lares viales* intelligi, mihi firmiſſima eſt perſuaſio, eo, quod Lar, Hetruſca vox, denotet *principem* & προστάτην, ut docuit *Scaliger* ad *Propertium*; unde etiam Lares dicti varii variarum rerum antiſtites Dii; jam vero & hi Termini agrorum præſides ac antiſtites credebantur, & in via ponebantur, unde hos eſſe *viales*, imo etiam vocari poſſe *Lares Terminales* non plane ineptum mihi videtur. Præterea etiam Lares viales in agris colebantur, uti & hi lapides. Lares etiam, ut *Feſtus* tradit, ampliſſimis coronis ornabantur, quos ornari bis in anno Auguſtus inſtituit, & in Triviis collocabantur non aliter ac Lapides noſtri Terminales, quos coronatos ac ibidem collocatos fuiſſe clare innuit *Tibullus*, ita loquens:

> *Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,*
> *Seu vetus in trivio florea ſerta lapis.*

Quod

Quod autem in triviis dixit, inde Compitalia ipſum intellexiſſe opinor, quæ feſta, ut *Varro* autor eſt, Laribus ſacra erant. Hinc *compitales Svetonio* dicuntur in Octavii Auguſti vita; Scribit enim: *Compitales Lares ornare bis in anno instituit, vernis floribus & æstivis*. Deinde *Tibullus* Lares *agri cuſtodes* appellat hoc diſticho:

> *Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri*
> *Custodes, fertis munera vestra, Lares.*

Sed vel ex iis quæ ſuperius adduxi conſtat Terminos æque ac Lares pro agrorum præſidibus habitos fuiſſe. *Ovid. Faſtor. lib.* II.

> *Omnis erit ſine te litigioſus ager.*
> *Nulla tibi ambitio eſt, nullo corrumperis auro.*
> *Legitima ſervas credita rura fide.*

Hinc quoque opinor, in præcedentibus vocantur *Agricolæ Dei;* ita enim *Tibull.*

> —— *Agricolæ ponitur ante Deo.*

Quinimo & Laribus in Feſtis Compitalitiis *Agna* hoſtia cædebatur; ita enim modo allegatus autor eos affatur:

> *Agna cadet vobis: quam circum ruſtica pubes*
> *Clamet: io meſſes, & bona vina date.*

Nimirum ut Agricultura proſpere cederet; unde etiam *Agricolæ Dei* haud inepte nuncupantur. Nam & *Agricolas* & *Ruricolas* dictos ipſos Deos demonſtrat *Ovid. Triſt. lib.* I.

> *Et te Ruricola, Lampſace, tuta Deo.*

An vero hi etiam Græcis dicti fuerint νόμιοι θεοί; *Achilles Statius* ad *Tibullum* dubitat, ex veteri hoc lapide:

ΝΟΜΙΟΙΣ ΘΕΟΙϹ
ΙΟΥΛΙΟϹ
ΜΑΙΟΡ
ΑΝΤΟΝΙΝΟϹ

Nunc vero velut e diverticulo, quod tamen Lectori tædioſum adeo non fuiſſe confido, in viam redeuntes, ad arborum unctionem pervenimus, has enim & Diis conſecrabant, & in ipſis conſecrationibus ungebant. Eligebant autem ad id ex plurimis arboribus unam, vel etiam plures ex maximis & antiquiſſimis, ac quidem tales, quæ illi Deo, cui dedicandæ eſſent, maxime propriæ quaſi & ſanctæ erant: v. g. Jovi ſacrabatur Æſculus, Plutoni Cupreſſus, Herculi Populus, Marti Fraxinus, Veneri Myrtus, Minervæ Olea, Baccho Ficus. Sic Laurus Apollini, bono Genio & Æſculapio; Tilia Saturno, & Veneri; Pinus Deum matri & Pani &c. Vid. *Meurſius* in Arboreto Sacro. Ungebant autem has arbores certis unguentis vel oleis ad radices trunci effuſis. Hinc Spartanæ Puellæ apud *Theocritum Idyl.* XVIII. in *Helenes* Epithalamio:

> Πρᾶται δ' ἀργυρέας ἐξ ὄλπιδος ὑγρὸν ἄλειφαρ
> Λαζόμεναι, ςαξεῦμες ὑπὸ σκιερὰν πλατάνιςον.

> *Primæ autem tibi ex argentea Pyxide umidum unguennum.*
> *Capientes, ſtillabimus ſub umbroſam Platanum.*

Ex Latinis prodeat *Lucanus*, ſimilem ritum, non tamen huic in omnibus ἀνάλογον, quem inde barbarum appellat, apud Gallos *ſanguine humano* peractum fuiſſe ſcribens:

> —— —— *barbara ritu*
> *Sacra deum, ſtructæ diris altaribus aræ,*
> *Omniſque humanis luſtrata cruoribus arbos.*

Unctas poſtmodum has arbores coronis ex variis herbis, floribus & frondibus nexis coronabant, ornabantque: ut ex loco Apuleji ſuperius adducto ſatis patet. Quod etiam alia, imprimis Poetarum, loca confirmant. Tituli porro his arboribus inſcribebantur, ut illis manifeſtum fieret, cui Deo Deæque fuerint dedicatæ. Quod clare nos docet *Apulejus Metam. lib.* VI. *videt*, inquit, *dona pretioſa, & lacinias auro literatas ramis arborum poſtibuſque ſuffixas; quæ cum gratia facti, nomen Deæ, cui fuerant dicata, teſtabantur*. Tales quoque titulos in conſecrata Ilice in *Vaticano* ſcriptos fuiſſe indicat *Plinius lib.* XVI. *cap.* XLIV. cum de illa hæc ſcribit *Vetuſtior urbe fuit Ilex in Vaticano: in qua titulus æreis literis Hetruſcis religione jam tum dignam ſignificabant*. Ex Græcis etiam hunc ritum tangit modo allegatus *Theocritus l. c.*

> Γράμματα δ' ἐν φλοιῷ γεγράψεται (ὡς παριὼν τις

Ἀνα-

Α'ναγνοίη) Δωεισὶ, Σέβε μ'. Ε'λένας φυτὸν ἐιμὶ.

Literæ autem in cortice scribentur, (ut præteriens aliquis
Perlegat) Dorice, venerare me; Helenæ planta sum.

Sed & his plura superaddere minime necessarium duco, quia vel ex illis quæ hactenus apposui, unguentorum usum in sacris B. Lector abunde assequi poterit. Igitur ut ad reliqua pedem proferamus, ordine semel nobis proposito jubemur.

C A P U T III.

De Unctionibus Gentilium non Sacris.

Personæ ungentes. Aliptæ. Aliptæ in balneis. Aliptarum varia officia. Jatraliptæ. Capsarii. Varii. Cinerarii. Ciniflones. Unde dicti. Calamistrum. Ciniflones ab Ornatricibus diversi. Ciniflones alii, alii Cinerarii. Cinerarii unde dicti? Ornatrices ancillæ. Κομμώτεια. *Psecas.* Ψεκάζειν. *Myrobrecharii. Plecusa. Picatrices. Ornatores Galearii. Pollinctores. Pollingere. Vespillones, Ustores. Vispellio. Virgines ungebantur oleo simplici. Myrrha & Stacte non Unguenta. Palæstræ cur* λιπαραὶ; *Athletæ, Palæstritæ, Xystici. Xystus. Ceroma. Palæstritæ cur uncti? Aphè. Conisterium.* Α'κονιτὶ νικᾷν. *Athletæ an nudi?* Δρομεῖς. *Palladii haustus apud Statium. Divites uncti. Ancillæ ungendi officio functæ. Balneares. Magæ inungebantur.* Χρῖσμα μεμαγδμένον. *Verbenaca.* Ι'ερὰ βοτάνη. *Sagmina. Singulis membris sua accommodata unguenta. Myrteus color. Color* Υ'πόκιῤῥος. *Crines fœdare pœnæ loco apud Romanos. Vasculis unguentariis potabant. Vinum Nardinum. Unguenta vino admiscebant. Cibis ungenta admixta. Unguenta Veneri propria.* Βελόνη. *Discerniculum. Calamistratorium. Rutilus capillus commendatus a veteribus. Cinere rutilabant capillos. Sapo Gallicus. Batavi Auricomi, Ruffi. Spuma Cattica. Caustica spuma. Pila Mattiaca. Sapo cur herba dicatur apud Ovidium. Thapsus.* Χρυσόξυλον. Θαψίνη γωνὴ. *Fucus. Rubriceta. Sandyx. Cerussa. Jus Collyricum. Offa. Differentia inter* καταπλάσματα *&* σμέγματα. *Melinum.* Στίβη. *Britanni cur Cærulei. Iidem cur picti. Britanni unde dicti. Isatum. Glastum. Fæce peruncti. Pedes ungebant viatores. In Nuptiis ungebantur. In lætitia ungebantur. In calamitatibus pulvere crines collinebant. Diebus Festis ungebantur. In compotationibus. Pocillatores servi. Ad Cyathos. In conviviis uncti. Ante epulas. Inter epulas. Coronæ in conviviis. Apium cur admixtum Coronis convivalibus? Aviculæ coronis alligatæ. In Balneis ungebantur. Unctorium. Unctiones siccæ.* Ξηραλοιφεῖν. *Insolatia. Strigiles.* Ξύστρα. *Distringo. Strigmenta. Cadavera uncta. Amomia. Momia. Mumia. Ossa mortuorum uncta & cineres. Unguenta in rogos conjecta. Ægyptiorum in ungendis mortuis mos. Æthiopum mortuos condiendi mos. Moris hujus origo. Postes ædium inungendi mos. Lucernas emungendi mos. Sandalia. Maltha. Cedro perungebantur libri.*

HIs igitur hucusque explicatis jam tempus est, ut examinemus ulterius, quosnam ritus in profanis unctionibus observaverint veteres. Ubi primo consideremus personas ungentes, quæ in diversis unctionibus diversæ quoque fuerunt; sic Athletas suos *Aliptas* habuisse, notum est omnibus, Alipta enim ἀπὸ τῦ ἀλέιφειν est unctor, qui in Gymnasiis Palæstritas inungebat, quemadmodum hanc vocem omnes fere Grammatici interpretantur. Verum Aliptas solum Athletarum & non etiam aliorum unctores fuisse, pro certo non affirmaverim; Legimus enim apud *Juvenal. Sat.* VI. in Balneis quoque inveniri Aliptas, qui fœminas ungebant, quamobrem potius universale id nomen esse opinor, ad omnes unctores sese extendens. Præcipue autem a scriptoribus pro luctatorum unctoribus accipiuntur; non tamen id solum aliptarum munus fuit, sed insuper in valetudinis conservatione & virium amplificatione occupati erant, simul & coloris habebant rationem, quæ omnia procurabantur non solum unctione, sed etiam ratione exercendi, quam Gymnastæ præscribebant. Ideo scribit *Cicero* lib. I. *ad famil. epist.* IX. *Sed vellem non solum salutis meæ, quemadmodum medici, sed etiam ut Aliptæ virium & coloris habere rationem voluissent.* Et *Celsus lib.* I. *cap.* I. *Sanus homo, qui & bene valet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet, ac neque medico neque alipta egere.* Hinc quod valetudo ipsis curæ fuit, Jatraliptæ dici queunt, quia illorum officium ex unctore & medico conflatum & mixtum erat. Vel potius juxta alios inter quos etiam *Plinius lib.* XXIX. *cap.* I. ita dicebantur, quia erant unctores medicorum, & mediastini eorum, servique: Nam ungendi officio plerumque servi functi) ita enim scribit: *Prodicus Selymbriæ natus discipulus ejus instituens quam vocant jatralipticen, unctoribus quoque medicorum, & mediastinis vectigalia invenit. Hæc* igitur, (quia præsertim ponitur pro Athletarum unctore) *est ratio*, ut inquit *Vossius*, *cur, ut Palæstra sæpe ponitur pro Gymnasio, cujus*

jus alioqui pars erat, *sic quoque Aliptes interdum accipiatur pro gymnasta*, *quanquam si vocem spectes*, *tantum partem muneris signet*. Sic usus *Epictetus Dissertat.* XXIV. *lib.* I. ὅταν ἐμπέσῃ περίστασις, μέμνησο, ὅτι θεός σε ὡς ἀλείπτης, τραχεῖ νεανίσκῳ βέβληκεν, *cum periculum ingruit*, *cogita*, *Deum te lanistæ instar aut Gymnastæ cum acri juvene commisisse*.

In Balneis etiam unctores inveniebantur, quos appellabant *Capsarios*. Hi enim fricant & ungunt, si vera sunt, quæ scribit vetus Scholiastes in *Sat.* III. *Juvenal. Guttus ab eo*, *quia guttam mittit*, *quos habent Capsarii*. Alioqui Capsarii dicti, qui mercede conducti vestes in balneis suscipiebant. Firmandæ hujus rei adduco verba *Epiphanii lib.* II. πρῶτον γὰρ φάσι τοὺς τοιούτους τοὺς αὐτῶν ἐκκλησίας ἤτοι φωλεοὺς καὶ σπήλυγγας ἐν ὑποκαύστοις οἰκοδομεῖσθαι. Ἐν δὲ τῷ Ἀξιένοι ἱματοφύλακες εἰσί τινες πρὸς ταῖς θύραις δίκην χαμψαείων ὑπ' αὐτῶν ἐπιτεταγμένων. Similiter ita vocabantur, qui pueros in scholam euntes sequebantur, portantes Capsam librariam. Quod comprobant hæc verba *Juvenalis Sat.* X.

> *Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam*,
> *Quem sequitur custos augustæ vernula capsæ*.

Hac voce utitur *Svetonius* in Nerone cap. XXXVI. *Constat quosdam cum pædagogis & capsariis uno prandio pariter necatos*.

Quod ad fœminas attinet, & illas certis unctoribus usas fuisse constat: inter eos occurrunt *Cinerarii*, quos non virorum, sed mulierum servos fuisse notissimum est: iidem sunt, ut volunt quidam, qui *Ciniflones* alias dicebantur; Ciniflo autem, ut in Glossis exponitur ἐμπλέκτης, γυναικῶν κοσμητής. Item Ciniflones ornatrices; verum hic ciniflonem cum ornatrice confundere glossæ videntur: mea autem opinio est, longe aliud Ciniflonum fuisse munus, quam ornatricum. Si enim vim vocis spectamus, res erit aperta. Ciniflo dictus, quia in cineres flaret, ad calefaciendum ferrum, quo capillos crispant; quod instrumentum *Varro* IV. de L. L. *calamistrum* vocat, unde etiam *calamistrati juvenes*. Exponit hoc *Acron* ad *Horat.* I. *Sat.* II. (quem locum, licet jam ab aliis observatum, nobis quoque huc reponere visum fuit) ubi sic ille: *Ciniflones & Cinerarii eadem significatione apud veteres dicebantur ab officio calamistrorum*, *qui acus & veruta flando in cinere calefaciebant*, *quibus matronæ crines crispabant*. *Ejus & Virgilius meminit inquiens*: *vibratos calido ferro*. Hæc *Acro*. Ergo ornatrices erunt quæ composuere capillum, Ciniflones vero, qui acus calefactas subministrarunt ornatricibus. Sic meo quidem judicio etiam Cinerarii a Ciniflonibus distinguendi, Cinerariorum enim ministri erant Ciniflones æque ac ornatricum. Dictos autem puto Cinerarios, non (ut habet *Varro lib.* IV. de L. L. *qui Calamistros calefactos in cinere ministrabat*, *a cinere cinerarius est appellatus*) a calefaciendis in cinere Calamistris: quod potius Ciniflonì convenit, sed quod Capillos cinere rutilarent. De quibus infra agetur. Et sic recte Cinerarium δοῦλον ἑταίρας glossæ exponunt. Occurrit vox in veteri monumento in D. Pauli æde: Ad primum ab urbe lapidem, via Ostiensi.

T. CLAUDIUS
ZOSIMUS. FECIT
LICINIÆ. PRISCÆ. MAMM
CLAUDIÆ ...... ROSHODO. SOR
MASSA ... CUM. CINERARIO
ET. TI. CLAUDIO. VERECUN
DO. PATRONO. ET. SIBI
ET. SUIS. POSTERISQ. EORUM
LONG. PED. VI. LAT. PED. VI.

Præterea aliæ peculiares *ornatrices* Ancillæ inveniebantur apud Veteres. Quod indicat Joh. a Wouweren ad illa *Petronii*: *Dic Chrysis nunquid incomta sum?* Nam *puellas*, inquit, *habuerunt in ministerio*, *tum ornatrices*, *tum quæ velut a consiliis formæ*. Quod alicubi stringit *Hieronym. Crines disponebant Ancillæ*. Et hæ edoctæ erant a certis magistris ad hoc ministerium, velut ad artificium, ut tradit *Pignorius*. Id autem artificium quale esset, describit nobis *Manilius* partim *l.* V. partim alibi:

> *Illis cura sui vultus*, *frontisque decora*
> *Semper erit*, *tortosque in flexum ponere crines*,
> *Aut nodis revocare*, *& rursus vertice denso*
> *Fingere*, *& appositis caput immutare capillis*.

Et graphice illud depingit *Tertullianus* libello de cultu fœmin. *Quid crinibus vestris quiescere non licet modo substrictis*, *modo relaxatis*, *modo suscitatis*, *modo elisis? aliæ gestiunt in Cincinnis coercere*, *aliæ ut vagi & volucres elabantur*, *non bona simplicitate*. *Affigitis præterea nescio quas enormitates sutilium atque textilium capillamentorum*, *nunc in Galeri modum*, *quasi vaginam capitis*, *& operculum verticis*, *nunc in cervicem retro suggestum* &c. Hæ vero orna-

ornatrices ab officio cognomen accepere, quia earum officium erat ornare capillos; sic & Græcis ab officio κοσμώτειαι dicebantur, *Hesychio* teste: κοσμώτεια κοσμȣ̃σα τὰς τρίχας. Hinc *Juvenalis Sat.* VI.

—— —— *ponunt*
Cosmetæ tunicas.

Ubi tamen vetus interpres eos intelligi dicit, qui ornamentis præsunt, non vero ornatrices. Ergo propriæ illæ Ornatrices erant, quæ crines disponebant; quarum meminit *Svetonius* in Claudii vita *cap.* XL. *Hæc matris meæ ornatrix fuit.* Et vetus inscriptio: CINERIBUS. HAMILAE. ALPIONIAE. QUINTAE. ORNATRICI. FESTUS. M. SEPTIMI. GALLI. DISPEN. CONTUBERNALI. B. M. F. Item alia in Musæo Carp. OSSA. JULIAE. ↓LIVIAE. ↓AUGr AURICLAE. ORNATRIX. *Juvenalis* (ut inquit Scholiastes) tali ornatrici nomen *Psecæ* ab arte imposuit. Extat locus *Satyr.* VI.

Componit crinem laceratis ipsa capillis
Nuda humeros Psecas infelix.
Quid Psecas admisit? quænam est hic culpa puellæ?

Ψεκάζειν vero dicunt Græci, quando *minutum* sive *rarum pluit*, idem igitur est ac *irrorare*, *stillare*, *conspergere*. *Nam ornatrices pauculum irrorare aquæ solebant ad compositionem crinium, ac sic veluti* ψεκάζειν. Ut est apud Interpretem. Lautiorum tamen capillis aquæ loco balsamum instillabatur, & ita interpretor de guttis *Arabicis Apuleji* verba, quibus capillos obungi scribit *lib.* II. *metam.* Itaque etiam Psecæ erunt, quos Plautus *myrobrecarios* i. e. unguentum pluentes vel stillantes appellat *Aulul. act.* III. *scen.* V. quemadmodum hanc vett. editionum lectionem retinuit Meursius. Martialis autem Ornatricibus nomen *Plecæ* tribuit *lib.* II. *ep.* LXVI.

Et cecidit sectis icta Plecusa comis.

Eadem ratione, nempe a πλέκειν; quia sciret *positu variare comas, & ponere compositas in statione comas*, ut canit Ovidius. Et quæ dominæ caput & capillos, ut arte jacerent, curaret, concinnaretque. Sic etiam observamus apud *Apulejum lib.* XI. metam. inter turbulas Pompam Isidis prosequentes mulieres, *quæ pectines eburneos ferentes gestu brachiorum, flexuque digitorum ornatum atque oppexum crinium regalium fingerent.* Tandem fæminarum comtricum ordini etiam adcensere licet *Picatrices;* quæ pilorum segetem succrescentem resinis & pice demunt. Item, ut habet inscriptio vetus, ORNATORES GLABRARII, nisi hic est σφάλμα graphicum, pro GALEARII, illi enim domino vel dominæ in modum Galeæ galeri capitis suggestum curabant; id quod Galli suo idiotismo *perruquam* dicunt, qua de re haud dubie *Juvenal. Sat.* VI.

Et nigrum flavo crinem abscondente Galero.

Hæc de Psecade, qua muliebre officium denotat. Reliquum est, ut de personis, quæ defunctos ungere solebant aliquid etiam in medium proferamus. Apud Ægyptios certos homines ad id munus constitutos fuisse Herodotus refert: Ἐπεὰν δὲ ταῦτα ποιήσωσι, ὅτω ἐς τὴν ταρίχευσιν κομίζȣσι. Εἰσὶ δὲ οἱ αὐτῷ κατέαται καὶ τέχνην ἔχȣσι ταύτην, i. e. *His actis ita demum ad condiendum portant. Sunt autem certi ad hoc ipsum constituti, qui hoc artificium factitant.* Inter Latinos vero, qui funera procurabant, ac odoribus unguentisque mortuorum corpora obliniendi ministerio fungebantur, *Pollinctores* dicebantur; cur vero & unde, necdum inter doctos convenit. Quidam volunt *pollingere* sic dici, quasi *pollutos ungere*. Sane apud *Fulgentium* legimus; *Pollinctor* quasi pollutorum, id est, *cadaverum unctor*. Nam pollutos vocat mortuos, quos Flamini Diali non licebat tangere, ne sese attaminaret, quod videmus ex Massurii Sabini verbis, quæ extant apud *Gellium*, *lib.* X. *c.* XV. *Locum in quo bustum est, nunquam ingreditur. Mortuum nunquam attingit. Funus tamen exsequi non est religio. Franciscus Junius* autem format a *Polincio* seu *Polinceo:* vel potius a *Polingo*, quod idem esset ac *poliens ungo;* polire autem est curare ac colere, ut *polire agros Ennius* dixit apud *Nonnium. Turnebus lib.* XXVIII. *cap.* XXXI. quasi pellis unctorem dici putat. Ejus verba hic apponam: *Pollinctor a pelle, ut opinor, ungenda ficto vocabulo, quasi pellis unctor.* Et paullo post: *Veruntamen affirmo, quod in mixtis vetustis monumentis Pellinctor reperitur, E autem & O non raro tradunt operas mutuas, & in alternas sedes subeunt.* Denique *Servius* ad IX. Æneid. Pollinctores dictos scribit, quod mortuis os polline oblinerent, ne livor extincti appareret. In tanta igitur opinionum diversitate Vossii est sententia, quod, si hanc vocem de ligatione atque involutione intellexeris, posset esse a *Perligo*, ut proprie de eo dicatur, qui aliquem ligat & involvit ἐνταφίοις sc. ὀθονίοις *fasciis sepulcralibus*, sin vero proprie hoc ver-

verbum de unctione dici placeat, a *Perlino*. Quomodo autem inde formari queat hæc vox, docet in Etymologico. Multa quoque ad hanc rem notant *J. Kirchman.* de funer. Roman. *P. Colvius* ad Florid. *Apuleji*, & alii. Ut ut sit. Pollinctores dicebant veteres, qui funera procurabant, corpusque mortui lavabant, ungebantque, quod comprobant hæc verba *Augustini lib.* I. locution. *Tom.* III. Pollinctor, *qui id agit, quod exhibetur corporibus humandis, vel condiendo vel siccando, vel involvendo & alligando; in quo opere maxime Ægyptiorum cura excellit*. Est & in vett. Glossis *Pollictor*, ἐνταφιαςὴς, & *pollingere* περιςέλλειν, νεκρὸν σιροπλοκεῖν, ἐνταφιάζειν. Talis (ut id attingam) igitur fuit Pollinctrix Maria, quæ Salvatorem ante passionem unxit unguento pretiosissimo. Christus enim ipse id nomen illi dedit *Joh.* XII. 3. Nam cum mulier præstantissimo Nardo Jesu pedes unxisset, obmurmuranti Judæ dixit: *Sine eam*, εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ in diem pollincturæ meæ *servavit illud*. Et *Marc.* XIV. 8. *Hæc quod potuit fecit: Occupavit enim ungere meum corpus* εἰς τὸν ἐνταφιασμὸν ad Pollincturam. Hac Pollinctoris voce usus *Martialis lib.* X. *ep.* XCVII.

> *Jam scrobe, jam lecto, jam Pollinctore parato.*

Et Plautus in Pænuli Prologo:

> *Nam mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.*

Adi & *Apulejum lib.* III. Florid. Erant autem servi *Libitinariorum*, (a Libitina Dea, in cujus fano instrumenta funebria, & cuncta funeri necessaria venibant, sic dictorum) quippe quorum conditio honestior erat, quoniam & pollinctoribus praeerant, & cum illis de sumtibus, quos funeri impendi volebant, transigebatur. *Pollinctorum vero præficarum, & vespillonum* opera deinde administrabant quæcunque ad exsequiarum apparatum pertinerent. *Vespillones* autem a Pollinctoribus erant diversi, quanquam Pollinctorem pro Vespillone & hunc pro illo positum invenias. Sic de vespillonibus loquitur hic *Sidonii* locus *lib.* III. *ep.* XIII. *Moxque sidente strue torrem devolutum reddere Pyræ fastidiosus pollinctor exhorret*. Nam proprie vespillonum munus erat, cum Pollinctores cadavera lavassent, unxissent, & coronassent, illa efferre, incendere, ac sepelire, unde & *ustores* vocat *Catullus ep.* LX. de Rufa & Rufulo:

> *Ab semiraso tunderetur ustore,*

Et *Martialis lib.* III. *ep.* XCIII. in Vetustillam:

> *Ustorque tedas præferat novæ nuptæ.*

Turnebus lib. XIV. *cap.* III. scribit in antiquo lexico se reperisse: *Vespillonem esse sepulcrorum violatorem, quem Græci* τυμβωρύχον *vocant: Quod intelligitur per antiphrasin, quasi non sepeliat, sed nudet, & in Latino Græco Lexico* vispellionem, & vespillonem: *Ubi etiam exponitur ille* νεκροθάπτης, *hic* νεκρόφορος. *Ita* ut *ille funerator* sit, *hic cadavera* portet. Sed revertamur ad *Pollinctorem*, quem *Ulpianus* aperte scribit fuisse Libitinariorum servum *lib.* V. *ff. de inst. Action. Si Libitinarius, quos Græce* νεκροθάπτας *vocant, servum Pollinctorem habuerit, isque mortuum spoliaverit*, &c. Sed ne longior sim, hæc de unctoribus sufficiant. Nunc ad personas & res unctas me convertam.

Hic primo sese offerunt Virgines ex quibus tamen honestiores olim abstinuisse videntur ab unguentis, & solo oleo se unxisse: Sic Dianam apud Callimachum, sic quoque Palladem Unguenta & Alabastros respuisse legimus, utpote cujus Divæ incorrupta omnia & virginalia erant, adeo ut oleo etiam incommixto statuas ejus inungi opus esset:

> Μὴ μύρα λωτροχόοι τᾷ Παλλάδι, μηδ' ἀλαβάςρως
> (Οὐ γὰρ Ἀθηναία χρίματα μικτὰ φιλεῖ)
> Οἴσετε, μηδὲ κάτοπτρον &c.

Licitum tamen erat myrrha seu stacte & simplici oleo, sive unius plantæ aliusque rei pinguedine illas ungi: talia enim, ut superius ostendimus, non accensebantur unguentis, quippe quæ mixta erant e multis odoribus, itaque nec myrrha nec stacte proprie unguenta sunt, de quibus igitur illa recte distinguit *Varro lib.* V. de L.L. & *Plinius lib.* XIII. *cap.* I. quod ipsum quoque facit Theophrastus in scripto de odoribus: Ἐκ τῆς σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον ῥεῖ. Στακτὴ δὲ καλεῖται, διὰ τὸ μικρὸν ςάζειν. Ὃ δὴ μόνον τινές φασιν ἁπλοῦν εἶναι καὶ ἀσύνθετον τῶν μύρων, τὰ δὲ ἄλλα πάντα σύνθετα, πλὴν τὰ μὲν ἐκ πλειόνων, τὰ δὲ ἐξ ἐλαττόνων. Eundem etiam morem, quo nempe virgines simplici oleo, mulieres vero unguentis ungerentur, apud Persas viguisse, satis perspicue videre est ex loco *Estheræ cap.* II. 12. Quæ, antequam Regi nuberet, unguenda Eunuchis tradi-

tur

tur, per ſex quidem menſes myrrha tanquam virgo, per ſex vero alios ſequentes aromatis, & unguentis muliebribus, veluti Regis ſponſa Regique nuptura. Verba in ſacro codice ita leguntur: ובהגיע תר נערה ונערה לבוא אל המלך אחשורוש מקץ היות לה כדת הנשים שנים עשר חדש כי כן ימלאו ימי מרוקיהן ששה חדשים בשמן המר וששה חדשים בבשמים ובתמרוקי הנשים: Quæ rectiſſime ita reddiderunt LXX. Οὗτος δὲ ἦν καιρὸς κοράσιος εἰσελθεῖν πρὸς τὸν βασιλέα, ὅταν ἀναπληρώσῃ μῆνας δεκαδύο. Οὕτως γὰρ ἀναπληροῦνται αἱ ἡμέραι τῆς θεραπείας. Μῆνας ἓξ ἀλειφομένας ἐν σμυρνίνῳ ἐλαίῳ, καὶ μῆνας ἓξ ἐν τοῖς ἀρώμασι καὶ ἐν τοῖς σμήγμασι τῶν γυναικῶν.

Verum miſſis virginibus, Gymnaſia Palæſtræ ingreſſuri, videbimus juvenes *oleo nitentes* violentis brachiis lucta ſeſe exercentes. Hinc Græci Palæſtras λιπαρὰς nominant, id eſt *pingues & oleo nitidos*, quia eo ungebantur dimicaturi, ita *Theocriti* Scholiaſtes: Λιπαρὰν δὲ λέγει παλαίστραν, ἐπεὶ οἱ παλαίοντες ἐλαίῳ πρότερον ἠλείφοντο, εἶτα ἐπάλαιον, qui mos a Lacedæmoniis originem ſumſit, ut legimus in Thucydide. Hujus autem moris ratio extat apud *Clement. Alexand. Pædag. lib.* II. *cap.* VIII. Καὶ τὸ ἔλαιον αὐτὸ τοῖς μελίτταις, καὶ τοῖς ἐντόμοις ἐστὶ πολέμιον ζώοις. Ἀνθρώπων δέ, τοὺς μὲν ὠνήσεν, ἔστι δέ, οὓς εἰς μάχην ἐξεκαλέσατο. Καὶ τοὺς πρότερον φίλους ἀληλιμμένους τοῦτο ἐν τοῖς σταδίοις ἐκρίπτει εἰς τὸ τῆς ἀγωνίας πάμμαχον. Hi vero Luctatores *Athletæ*, *Palæſtritæ*, vel etiam *Xyſtici* apud *Suetonium* in vita *Octavii cap.* XLV. & *Galbæ cap.* XV. nominabantur, a Xyſto, qui coopertus erat, & in quo hyeme exercebantur: qui tamen Xyſtus diverſus erat ab eo Xyſto ambulatione ſive arena aperta, in qua ſub dio ſeſe exercebant, & quam, quia undique circumcurſari poſſet, inde περιδρομίδα nuncupabant. Ut clare id indicat *Vitruvius lib.* V. *cap.* XI. Oleo quo hi Luctatores utebantur terram immiſcebant, aut, juxta alios, fiebat id unguentum ſubacta oleo cera, cui rurſus alii addunt pulverem Ægyptium ſeu Puteolanum. Quamobrem etiam talis compoſitio deinde *Ceroma* denominata fuit, qua voce uſus *Martialis*, *lib.* IV. *ep.* XIX.

Seu lentum Ceroma teris.

Quod tamen Græci deinde in Luxuriam vertentes, rebus odoriferis miſcebant, ut ait *Plinius*, vilioribus tamen, & minoris pretii. Erat etiam *Ceroma* locus Palæſtræ aut Gymnaſii in quo ceromate perungebantur. Id oleum Anacharſis (ut in ejus vita refert *Diogenes Laertius*) μανίας φάρμακον ἔλεγε, διὰ τὸ ἀλειφομένους τοὺς ἀθλητὰς ἐπιμαίνεσθαι ἀλλήλοις. Idem vero non tantum oleum, ſed & ipſam actionem deſipientium eſſe dixit apud *Lucianum* in ſcripto de Gymnaſiis, his verbis: Ὥς ἔμοιγε μανίᾳ μᾶλλον ἐοικέναι δοκεῖ τὸ πρᾶγμα, καὶ οὐκ ἔστιν ὅστις ἂν ῥᾳδίως μεταπείσειέ με, ὡς οὐ παραπαίουσιν οἱ ταῦτα δρῶντες, i. e. *Nam hæc actio mihi potius videtur eſſe inſania: neque me quiſquam ab hac ſententia dimoveat, hos qui iſta faciunt, deſipere.* In quibus tamen durior paulo contra Grecam juventutem eſt Anacharſis. Sane uti *Ariſtoteles Politicorum lib.* VIII. docet, teneri puelli in haſce Palæſtras mitti debebant, ut validiores, ac robuſtiores inde egrederentur, hæc enim res ἀκμὴν οὐ μικρὰν ἐπάγει τοῖς σώμασιν *vigorem haud exiguum corporibus adfert*, ut inquit *Lucianus* de Gymnaſiis. Hinc etiam neque Plato reprobavit, quod vel ipſæ virgines currendo atque luctando ſeſe exercitarent: quin non ſolum puellis junioribus id permiſit, ſed & fæminas etiam maturas cum hominibus luctari voluit, quod ipſum etiam nobis indicat *Xenophon* in Lacedæmoniorum Politia, ſcribens Lycurgi decretum fuiſſe ut fæminæ liberæ (dum liberis gignendis vacarent) lucta violenta & curſibus, ſicut maſculi, corpora exercitarent, ut horum laborum tolerantia graviores quoque adire diſcerent. Quod vero corpus oleo fricaverint, quorundam ſententia eſt, id factum fuiſſe, quia oleum inſervit nervis & membris fortificandis, reddens ea mollia, atque vim & vigorem adferens; quod aperit *Plinius* his verbis: *Duo ſunt liquores corporibus humanis gratiſſimi, intus vini, foris olei, arborum e genere ambo præcipui, ſed olei neceſſarius.* Aliis tamen placet id factum fuiſſe, ut Palæſtritarum corpus lubricum magis redderetur, utque difficilius per brachia prehenderentur, quod tangit *Lucianus* in libello de Gymnaſiis; cum Anacharſin Scytham ita loquentem inducit: Ἐν ἱδρῶτι ἅμα πολλῷ γέλωτα ἐμοὶ γοῦν παρέχουσιν, ὥσπερ αἱ ἐγχέλυες ἐκ τῶν χειρῶν διολισθαίνοντες. *Mihi riſum pariunt, quod ſudore multo perfuſi velut anguillæ e manibus elabuntur.* Ut vero etiam nimiam Lubricitatem impedirent, ac prehenſiones facerent firmiores, mos fuit corpus aſpergi pulvere quodam aut arenula *Aphe* dicta, quam κονίστρα ſive *Coniſterium* illis ſuppeditabat. (Ita autem locum vocabant, ubi pulvis aſſervabatur) quod lubricitatis arcencendæ ergo antiquos feciſſe, clare nos docet *Lucianus l. c.* Καὶ αὐτοὶ ἑκόντες πάττουσι τὴν κόνιν ἀλεκτρυόνων δίκην, ὡς ἀφυκτότεροι εἶεν ἐν ταῖς συμπλοκαῖς οἶμαι, τοῦ ψάμμου τὸν ὄλισθον ἀφαιροῦντος, καὶ βεβαιοτέραν ἐν ξηρῷ παρέχοντος

χοντος

χῦστης τὴν ἀντίληψιν. i. e. *Ipsique ultro Gallorum instar pulverem aspergunt, quominus ut puto in complexibus effugiant, arena demente lubricitatem, & firmiorem in arido præbente comprehensionem*. Attamen id etiam fecisse videntur, ut corporis vigorem juvarent, quod nobis suggerit *Lucanus*, de pugna Herculis & Antei verba faciens:

> *Auxilium nervis calidas infundit arenas.*

Hujus vero pulveris tantopere curiosi fuerunt veteres, ut ex Ægypto eum asportari curarent, ita enim *Tranquillus* refert, Neronem Cæsarem tempore famis publicæ navem illo onustam pro suæ aulæ athletis venire jussisse. Ex hac quoque pulveris aspersione lucem haurit illud proverbium inter Græcos: ἀκονιτὶ νικᾷν, i. e. *victoriam obtinere absque molestia, pugna, ac sudore*, quod apud *Pausaniam* legimus, qui Dioreum Athletam in Olympicis victoriam ἀκονιτὶ abstulisse scribit, idest, cum illi nemo se ad pugnam obtulisset. Eleganter ad hunc morem alludit *Tertull.* de Pallio: *Studia Palæstræ male senescentia, & lutea unctio, & pulverea volutatio*. Et *Apulejus lib.* IX. *Metam.* hæc habet: *In modum pugilum, qui pulvisculo perspersi dimicant*. Item *Ovidius lib.* IX. in congressu Herculis & Acheloi:

> —— *tenuique a pectore varas*
> *In statione manus; & pugnæ membra paravi.*
> *Ille cavis hausto spargit me pulvere palmis;*
> *Inque vicem fulvæ jactu flavescit arenæ.*

Pulverulenti vero & lassi campestribus exercitiis sudorem, pulverem, atque odorem olei vicino Tiberi inter Romanos natantes abluebant, & ideo illos ludos in campo Martio celebrabant, quod is Tiberi vicinus esset. Cui rei assentit *Vegetius lib.* I. *cap.* X. *Romani campum Martium vicinum Tiberi delegerunt, in quo juvenes post exercitium armorum sudorem pulveremque diluerent, ac lassitudinem, cursusque laborem natando deponerent*. Hinc factum, quod *Horatius* campum Martium cum Tiberi conjungat, ac de utroque *lib.* III. *Od.* VII. ita loquatur:

> *Quamvis non alius flectere equum sciens*
> *Æque conspicitur gramine Martio:*
> *Nec quisquam citus æque*
> *Tusco denatat alveo.*

Sed tamen etiam nonnulli, postquam sese exercuissent, ad Balnea pergebant, non semper expetentes flumina. Sic apud *Plautum in Stich.* legimus: *Postea ibo lavatum a pila*. Et *Martial. in Apophor.* CLXI.

> *Redde pilam, sonat æs thermarum.*

De Græcis id videre est in *Luciani Lexiph.* hæc habentis: Ἔιτα συντειβέντες, καὶ ἀλλήλυς κατακνωπτάμενοι, καὶ ἐμπαίξαντες τῷ Γυμνασίῳ, ἐγὼ μὲν, καὶ Φιλῖνος ἐν τῇ θερμῇ πυέλῳ καταιονηθέντες, ἐξῆειμεν. Sed dum de Athletis verba facimus in transitu Quæstiunculam leviter attingendam duxi, An nempe cum certarent omnino nudi essent? Sunt quibus id non placet, & maxima quidem ex parte nudos fuisse dicunt, reliqua tamen membra velamento texisse. Nobis vero in contrariam partem satis argumento est, quod & Augustus Cæsar vetuerit, ne fœminæ istiusmodi spectaculis interessent; & *Thucydides lib.* I. autor sit, olim quidem Athletas fibulatis campestribus certasse, suo tamen ævo nudos: & hanc veterem modestiam servari in Asia. Plura de Athletis vide sis apud *Lucianum* περὶ Γυμνασίων, ac in ejusdem Hermotimo, *Isidor. orig. lib.* XV. *cap.* II. & *Hieron. Mercurialem lib. de arte Gymnastica*.

Verum ad aliud Athletarum genus, quos Græci δρομεῖς, i. e. *Cursores* nominarunt, pergimus, qui inungi solebant, id quod in Agonisticis ex Scholiaste *Aristophanis* pridem notavit *Petrus Faber lib.* II. *semest. cap.* XXII. verba sunt editionis nuperrimæ: Διὰ τὸ πάντα ἄνθρωπον κεκτημένον ἐλαίας ἀναγκάζεσθαι μέρος τι παρεχηνεὶς τὰ παναθήναια. Κέραμον γὰρ ἐλαίυ ἐλάμβανον οἱ νικῶντες, ἐπεφύτευτο δὲ ἐν τῷ γυμνασίῳ δένδρον: ἔθος δὲ ἦν τοῖς ἀσκυμένοις ἀλειψαμένοις ἐν τῷ ἡλίῳ τρέχειν. Nonnulli tamen autumant hunc locum nequaquam hoc sensu capiendum esse, sed potius antiquitus morem fuisse, ut ante Luctam pugiles uncti in sole discurrerent. Mea quidem sententia omnino de cursoribus interpretari possimus hunc locum, quod clarius liquet ex *Papinii Thebaid. lib.* VI. de cursoribus ita canentis:

> —— *tunc Palladios non inscius haustus*
> *Incubuit, pinguique cutem fuscatur olivo.*
> *Hoc Idas, hoc more Dymas, aliique nitescunt.*

Quo in loco per *Palladios haustus* oleum intelligit, ut recte Scholia vetera & *Lutatius*.

Porro

Porro etiam unguentis perfundebantur divites, & homines lauti, ut pompam & luxum ostenderent. Odoratis enim unguentis perfusum caput plerumque divitiarum fuit argumentum. Inde *Lucill.*

> *Hi quos divitiæ producunt & caput ungunt.*

Facete *Cicero* in IV. contra *Verrem*, *Palæstritas defendebat*, *ut ab illis unctior discederet*.

His adjungantur hospites, aut alii, qui e longinquo itinere in ædes alicujus divertebant. Sic Telemachus & Pisistratus, in ædes Menelai adventantes, lavabantur ab ancilla ac ungebantur. *Homer. Od.* IV. Et apud *Milonem* divertens *Apulejus* ab ancilla ad balneas producitur, ibique ungitur. Ita enim habet *Metam. lib.* I. *Fotis*, inquit Milo, *Sarcinulas hospitis susceptas cum fide conde in illud cubiculum: ac simul e promtuario oleum unctui, lintea tersui, & cætera huc eidem usui profer ocyter; & hospitem meum produc ad proximas balneas, satis arduo itinere, atque prolixo fatigatus est.* Ratio, cur id factum sit, haud obscure in postremis Milonis verbis latet; nempe non solum ut ibi sordes abluerentur, sed etiam ut voluptatem & refocillationem sibi compararent. Nam utrumque finem spectabant veteres, teste *Eustathio*, cum refert βαλανεῖον esse introductum, ut esset ῥυπτοῦ μὲν ἀποθετικὸν, ἀναψυχῆς δέ τινος αἴτιον. Et sane medentur Balneæ lassitudini. Unde *Plautus* in Mercatore:

> *Nunquam ædepol omnes balneæ mihi hanc lassitudinem eximent* &c.

Atque hinc *Athenæus lib.* I. balnea vocat ἄκη πόνων παντοίων. Certe quia temperatur lotione crassus & melancholicus humor inde etiam ea exhilaratur animus. Ex hactenus adductis præterea patet, Ancillas etiam nonnunquam ungendi officio functas, quod alioqui divites & elegantiores a servis suis peragi curabant; sed ubi de Ancillis fit mentio, balneum quoque privatum ac domesticum intelligi nullus dubitem, quanquam homines modici hospites ad balnea publica producebant, conductis balnearibus, qui sequi jussi, ungendi officio fungebantur. Sic *Milo Apulejum lib.* III. *Met. Jussis balnearibus adsequi, perduxit ad lavacrum proximum.* Hi balneares, ut opinor, balneatoris famuli erant, ad id constituti, ut eis, qui balnea introirent, præsto essent. Balneator autem dicebatur, qui illis præerat. Pauperes vero horum balnearium munere ipsi fungebantur, & se & hospites lavabant, ungebantque. Sic iterum exemplo nobis sit illud apud *Apuleji lib.* I. *Met. Illico lavacro trado. Quod unctui, quod tersui opus ipse præministro. Sordium enormem eluviem operose exfrico*, &c. At illud nobis adhuc observandum, quod post lotionem demum sese unxerint, ut hoc pacto obstruerentur corporis pori & spiramenta. Id quod aperte indicat *Eustathius Iliad.* X. Ἐλαίῳ δ' ἐχρίζοντο οἱ λουσάμενοι ἐμφράττοντες τοὺς σωματικοὺς πόρους, ὡς ἂν κατὰ λουτρὸν στέγοιεν τὴν ὑγρότητα.

Ad eos nunc veniamus, qui artem Magicam callentes, sese in totum oleo illinebant, cujus beneficio tunc quæ vellent præstabant, v. g. *Magico susurramine amnes agiles facere reverti, mare pigrum colligari, ventos inanimes exspirare, Solem inhiberi, Lunam despumari, stellas evelli, diem tolli, noctem teneri.* Imo seu in bruta & volucres se immutare, seu divinationes & alia plura posse credebant vanæ mentes; utpote *quibus obaudiant Manes, turbentur sidera, cogantur numina, serviant elementa.* Verba *Luciani* apponam, quibus Magam describit, quæ fascinandi artis haud ignara transformabatur, atque Corvum nocturnum agebat. In ejus Asino hæc leges: Εἶτα κιβώτιον ἁδρὸν ἀνοίξασα, πάνυ πολλὰς ἔχον πυξίδας ἐν αὐτῷ, ἔνθεν ἀναιρεῖται, καὶ προσφέρει μίαν. Ἡ δὲ, εἶχεν ἐμβεβλημένον, ὃ, τι μὲν οὐκ οἶδα, τῆς δὲ ὄψεως αὐτῆς ἕνεκα, ἔλαιον αὐτὸ ἐδόκουν εἶναι. Ἐκ τούτου λαβοῦσα, χρίεται ὅλη, ἀπὸ τῶν ὀνύχων ἀρξαμένη τῶν κάτω. Καὶ ἄφνω πτερὰ ἐκφύεται αὐτῇ. Καὶ ἡ ῥὶν κερατίνη, καὶ γρυπὴ ἐγένετο, καὶ ἄλλα δὲ, ὅσα ὀρνίθων κτήματα. Καὶ σύμβολα πάντα εἶχε. Καὶ ἦν ἄλλο οὐδὲν, ἢ κόραξ νυκτερινός. Quæ ex versione *J. Benedicti* ita redduntur: *Tum reserata majuscula arca, quæ pyxides multas continebat, unam hinc effert, in qua quid contineretur nescio, sed quantum oculi conjicere poterant, oleo plena videbatur. Ex hoc sumens tota inungitur, ab imis unguibus inchoans: statimque ipsi enascuntur alæ, nasus corneus & aduncus, omnesque avis notas, quotquot sunt, habebat, nihilque aliud erat, nisi nocturnus Corvus.* Id autem agebant, atque in avem plumabantur, cum *scitula formulæ juvenem quempiam libenter* adspexissent, ut sic ad suum cupitum devolare possent; quemadmodum id refert *Apulejus Met. lib.* III. Oleum etiam, quo ungebantur, χρῖσμα μεμαγευμένον appellat *Lucianus l. c.* Multam præterea vim in Verbenaca inveniebant Magi; de qua audiamus *Plinium lib.* XXV. *cap.* IX. ita loquentem: *Utraque* (specie) *sortiuntur Galli, & præcinunt responsa. Sed Magi utique circa hanc insaniunt. Hac perunctos impetra-*

petrare quæ velint, *febres abigere*, *amicitias conciliare*, *nullique non morbo mederi* &c. Verbenaca vero eadem est herba, quæ & verbena dicebatur; quod patet ex eodem scriptore *Plinio l. c. Nulla tamen Romanæ nobilitatis plus habet*, *quam hierabotane*. *Aliqui peristereon*, *nostri verbenacam vocant*. Quibus in verbis ostendit *Plinius* nullum plane inter hierabotanen ac verbenacam esse discrimen, nisi quod vox illa ex Græcia, hæc originem e Latio petat. Ac sane & verbena est ἱερὰ βοτάνη, ut *Dioscorides* aliique volunt; quamvis *abusive verbenas jam vocemus omnes frondes sacratos*, *ut est Laurus*, *Oliva*, *vel Myrtus*. Terentius: *Ex ara sume hinc verbenas*. *Nam Myrtum fuisset Menander testatur*, *de qua Terentius transtulit*, ut ait *Servius* ad XII. *Æneid*. non tamen *Plinius* dubitat dicere id esse sacri graminis genus *lib.* XXII. *cap.* II. ubi verbenas etiam *sagmina* vocat, idest, sanctas vel sancitas; ab illis enim vocibus nomen accepere, ut tradit Festus Pompejus: *Sagmina vocantur verbenæ*, *idest*, *herbæ puræ*, *quia ex loco sancto arcebantur a Consule Prætoreve legatis proficiscentibus ad fœdus faciendum*, *bellumque indicendum*: *vel a sanciendo*, *idest*, *confirmando*. *Nævius*: *Jus sacratum Jovis jurandum sagmine*. Hucusque *Festus*. *Plinii* verba sunt: *Non aliunde sagmina in remediis publicis fuere*, & *in sacris legationibusque verbenæ*. *Certe utroque nomine idem significatur*, *hoc est gramen ex arce*, *cum sua terra evulsum*, *ac semper* & *legati*, *cum ad hostes*, *clarigatumque mitterentur*, *idest*, *res raptas clare repetitum*, *unus utique verbenarius vocabatur*. Quo ex loco etiam politicum verbenarum usum discimus. His adjiciamus quæ de verbenaca habet *Turnebus l.* VIII. *cap.* XXIII. cujus verba heic adscribere non pigebit: *Idem*, inquit, *de verbenaca sentio*, & *verbenatam dici debere prædico*, *cum præsertim verbena gramen ex arce cum sua terra evulsum significet*, *quod gramen sacrum putabant*, & περιστερεὼν, *i. e. verbenata*, *sæpe sumeretur*, & *verbena fieret*, & *ut ita dicam verbenaretur*: *Quo factum est*, *ut verbenata etiam verbena diceretur*.

Verum mitto hæc, & ad corporis partes venio, quarum unicuique pro varia illorum diversitate ac proprietate diversa etiam unguenta adhibebant, ut sanitatem conservarent. Multus in his exponendis est *Athenæus* & alii. Sic leges caput & collum, supercilia ac capillos inungi & confricari solere oleo *Serpilino*; & apud Thoricenses, populum Atticum, *Amaracino*, genas & mammillas φοινικίνῳ, genua & collum ἑρπυλλίνῳ, unum brachiorum *Sisymbrino*, & tibias a genu usque ad imos ungues μύρῳ Αἰγυπτίῳ. Alii ossa nervosque linebant *Cressino* & *Amaracino*. De oleo *Baccarino*, ut superius memini, scripsit *Hipponax*, cum ait: Βακχάρει δὲ τὰς ῥῖνας ἤλειφεν. Inter Romanos ac Græcos caput & capilli perfundebantur *Nardo*. Ita *Tibullus lib.* III. *El.* VI.

> *Jam dudum tyrio madefactus tempora Nardo*.

Item *Amomo*; ad quod hortatur *Martialis lib.* VIII. *ep.* LXXVI. his verbis:

> *Si sapis Assyrio semper tibi crinis Amomo*
> *Splendeat*.

Nam alibi dixerat,

> *Unguentum hæredi nunquam*, *nec vina relinquas*,

Balsamo. Juvenalis *Sat.* II.

> —— *hirsuto spirant opobalsama collo*.

Myrobalano. Horat. *lib.* III. *Od.* XXIX.

> *Pressa tuis balanus capillis*.

Et *Myrrha*. Hor. *lib.* III. *Od.* XIV.

> *Myrrheum nodo cohibere crinem*.

Quod tamen debilitare videtur vetus interpres *Pomponius Porphyrio*, inquiens: *Colorem myrteum in crinibus hodie quoque dicunt*, *qui medius est inter flavum* & *nigrum*: ut itaque videatur in *Horatio* legisse *myrteum* non *myrrheum*. Et sane extat & apud *Tibullum* locus, ubi hujus coloris in crinibus meminit; cum *lib.* III. *El.* IV. inquit:

> *Stillabat Tyrio myrtea rore coma*.

Qui color non de crinibus tantum dicebatur, sed etiam de aliis rebus, v. g. de equis; ut habet *Pallad. lib.* IV. *cap.* XIII. Petron: *Myrtea subornatus gausapia*. *Dioscorid.* ξύλον ὑπόκιῤῥον. Et *Isidorus* inquit, *Myrteus color pressus in purpuris*. Sed color ὑπόκιῤῥος purpura fuscior. In crinibus & equis est color, quem nostri *Kastaniebruyn* appellant. Nos heic in *Horatio* retinemus myrrheum: illa enim viguit consuetudo; Ut ex *Virgilio* clarius videre est:

> —— —— *crines*
> *Vibrati calido ferro*, *myrrhaque madentes*.

Et *Ovid. lib.* V.

> *Et madidos myrrha currum crinale capillos*.

Deni-

Denique *Malobathro*. Hor.

> —— *Nitentes.*
> *Malobathro Syrio capillos.*

Imo adeo expetebant comtos capillos, ut tanquam pro pœna haberetur crines amicæ fœdare, quod probat *Tibullus* I. *El.* X.

> *Jam mihi persolves pœnas, pulvisque decorem*
> *Detrahet, & ventis horrida facta coma,*
> *Uretur facies, urentur sole capilli,* &c.

Et Venus stomachata biles venereas, ac filio, quod amicam haberet, infesta inquit: *Tunc injuriæ meæ litatum crediderim, cum ejus comas, quas istis manibus meis subinde aureo nitore perstrinxi, derasferim*, apud *Apulejum Metam.* V. Præterea hæc unctio adeo luxuriosa fuit, ut de ea *Martialis* scribat *lib.* XII. *ep.* XXXVIII.

> *Crine nitens, niger unguento.*

Quin imo vel pauperrimæ mœchæ crines ungebant: quod colligo ex eodem Scriptore *lib.* III. *ep.* LXXXII.

> *Et Cosmianis ipse fusis ampullis*
> *Non erubescit murice aureo nobis*
> *Dividere mœchæ pauperis capillare.*

Cur autem hæc fierent, varias ut puto causas habuere; quasdam tamen, (quis enim omnes recenseat?) quas observare potui, non verebor hic apponere. Sæpius odoramentis utebantur, ut corporis vitia, v. g. oris fœtorem & spurcitiem dissimulare possent. Talis erat Posthumus, quem Satyrice expostulat *Martialis* sub assiduo diapasmatum & unguentorum odore nil boni suspicans, sed latere ulcus, vomicam, aut tetrius quippiam. Ita enim de illo: *lib.* II. *ep.* XII.

> *Esse quid hoc dicam, quod olent tua basia myrrham,*
> *Quodque tibi est semper non alienus odor?*
> *Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Posthume, semper:*
> *Posthume, non bene olet, qui bene semper olet.*

Hinc idem Poeta *lib.* VI. *ep.* LV. inquit:

> *Rides nos, Coracine, nil olentes:*
> *Malo, quam bene olere, nil olere*

Et *Cicero* ad *Attic. Ep.* I. mulieres laudat, quæ unguenta odorifera negligunt. *Quanquam*, inquit, *tua illa horridula mihi atque incomta visa sunt: sed tamen erant ornata, hoc ipso, quod ornamenta neglexerant: & ut mulieres ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur.* Senes se ungebant, ut calvitiem capitis dissimularent, juvenesque apparerent. Sic modo allegatus autor Senem jocatur habuisse capillos unguenti pictos colore, quos spongia poterat totos delere: Nam qui olim toto erant capite calvi, sibi solebant unguento perfusi velut fila capillorum unitare, *lib.* VI. *ep.* LVII.

> *Mentiris fictos unguento, Phœbe, capillos,*
> *Et tegitur pictis sordida calva comis.*
> *Tonsorem capiti non est adhibere necessum:*
> *Radere te melius spongia, Phœbe, potest.*

De tali quoque sene intelligenda, quæ habet eodem libro, *ep.* LXXIV.

> *Calvam Trifilem semitactus unguento.*

Sulcis nempe & quasi semitis unguento ductis & pictis in calvo capite tripili, seu trifili, tres scil. vel paucos admodum habente capillos. Adi *Turnebum lib.* XXV. *cap.* XXVII. Alii unguentis usi ut pompam & luxum ostenderent, usum enim lapsu temporis verterant in Luxuriam. *Claudian. de bello Gildon.*

> *Umbratus dux ipse rosis, & marcidus ibit*
> *Unguentis, crudusque cibi.*

Et *Lucianus* in libro de Amoribus talia refert: Ὁπόσαις δὲ ἀρκεῖν ἡ μέλαινα χαίτη νομίζεται, τὸν γεγαμηκότων πλοῦτον εἰς ταύτην ἀναλίσκουσιν, ὅλην Ἀραβίαν σχεδὸν ἐκ τῶν τειχῶν ἀποπνέουσαι, i. e. *Aliæ vero, quibus nigra coma videtur ad formam sufficere omnes maritorum opes in hanc impendunt, totam pœne Arabiam ex capillis spirantes.* Imo admodum invaluit hæc Luxuria, ut odorem prodigum ex utraque corporis parte captarent, & non tantum linerentur, sed etiam ipsis vasculis unguentariis potarent. Vide sis *Plinium lib.* XXXI. & μύρῳ οἶνον μιγνύντες οὕτως ἔπινον, ut tradit *Ælian. var. hist. lib.* XII. *cap.* XXXI. De his igitur loquitur *Juvenalis Sat.* VI.

> *Cum perfusa mero spumant unguenta falerno*
> *Cum bibitur concha* &c.

Et *Martialis* de Ampulla potoria scribens in *Apophor. ep.* CVIII.

Hac licet in gemma, quæ servat nomina Cosmi
Luxuriose bibas, si foliata sitis.

Foliatum quid sit superius indicavimus; interea per foliatum hinc vinum Nardinum arbitror posse intelligi; illud erat, quod vel Nardo vel unguento Nardino conditum fuit. De quo *Plautus in Milit. Gloriof. act.* III. *sc.* II.

Demisit Nardini unam Amphoram Cellarius.

Veteres autem (ut *Theophrastus* autor est) unguenta vino miscebant, nonnulli subito in ipsa compotatione; alii vero jam ante sic medicatum, & curatum habebant: Evolvatur hac de re *Turneb.* Adversariorum *lib.* II. *cap.* XXIX. Horum quoque meminit *Lucianus* in *Nigrino*, qui luxuriosissimos describens, in illos, quia communia naturæ munera fastidiunt, ita invehit: τούτους γάρ εἶναι τοὺς μέσου χειμῶνος ἐμπιπλαμένους ῥόδων. Καὶ τὸ σπάνιον αὐτῶν καὶ παράκαιρον ἀγαπῶντας. Τούτους εἶναι τοὺς καὶ τὰ μύρα πίνοντας, i. e. *Hos illos esse, qui media etiam hyeme rosis opplentur. Earumque raritatem intempestivam amant: hos illos esse, qui unguenta bibunt.* Quin & cibis unguenta solebant admiscere nonnunquam; quemadmodum id observat *Turnebius lib.* XXI. *cap.* IV. Hanc autem luxuriam longe superavit admiranda illa Cosmi cujusdam, qui in solidum ahenum, ex ære vas, multis ac diversis odoribus & unguentis pretiosissimis plenum descendebat, seque illis immergebat, de quo *Juvenal. Sat.* VI.

Et Cosmi toto mergatur aheno,

Hinc *uncti* luxuriosi & voluptatibus dediti dicuntur apud autorem allegatum:

—— *unctamque Corinthum.*

Porro juvenum erat, ut unguentis delibuti ad amicas irent, ut placerent illis, ac ad Venerem incitarent; eum enim ob finem etiam in congressu unguentis fuisse usos testatur *Lucianus* in Asino. At nobis senem sistit *Horatius*, qui pretiosissimo unguento perfusus amicæ placere studet:

Senem, quod omnes rideant, adulterum
Latrent suburbanæ canes.
Nardo perunctum, quale nec perfectius
Meæ laborarunt manus.

Epod. lib. od. V. talem etiam invenies apud *Plautum* in *Casina*. Alioqui mulieres eandem ob causam etiam id fecisse legimus, quod clare apparet ex *Apuleji* verbis: *lib.* VI. *Metamorph. Et ecce*, inquit Psyche, *inepta ego divinæ formositatis gerula, quæ nec tantillum quidem indidem mihi delibo, vel sic illi amatori meo formoso placitura.* Hinc sicut Cereri panem, vinum Baccho, sic Veneri unguenta tanquam ipsi propria dedere Veteres. Unde *Papinius Statius Sylv. lib.* III.

—— —— *maternoque rogos unxistis amomo.*

Et *Lucianus* in Icaromenippo Deum describens convivium, καὶ ἄρτον, inquit, ἡ Δημήτηρ παρεῖχε, καὶ ὁ Διόνυσος οἶνον, καὶ ὁ Ἡρακλῆς κρέα, καὶ μύρτα ἡ Ἀφροδίτη, καὶ ὁ Ποσειδῶν μαινίδας. Quibus in verbis pro μύρτα *Marcil.* restituit μύρα, ut ex eodem videre est.

Ne vero fœminarum vestes & velum tenue bombycinum unguentis hisce macularetur, crines compositi & sparsi ornatricum acu sustinebantur, quam Græci βελόνην appellabant, atque *acum crinalem* dicit *Apulejus lib.* VIII. Varii erant usus hæ aciculæ, nam & caput illis scalpebant. *Festus: Acus, qua mulieres scalpunt caput.* Capillum distinguebant, unde *discerniculum* dicebatur, teste *Nonio*, & certe id nomen apud *Lucillum* invenitur, & *Tertull. Cedo acum crinibus distinguendis. Hieron.* adversum Ruffinum: *Fecerunt hoc & Fulvia in Ciceronem, & Herodias in Johannem, quia veritatem non poterant audire, & linguam veriloquam acu discriminali confodiebant.* Ergo innuit acum discriminalem *Xiphilinus*, qui de eadem Fulvia: Καὶ ταῖς βελόναις, αἷς ἐς τὴν κεφαλὴν ἐχρῆτο κατεκέντησε. Acu (ut jam diximus) capillos comtos figebant, de hac *Xiphilinus*: Βελόνη, ἣ τοὺς τρίχας ἦρεν. Et *Isidorus orig. lib.* XIX. *Acus sunt, quibus in fœminis ornandorum crinium compago retinetur ne laxius fluant, & sparsi dissipentur.* Habes apud *Martialem* de acu aurea distichon in *Apophor.* XXII.

Tenuia ne madidi violent bombycina crines,
Figat acus sparsas sustineatque comas.

Alio loco satis indicat multis orbibus capillos circa acum volvi solere, ne dissipentur. Ejusdem enim est illud: *lib.* II. *ep.* LXVI.

Unus de toto peccaverat orbe comarum.
Annulus, inserta non bene fixus acu.

Ipsas

Ipsas autem acus illas gemmis ornabant, ut docet *Ulpianus*. Atque acu crinali, (quamvis a calamistro differat, hujus enim usus erat in capillis torquendis & vibrandis; illius vero in discriminandis & continendis) Veteres tamen videntur calefacta vibrasse capillos. Unde in *Isidori* glossis: Acus, *Calamistratorium*. Et ejusdem *lib.* XX. *cap.* XIII. *Calamistrum est acus, quæ calefacta & adhibita calefacit, & intorquet capillos. Unde & calamistrati appellantur, qui comam torquent*. Et *Nonio Marcello Calamistrum est fistula brevis, qua cirri continentur*. Non enim *Nonius* & *Isidorus* Calamistrum & acum confunderent, nisi acu quandoque pro calamistro usi fuissent: *Calamistrum Nonius fistulam* dicit, rectissime, quia instar arundinis, quæ κάλαμις Græcis, intus cavum erat.

Maximam vero comarum curam habuere Græci, eamque studiose aluerunt, ut scribit *Eusthatius*, non tantum venustatis gratia, sed etiam formidinis: Ἔθος ἦν αὐτοῖς κόμην τρέφειν. ἐ μόνον ἐς κάλλος, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ φοβερόν. Οὕτω γὰρ καὶ λέων χαίτηες φοβερώτερος τῆς μὴ χαίτην ἔχοντος. Ita quoque de Leonida Spartanorum rege refert *Philostratus lib.* VIII. Ἐγένετο κομῶν ὑπὲρ ἀνδρείας, τε καὶ σεμνὸς μὴν φίλοις δὲ ἐχθροῖς φοβερὸς φαίνεσθαι. Alioqui magis pulcritudinis atque ornatus causa Romanos ac recentiores Græcos hoc factitasse legimus, inde præcipue flava inter illos coma celebrata fuit, quia commendatiorem vultum reddere credebant. Ita flavum capillitium commendat *Valer. Flaccus lib.* V.

> *Tum novus implevit vultus honor, ac sua flavis*
> *Reddita cura comis.*

Et *Catullus* laudat auream Berenices comam, adeoque in universum *Euripides* ait; Amorem *capi flava coma*, φιλεῖ κάτοπτρα καὶ κόμης ξανθίσματα. Unde etiam illi, quibus ex natura flavi crines non erant, arte acquirebant. Sic *Menand.* apud *Clem. Alexand.* Οὐ δεῖ, inquit, τὰς τρίχας ξανθὰς ποιεῖν. Et *Lucianus* in Amoribus: Αἱ μὲν γὰρ φαρμάκοις ἐρυθραίνειν δυναμένοις πρὸς ἥλιε μεσημβρίαν, τὰς πλοκάμες, ἴσα ταῖς τῶν ἐρίων χροιαῖς, χροιαῖς, ξανθῷ μεθαβάπτεσιν ἄνθει τὴν ἰδίαν κατακρίνεσαι φύσιν, i. e. *Nam aliæ quidem medicamentis rubefaciendi ad solis meridiem vim habentibus, capillos perinde ut lanarum coloribus, flavo inficiunt flore, propriam damnantes naturam*. Romanæ præcipue fœminæ veteres amavere hunc colorem; unde quædam sibi illum *cinere* conciliabant, quo capillos rutilarent. *Valer. Max. lib.* II. *cap.* I. de priscis Matronis: *quo formam suam concinniorem efficerent, summa cum diligentia capillos suos cinere rutilabant*, & *Cato* in originibus *pag.* 139. & 140. *Mulieres nostræ capillum cinere inungitabant, ut rutilior esset crinis*. Recte dicit cinere inunxisse capillos; cinis utique ille non erat pulvis dissolutus, *Lixivium*, aut *Sapo Gallicus*; Galliarum enim hoc inventum asserit *Plinius lib.* XXVIII. *cap.* XII. *Prodest & sapo, Gallorum hoc inventum rutilandis capillis. Fit ex sevo & cinere. Optimus fagino & caprino, duobus modis spissus ac liquidus. Uterque apud Germanos majore in usu viris quam fœminis*. Idcirco *Trallianus* scribit: Καὶ γαλλικὸ σάπωνος ἀναλύσας ἐν τῷ χύλῳ. Apud Germanos maximo in usu erat, cum eo etiam viri, teste *Plinio*, crines rutilarent. Rutilus vero color videtur esse igneus & flavus, sive aureus. Hinc Batavi *Silio* Auricomi dicti:

> *At puer Auricomo jam formidate Batavo.*

Quomodo & Vandalos χρυσοειδεῖς, id est *auriculores capillos Procopius* habere ait. *Martialis* vero *Ruffum* dixit *Batavum:*

> *Sum figuli lusus Ruffi persona Batavi.*

Græci plerumque ξανθὸν nominarunt, quamvis *Galenus* velit Germanos magis proprie πυῤῥὸς dici quam ξανθὸς. De his Germanorum nativis crinibus *Calpurnius Flaccus: Miramur hanc legem esse naturæ, ut in sobolem transeant formæ, quas quasi descriptas species custodiunt: sua cuique genti etiam facies manet. Rutili sunt Germaniæ vultus, & flava proceritas &c.* Verum & inter ipsos Germanos ab arte rutilus efficiebatur crinis: Crebro enim medicamentis illum lavabant; ita *Ammianus: Videbat* (sc. Germanos) *lavantes alios, quosdam comas rutilantes ex more. Plinius* eum colorem in crinibus gelidi Cæli beneficium existimat, quod tamen non putem, sed potius ex usu smegmatis & spumæ Catticæ seu Saponis liquidi hunc colorem sibi asciviffe Germanos arbitrarer; spuma autem Cattica est Batava spuma, (fortassis inde accepto nomine, quod olim Batavorum regionem incolebant Catti) quod indicat *Martialis lib.* VIII. *ep.* XXXIII.

> *Et mutat Latias spuma Batava comas.*

Sive, ut alibi docet, *Caustica;* vel ut reperi-

peritur in quibusdam exemplaribus, *Cattica:*

> *Caustica Teutonicos accendit spuma capillos.*

Ita ab ignea vi cineris, quæ lixivio incoquitur, ex quo Sapo conficitur tam liquidus, quam spissus, qui a Mattiacis in pilos densabatur, & inde *Pila Mattiaca* dicebatur. Ipse *Martialis* in Apoph.

> *Si mutare paras longævos cana capillos*
> *Accipe Mattiacas (quo tibi calva?) pilas.*

Mattiacæ autem a Mattiacorum gente, quos *Selandos* juxta nonnullorum judicium nunc dicimus, sive ut volunt alii a Mattiaco oppido Germaniæ, quod hodie *Baden* vocant. Ut ut sit, vile saponis genus fuisse tradit *Turneb. cap.* XXIII. *lib.* IX. Sed & Germani Rheni accolæ rufos crines obliquarunt, inde nodum coegerunt; ac præterea scobem & ramenta aurea videntur habuisse, quæ capiti inspergerent, quo magis coma illuminata flavesceret. De quibus haud obscure *Martialis lib.* V.

> *Rhenique nodos, aureamque nitellam.*

Ab his autem ad alios etiam iste mos pervenit, ita enim refert *Herodianus*, quod non puduerit Antoninum Imperatorem flavam capiti cæsariem aptare, quæ mentiretur Germanicæ tonsuræ modum; Κόμας inquit, τε τῇ κεφαλῇ ἐπετίθετο ξανθὰς, καὶ εἰς κουρὰν ἐρμαςῶν Γερμανῶν ἐσκημένας. Sed præsertim apud Romanas mulieres veteres in magna fuit æstimatione hic color, ut antea ex *Valer. Max. lib.* II. *cap.* I. ostendimus. Hinc & *Ovidius artis Amat. lib.* III.

> *Fœmina canitiem germanis inficit herbis;*
> *Et melior vero quæritur arte color.*

Sed, ut observat *J. Scaliger*, unde saponem putavit esse herbam? An ex Isatide etiam fiebat iste color; ita enim *Propertius lib.* II.

> *An si cæruleo quædam sua tempora fuco*
> *Tinxerit, idcirco cærula forma bona est.*

Posteriores vero Romanæ magis avide huic colori inhiabant, quippe quæ ipsum flavum capillitium emebant a Germanis & pro suis comis supponebant. Id constat ex *Ovidio* ad puellam:

> *Jam tibi captivos mittet Germania crines,*
> *Culta triumphatæ munere gentis eris.*

Item artis *Amat.* III.

> *Fœmina procedit densissima crinibus emtis;*
> *Proque suis alios efficit ære suos.*

Matronarum tamen honestiorum capillitium nigrum videtur fuisse, quod *Servium* notare video in IV. *Æneid.* qui Matronis nigram comam, Meretricibus vero flavam probatam fuisse ait. Huc igitur respexit *Juvenalis Sat.* VI. admodum Satyrice:

> *Et nigrum flavo crinem abscondente galero.*

In illud vetus Interpres, *crine* inquit, *supposito, rotundo muliebri capitis tegumento, in modum galeæ facto, utebantur meretrices flavo. Nigro enim crine matronæ utebantur.* Alias *Croco* eam in rem usas, testatur doctissimus *Tertull.* libello de cultu fœmin. *cap.* VI. *Video quasdam & capillum croco vertere; pudeat eas etiam nationis suæ: quod non Germanæ aut Gallæ sint procreatæ, ita Patriam capillo transferunt.* Item, *Thapso*, quæ est herba ferulacea, cujus lignum Hesychio aurei coloris, qui inde χρυσόξυλον. *Theocriti* Scholiastes: Θάψος γὰρ ἐςὶ ξύλόν τι ὃ καλεῖται σκυθάριον. Ἤγουν Σκυθικὸν ξύλον, ὥς φησὶ καὶ Σαπφώ. Τούτῳ δὲ τὰ ἔρια βάπτουσι, καὶ τριοῦσι μήλινα, καὶ τὰς τρίχας ξανθίζουσιν. Ἔςι δὲ τὸ παρ' ἡμῖν λεγόμενον χρυσόξυλον. Ἀσκληπιάδους δὲ, φυτόν τι χλωρὸν, ὅθεν καὶ τὴν θαψίαν πρὸς τὰ ἐπώπια. Βάπτεσθαι δὲ ἐκ ταύτης, τὰ κροκοειδῆ. Quia mulieres ea comam tingebant, inde θαψίνῃ γυναικὶ, ait Comicus, quod exponit Scholiastes ὠχρᾶ. Ego Tapsum sive Thapsiam (ita n. aliter dicebatur, quamvis interdum ea distinguant) id fuisse minime ambigo, quod nostrates *Soethout* vocant, cujus liquore lutei seu aurei coloris capillos laverint. Quin etiam *L. Verus*, *Commodus*, & *Gallienus Impp.* crinibus suis illuminandis auri scobem asperserunt, cujus rei causam reddit *Clemens lib.* III. *pædag. cap.* III. terroremque esset ait: τῶν ἐθνῶν οἱ Κελτοὶ καὶ οἱ Σκύθαι κομῶσιν, ἀλλ' οὐ κοσμοῦνται. Ἔχει τι φοβερὸν τὸ εὔτεριχον τοῦ βαρβάρου, καὶ τὸ ξανθὸν αὐτοῦ πολεμὸν ἀπειλεῖ, συγγενές, τι χρῶμα τῷ αἵματι. Ex hac veterum consuetudine capillos variis medicamentis mutandi haud inconcinne conjectari forte liceat

ceat ritus illius vestigia hodienum apud varias gentes durare, dum polline orizæ vel farinæ, vel etiam quocunque alio pulvere aut cinere sicco & dissoluto canitiem sibi conciliant.

At, quamvis in viris æque ac fœminis inter antiquos floruerit comæ studium, non tamen id apud omnes semper laudatum invenies; ut vel ex eo liquet, quod Paridi tanquam effœminato objiciatur ab Hectore nimia comarum cura, & *Diomede Iliad.* III. Et pereleganter in hanc rem *Phocylides:*

> Μὴ μὲν ἐπ' ἄρσενι παιδὶ τρέφειν χαίτην πλοκαμῖδος
> Μὴ κορυφὴν πλέξῃς, μήθ' ἅρματα λοξὰ κορύμβων
> Ἄρσεσιν οὐκ ἐπέοικε κόμη· χλιδαὶ δὲ γυναιξί.

Sic de Ænea tanquam semiviro Jarbas apud *Virgilium lib.* IV. ait:

> *Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu*
> *Mæonia mentum mitra crinemque madentem*
> *Subnixus, rapto potitur.*

Præsertim quod immensos in unguentorum usu sumtus impenderint, ac (ut antea alibi ex *Luciano* vidimus) τῶν γεγαμηκότων πλοῦτον εἰς τὴν χαίτην ἀναλίσκουσιν; Hinc apud *Athenæum* legimus, quod Lacedæmonii omnium harum pretiosarum compositionum venditores expulerint, quia oleum perderent, ac inutiliter consumerent. Et *Plinius lib.* XIII. *cap.* III. inquit: *Certum est Antiocho Rege, Asiaque devicta anno urbis CDLXV. Publium Licinium Crassum, L. Julium Cæsarem Censores edixisse, ne quis venderet unguenta exotica.* Ita autem appellabant compositiones externe & aliunde asportatas, ac proinde pretiosiores, v. g. Græcas, quas præ reliquis omnibus laudabant, quod constat ex illo *Plaut. in Stich. act.* I. *Sc.* III. ubi Parasitus auctionem facere decernens ita loquitur:

> *Vel unctiones Græcas, Sudatorias* &c.

Sed hic operæ pretium videtur enarrare, qua æstimatione fuerint, qui unguenta redolerent; indicabunt id nobis verba Vespasiani, quæ apud *Svetonium* in ejus vita *cap.* VIII. leguntur, hic enim *ne quam occasionem corrigendi disciplinam prætermitteret, adolescentulum fragrantem unguento, cum sibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiam gravissima increpuit: Maluissem allium oboluisses: literasque revocavit.* In eo *Ciceronis* judicio assentiens, qui ait odores, qui terram redolent, gratiores esse, quam qui Croco conveniunt.

Nemini igitur nimiam hanc luxuriam consideranti mirum videbitur, si eodem tempore variis medicaminibus faciem fucandi morem viguisse audiverit. Quippe legimus apud *Artemid. lib.* I. ἔδοξε καταχρίεσθαι τὸ πρόσωπον, ὥσπερ αἱ γυναῖκες. *Fucus* autem generatim pro quavis tinctura a Latinis accipitur, quamvis proprie dicatur de fuco Marino, qui est inter maris ejectamenta; Nam *Plinius l.* XXX. *cap.* X. ait: *Phycos thalassium, idest, fucus marinus.* Sic fuco usæ mulieres ad conciliandum ori *ruborem*, ut tradit *Lucianus* in libello de Amoribus, aliique plurimi. Fuci itaque color fuit rutilans, & quodammodo puniceus; Nec enim quivis color proprie fucus dicebatur, sed rubei tantum coloris genus. Quod cognoscitur ex *Plinii* verbis capite modo citato: *Fuco circa Cretam nato in petris purpuras quoque inficiunt.* Unde & *Nicandro* φῦκος φοινίσσον dicitur:

> Ἠὲ σὺ δὴ καὶ φοινίσσον καταβάλλεο φῦκος.

In veteribus vero Glossis *Fucus*, χρῶμα exponit, sed fortassis nimis laxe. Hic fucus erit *Purpurissum*, quæ spuma est collecta effervescente purpura, cum ex ea tinctura efficitur, *Dalechampio* teste. Eo utuntur pictores, & fœminæ genas tingentes illis ruborem conciliant. *Plautus in Mostell. Act.* I. *Sc.* II.

> *P. tum tu igitur cedo purpurissum.*
> *S. non do: scita es tu quidem:*
> *Nova pictura interpolare vis opus lepidissimum:*
> *Non istanc ætatem oportet pigmentum ullum attingere*
> *Neque cerussam, neque melinum, neque ullam aliam offuciam.*

Idem *Trucul. Act.* II. *Sc.* II.

> *Quia adeo fores nostras unguentis uncta es ausa accedere,*
> *Quiaque istas buccas tam belle purpurissatas habes.*

Id notant Scriptores Christiani, sic commemorat *Tertull.* libello de cultu fœmin. *Quæ cutem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant.* Item alibi: *An cum cerussa, purpurisso & croco, & in illo ambitu capitis resurgatis. Plinius* Indicum *purpurissum* refert inter floridos colores *l.* XXXV. *c.* VI. Eandem ob caussam utebantur *Rubrice-*

briceta. Iterum *Plautus in Trucul. Act.* II. *Sc.* II.

Buccas Rubricæ, cera omne corpus intinxti tibi.

Rubrica autem erat terræ species, qua usi mechanici ad ligna dirigenda filo. De ea conf. *Vitruvium lib.* VII. *cap.* VII. & *Plinium l.* XXXV. aliosque. Belgis *Rootkryt* seu *Rootaard* dicitur, ex qua tamen an pigmentum sive offuciam, qua malas illinebant, fecerint, ambigerem, quamvis *Turnebi* opinio sit, quod purpurissum Rubricam *Plautus* latine dixerit, *lib.* XXIV. *cap.* XVII. *Sandyx* quoque erat, ex qua purpureus color efficiebatur, quam plantam fuisse tradit *Hesychius:* Σάνδυξ δένδρον θαμνῶδες, ὃ τὸ ἄνθος χροιὰν ἔχει, κόκκῳ ἐμφερῆ, ὡς Σωσίβιος. *Plinius* vero *l.* XXXV. *c.* VI. censet fuisse *cerussam ustam: Hac*, inquit, (cerussa) *si torreatur æqua parte, rubrica admista, Sandycem facit*. Sane Sandycem fuisse χρῶμα κόκκινον ex *Suida* & *Photio* constat. Sic apud *Vopiscum* in *Aureliano* leges: *Dicitur Sandyx Indica talem purpuram facere si curetur.*

Sed ad alios lenocinii hujus colores progredior. *Albor* erat, quem formabat *Cerussa:* quæ ex eo nomen hausisse videtur, quod ceræ similis foret. Ad candorem conciliandum hac faciem infecisse mulieres docet locus hic *Martialis lib.* VII. *ep.* XXV.

Et corussata candidiora cute.

Unde & apud *Plautum in Mostell. Act.* I. *Sc.* III.

P. cedo cerussam. S. quid cerussa opus nam? P. qui malas oblinam.

Sed præter hanc habebant etiam *crassius sputum* ex madido pane, quale fuit *jus Collyricum*, cujus illitu genas splendidas faciebant. Meminit ejus *Tertull.* de cultu: *Ad mensuram neminem sibi adjicere posse pronunciatum est. Vos plane adjicitis ad pondus Collyridas quasdam, sputorum umbilicos cervicibus adstruendo.* Collyridas dicit a succo crassiore; unde & *offæ* dicuntur *Juvenali Sat.* VI.

Sed quæ mutatis, inducitur, atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque Siliginis offas
Accipit, & madidæ facies dicetur an ulcus?

Ex pane enim siligineo id fiebat medicamen. Idem *Sat.* II.

Et pressum in facie digitis extendere panem.

Panis autem ille (ut tradit vetus interpres) *erat medicamen ad tendendam faciem, aut cutem magis*. Et rugas e facie eximebat, ipsamque teneram reddebat; Fiebat etiam ex oriza aut fabis: Hodie in illum usum ex amygdalis contusis, vel ex farina siliginea. Illum vero panem, de quo supra egimus, lacte asinino madefaciebant, & ita tandem madido faciem incrustabant, dein vero tectorium illud, seu κατάπλασμα abstergebant smegmate ex lacte asinino. Dico smegmate, quia alia erant καταπλάσματα, alia σμήγματα, quibus utebantur ad cutem poliendam; sublatis enim cataplasmatis, τὰ σμήγματα adhibebant, ut id notavit doctissimus *Salmasius in Æl. Spart.* Hæc omnia clarissime quoque patent ex Satyrico, qui hoc respexit, cum inquit *Sat.* VI.

Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit,
Incipit agnosci, atque illo lacte fovetur.

Ubi *Scholiastes*, *Asinino*, inquit, *lacte faciem linit, ut cutem tendat, & candorem eliciat*. Sic de Poppæa Neronis uxore legimus, quod adeo diligens in forma fuerit curanda, ut eam missam in exilium quinquaginta Asinæ sequerentur, quarum lacte candorem corporis provocavit. Qua de re apponere visum locum interpretis: *Poppæa uxor Neronis adeo diligens in excolenda forma fuit, ut eam L. Asinæ sequerentur missam in exilium, quarum lacte candorem corporis sibi provocabat &c.* imo & ipsius *Juvenalis:*

Propter quod secum comites educit Asellas
Exul hyperboreum si dimittatur ad axem.

Quin & de Othone, qui munditiarum pæne muliebrium fuisse perhibetur, *Svetonius* in ejus vita refert, *faciem quotidie rasitare, ac pane madido linere consuetum: idque instituisse a prima lanugine, ne barbatus unquam esset*. Tandem quoque *Melino* videntur usæ fuisse delicatulæ istæ, de quo *Plautus in Epid. Act.* II. *Sc.* II. & *Mostell. Act.* I. *Sc.* III. Meminit quoque ejus *Plinius lib.* XXXV. *cap.* VII. ubi de Apelle, & aliis celeberrimis antiquis Pictoribus ait: *Quatuor coloribus solis immortalia illa opera fecere, ex albis Melino, ex silaceis Attico, ex rubris Sinopide Pontica, ex nigris Atramento*. Quibus e verbis

bis clare constat, Melinum terram fuisse albam, & hoc pigmento in facie albedinem procuratam fuisse; Sic idem *Plinius cap. praeced. Melinum, candidum & ipsum est optimum in Melo insula*. Unde etiam cognoscimus, sic dici a terra *Melia*, quae effodebatur in *Melo* Cretici maris insula. De qua tamen *Dioscorides* affirmat fuisse σποδοειδῆ, sive *cinericiam*. Interim fieri potuit, ut uno loco magis ad cinerem accesserit color, quam alio; indeque est colligere in Melo duo terrae genera fuisse, unum *candidum*, quo vetusti usi Pictores, alterum *cinericium*, quod tamen non procul ab albore decesserit.

Nigror, ad palpebras & supercilia utilis, *Stibio* acquirebatur. Nam στίβη, χρῶμα μεταλλικὸν μέλαν, ut testatur *Hesychius*. Conf. G. *Agricola* de natura fossilium *lib*. X. *cap*. XI. Hoc mulieres ad ornatum oculos denigrasse liquet ex *Luciani Amor*. ἐν οἷς ὀδόντων σμηκτικαὶ δυνάμεις, ἢ βλέφαρα μελαίνουσα τέχνη θησαυρίζεται, i. e. *in quibus dentium vis abstersiva, aut palpebris denigrandis ars comparata reconditur*. Oculos ejusmodi *Hieronymus* vocat *orbes stibio fuliginatos*. Atque de hoc etiam *Cypriani* illud *Serm*. V. de Lapsis capiendum: *Nigro pulvere lineamenta oculorum pingis, cum te Deus aliter fecerit*. Nec non *Artemidori lib*. I. ὀφρύες δασεῖαι καὶ εὐανθεῖς, πᾶσιν ἀγαθαὶ, μάλιστα γυναιξίν· αὗται γὰρ ὑπὲρ εὐμορφίας, καὶ μέλανι χρίονται τὰς ὀφρύας. Eleganter *Juvenalis Sat*. II.

> *Ille supercilium madida fuligine tinctum*
> *Obliqua producit acu, pingitque trementes*
> *Attollens oculos*.

Hinc videmus olim fuisse verissimum, quod inquit *Propertius lib*. I. II.

> *Naturaeque decus mercato perdere vultu,*
> *Nec sinere in propriis membra nitere bonis*.

Et ipse *lib*. II. XIII.

> *Ut natura dedit sic omnis recta figura est*.

Verum nostro more progressuri apud Britannos aliquandiu diversabimur. Hi *Glasto* sive *Isatide* corpus inficiebant colorabantque, quod caeruleum efficiebat colorem, unde & *Caerulaei* dicti apud *Martialem lib*. II. *ep*. LIV.

> *Claudia caeruleis cum sit Rufina Britannis Edita*.

Etiam *Seneca* in ἀποκολοκυνθώσει idem testatur in choricis anapaestis, cum inquit: *Et caeruleos Scotobrigantas*. Pro quo, ut quidem *Scaliger* judicat, hodie ineptissime editur: *Scuta Brigantas*. *Nam*, inquit, *qui sanus dixerit caeruleos scuta, qui cute caerulei essent*. Et paulo post: *Quaero, unde Picti dicti sunt? an quia scuta picti non cutem? certi Scoti ab iisdem partibus Hiberniae. Et Ambo picti non scuta, sed cutem*. Sane & *picti* dicebantur: ipse *Martialis in Apophor*.

> *Barbara de pictis veni Bascauda Britannis*.

Et *Claudian. de laud. Stil*.

> *— ne tela timerem*
> *Scotica, ne Pictum tremerem*.

Atque etiam a coloribus *Britannos* dictos autumat doctissimus *Camdenus*, *Brith* enim vetusta illorum lingua patria depictum & coloratum significat. Caeruleus autem iste color nonnihil ad Nigrorem accessit, quod colligi licet ex *Plinii* verbis, quae habet *lib*. XXII. *cap*. I. *Simile plantagini Glastum in Gallia vocatur, quo Britannorum conjuges nurusque toto corpore oblitae quibusdam in sacris & nudae incedunt, Aethiopum colorem imitantes*. Quod idem voluit *Caesar*, cum commentariorum *lib*. V. ait: *Omnes vero se Britanni ultro inficiunt, quod caeruleum efficit colorem*. De fine vero, ob quem se ita pinxerint, loquitur *Pomponius Mela* de iisdem Britannis *l*. III. *c*. VI. *incertum ob decorem, an ob quid aliud ultro corpora infecti*. Sed idcirco fecisse, ut horribiliores essent in pugna aspectu, ex *Caesare* probat *Petrus Victorius* V. L. XIX. 3. Verba *Caesaris* sunt: *Atque hoc horribiliore sunt in pugna aspectu*. Verum hic non negligendum censeo (cum praecipue in sequentibus usum habeat) quod in priore *Caesaris* allegato loco pro *ultro*, *luteo* reposuerit *Victorius*, cujus cur non hodie sententiam sequantur nonnulli, id illos movet, quod *Maro* Auroram vocet *luteam*, non ut caeruleam, sed ut *croceam*, & *Eclog*. IV. dicat non caeruleo, sed

> *Croceo mutabit vellera luto*.

Sed illi, ut inquit *Turnebus l*. VI. *c*. XVII. *hoc peccare alii videntur, quod cum hujus herbae succo inficiatur caeruleus & viridis color, tamen flores melini sint & crocei*. Et postea: *Cum autem Vitruvius scribit: Herba, quae lutum appellatur, Herbam aliam intelligit, quae luteo croceoque colore inficit, mihi non notam*. Et sane luteum *Philander* censet esse *Isatin*, (de qua *Dioscorides*

rides lib. II. *cap.* CLXXX. ſive juxta alios *cap.* CCXVI.) cauſas apud ipſum videas ad *Vitruvii lib.* VII. *cap.* XIV. Itaque hac de re dubium hactenus manet, nec non eruditorum altercatio, ſitne apud *Cæſarem luteo* an *Glaſto* legendum. De his tamen ſi conferamus *Turnebum l.* XXIII. *c.* XXII. ita ille ſuggeret: *Utrumvis ſine ullo ſenſus & latinitatis diſpendio legeris. Apulejus enim Iſatin ab Italis luteam aut Glaſtum vocari dicit. Ita cum utrumque vocabulum latinum ſit: fraudi non debet eſſe hoc vel illud Cæſari intexere, diſceptatore & arbitro velut a Prætore dato Apulejo. Quanquam ſatius omnino ſit vetera ſequi exemplaria, in quibus vitrum ſcribitur.* Et certe ita eſt apud *Melam*, qui idem narrat. Item apud *Fulvium Urſinum*, qui in codice quodam apud *Cæſarem* ſic ſcriptum ſe reperiſſe dicit. Idque magis etiam affirmant *Vitruvii* ſcripta; Nam in antiquis ejus editionibus ita invenimus, *lib.* VII. *cap.* XIV. *Item propter inopiam coloris Indici cretam Selinuſiam, aut anulariam vitro, quod Græci Iſatin appellant, inficientes imitationem faciunt coloris Indici. Iſatin* autem in *Vitruvio* ſcribendum eſſe, quis non videt? Quid, quod his accedat autoritas *Oribaſii: Iſatis, quam infectores herbam vitrum vocant.* Sed etiam *Iſatin Plinius lib.* XX. *cap.* VII. *Glaſtum* dici ſcribit, quod in Latio, ut eſt apud citatum *Oribaſium lib.* de virtute ſimpl. *vitrum* ſonat: nempe quia infectores lanam tingebant colore *vitreo* ſive *hyalino*. Ideoque a Gallis & Germanis eadem de cauſa dicebatur *Glaſtum*. Sane iiſdem *glas* hodie vitrum. Quod tamen ex ſuperioribus herba colligitur, & *Plinio* teſte *l.* XX. *c.* VII. eſt tertium *lactucæ* ſponte naſcentis genus, *quo*, ut & ſupra memini, *infectores lanarum utebantur*; & non tantum, quæ alioqui conflatione efficitur materia nitoris pellucidi. Nec ſimpliciter hoc glaſto inficiebant Britannæ corpora, ſed & animalium in iiſdem pingebant figuras. Cujus rei teſtis *Herodianus lib.* III. τὰ σώματα σίζονται γραφαῖς, ποικίλων ζώων παντοδαπῶν εἰκόσιν. Sed plenius *Solinus cap.* XXV. *Regionem partim tenent Barbari, quibus per artifices plagarum figuras jam inde a pueris variæ animalium effigies incorporantur, inſcriptiſque viſceribus, hominis incremento pigmenti notæ creſcunt. Nec quicquam magis patientiæ loco nationes feræ ducunt, quam ut per memores cicatrices plurimum fuci artus bibant.* Hæc *Solinus*, & nos hactenus de Britannis.

Quod ad Poetas attinet, abunde teſtatur *Horatius* de arte Poetica quoſdam antiquitus *fæce* fuiſſe perunctos ne agnoſcerentur, ſua e plauſtris poemata canere ſolitos, his verbis:

> *Ignotum tragicæ genus inveniſſe Camenæ*
> *Dicitur, & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis:*
> *Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.*

Et exinde eos appellavit τρυγοδαίμονας, *Ariſtophanes* in νέφελ, ubi conf. Scholiaſtes.

Sed ad inferiores corporis partes, pedes nempe, deſcendo, quos Athenienſium delicatiores inungi curabant, uti narrat *Cephiſodorus*. Præcipue vero id fecere peregre proficiſcentes, qui ampullam ſecum tulere, eum in uſum, quem docet alicubi *Meurſius*. *Mos*, inquit, *erat pedes oleo ungere, antequam calceos induerent. Itaque peregre abeuntes ampullam ſecum portabant, quæ oleum eum in uſum ſuppeditaret.* Quod poſterius clare ex *Plauti* Mercatore *Act.* V. *Sc.* II. paret:

> *tollo ampullam, atque hinc eo.*

Prius vero apparet ex *Heſychio*, cujus hæc verba: ἠλείφοντο τὺς πόδας οἱ ἀρχαῖοι, πρὶν τὸ ὑποδήσαϑαι. Atque hinc λιπαρὺς πόδας videntur Poetæ appellaſſe. Quin imo ad hunc ritum inungendi pedes accedit illud Evangeliſtæ, qui Mulierem Salvatoris quoque pedes unxiſſe ſcribit.

Haud immerito fortaſſe hic adjungenda, quæ pertinent ad loca ſeu tempora, quibus præſertim unguentis uſi veteres. Sic *in nuptiis* ſpargebantur unguenta, eorumque odore cuncta quaſi perfundebantur, quod oſtendit hic *Apuleji* locus *l.* IV. *Mileſ. Nam viſa ſum mihi de domo, de thalamo, de cubiculo, de toro denique ipſo violenter extracta, per ſolitudines avias infortunatiſſimi mariti nomen invocare: eumque ut primum meis amplexibus viduatus eſt, adhuc unguentis madidum, coronis floridum conſequi me veſtigio.* Atque idem autor, Amoris & Pſyches nuptiale convivium *lib.* VI. pereleganter ita deſcribit: *Vulcanus cænam coquebat: Horæ roſis & cæteris floribus purpurabant omnia: Gratiæ ſpargebant balſama: Muſæ voce canora perſonabant &c.* Hic Gratiis balſama tribuit, quia gratiam ac ornatum ſibi conciliabant olim unguentati.

Præterea ſeſe ungebant, quotieſcunque remota triſtitia *hilari* eſſe *animo* volebant, ac *jucunditati* ſeſe cupiebant dare. Ex Græcis id teſtatur *Homerus Odyſſ.* XVIII. de Nutrice Eurinome canens, quod Penelopen miſſis lacrymis ſeſe lavare, ac faciem inungere juſſiſſet. Atque inter Romanos quoque id moris obtinuiſſe, ut ſcilicet non niſi probe loti ac uncti genio indul-

indulgerent, infinitis ferme constat testimoniis, e quibus pauca nobis adduxisse sufficiat. Sic B. *Augustinus lib.* IX. confessionum Balnea pellere tristitiam credidit, cum ait: *Visum etiam mihi est, ut irem lautum, quod audieramus inde Balneis nomen inditum, quod anxietatem pellat ex animo*. Ita quoque *Horatius Epod. Od.* XIII.

> *Nunc & Achæmenia*
> *Perfundi nardo juvat: & fide Cyllenea*
> *Levare diris pectora*
> *Sollicitudinibus.*

Idem alio loco: *i, pete unguentum, puer, & coronas*. Sed contra in calamitatibus vulgaribus pulvere crines collinebant. *Lucian.* Scripto de luctu: καὶ κόνις ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πάσσεται. Apud Ægyptios autem si in domo mortuus reperiebatur, vultum *luto* oblinebant fœminæ: quod luctus maximi signum erat. De quo ritu *Herodotus* hæc habet: τοῖσι ἂν ἀπογένηται ἐκ τῶν οἰκηίων ἄνθρωπος, τοῦ τις, καὶ λόγος ῇ, τὸ θῆλυ γένος πᾶν τὸ ἐκ τῶν οἰκηίων τούτων κατ' ὧν ἐπλάσατο τὴν κεφαλὴν πηλῷ καὶ τὸν πρόσωπον. In luctu vero majori crines evellebant, aut etiam penitus radebant capita: Sic *Seneca in Œdipo: Luctus evellens comam*. Et *Apulejus lib.* IV. Milef. *quid*, inquit, *canitiem scinditis?* & hos crines, quoties propter mortuum quendam evulserint, supra busta, aut cineres, vel etiam defunctorum spargere cadavera solebant, quod ex *Homero satis notum, Iliad.* ψ.

> Θεῖξι, δὲ πάντα νέκυν καταείνυον, ἃς ἐπέβαλλον
> Κειρόμενοι.

Porro autem & in alicujus rei *concelebratione*. V. G. ludi, vel cujusdam Festi, dieique natalis unguentis erant delibuti. Ita *Martialis lib.* XI. *ep.* VII. de festo Saturni falcem gerentis:

> *Unctis falciferi senis diebus &c.*

De priori extat, & apud *Tibullum* locus, *lib.* I. *El.* VIII.

> *Huc ades, & centum ludos, Geniumque choreis*
> *Concelebra, & multo tempora funde mero,*
> *Illius & nitido stillent unguenta capillo.*

De eodem Genio *lib* II. verba facit:

> *Ipse suos Genius adsit visurus honores;*
> *Illius puro distillent tempora Nardo.*

Item in *compotationibus* odoramenta adhibere celebre fuit. *Juvenal. Satyr.* IX. inquit:

> *Dum bibimus, dum serta, unguenta*
> *Puellas*
> *Poscimus.*

Illas, ut forent amœniores, plerumque in pratis ad rivulorum ripas, vel etiam sub arbustis instituebant, cujus rei testem se nobis offert *Horatius lib.* II. *Od.* III.

> *Qua pinus, ingens, albaque populus*
> *Umbram hospitalem consociare amant*
> *Ramis, qua obliquo laborat*
> *Lympha fugax trepidare rivo.*
> *Huc vina, & unguenta, & nimium breves*
> *Flores amœnæ ferre jube Rosæ.*

Idem autor alibi:

> *Cur non sub alta vel platano, vel hac*
> *Pinu jacentes sic temere . . .*
> *Dum licet, Assyriaque Nardo*
> *Potamus uncti?*

Pueri vero nobiles ad pocula divitibus ministranda adhibebantur, quorum meminit *Plautus in Menæchm. Act.* II. *Sc.* II.

> *Non scis quis ego sum? qui tibi sæpissime*
> *Cyathisso apud nos.*

Isti pueri Pincernæ, dicebantur antiquitus *Pocillatores servi, & ad Cyathos*. Atque & illi plerumque uncti suo fungebantur officio. *Propert. Lygdanus ad Cyathos*, & *Horat. lib.* I. *Od.* XXIX.

> *Puer quis ex aula capillis*
> *Ad cyathum statuetur unctis.*

Illis subinde convivæ dicebant illud πίνειν κίρνα, *misce ut bibam*. Sed & illud observo, quod impendio curarint Veteres, ut *calamistratos* haberent in ministerio. Ita *Seneca epist.* CXX. *crinitus puer poculum tibi porrigat*. De his quoque *Julian. Misop.* οὐ κρεῖττον ἦν ὀδωδέναι μύρων τὴν ἀγορὰν βαδίζοντός σου, καὶ παῖδας ἡγεῖσθαι καλοὺς, εἰς οὓς ἀποβλέπουσιν οἱ πολῖται. Hinc Satyricus *Sat.* IX. *Puerum te, & pulcrum & dignum cyatho*. Prolixius etiam de his egit *Athenæus*, quem videas *l.* X. *c.* VII.

Sed potius ad ipsa pergamus convivia, & unguentis quemque perfusum adspiciamus: nullum enim apud veteres solenne fine

ſine unguentis & coronis floribuſque convivium. Ungebantur vero veteres *ante epulas:* quod potiſſimum fiebat, quum e longinquo redirent itinere. Exemplo Diomedis & Ulyſſis id oſtendit *Homerus*, qui ab exploratione redeuntes ἀλειψαμένω λιπ᾽ ἐλαίῳ δείπνῳ ἐφιζανέτην. Unde *Athenæi l.* IV. ex *Homero* ſententia eſt: Δεῖ θεραπεύσαντα τὸ σωμάτιον καὶ λουσάμενον ἰέναι πρὸς δεῖπνον. Etiam *Apulejus Mileſ. lib.* IV. latrones inducit, qui *oleo peruncti menſas dapibus largiter inſtructas* accumbebant. Ita etiam uncti ante convivia hoſpites, quod videre ſuperius eſt, ubi de hoſpitibus egimus. Interim nec unguentorum minor *in ipſis conviviis* uſus fuit, ubi quando ſe liberalius invitare decreverant, floribus redimiti, unguentiſque delibuti cænitabant. Dabantur Romanis in triclinio diſcumbentibus a miniſtris hæ coronæ, velut extat in marmore Farneſiano *tæniæ* ſive *faſciæ* quædam, quibus frontem convivæ vincire ſolebant. Sumtuoſiores autem & operoſiores erant Perſarum deliciæ, ſed Regum præcipue ac Satraparum, de quorum luxu ac ſplendore cum alii tum *Athenæus lib.* IV. Quorum etiam luxurioſum apparatum paucis verbis declarat *Herodotus* καλλιόπῃ. Et Perſicos odores commemorat *Spartianus* in vita L. Ælii Cæſaris. Alioqui de modeſto veterum Perſarum victu, nihil ad panem præter Naſturtium adhibentium, multa præclara *Xenophon*, cujus verba *lib.* I. de Cyri inſtitut. hic appoſui: Φέρονται δὲ οἴκοθεν σῖτον, μετὰ ἄρτου ὄψον δὲ κάρδαμον πιεῖν δὲ ἤν τις διψῇ κώθωνα, ὡς ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ ἀρύσασθαι, i. e. *nam domo afferunt in cibum quidem panes: in obſonium autem naſturtium: in potum autem ſi quis ſitiat poculum fictile, ut aquam de quovis flumine hauriant.* Sed luxum convivalem e Perſarum recentiorum deliciis Romam perfluxiſſe arbitratur *Gutherius lib.* I. de jure Manium *cap.* XV. Quin imo nec Judæi plane hujus fuere moris expertes. Ad hunc enim reſpicit Evangeliſta *Luc. c.* VII. 46. ubi Chriſtus Phariſæum, ſe ut convivam haud benigne excipientem, increpat, quod unguentum non dederit, inquiens: Ἐλαίῳ τὴν κεφαλήν μου οὐκ ἤλειψας. Αὕτη δὲ μύρῳ ἤλειψέ μου τοὺς πόδας. Flores vero, quibus uſi, plerumque roſæ erant: Sic *Anacreon*: Ἐμοὶ μέλει μύροισι καταβρέχειν ὑπήνην; ἐμοὶ μέλει ῥόδοισι καταστέφειν κάρηνα, i. e. *Mihi curæ eſt unguentis madefacere cæſariem; mihi curæ eſt roſis coronare verticem.* Et *Lucianus* libello de Aſino circa finem hæc habet: Καὶ δεῖπνῶ σὺν αὐτῇ, καὶ ἐκ τοῦ μύρου ἀλείφομαι καὶ στεφανοῦμαι τῷ φιλτάτῳ καὶ ὃς ἀνθρώπους με ἀνασώσαντι ῥόδῳ. Hinc paſſim occurrit apud *Horatium* illud: *Neu deſint epulis Roſæ.* Et alibi: *Sparge Roſas* &c. Interim nequaquam imus inficias etiam ex aliis frondibus conſtaſſe coronas. Nam præter Roſas nectebantur hedera, verbena, myrto, apio & aliis. Sed merito hic dubitari poſſet, cur ad coronas uſi olim ſunt apio, cum id lugubre ſemper habitum fuerit. Unde τοῦ σελίνου δεῖσθαι, i. e, *apio indigere* ægrotantem dicebant: cum exigua ſupereſſet ſpes de recuperanda valetudine: An fortaſſis ideo funebria admiſcuerint, ut lethi memores tanto hilarius agerent, juxta illud *Horatii:*

Dum res & ætas, & ſororum
Fila trium patiuntur atra.

An potius aliam ob rationem, quod nempe apium reſiſtere ebrietati credatur, & myrtus, tanquam Veneri ſacra, huic accedens, ſimul cum apio convivali etiam lætitiæ conveniat. De quo conf. *Victor. Var. Lect. lib.* XVI. *cap.* II. quam quidem poſteriorem ſententiam meam facerem, cum certiſſimum ſit non tantum voluptatis cauſa odoramenta adhibuiſſe veteres, ſed etiam quod crederent illis ebrietati reſiſti; atque hinc utebantur coronis unguento delibutis, adi, ſi placet, *Fulvium Urſinum Append. ad Ciaccon.* Nonnunquam etiam, ut indicat *Feſtus*, aviculas corollis ſuis alligabant, quarum & cantu aſſiduo, & crebris unguium roſtrique puncturis efficeretur, ne inter epulas & potandum obdormiſcerent. Cæterum priuſquam menſam relinquimus *Martialis* jocum, quo convivatorem quendam, amicis ſuis nil niſi unguenta exhibentem ſalſe irridet, apponere duxi. Eſt is *lib.* III. *ep.* XII.

Unguentum (fateor) bonum dediſti.
Convivis here, ſed nihil ſcidiſti.
Res ſalſa eſt bene olere, & eſurire
Qui non cænat, & ungitur, Fabulle,
Hic vere mihi mortuus videtur.

An autem *poſt cænam* vel *convivia* Gentiles ſeſe unxerint, equidem ambigo; maxime cum ejus ritus, nihil hactenus obſervaverim. Quod vero ad Hebræos attinet, de iis res certa eſt, & magiſtri eorum eam unctionem, quam poſt prandium aut cænam adhibebant, *aquas ſecundas aut lotionem ſecundam* nominant, quamvis unguento uterentur, hæc enim unctio poſt cibum lotionis loco illis eſt. Ipſum illud unguentum שמן הטוב, ungendi vero officium אמת המים τὸ πιςὸν τῶν ὑδάτων vocabant, ita enim alias dicunt irrigatio-

gationem. Videatur *Daniel Heinsius* in *exerc. sac.* ad *Nonum p. m.* 451.

Adderemus hic porro unctiones in balneis usitatas, nisi illæ jam alibi a nobis fuissent indicatæ. Id hic tantum adjungimus, quod, quemadmodum multa & præclara in balneis reperiebantur diverticula (sumtus enim immensos faciebant Romani ad balnea sibi bene ædificanda, in quibus nec modum, nec rationem servabant, quod vel exinde queat colligi, quia quisque ferme, cui modo res erat modica, in villa sua balnea habebat angusta, privataque) sic inter ea minime inter obscuriora habitum fuerit *unctorium*, amœnum & elegans habitaculum, in quo magna servabatur copia pretiosiorum unguentorum: quod conclave duos habebat aditus vel introitus ad recipiendos, qui e Palæstra redibant, quemadmodum illud fuit observatum a *Gulielmo Du Choul. in tract. de Balneis*, ad quem B. L. remittimus.

Ad alia nunc pergentes, considerabimus breviter *unctiones*; quas *siccas* dicebant veteres. Et qui illis unctionibus utebantur, Græce (ut ajunt Lexicographi) id ξηραλοιφεῖν dicebant. Quæ vox etiam occurrit apud *Lucianum in Lexiph.* Ἐγὼ δὲ ξηραλοιφήσω ἀπελθών, quæ reddidit *J. Benedictus: Ego autem abiens in sicco ungar*. Interim hic observandum, differre ξηραλοιφεῖν ab eo, quod ab unctoribus ξηροτρίβεσθαι, i. e. *sicca frictione fricari* dicitur; id enim monet *Harpocration* in ξηραλοιφεῖν: Αἰσχίνης, inquit, κατὰ Τιμάρχου. Ξηραλοιφεῖν ἐλέγετο χωρὶς λουτρῶν ἀλείφεσθαι, ὡς Δίδυμος ἐν εἰκοστῇ ὀγδόῃ τραγικῆς λέξεως, καὶ Νίκανδρος ἐν ὀγδόῃ καὶ δεκάτῃ Ἀττικῆς διαλέκτου, προστιθεὶς, ὅτι μή ποτε καὶ τὸ ὑπὸ τῶν ἀλειπτῶν λεγόμενον ξηροτρίβεσθαι οὕτως ἐλέγετο. Σοφοκλῆς Πηλεῖ:

Καὶ ξηραλοιφῶν ἔμματος διὰ πτυχῶν.

Hæc *Harpocration*: ac eadem ferme *Suidas*; cui jungatur *Hesychius*. Nec non de his unctionibus videatur *Theod. Marcil. ad Pers.* Alioquin & lotionibus, lavacris vel fluviis sese abluentes, antiqui corpus ungebant; Quod solenne fuisse Spartanis in fluvio Eurota jam inde ab Heroicis temporibus indicat *Theocritus* in *Helenes Epithal. Idyll.* XVIII. ubi virgines Lacedæmoniæ canunt se ungi virorum more ad Eurotæ flumina.

Χρισαμέναις ἀνδριστὶ παρ' Εὐρώταο λοετροῖς.

Verum alia nunc consideremus loca. In *Luciani* Asino reperimus quosdam ad ignem id factitasse, οἱ δὲ, inquit, τὴν γραῦν ἐπαινέσαντες, ἀποδυσάμενοι, ἠλείφοντο πρὸς τὸ πῦρ, i. e. *collaudata vetula, vestibusque depositis ad ignem sese ungebant*. Magis vero erat usitata veterum *insolatio*, cum toto die uncti in sole nudum corpus apricari & cuticulam probe curare solebant, id quod ideo faciebant, ut oleum corpus imbiberet, & cutis muliercularum more redderetur nitida. Quibus probe convenit illud *Persii Sat.* IV.

At si unctus cesses & figas in cute solem.

Ipsam vero hanc *insolationem*, cum corpora sole torrentur, ἡλίωσιν vocabant Græci, & ἡλιοκαΐαις gaudebant. Quo etiam optime faciunt, quæ habet *Lucianus* in *Lexiph.* Νῦν δὲ ἤδη καιρὸς ἐστὶ χρίεσθαι τὸ ἡλιοκαές, καὶ πρὸς τὴν εἵλην θέρεσθαι, καὶ λουσαμένους ἀρτοσιτεῖν, i. e. *Jam nunc autem tempus est insolatum ungendi, & ad solis splendorem apricandi, & postquam laverimus panem esitandi*. Hinc quoque illud modo citati *Persii*.

—— & assiduo curata cuticula Sole.

Quæ verba ita est interpretatus vetus Scoliastes: *Curata, sc. a Chromatiariis, nam Chromatiarii dicuntur colorarii, vel qui toto die in arena sunt vel in sole, antiqui enim ungebant sese, & in sole erant, ut oleum corpus imbiberet. Ut Juvenalis:*

Nostra bibat vernum contracta cuticula solem.
Effugiatque togam.

Eleganter item *Martialis* de hoc corpus torrendi modo in Charinum *lib.* I.

Sole uritur Charinus, & tamen pallet.

Huc puto etiam alludere *Terentium*, *Adelp. act.* IV. *sc.* II. cum ibi *Syrus* ait: *Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit*. Sed inter remedia hæc numerabant medici: Et *Arnobius lib.* I. refert: *Nunquid ideo dicenda sunt nubila inimica obductione pendere; quia libidini non permittitur otiose rutilare se flammis? heleocaminus*, i. e. quasi fornax solaria huc faciat.

His ita hactenus consideratis videbimus nunc instrumenta, quibus usi veteres ut de corporibus oleum, sudores, atque sordes distringerent. Hæc a stringendo *Strigiles* dicebantur, iis enim equi, atque in balneis etiam homines fricabantur purgabanturque. Græce strigil non modo στλεγγίς,

γὶς, verum etiam ξύςρα dicitur a ξύω, *rado*, *stringo*, quod indicat vetus *Juvenalis* interpres in *sat.* III. cum inquit: *Strigla autem est quod Xystram dicunt unde oleum deteritur:* Et in Glossis *Cyrill.* est: ξύςρα, *strigil*, *strigilis*. Ab hoc instrumento ortum est verbum *distringere*, quod sæpissime apud varios occurrit Scriptores: ut apud *Marcell.* de *Medicam. cum locum perunxeris, cito destringas*. Item *Plinium lib.* III. *ep.* V. quæ est ad *Marcum: Solum balinei tempus studiis eximebatur, cum dico balinei tempus, de interioribus loquor. Nam dum distringitur, tergiturque, audiebat aliquid aut dictabat*. Et *Plinius Veronensis lib.* XXXIV. *cap.* VIII. hæc habet: *Plurima ex omnibus signa fecit, ut diximus, fœcundissimæ artis: inter quæ distringentem se, quem M. Agrippa ante thermas suas dicavit*. Sed & velaria, quibus athletæ post laborem stringebantur, nonnulli etiam strigiles fuisse dicta, autumant. A stringendo item *strigmenta* dicebantur sordes, quæ abstergebantur de corporibus athletarum, qui in Xysto raderentur strigilibus. Sed ut ad strigiles balneares revertamur, fieri curabant illas antiqui ex auro, argento, ære &c. communissime tamen e ferro, quod colligitur ex *Plaut. Stich. Act.* I. *Sc.* III. ubi strigilem vocat *rubiginosam*. Et clarius *Martialis* in *Apoph.* de Strigile *ep.* XLIX. hæc ait:

> *Pergamus has misit curvo destringere ferro,*
> *Non tam sæpe teret lintea fullo tibi.*

Quibus in verbis & strigilum observari poterit origo, nam in Pergamo inventas, vel inde allatas esse ait. Item Horatius:

> —— *curvo distringere ferro.*

Scribit tamen *Plutarchus Lacædemonios* καλαμιναῖς *arundineis*, & Æliacos Agrigentinos *argenteis* fuisse usos; item *Strabo* memorat *lib.* V. geograph. Indos levibus striligibus *ebeneis* corpus expolire solitos. Hæ strigiles porro inter Romanos oleo quandoque perfundebantur, quo minus ferri asperitate ac duritie cutis læderetur, quod, opinor, clare satis patet ex *Satyrici* verbis: *Sat.* III.

> —— —— *jam sonat unctis*
> *Strigilibus, pleno & componit lintea gutto.*

Scribit enim Tranquillus: *Octavium læsisse cutem nimio strigilis usu*. Quin veterum Romanorum ditiores & hinc delicatiores Strigilum loco sæpius utebantur *spongiis purpureis*. Ut ex *Plinio* discimus *lib.* XXXI. *cap.* XI. vel *palliis laneis*, quemadmodum ea inter lautitias & maximum Trimalcionis apparatum posuit *Petronius*, cum ait: *Jam Trimalcio unguento perfusus tergebatur non linteis sed palliis ex mollissima lana factis*. Sed & alias a lavatione, oleo aut unguento perfusos, linteis tergere, mos fuit, quod vel mediocres fecere & pauperes; utpote quibus non strigiles semper, sed illarum loco mollia lintea usui fuere, quibus sordium eluviem exfricabant, ita *Apulej. lib.* I. *Met. oleum unctui, lintea tersui profer*. A Parasitis vero tergebantur divites, de quo *vid. Scalig. Conject.* Hinc *Plautus* inter eorum suppellectilem strigiles *refert. Pers. act.* I. *sc.* III.

> *Cynica esse e gente oportet Parasitum probe:*
> *Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium,*
> *Marsupium habeat.*

Sed fortassis Lectori rem haud ingratam fecero, si strigilum figuram, tum ab *Hieronymo Mercuriali* artis Gymnastice *lib.* I. *cap.* VIII. tum a *Guglielmo Du Choul* observatam & depictam conspectui ejus subjecero, ea vero hæc est:



Quam figuram veris strigilibus convenire, vel ex *Apuleji* verbis dijudicare quis poterit, qui *Florid. lib.* I. inquit: *Juxtaque honestam Strigilecuam, recta fastigiatione clausulæ, flexa tubulatione ligulæ; ut & ipsa in manu capulo moraretur, & sudor ex ea rivulo laberetur*. Has strigiles defe-

deferebant ad balnea (ut & reliqua utensilia) divitum pueri vel servi; ut claret ex *Horatio*.

I, puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.

Et *Lucianus* in *Lexiph.* Σὺ δὲ ὦ παῖ, inquit, στλεγγίδα μοι, καὶ βύρσαν, καὶ φωσώνια, καὶ ῥύμματα ναυστολεῖν ἐς τὸ βαλανεῖον, καὶ τῆ πίλετρον, κομίζειν. Conferantur in hæc verba interpretes & commentatores, qui novissimæ editioni juncti sunt. Huic quoque rei favet *Spartianus* in Hadriano: *Publice & cum omnibus lavit: cum vero veteranum quendam dorsum, & cæteram corporis partem vidisset sibi atterere, percontans cur se marmoribus distringendum daret? ubi hoc iccirco audivit fieri, quod servum non haberet, & servis eum donavit & sumtibus.*

Ne autem mortuos plane oblivioni tradamus, de illorum quoque unctionibus quædam in medium afferemus. Quod vero uncta sint *cadavera* apud antiquos, nullus quidem hodie erit, qui id in dubium vocabit. Igitur circa unctionem ipsam quædam observanda veniunt. Ac primo quidem corpora sepulturæ danda lavabant Antiqui. Ita *Euripid.* in *Hecub.* Ὡς παῖδα λουτροῖς τοῖς πανυστάτοις λούσω. Id factum priusquam ungebantur; *Lotio* enim non minus ad honorem sepulturæ pertinebat, quam *unctio* & pleraque alia, quæ in exequiis solebant adhiberi. Quale est hoc exemplum ex *Virgilio lib.* VII. *Æneid.* de Miseni antiquissimo funere:

—— Corporusque lavant frigentis & ungunt.

Et *Lucianus* libro, quem inscripsit de luctu, morem huc confirmar, cum admodum ridicule hæc posuit: Μετὰ ταῦτα δὲ λούσαντες αὐτοὺς, ὡς οὐχ ἱκανῆς τῆς κάτω λίμνης λουτρὸν εἶναι τοῖς ἐκεῖ, καὶ μύρῳ τῷ καλλίστῳ χρίσαντες τὸ σῶμα, πρὸς δυσωδίαν ἤδη βιαζόμενον, καὶ στεφανώσαντες τοῖς ὡραίοις ἄνθεσι, προτίθενται, λαμπρῶς ἀμφιέσαντες ἵνα μὴ ῥιγῷεν δηλονότι παρὰ τὴν ὁδὸν, μηδὲ γυμνοὶ βλέποιντο τῷ Κερβέρῳ. Quibus e verbis etiam constat optima quæque unguenta adhibita mortuis, ita ut verum sit quod habet *Herodian. lib.* IV. *cap.* II. Τὸ μὲν γὰρ σῶμα τοῦ τελευτήσαντος πολυτελεῖ κηδείᾳ καταθάπτουσιν. Illa vero unguenta varia erant, v. g. casia & myrrha: ut est apud *Martialem lib.* X. XCVII.

Dum myrrham & casiam flebilis uxor emit.

Et apud Judæos Aloe, uti patet ex Salvatoris passionis historia. Sed aliis quoque speciebus, ut cedromelle, sale, cera, bitumine, & resina mortuorum corpora peruncta fuisse docet *Schindlerus*. Sed imprimis ad hæc unguenta, Amomum adhibuerunt, reliquisque addiderunt, quibus cadavera condirent. Unde *Statius Sylvar. lib.* II.

Assyrio cineres adolentur Amomo

Et *Persius Sat.* III.

—— tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus
Amomis.

Quamobrem ab Amomo, tanquam principali mixturæ parte, unguenta omnia, quibus defunctorum corpora medicabantur & condiebantur vocarunt *Amomiam*. Unde postea truncata voce haud dubie fecerunt id nominis, quod *Mumiam* & *Momiam* hodie dicimus. Sed nec tantum integris mortuorum corporibus id honoris tribui solebat, verum etiam *ossa* unguentis spargebantur. Testem produco *Tibullum lib.* III. *El.* II. ita loquentem:

Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incinctæ nigra candida veste legant.

Et paulo post:

Illic quas mittit dives Panchaia merces
Eoique Arabes, Dives & Assyria.
Et nostri memores lacrymæ fundantur eodem &c.

Sed & *cineres*, de quibus testatur *Ausonius* in Heroum epitaphiis XXXVI.

Sparge mero cineres, bene olenti & unguine Nardi,
Hospes, & adde rosis balsama puniceis.

Quos tamen cum ossibus deinde in domo reponebant, quod indicat modo allegatus *Tibullus l. c.*

Atque in marmorea ponere sicca domo.

Idest Monumento, nam *domum* Monumentum vocabant, quod videre est ex veteri Lapide, Romæ in D. Stephani e regione templi D. Luciæ reperto.

.... MA-

. . . .
. . . . MALA EST
GRATIA. M. JUNIO. M. F.
PAL. RUFO SOTERICHUS.
PÆDAGOG. FECIT. HÆ SUNT.
PARVÆ. TUÆ MEÆQ SEDES
HÆC CERTA EST. DOMUS
HÆC COLENDA NOBIS HÆC
EST. QUAM MIHI SUSCITAVI
VIVUS

Sic etiam odores & unguenta acervatim in *rogos* conjiciebant, quod testantur innumeri fere autorum loci. *Herodianus l.* IV. *cap.* II. de Cæsarum consecratione scribens hæc refert: Ἐς δὴ τὸ οἴκημα τὸ δεύτερον ἀνακομίσαντες τὴν κλίνην τιθέασιν ἀρώματά τε καὶ θυμιάματα πάντα ὅσα γῆ φέρει, Ἐπί τινες καρποὶ ἢ πόαι χυμοί τε συμβαλλόμενοι πρὸς εὐωδίαν, ἀνακομίζονται, καὶ σωρηδὸν χέονται. Et *Propert. lib.* IV.

Cur Nardo flammæ non oluere meæ?

Hinc *Cicero* II. Leg. *sumtuosam respersionem* vocat. De illis vero odoramentis in rogo positis inhonestissimum fuit quicquam surripere, nam de tali fure *Martialis l.* XI. *ep.* LV.

Unguenta & casias, & olentem funera myrrham,
Thuraque de medio semicremata rogo.
Et quæ de stygio rapuisti cinnama lecto
Improbe, de turpi, Zoile, redde sinu.

Hæc in flammas unguentorum conjectio, uti ego quidem suspicor, fiebat etiam, ut citius cadavera cremarentur; quod ex *Herodiano* colligo *l. c.* πάντα δὲ ῥᾷστα, ἀνάπτεται ἀμαρῶς ὑπὸ τοῦ πυρός, φρυγάνων τε πλήθει, καὶ θυμιαμάτων ἐπιθέντος. Sed progressuri Veterum unctionis feralis dispiciamus finem; qui fuit apud Judæos, Ægyptios, Persas, aliosque quibus in consuetudine non erat ut corpora igni consummenda traderent, corporis quam diutissima a putredine conservatio. Atque hinc ea condiebant, vel cera circumlinebant, vel aliis corruptioni resistentibus remediis ungebant. Sic melle Babylonios cadavera condiisse scripsit *Herodot. lib.* I. mellis enim est natura talis, ut putrescere corpora non sinat; teste *Plinio lib.* XXII. *cap.* XXIV. & *M. Tullius lib.* I. Tuscul. *condiunt*, inquit, *Ægyptii mortuos, & eos domi servant: Persæ etiam cera circumlitos condiunt, ut quammaxime permaneant diuturna*. Apud *Chrysostomum* quoque est: *Lacryma myrrhæ, & herba aloe, ut sunt amarissimi succi, ita vim habent resistendi vermibus & putredini*. Atque de aliis supra memoratis speciebus docet *Schindlerus in lex. Pentagl.* in voce חנט. *Condivit aromatibus, myrrha, aloe, cedromelle, sale, cera, bitumine, & resina corpora mortuorum, ut incorrupta maneant, & asserventur in loculis, ne fœteant: Sicut Judæi & Ægyptii faciebant*. Sed hæc causa non habet locum apud eos, qui corpora mortuorum in rogum imponere & comburere, non vero integra servare consuevere. Illi igitur, ut opinor, cum vel munditiei & nitoris, vel luxus causa unctionem adhibebant, tum, quam rationem *Donatus* adsignat in VI. *Æneid.* quam etiam paulo superius adduxi, ut celerius cadaver flammam conciperet. Nequaquam tamen ambigo, ungi etiam apud Romanos solitos fuisse mortuos ad abigendum fœtorem illum lethalem, & molestum halitum, quem caro exanimata reddit. Quia autem conditurae fecimus mentionem, æquum erit scire modum, quem in defunctis condiendis observarint antiqui, qui corpora incorrupta conservare vellent. Modus enim ille pro gentis varietate etiam diversus fuit. Judæi extrinsecus corpori unguenta applicabant, fasciisque deinde involvebant, ut ex historia Christi cuilibet notum. Ægyptiis vero intrinsecus conditura fiebat, exenterato ventre, sive exemtis intestinis, quorum locum aromatis & medicamentis explebant, quod accurate docet *Herodotus lib.* II. cujus verba quamvis prolixiora, quia tamen totum iis ritum exposuit, me non pigebit hic apponere: *At hi* (Taricheutæ) *relicti in ædibus hunc in modum diligentissime condiunt corpus: Ante omnia incurvo ferro cerebrum per nares educunt, ut quamque partem educentes ita locum ejus medicamentis explentes. Dehinc acutissimo lapide Æthiopico circa ilia conscindunt, atque illac omnem alvum protrahunt: quam ubi repurgarunt, ac vino palmeo eluerunt, rursus odoribus contusis proluunt: tum alvum complentes contusa myrrha pura, & casia, & aliis, excepto thure, odoribus, iterum consuunt. Ubi hæc fecere saliunt nitro abditum septuaginta dies. Nam diutius salire non licet. Exactis septuaginta diebus cadaver ubi abluerunt Sindone byssina totum incisis loris involvunt, gummi illinentes: quo Ægyptii glutinis loco plerumque utuntur. Eo deinde recepto propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in qua mox inserunt mortuum, inclusumque ita reponunt in loculo, & rectum statuunt ad parietem. Siquidem mortuos sumtuosissime apparant. Eos autem, qui mediocria volunt, nimium fugientes sumtum, ita apparant: Clysterem unguine, quod e cedro gignitur, complent: Deinde ex hoc alvum mortui ipsam*

ſam neque ſcindentes, neque extrahentes, ſed per ſeceſſum, prehenſo viæ poſterioris hiatu, inferciunt: & tot quot dixi diebus ſale condiunt: quorum dierum ultimo cedrinum unguentum, quod prius ingeſſerant, ex alvo egerunt, quod tantam habet vim, ut una ſecum alvum atque inteſtina tabefacta educat. Nitrum autem carnes tabefacit, mortuique tantum cutis & oſſa relinquuntur. Ubi iſta fecere, ex quo ſic tradidere mortuum, nihil amplius negotii ſuſcipiunt. Sed potius audiamus ipſum *Herodotum* Græce loquentem, ne quis verſionis autoritati ſtare cogatur: ὁ δὲ ὑπολειπόμενοι ἐν οἰκήμασι, ὧδε τὰ σπουδαιότατα ταριχεύουσι· πρῶτα μὲν σκολιῷ σιδήρῳ διὰ τῶν μυξωτήρων ἐξάγουσι τὸν ἐγκέφαλον, τὰ μὲν αὐτοῦ οὕτω ἐξάγοντες, τὰ δὲ φάρμακα ἐγχέοντες· μετὰ δὲ λίθῳ Αἰθιοπικῷ ὀξέϊ παρασχίσαντες παρὰ τὴν λαπάρην, ἐξ ὧν εἷλον τὴν κοιλίην πᾶσαν ἐκκαθήραντες δὲ αὐτὴν, καὶ διηθήσαντες οἴνῳ φοινικηΐῳ, αὖτις διηθέουσι θυμιήμασι περιτετριμμένοισι. ἔπειτα τὴν νηδὺν σμύρνης ἀκηράτου τετριμμένης, καὶ κασίης, καὶ τῶν ἄλλων θυωμάτων πλὴν λιβανωτοῦ πλήσαντες, συῤῥάπτουσι ὀπίσω· ταῦτα δὲ ποιήσαντες, ταριχεύουσι νίτρῳ, κρύψαντες ἡμέρας ἑβδομήκοντα· πλεῦνας δὲ τουτέων οὐκ ἔξεστι ταριχεύειν· ἐπεὰν δὲ παρέλθωσι αἱ ἑβδομήκοντα, λούσαντες τὸν νεκρὸν κατειλίσσουσι πᾶν αὐτοῦ τὸ σῶμα σινδόνος βυσσίνης τελαμῶσι κατατετμημένοισι, ὑποχρίοντες τῷ κόμμι, τῷ δὴ ἀντὶ κόλλης τὰ πολλὰ χρέονται Αἰγύπτιοι· ἐνθεῦτεν δὲ παραδεξάμενοί μιν οἱ προσήκοντες, ποιεῦνται ξύλινον τύπον ἀνθρωποειδέα· ποιησάμενοι δὲ, ἐσεργνῦσι τὸν νεκρόν· καὶ κατακληΐσαντες οὕτω θησαυρίζουσι ἐν οἰκήματι θηκαίῳ ἱστάντες ὀρθὸν πρὸς τοῖχον· οὕτω μὲν τοὺς τὰ πολυτελέστατα σκευάζουσι νεκρούς· τοὺς δὲ τὰ μέσα βουλομένους τὴν δὲ πολυτελείην ἐκφεύγοντας σκευάζουσι ὧδε· ἐπεὰν κλυστῆρας πλήσωνται τοῦ ἀπὸ τοῦ κέδρου ἀλείφατος γινομένου, ἐν ὧν ἔπλησαν τοῦ νεκροῦ τὴν κοιλίην, οὔτε ἀναταμόντες αὐτὸν, οὔτε ἐξελόντες τὴν νηδύν· κατὰ δὲ τὴν ἕδρην ἐσηθήσαντες, καὶ ἐπιλαβόντες τὸ κλύσμα τῆς ὀπίσω ὁδοῦ, ταριχεύουσι τὰς προκειμένας ἡμέρας· τῇ δὲ τελευταίῃ ἐξιεῖσι ἐκ τῆς κοιλίης τὴν κεδρίην, τὴν ἐσῆκαν πρότερον· ἡ δὲ ἔχει τοσαύτην δύναμιν, ὥστε ἅμα ἑωυτῇ τὴν νηδὺν καὶ τὰ σπλάγχνα κατατετηκότα ἐξάγει· τὰς δὲ σάρκας τὸ νίτρον κατατήκει· καὶ δὴ λείπεται τοῦ νεκροῦ τὸ δέρμα μοῦνον καὶ τὰ ὀστέα· ἐπεὰν δὲ ταῦτα ποιήσωσι, ἀπ᾽ ὧν ἔδωκαν οὕτω τὸν νεκρὸν, οὐδὲν ἔτι πρηγματευθέντες. Quibus e verbis etiam tempus conſtat, quamdiu ſcilicet Cadaver nitro imbuerint. Quod tamen apud Ægyptios vetuſtiores quadraginta tantum dies duraſſe (per quos tamen non *nitro*, ſed *aromatis* corpus condiverint) ſatis luculente probant Sacræ Literæ *Geneſ. L. 2. 3.* ubi Moſes, qui Scriptorum omnium habetur antiquiſſimus, ſua lingua ita loquitur: ויצו יוסף את עבדיו את-הרפאים לחנט את אביו ויחנטו הרפאים את ישראל: וימלאו לו ארבעים יום כי כן ימלאו ימי החנטים ויבכו אתו מצרים שבעים יום: Quem locum LXX. reddunt: καὶ προσέταξεν Ἰωσὴφ τοῖς παισὶν αὐτοῦ τοῖς ἐνταφιασταῖς ἐνταφιάσαι τὸν πατέρα αὐτοῦ· καὶ ἐνεταφίασαν οἱ ἐνταφιασταὶ τὸν Ἰσραήλ· καὶ ἐπλήρωσαν αὐτοῦ τεσσαράκοντα ἡμέρας· οὕτω γὰρ καταριθμοῦνται αἱ ἡμέραι τῆς ταφῆς· καὶ ἐπένθησεν αὐτὸν Αἴγυπτος ἑβδομήκοντα ἡμέρας. Inſuper etiam hic Moſes dies LXX. poſuit; non vero tot dies condiebant cadavera, ut tradidit *Herodotus*, ſed lugebant. Ad Scripturam ergo Sacram propius accedunt verba *Diodori Siculi*, (qui inter Scriptores Græcos haud immerito illud meretur encomium, quod omnium primus nugari deſierit.) *l. 1. Bibliot.* in quibus refert ad dies plures XXX. condiri corpora ſolere. Locum, quia cum *Herodoto* eleganter Ægyptiorum conditura modum oſtendit, totum hic appoſui: *Quamprimum*, inquit; *ad ſecti cadaveris curationem convenere* (ἐνταφιασταὶ) *unus per hiatum manu ad præcordia immerſa, quidquid inteſtinorum eſt, præter cor & renes, extrahit. Alius alvum cum viſceribus ſingulis repurgatam, vino palmeo, aromaticiſque odoribus perluit. Lotum denique cadaver ad dies plures XXX. unguento primum cedrino, aliiſque, delibutum reddunt. Myrrha deinde ac cinnamomo aliiſque, non longiori tantum conſervationi, ſed etiam fragrantiæ aptis conditum propinquis reddunt.* Non etiam omittenda cenſeo hac occaſione notatu digniſſima ea, quæ in *Itinerarii ſui part. 1. lib. II. cap. V.* Dominus de *Thevenot*, homo minime fabuloſus, ſed fide digniſſimus, & curioſiſſimus rerum indagator (dum in Ægypto Momias perluſtrabat) de unguento illo, & vi ſalis præſervatrice terræ ibi propria ac innata quaſi, inter alia nobis narrat. Verba ipſius ex noſtra verſione ſunt hæc ſequentia: *Ichvvendde alle myn aendacht tot het beſchouvven van deſe balſem, vvaer van men het gebruyk verlooren heeft. Sy iſvvart, hard, en gliſtarende gelyk pek; en ſelfs heeft ſy daer ook de reuk af, doch aengenaemer. Deeze balſem bevvaert de lichaamen in hun gehel; en ik geloof, dat het zand daer oock niet vveynig toe deed: Want zelfs in de groote Woeſtynen van Arabie, vind men ſomtyds doode Honden, en ſomtyds oockvvel Menſchen, die noch 't eenemael geheel en gaaf ſyn, vvelcke in slaap geraekt, of van de Karavaanen achter gebleven zynde, door de hevige vvinden, die een gantſche zee van zand met zich voeren, overvallen, en ſo diep onder het gedachte zand geſtolpt vvorden, dat het hen 't eenemael onmogelyk is zich daer uyt*

te redden. Dit zand, 't geen soutachtig is, bewaard deze ligchaamen voor verrotten, door alle de Vogtigheyt daar uyt te trekken. Wanner nu een andere Wind 't gemelde zand weer te rug dryft, vind men deze lichaamen 't eenemael verdroogd, doch niet verrot. Veele hebben geloofd, dat deeze gedroogde lichaamen de rechte Momien waren; doch sy hebben daer een verkeerd gevoelen af gehad. Dum autem heic in Momiis explicandis occupor, fateor, mihi temperare non possum, quin addam ea, quæ idem modo allegatus autor de veterum condiendi corpora Ægyptiorum more *loc. cit.* refert, quemque in loculo quodam Ægyptiaco, cui Momia inerat, depictum se vidisse testatur, ubi simul agit de loculis non modo ligneis, sed & ex Sindone pura factis ac Gummi illitis, qui ligneis ferme sunt durabiliores: de tenuibus item fasciis, quibus corpus involvebant, quæque M. ulnarum longitudinem superarent, compluribus nexibus mirum in modum in semetipsos implicatis, & celantibus capita; ac de pluribus notatu dignissimis rebus; imprimis cum quodammodo quædam *Herodoti* supra citatis verbis conveniant: *Dit licham was seer groot en breed, en lag in een kist van geweldig dik hout, die aen alle zyden seer wel gesloten was. Dit hout, 't geen wy bevonden van den oprechten Wilde-Vygeboom te wezen, welke men in Egypten Pharaos-vyge boom noemt, was gantsch niet verrot; want het heeft daar op ver na zoo licht geen nood af, als eenig ander hout. Boven op het zelve zag men 't aengezicht van den geen, die daar in lag, verheven uytgehouwen. men vind oock van deeze Kisten of Koffers van steen, met het aengezicht der geener, welke sy besluyten, daer verheven op afgebeeld, en lans heen Hieroglyfische figuren. Noch sijn ervan deeze Kisten, welke van verscheidene doeken, op malkander gelmyd, gemaekt, en alzo sterck zyn als die van hout. 'k Heb 'er een van deeze soorc in myn kabinet, die van meer als veertig doeken, den een op den ander gelymd, gemaakt is, aen de welken men noch gantsch geen verrotting bespeuren kan. Deeze kist is 'teenemael bedekt met Afgoden en Hieroglyfische figuuren, staen de op een seer dun pleister, daer de buytenste doek mee bestreecken is; doch 't werck is een weinigje beschadigd, vermits de pleister hier en daar wat af is gevallen. Onder deeze figuuren is een parkje, na beneden toe, dwars over de gedachte kist, van twee duimen breed en een voet lang; waer in men uitgebeeld ziet de manier, op welke de oude Egyptenaaren de lichaamen balsemden. Int midden van dit parkje staet een lange tafel van gedaante als een leeuw, op welkers rug het lichaam, dat gebalsemd sal worden, uitgestreckt legd, en daer by een man met een mes in de hand, met het welke hy het zelve opend. Deezen man heeft een masker voor 't aengezicht van fatsoen als een Sperwers-bek, buiten twyfel volgens gewoonte hunner Balsemers, die zich van dusdanige maskers dienden, om de kwade lucht, welke door de verrotting in de doode lichaamen veroorsaeckt word, niet in te trecken; gelyk de genees meesters noch tegenwoordig in Italien doen, die in Pestyden nimmermeer zonder zoodanig een masker, in welkers lange neus eenig reuckwerk, gestopt word, de zieken gaen bezigtigen. Men zou echter konnen twyffelen, of dit masker niet het hoofd van Osiris was, welke d' Egyptenaars met een sperwers-hoof-dverbeelden, gelyk Anubis met dat van een Hond, de Nyl met dat van een leeuw, enz. Maer tot een gewisser teecken dat het een Balseming is, ziet men onder de gedagte tafel, vier kruycken of vaten zonder ooren, die niets anders konnen wezen, als de vaten, daer de noodzakelykhededen tot de balseming, zoo van binnen als van bniten, in bewaard wierden, Aen beyde de zyden van deeze tafel ziet men oock ettelycke persoonen, welke in verscheydene postuuren staen, en zitten. Van binnen indeeze kest is de gedaante van een gantsch naakte Dochter met uytgestreckte armen verbeeld. Maer om weer tot myn eerste redenen te koomen. Na dat wy met groote bylslagen deeze houte kisl, daer ick hier voor afgesproken heb, aen stucken hadden gebroken, vonden wy een geheel ligchaam, in, 't geen aldus gesteld was. 't Aenzicht was, gelyck gemeenlyck alle de anderen zyn, bedekt met iets, als een helmet van doek, met plaester oversreken; op het welck in goud het trony van deezen Gebalsemde uitgebeeld stont. Doch als wy deeze deckfels daer van afnaamen, vonden wy daar niets af overig: want het aenzicht vergaat gemeenlyck tot stof; 'twelck, geloof ick, toekomt door dat het zo wel niet gebalsemd kan worden als d' andere deelen des lichaams. Niet te min heb ick 't hoofd van een Momie gantsch en gaaf te Parys gebracht; maer dit hoofd is t' eenemael met windselen soo net bewonden, dat men, niet tegenstaande de zelven, de gedaante der oogen, neus en mond kan zien, 't overige des lichaams was in kleine zeer net gemaakte lindene windselen gebakerd; maer deze windselen liepen met soo vel keeren en herkeeren, dat ick geloof dat ze meer als duyzend ellen konde uytmaecken: en in waarheid zy zyn so wonderlyck*

door

door malkander gevlochten, dat men 't tegenvvoordig, gelyk my verscheydene vvondheelders verzekerd hebben, zoo niet na zoude konnen maaken. Over de borst in de langte liep een reep van ruym drie vingeren breed, en vvel anderhalf voet lang, vvelke op een zeer konstige vvyze aen de andere vvindselen vast vvas. Op de gedachte reep stonden verscheydene Hieroglyfische letters met goud geschreeven. Hæc de *Thevenot.* Æthiopum quod attinet condituram & illi cum Ægyptiis hoc habebant commune, quod exsicantia adhibuerint remedia mortuis, sed dein eos jam arefactos Gypso inducebant, sicuti ritum illum videre est apud aliquoties citatum *Herodot.* in Thalia hisce verbis: Ἐπεὰν τὸν νεκρὸν, ἰσχνήνωσι, εἴτε δὴ κατά περ Αἰγύπτιοι, εἴτε ἀλλωσκως, γυψώσαντες ἅπαντα αὐτὸν γραφῇ κοσμέουσι ἐξομοιεῦντες τὸ εἶδος ἐς τὸ δυνατὸν, Ἔπειτα δὲ οἱ περιϊστᾶσι στήλην ἐξ ὑέλου πεποιημένην κοίλην. Ἡ δέ σφι πολλὴ καὶ εὔεργος ὀρύσσεται. Ἐν μέσῃ δὲ τῇ στήλῃ ἐνεὼν διαφαίνεται ὁ νέκυς, οὔτε ὀδμὴν οὐδεμίην ἄχαριν παρεχόμενος, οὔτε ἄλλο ἀεικὲς οὐδέν. Καὶ ἔχει πάντα φανερὰ ὁμοίως αὐτῷ τῷ νέκυϊ. Ἐνιαυτὸν μὲν δὴ ἔχουσι τὴν στήλην ἐν τοῖσι οἰκίοισι οἱ μάλιστα προσήκοντες, πάντων ἀπαρχόμενοι, καὶ θυσίας οἱ προσάγοντες. Μετὰ δὲ ταῦτα ἐκκομίσαντες ἱστᾶσι περὶ τὴν πόλιν. Hunc cadavera condiendi morem esse antiquissimum constat, cui autem genti originem debeat, ambigitur; meo quidem judicio forent Ægyptii, qui illum invenerunt, cum primi sint, apud quos hunc ritum extitisse legimus. Sic vel antiquissimo Patriarcharum tempore ita Israelem conditum fuisse supra habuimus; Ab Ægyptiis vero Hebræos hunc morem fuisse mutuatos verisimile est, quod ex *Gen. cap.* L. haud obscure intelligitur, quamvis condiendi modus ipse apud illos fuerit diversus, ut superius indicavi. Huc spectat, quod testantur Sacræ literæ de funere Regis *Assæ* II. *Paral.* XVI. 14. quod nempe ἐκοίμισαν αὐτὸν ἐπὶ τῆς κλίνης, καὶ ἔπλησαν ἀρωμάτων, καὶ γένη μύρων μυρεψῶν, Verba sacri Textus sunt: וישכיבהו במשכב אשר מלא בשמים וזנים מקחים במרקחת מעשה. Ab Hebræis postea ad Christianos videtur transiisse, quos etiam Arabicas olim merces funeribus adhibuisse autor est *Tertullianus lib. de Resurrect.* Carnis, cum inquit: *Proinde enim & corpora medicata condimentis sepulturæ mausoleis & monumentis sequestrantur.* Quod & hodie sæpius in Imperatorum, Regum, ac Principum cadaveribus obtinet. Inter alios gentiles etiam vel inde ab Iliaco tempore mos hic fuit frequentatus: De Trojanis refert *Horat. lib. epod. od.* XVII.

> *Unxere matres Iliæ addictum feris.*
> *Alitibus, atque canibus Homicidam*
> *Hectorem,*

Sed de mortuis satis. Tempus jam est, ut pergamus ulterius ad res reliquas. Veterum domos & habitacula lustraturi, ædium postes unctas videbimus a sponsa mariti domum ingressura, a qua etiam re dicta Juno Unxia videtur. *Donatus ad Terent. Hec. Act.* I. *sc.* II. *Cum puellæ nuberent maritorum postes ungebant, ibique lanam figebant.* Et *Servius* ad illud IV. *Æneid.*

> *Velleribus niveis & festa fronde revinctum:*

Moris, inquit, *fuerat, ut nubentes puellæ simul cum venissent ad limen mariti, postes, antequam ingrederentur, propter auspicium castitatis ornarent laneis vittis: unde ait velleribus niveis: & oleo ungerent.* Quod oleum ex adipe suillo vel lupino factum fuisse tradit *Isidorus lib.* IX. *cap. ult.* Et de suillo quoque confirmant hæc *Plinii* verba *lib.* XXVIII. *cap.* IX. *Proxima in communibus adipis laus est, sed maxime suilli, apud antiquos etiam religiosi. Certe novæ nuptæ intrantes etiamnum solemne habent postes eo attingere.* Videntur autem suillo usæ boni ominis causa, ut eo denotarent, quam sibi optarent fœcunditatem, ut tam fœcundæ essent, quam sues, qui denos pariunt. Lupino vero postes inungebant, nequid veneficum aut pestilens domum ingrederetur, vel ipsi obesset. Quod clare innuit idem autor eopse *cap. Massurius*, inquit, *palmam lupino adipi dedisse antiquos tradit. Ideo novas nuptas illo perungere postes solitas, ne quid mali medicamenti inferretur.* Porro occurrit in *Horat. epod. lib. od.* V. locus, quo unctorum meminit cubilium hisce verbis:

> *Indormit unctis omnium cubilibus*
> *Oblivione pellicum.*

Quæ verba ita explicavit *Porphyrio: Indormit cubilibus unctis oblivione omnium Pellicum; & est sensus, Cubilia uncta sunt medicamentis, qua oblivionem inducerent omnium pellicum, circumlita.*

Sed addamus reliqua; conjecturam nonnulli faciunt, morem antiquitus obtinuisse uncto linteo emungendi, vel potius extinguendi lucernas, in cujus vicem nos hodie ferreis utimur emunctoriis. Ex *Plauto* originem cepit opinio cum in *Bacchid. act.* III. *sc.* III. ait:

It Magister quasi Lucerna uncto expretus linteo.

Præterea sunt, quibus ex ejusdem *Plauti* verbis, quæ habet in *Aulul. act.* III. *sc.* V.

Aut Manulearii, aut Myrrobathrarii.

Calceamenta muliebria unguentis, odoribus, & suffimentis imbuta fuisse placeat. Sed dum loquitur de mulierum calceamentis, haud adeo erit incongruum observare σάνδαλα proprie ea fuisse, *Hesychio* teste. Et inde *Lucianus* inquit, *Omphalen Sandalo Herculem* percussisse. *Ælianus* quoque *var. hist. lib.* I. *c.* XVII. loquens de priscarum fœminarum luxu inter alia sandalis illas pedes induisse scribit: Ἐπὶ μὲν γὰρ τῆς κεφαλῆς στεφάνην ἐπίθεντο ὑψηλήν. Τοὺς δὲ πόδας σανδάλοις ὑπεδοῦντο. Unde Venus etiam Bioni in Adonide mortuo dicitur per sylvas ivisse ἀσάνδαλος, καὶ αἱμασσεῦσα πόδας.

Inter Mulieres apud *Apulejum* XI. *metam.* Pompam *Isidis* prosequentes erant, *quæ cæteris unguentis, & geniali balsamo guttatim excusso, conspergebant plateas.*

Judicum tabellæ *maltha* perlinebantur, id quod clare indicat *Pollux lib.* VIII. *cap.* IV. cum ait: *Maltham esse ceram, qua illinerentur judicum tabellæ.* Quibus verbis etiam docet, quid Maltha fuerit. Sane *Hesychio cera mollita* dicitur: μάλθα enim sive μάλθη fuisse dicitur κηρὸς μεμαλαγμένος. Fiebat autem e pice liquida & unguine, quod vocamus sevum vel axungiam, item e calce minutatim superadjecta. Sicuti id plenius describit *Plinius lib.* XXXVI. *cap.* XXIV. adi etiam *Palladium lib.* I. *cap.* XVII. Festus maltham ita describit: *Maltha dicitur a Græcis pix cum cera mista.* Unde glossæ vett. exponunt πισσόκηρον. Cære tamen non meminit *Palladius*, sed alii quos adduxi.

Libros etiam suos *cedro* perungebant veteres. Hinc ait *Martialis* de suo libello *lib.* III. *ep.* II.

Cedro nunc licet ambules perunctus.

Et *Ovid. Trist. lib.* I. *el.* I.

Nec titulo minio, nec cedro charta notetur.

Id fecere, ne a tineis & carie læderentur, quam rationem adsignat *Plinius lib.* XVI. *cap.* II. ac *lib.* XIII. *cap.* XIII. ex sententia Cassii Heminæ scribit, Libros Numæ ideo tineas non tetigisse, quod *cedrati* fuissent. Eandem *Cedro* vim tribuit *Vitruvius lib.* II. *cap.* IX. cum hæc scribit: *Item Cedrus & Juniperus easdem habent virtutes & utilitates: sed quemadmodum ex cupressu & pinu resina, sic ex cedro oleum, quod cedrium dicitur, nascitur, quo reliquæ res cum sint unctæ, (uti etiam libri) a tineis & carie non læduntur.* Hæc *Vitruvius*. Nolo alia huic subjicere loca, cum ad alia transire tempus jubeat.

CAPUT IV.

De Vasis Unguentariis.

Unguilla. Onyx. Onyx marmor, Onyx Gemma. Albastrum. Onyx conchylii genus. Conchæ. Pyxides. Guttus, vas unguentarium. Guttus vas vinarium. Ἐπίχυσις. Λήκυθος. *Ampulla.* Αὐτολήκυθοι. *Ampullæ verborum. Sesquipedalia verba.*

PRæmissis hisce de varia gentilium unctione, tempus suaderet, ut receptui caneremus, ni restaret, ut devolveremur ad vasa unguentorum nostrorum. De quibus pro exigui temporis ratione quædam adhuc erunt dicenda, ut constet, quibusnam in vasculis unguenta habuerint? *Unguilla Solino* vas est, ex quo inungebant: Omnium tamen præstantissimum fuit *Onyx*, cujus passim apud Scriptores fit mentio. Ita *Martialis lib.* XI. *ep.* LI.

Profertur Cosmi nunc mihi siccus Onyx.

Et *Propert. lib.* II. X.

Cum dabitur Syrio munere plenus Onyx.

Item *Catullus* de coma Berenices, & alii &c. Videtur autem Latinis hoc nomen Onyx commune Gemmæ & Marmori, quamquam primo de Marmore dicebatur, unde dein gemmæ id nomen tributum. Clare id nobis, *Plinius*, si audiamus, suggeret *lib.* XXIII. *cap.* VI. quo de variis gemmis tractat: *Exponenda est & Onychis ipsius natura, propter nominis societatem: hoc in gemmam transilit ex Lapide Carmaniæ.* Vossii tamen est sententia, Lapidem Carmaniæ potius a gemma nomen cepisse. Duxit Onyx juxta plurimos appellationem a similitudine unguis humani, vel quod, ut unguis, sit cornei candoris, vel quia nihil sit in ipso rugosum vel asperum, sed omnia, ut in ungue, lævia ac polita. Nam ὄνυξ, *unguis*. Et *Plinius* eopse capite. *Sudines dicit in gemma esse candorem unguis humani similitudine.* Plura de Onyche gemma habet ibidem *Plinius*; hodie vero a plurimis cum Onyche marmore confunditur. Cum ve-

vero nobis de Onyche vase sit sermo, marmorem intelligimus; ubicunque enim Onyx pro ingenti vase ponitur, non de gemma accipi potest, sed de lapide vel marmore, de quo tractat *Plinius lib.* XXXVI. *cap.* VII. *Onychum*, inquit, *etiamnum in Arabiæ montibus, nec usquam alibi nasci putavere nostri veteres. Sudines in Germania, potoriis primum vasis inde factis, deinde pedibus lectorum, sellisque.* Ubi pro *Germania*, *Carmania* quidam restituunt. Initio quidem rarior fuit hic lapis, post vero invalescente luxu, etiam in columnas & pavimenta transiit. De columnis *Plinius* paulo inferius subjungit: *Cornelius Nepos tradit, fuisse magno miraculo cum P. Lentulus Spinther ex eo Chiorum magnitudine cadorum ostendisset: post quinquennium deinde XXXII. pedum latitudine columnas vidisse se.* De pavimentis testatur illud *Martialis lib.* XII. *ep.* L.

Calcatusque tua sub pede lucet Onix.

Atque & hinc satis constat aliud fuisse Onychem gemmam, qui tantum lapillus est, aliud Onychem marmorem ex quo columnæ, totaque pavimenta, atque ingentia fierent pocula. Præterea Onyx gemma vocabatur ὀνήχιον. At lapis contra ὀνυχίτης λίθος sive *Alabastrites*, ut idem sit, quod *Alabastrum*. Id confirmat *Plinius lib.* XXXVI. *cap.* VIII. de marmore onychite ita loquens: *Hunc aliqui lapidem Alabastriten vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optime servare incorrupta dicitur.* Et Dioscoridis testimonium est: Ἀλαβαστρίτης, ὁ καλέμενος ὄνυξ. *Vid. etiam Hermolaum Barbarum. Atque de his verbis Horatii lib.* IV. *od.* XII.

Nardi parvus Onyx eliciet cadum.

Monet *Acro*, vocabulum *Onyx* hic poni pro ampulla marmorea, proprieque sic dici marmoris genus, ex quo ad unguenta odorata parva fierent vasa. Quæ erant longitudine fastigiata in pleniorem orbem desinentia, ut indicat, quæ de elenchorum figura (quos alabastris confert) refert *Plinius lib.* IX. *cap.* XXXV. Sed minime heic omittendam esse admonitionem censeo, quam dedit Celeberrimus *Vossius*: cavendum nimirum *putes antiquis id fuisse alabastrum, quod nos hodie sic vocamus. Vulgo enim sic dicitur lapidis genus, e quo torno vasa fiunt, venis subnigris per ea discurrentibus, pellucido livore, materiaque plane fragili: quæ gypsi species est, non species veteris alabastri: cui cujusmodi fuerit, imprimis sciunt, qui Romæ veterum ædificiorum rudera viderunt.* Hæc *Vossius*. Meminit Alabastri vasis *Martial. lib.* XI. *ep.* IX.

—— *Quod Cosmi redolent Alabastra.*

Et *Lucianus* in tractatu de Asino καὶ μύρον ἔκ τινος ἀλαβάστρε προχεαμένη τέτω ἀλείφεται. Quin etiam inter Judæos id vasis genus fuit ad diuturnam unguenti custodiam probatissimum; Hinc *Lucas Evangelista cap.* VII. 37. de muliere peccatrice scribit; ἐπιγνῦσα, ὅτι ἀνάκειται, ἐν τῇ οἰκίᾳ τῦ φαρισαίε, κομίσασα ἀλάβαστρον μύρε. Sed præterea *conchylii* quoddam etiam videtur genus fuisse, quod *Onyx* dicebatur: de quo *Dioscorid. lib.* II. ὄνυξ, inquit, πῶμά ἐςι κογχυλίε ὅμοιον τῷ τῆς πορφύρας, εὑρισκόμενον ἐν τῇ Ἰνδίᾳ ἐν ταῖς ναρδοφόροις λίμναις, διὸ καὶ ἀρωματίζει νενομένων τῶν κογχυλίων τὴν νάρδον. Sensus est: *Onyx conchylii est operculum purpuræ operculo simile, quod reperitur in India in paludibus iis, quæ Nardum ferunt. Itaque & odores suavissimos afflat, quoniam conchylia Nardo vescuntur.* Ex his igitur testis seu conchis fieri etiam poterant vasa ad unguentum servandum aptissima, quæ servato nomine *Conchæ* appellabantur. Atque huc, credo, faciunt, quæ habet de conchis *Horatius lib.* II. *od.* VII.

—— *funde capacibus*
unguenta de conchis.

Et *Juvenalis Sat.* VI.

Cum bibitur concha.

Præterea apud *Martialem* legimus de *vasis* quibusdam *plumbeis. lib.* VI. *ep.* LV.

Fragras plumbea Nicerotiana.

Quæ alii referunt ad sagittas plumbeas, quibus cinnamomum ex Phænicis alitis nido decussum tradit *Aristoteles lib.* VI. de nat. Animalium. *cap.* XIII. Mihi vero & illud minime ineptum videtur, hæc intelligi posse de unguentis a Nicerote unguentario confectis & in vasis plumbeis coctis; ut scribit *Plinius lib.* XIII. *cap.* II.

Plurimum etiam passim apud autores *pyxidum* fit mentio: quæ proprie dicuntur de vasculis *e buxo* factis. Dein vero per abusum, quia plerumque illis utebantur, factum, ut & alia etiam alterius materiæ vascula pyxides dicerentur. Quomodo *pixidem auream* dixit *Petronius*. Et apud alios *argenteam* vel *corneam pyxidem* legere est. Atque hinc *Fabius lib.* VIII. *Pyxides*, inquit, *cujuscunque materiæ sunt.* Ve-

Verum age, festinemus ad Balnea. Videbatur ibi *Guttus*, quod erat vasculum, e quo oleum guttatim distillabat. De ea voce sic vetus *Juvenalis* interpres *Sat.* III. *Guttus ab eo dicitur, quia guttam mittit, quod habent Capsarii.* Lautiores autem & nobiliores utebantur in balneis gutto, facto e cornu Rhinocerotis. Quod ostendit illud *Juvenalis Sat.* VII.

> —— *Exitus hic est*
> *Tongilli, magno cum Rhinocerote lavari*
> *Qui solet.*

Pauperibus contra in usu erat guttus ex cornu taurino vel bubalino; quod colligere queas ex *Martiali*, qui in *Apoph. epist.* L. sub lemmate *Gutti corei* id expressit:

> *Gestavit modo fronte me juvencus*
> *Verum Rhinocerota me putabis.*

Figuram talis cujusdam vasculi exhibebit hic puer cum hero suo balneum aditurus, in subjecta icone, quam mutuati sumus ex *Guilielmi du Choul* tractatu de Balneis, eamque oculis hic subjiciendam duximus.



Alioquin etiam guttus erat vas vinarium, *a quo* (verba sunt *A. Turnebi lib.* XXII. *cap.* XXX.) *vinum fundebatur in Simpulum, quod pro Cyatho erat: e Simpulo in Calicem. Nam potionem Cyathis, & ante Simpulis metiebantur.* De hoc vinario gutto sic *Varro lib.* IV. *de L. L. Quo vinum dabant, ut minutatim funderent, a guttis Guttum appellarunt: & quo sumebant minutatim, a sumendo Simpulum nominavere. Vossius* in ea versatur sententia, quod ἐπίχυσις & guttus idem sint. *Gutta* enim, inquit, *dicitur quasi Chuta:* Χυτὴ a χύω, *hoc est, fundo, funditur enim.* Quamvis longe aliter videatur sentire *Turnebus* loco supra citato, cum inquit: *Ceterum epichyseos, quæ gutto postea successit, meminit his verbis Athenæus:* (quibus æneam ἐπίχυσιν fuisse videmus) ἐπὶ δὲ τῷ τρίποδι ψυκτὴρ χαλκοῖς ἐπέκειτο καὶ κάλος καὶ σκάφιον, ἀργυροῦν δύο κοτύλας χωροῦν, καὶ κύαθος, ἡδ᾽ ἐπίχυσις χαλκῆ; i. e. *in Tripode frigidarium æneum positum erat, Cadus, Scaphium argenteum duarum capax heminarum, Cyathus, epichysis autem ænea.* Sic in eo quoque differre videntur, quod Cyathum & Simpulum idem fuisse *Vossius* affirmet; *Nam*, inquit, *ex epichysi seu Gutto fundebant guttatim in Cyathum seu Simpulum: Turnebus* vero hæc distinguit verbis supra allegatis, ubi dixit: *Vinum fundebatur in Simpulum, quod pro Cyatho erat.* Et postea: *potionem cyathis & ante simpulis metiebantur.* In hoc tamen conveniunt, quod *Guttus* & *Gutturnium* idem esse uterque dixerit.

Postremo, inter vasa hæc unguentaria occurrit etiam Λήκυθος, seu *Ampulla.* Nam in *Isidori* Glossis exponitur, *Lecythus, Ampulla olearia.* Erat hoc vas olearium, quod in balneis ad unctiones habuerunt, atque etiam *Palæstritæ* eo utebantur, quod indicat *Theocriti Scholiastes:* Λήκυθον, τὴν ἔχουσαν τὸ ἔλαιον ᾧ ἐχρῶντο ἐν ταῖς παλαίστραις. Operæ pretium duxi *Lecythi* figuram hic exhibere, quam ita conspici in veteribus lapidibus seu monumentis indicavit *Scaliger*, in notis ad *Petronium.*



Quod si quis rationis alicujus pondere vellet firmari, age, audiat quam graphice Ampullam descripserit *Apulejus Florid. lib.* I. vel juxta alios in initio *lib.* II. cujus hæc verba adduco. *Qui magno in cœtu prædicavit, fabricatam sibimet ampullam quoque oleariam quam gestabat, lenticulari forma, tereti ambitu, pressula rotunditate.* Divites suos servos habebant, qui *Lecythos* in balnea portarent, unde a Græcis pauperes dicebantur αὐτολήκυθοι, quod *sibimetipsis ampullam in balnea ferebant, cum servos Ampulligeros non haberent.* Vide sis *Turnebum lib.* IV. *cap.* I. Ab hoc Ampullarum *tumore*, & *amplitudine* translationis quoddam genus profectum est, ut verba *ampullosa* ac *tumentia* ab *Horatio* in libello de arte Poetica *Ampullæ* dicantur, cum inquit:

Pro-

Projicit ampullas & sesquipedalia verba.

Ubi per *sesquipedalia* intellexisse creditur verba magnitudine ampullas æquantia, per *ampullas* vero orationis turgiditatem & grandiloquentiam. Et huc faciunt etiam illa *lib.* I. *ep.* III.

An Tragica desævit, & ampullatur in arte.

Quod autem *ampullatur* dixit, id fecit Græcorum æmulatione, qui ληκυθίζειν dicebant, cum tumidam vellent describere orationem. Unde & *Lais*, quia buccis erat tumentibus, πρὸς τοῖς γνάθοις λήκυθον, habere dicebatur. Et simili quoque ratione *Plinius* hæc *Tullii* verba *lib.* I. *ep.* IX. ad *Atticum: Totum hunc locum, quem ego in Aristocratia varie in meis orationibus, quarum tu Aristarchus es soleo pingere, de flamma, de ferro (nosti illas ληκύθους) valde graviter pertexuit*, accepit de oratione amœna. Cum *lib.* I. *epist.* II. quæ est ad *Marcum* scribit: *Non tamen omnino Marci nostri ληκύθους fugimus, quoties paulum itinere decedere non intempestivis amœnitatibus admonebamur*. Nam orationis gravitati & magnificentiæ probe convenit ejusdem quoque amœnitas ac elegantia.

Hæc sunt, A. Lector, quæ de Gentilium unctionibus unguentisque hac vice in medium afferre & volui, & potui. Judaicæ, quia peculiarem sibi tractationem postulant, atque minus hujus loci sunt, forsan alio tempore commodius locum invenient. Itaque receptui canens nullus dubito, quin Tu, A. L. opellam hanc benevole sis accepturus. Interea certus esto hæc mea conamina, si placuerint prima fore, sin displicuerint ultima. Quod si tamen quis meliora edoctus me quoque ista docere velit, inveniet nunquam me pertinaciter & ad fastidium usque oppositurum. Interim quædam studio credas me præteriisse memorem scilicet scopi quem mihi præfixeram: Fuit autem iste non opera scribere, sed dissertationem: Contentus igitur hoc *Catone*, verba hæc *Horatii* commendata habe:

Vive, vale; si quid novisti rectius istis
Candidus imperti: si non, his utere mecum.

JOHANNIS SPENCERI
DISSERTATIO
DE LEGE TONSURAM ORBICULAREM PROHIBENTE.

Lex qua tonsio capitis in rotundum interdicta est.

LEx ad quam digitum intendo, nobis occurrit *Levit.* 19. 27. his verbis ab autore *Vulgatæ* reddita, (1) *non attondebitis in rotundum comam* (2) *capitis vestri*. Deum ritum aliquem inter ethnicos obtinentem hac in lege vetuisse, gentis Judaicæ & Christianæ suffragio confirmatum est: quisnam autem tonsuræ hic interdictæ modus aut intentio fuerit, haud adeo inter doctos convenit. Nostrum erit inprimis, opiniones vulgo receptas in medium proferre, & explorare an rigidæ veritatis examen pati possint.

SECT. I.

Variæ sententiæ de ratione legis ad examen vocantur, & erroris arguuntur.

OPinio prima, cui interpretes plerique calculos suos apposuerunt, hujusmodi est; apud ethnicos usu veteri receptum erat, capillitium in orbem tondere, cincinno in occipitio aut vertice relicto, eoque *Soli* vel *Saturno* solenniter consecrato. Sentiunt itaque, Deum hujusmodi tonsura orbiculari Judæis suis hic interdixisse, ne a moribus ad Deos Gentilium sensim laberentur. Huic sententiæ subscribit *Heinsius*, sic legis hujusce sensum & rationem referens (*Aristarc. Sac. c.* 4. *p.* 107.) *comam alere ac vovere Diis, gentibus plerisque usitatum erat: videtur autem Moses voluisse, ne gens Dei, ritu cæterarum, consecratam Deo ulli peregrino comam*

comam aleret aut devoveret. Eandem ſententiam probat *Tirinus*, ſic textum explicans: *non attondebitis comam in rotundum, gentilium more, vos ipſos hoc ritu idolis devoventes; vel ſaltem vana ſuperſtitione formantes & alentes cincinnos, ſuo tempore detondendos, & idolis offerendos: ut adoleſcentuli excedentes ex ephebis ſolebant detonſæ comæ primitias Apollini conſecrandas Delphos mittere*. Hunc loci ſenſum ſuffragiis ſuis honeſtarunt, *Bonfrerius* (*Geogr. Sac. P.* 2. *L.* 1. *cap.* 6. *col.* 361.), *Bochartus*, *Grotius*, aliique. In hanc autem ſententiam, verſionis Græce autoritate perſuaſi, veniſſe videntur: ſic enim Græci hunc locum interpretantur, (3) οὐ ποιήσετε σισόην ἐκ τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς ὑμῶν, *non facietis* Siſoen *ex coma capitis veſtri*. Eſt autem Siſoe ציצית *Siſith*, i. e. cincinnus in occipitio relictus, reliqua capillitie in orbem circumtonſa: ſic enim *ſcholia* in *Leviticum* σισόην explicant, σισόη ἐστὶν ὁ κρώβυλος· πλέγμα δέ ἐστι τοῦτο ὅπερ Ἕλληνες ἐπλέκοντο, ὡς Κρονικὸν ἀνάθεμα, καὶ μᾶλλον Σαρακηνοὶ μέχρι νῦν τοῦτο ποιοῦσιν. *Siſoe eſt cincinnus: eſt autem illud implexum & intortum quia quod gentiles intorquebant, quaſi donum conſecratum Saturno, & maxime Saraceni uſque nunc id faciunt*. Nec *Saraceni* tantum, ſed & alii populi, capitis ſummitatem, cætera tonſi, novacula intactam reliquerunt: nam *Thraces*, raſi temporibus, fronte & occipitio, crinem in ipſo vertice relinquere ſolebant, eumque in nodum cogere; unde & ἀκροκόμαι dicebantur: *Dacæ*, cum totum caput raderent, in ſummo vertice cirrum creſcere ſinebant (*Proſper. Stellart. de coron. & tonſur. lib.* 1. *cap.* 18.): *Mexicani* idolorum cultibus devoti, caput in coronam tondebant, relicto crine paulo longiore, ab occipite in humeros defluente, quem nodulis coercebant: *Phœnices* antiqui, teſte *Chœrylo*, erant τροχοκουράδες, ideſt, explicante *Hornio* (*de Orig. Gent. Americ. p.* 121.), *acciſis undique capillis, ſolum verticem relinquebant intonſum, ac in nodum religabant*. Haud abſimilem tonſuræ formam apud Arabes antiquiores obtinuiſſe autor eſt *Herodotus*: nam de *Macis*, Arabiæ populo, verba faciens, λόφους (*in Melpomen cap.* 175.) inquit, κείρονται· τὸ μὲν μέσον τῶν τριχῶν ἀνιέντες αὔξεσθαι, τὰ δὲ ἔνθεν καὶ ἔνθεν κείροντες ἐν χροΐ. *Summum capitis verticem radunt, in medio capillos ſinentes creſcere, hinc atque hinc in orbem tondentur*. Hanc autem tonſuræ formam *Arabes* utpote *Bacchi* æmulos prætuliſſe *in Thalia cap.* 8. dicit. *Hiſtorici* verba ita ſe habent: τῶν τριχῶν τὴν κουρὴν κείρεσθαι φασὶ, καταπερ αὐτὸν τὸν Διόνυσον κεκάρθαι κείρονται· δὲ (4) ὑποτρόχαλα, περιξυροῦντες τοὺς κροτάφους. *Eodem modo quo tonſus eſt Bacchus, tonderi ſe ajunt: porro in orbem tondentur, raſis circumquaque temporibus*. Ab hac tonſuræ forma non multum receſſit ea, quæ coma anteriore præſecta, retro pendulam crinium ſylvam promittebat: eam autem apud veteres Græcos in uſu fuiſſe, & Ἑκτόρειον κουρὰν dictam fuiſſe, (5) *Julius Pollux*, (6) *Iſacius Tzetzes*, aliique, nos certos faciunt. Eſt itaque rationi & gentium veterum uſui conſentaneum opinari, Deum hac lege curaſſe, ne Judæi, ritu gentili, coronam ſeu περιφέρειαν capitibus inducerent; crinibus in ſolo vertice vel occipitio relictis, & dæmoni alicui conſecratis.

Hanc conjecturam, utpote magnis nominibus & ſpecioſis argumentis inſignem, tanquam prorſus ineptam & indoctam, increpare nequeo. Eam tamen erroris, haud levi de cauſa, ſuſpectam habeo. Nam primo: (7) *Valla* interpres *Herodoti*, doctorum cenſuram ſubiit, quod *Herodotum* ſic loci fecerit, *ſummum capitis verticem radunt*, & *in orbem*; cum inquiunt, *Græca* hanc verſionem poſtulent, *criſtas tondendo efficiunt, nam in medio capillos ſinentes creſcere, hinc & inde ad cutem uſque raduntur*. Sed, utut iſta ſe habeant, apertum eſt, id ſolum hac lege vetitum, ne Judæi *capitum angulos*, i. e. tempora vel capillorum extremitates, novacula vel forcipe, *circuirent:* cincinni alicujus, in vertice vel occipite relicti, & *Soli* & *Saturno* conſecrati, ea in lege nec umbra nec aura deprehendi poteſt. Deinde, diſſentaneum & abſurdum eſt opinari, quenquam e Judæorum gente, coma in orbem præſecta, & cincinno in capitis vertice, in Solis aut Saturni honorem relicto, in publicum prodire voluiſſe: nam proculdubio populi ſeniores pœnam ab homine, legem tam effricta fronte violante, capitalem exegiſſent. Si quis comam aut lacertos juxta mortui ſepulchrum ſecuiſſet (quod tamen lege vetitum videtur) veriſimile eſt, aliquos actiones illas affectui effræni tribuere voluiſſe: nemo vero, cautus & ſobrius, caput σφαιροειδὸν tondere, & cincinnum in vertice vel occipitio pendulum, Solique dicatum, animo pio & innocuo geſtare potuiſſet. Ipſe oris habitus plane ethnicus, hominem mores & affectus ethnicos induiſſe, palam teſtaretur; nec credere par eſt, magiſtratus publicos tam apertum S. Numinis contemtum impune dimittere voluiſſe.

Secundo: ſentiunt alii, Deum hoc in loco crinium σκιάθεσιν aut ἀπόκρασιν, laſciviæ potius quam ſuperſtitioni dicatam vetuiſſe. Huic opinioni animum addixiſſe videtur *autor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib.* 1. *cap.* 3. poſtquam enim mo-

nita

nita quædam, de gestu & habitu ad summam modestiam componendo, tradidisset; addit, *non licet nutrire comam & in nodum colligere, neque carpendo ac formando crispam reddere, quandoquidem lex vetat, dicens*, non facietis vobis Sisoen. Χρὴ δὲ ἐδὲ γενείς τρίχα διαφθείρειν, καὶ τὴν μορφὴν τοῦ ἀνθρώπου παρὰ φύσιν ἐξαλλάσσειν. *Oportet præterea non barbæ pilum corrumpere, nec formam hominis contra naturam mutare; non enim, ait Lex, depilabitis barbas vestras.* E quibus liquidum est, autorem illum existimasse, Deum legem illam contra ritum luxuriosum, & elegantiæ cujusdam fœmineæ studium, posuisse.

At, salva tanti autoris reverentia, eum a legis hujusce mente sensuque aberrasse censeo: nam suffragante toto interpretum senatu Deus in præcedenti & sequenti versu, totus est in prohibendis superstitiosis Gentilium ritibus: quis itaque consulto sibi persuadere potest, eum inter leges contra seculi superstitionem latas, unam contra luxum & mollitiem ferre voluisse?

Tertio: alii se persuasos habent, Deum legem hanc non tam ritui superstitioso, aut luxurioso, quam civili, contrariam statuisse. Nempe inquiunt, tonsura illa sphærica vel orbicularis, gentium usu maxime recepta erat; forte quod Deus suos figura rotunda, utpote omnium perfectissima, præ cæteris delectari crederent. Deo itaque visum est, ipsam capillitii gestandi formam apud ethnicos usitatam prohibere, ne Israelitæ gentium superstitionem olerent, aut quicquam cum iis commune retinerent; sed a gentibus more & habitu, æque ac fide cultuque, discernerentur. Hujusmodi tonsuram orbicularem & Monachorum ritu factam, apud gentes exteras antiquitus obtinuisse (*Bochart. Geog. Sac. p.* 389.), nonnulli e Prophetæ verbis colligendum sentiunt; *Jerem.* 9. 26. *Visitabo super filios Ammon, & super Moab, & super omnes* קצוצי פאה *circumtonsos angulis*, nempe capitis: Eadem περιφράσει gentes aliæ notatæ veniunt, *Jerem.* 25. 23. & 49. 32. Hanc tonsuræ formam, seculo proxime elapso in *Anglia* frequentem fuisse, notat *Hadrianus Junius lib.* de *Coma cap.* 6. Ubi, postquam vox illa περιτροχαλάτης qua *Pollux* utitur, obiter incidisset; addit, *equidem ea voce, id tondendi genus significari autumo, quo in orbem æqualiter capillitii villos præsecabant: quem morem nondum obliteratum in Anglia videre est.* Hunc autem tondendi modum *Cunæus de Rep. Hebr. lib.* 2. *cap.* 18. hac lege interdictum censuit: nam *Chœrili* τροχοκέιδας, *in orbem circumtonsos*, memorans *sane pro certo est*, inquit, *id tonsuræ genus invisum Judæis omnibus & pene execrabile fuisse: quippe interdictum illis severissima lege fuit, ne angulum capitis circumtonderent.* Eidem sententiæ accedere videtur doctissimus *Hammondus* noster *tract. de Scandal.* §. 20.

At vero mihi plane incredibile est, Deum omnem tonsuram orbicularem hac lege vetuisse, cum antiqui Judæi hoc tonsuræ genus in moribus habuisse, & cæteris prætulisse, non immerito censeantur. Hoc e *Josepho Lib.* 1. *cont. Ap. p.* 1346. colligere licet, qui hæc *Chœrili*, poetæ perantiqui, carmina de Judæorum gente interpretatur:

> Τῷ δ' ὄπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι
> Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες.
> (8) Ὤκεε τ' ἐν Σολύμοις ὄρεσι πλατέῃ (9) ἐνὶ λίμνῃ,
> (10) Αὐχμαλέοι κορυφὰς, (11) τροχοκουρίδες, ——

> *Pone sequebatur genus admirabile visu,*
> *Barbara Phœnicum quod ab ore vocabula misit,*
> *Sedes huic Solymi montes, stagnum prope vastum,*
> *Squallent ora, comis tonsura rotunda,* ——

Quibus verbis equites Judæos describi *Josephus* probat, nomine *Solymorum*, & mentione *lacus*, quem ait esse Asphaltiten *quo stagnum majus ac latius*, inquit, *non novit Syria.* An hæc *Josephi* interpretatio quid sani aut veri habeat, nil opus est curiosius investigare; cum lis ea *Cun. de Rep. Hebr. l.* 2. *c.* 18. *Grot. in Luc.* 3. 14. *Bochart. Geogr. Sac. P.* 2. *lib.* 1. *cap.* 6. *Coteler. in Not. ad l.* 1. *Constit. Apost. c.* 3. *Huet. Demonstrat. Evang. Prop.* 4. *cap.* 13. viros doctissimos satis exercuerit, nec multum referat an *Josephus* recte vel secus *Chœrili* sensum intellexerit. Quamvis enim *Josephum*, hæc de gente sua intelligentem, in errore versatum fuisse concedamus; inde tamen non temere concludamus, Judæos antiquiores comas frequenter in orbem secuisse. Nam proculdubio Josephus, legis & moris Judaici consultissimus, tonsuræ genus quod lege vetitum aut a gentis usu alienum norat, suis tribuere noluisset. His addo, quod incredibile sit, Deum tonsuram orbicularem (quæ nonnullis decora, aliis religiosa, omnibus innocua, visa est) prohibere voluisse. Crinem rotundare, decorum duxit antiquitas: nam *Varro* de liberis educandis, *alii*, inquit, *sunt circumtonsi, atque unctuli: Agathias lib.* 1. *pag.* 14. de Francis

cis loquens, ait περίτροχον κάρονται, *in orbem tondentur*. *Philo de Vit. contemp. p.* 896. delicias & luxum Romanorum & Græcorum conviviorum referens, eos servos habuisse dicit, vel *omnino intonsos*, *vel a fronte tantum præsectis in orbem crinibus*. Hac etiam phrasi ad nitorem exprimendum utitur *Lib.* 4. *ep.* 13. *Sidonius Apollinaris*, *crinis in rotæ specimen accisus*. Nec cuivis obscurum est, aliquos olim religioni dicatos, hanc tonsuræ speciem sacram habuisse & religioni propriam.

Quarto: visum est aliis, *tonsuram* quam vocant *Theseiam* hoc in loco prohiberi, cum scilicet coma anterior, frontem tegens & tempora, præciditur, posteriore per cervicem diffluente. Ea sententia placuit *Maimonidi*, qui hac lege cautum asserit, De *Idololat. cap.* 11. §. 2. *ne quis*, *Gentilium ritu*, *capillis sit promissis: ne utrinque tondeatur*, *relictis in medio capillis: nec a fronte præcidat capillos ab una aurium ad alteram*, *relicta occipitis coma; quandoquidem*, inquit, *is mos Gentilibus*. Ita morem Gentilium habuisse, nonnulli e jam laudato *Jeremiæ* loco colligendum sentiunt: *visitabo super Ægyptum*, *super filios Moab*, *LXX.* in *Jerem.* 9. 26. καὶ ἐπὶ (12) πάντα περικειρόμενον (13) τὰ (14) κατὰ πρόσωπον αὐτȣ̃, *& super omnem attonsum circa faciem suam*. Huic mori ethnico Deum hanc legem opposuisse, causam opinandi præbuerunt ipsa legis verba, לא תקפו פאת ראשיכם *Non circuibitis* (novacula nimirum) *angulos capitum vestrorum*. Per *angulos* autem *capitis*, frontem & tempora intelligenda esse, non tantum Judæorum consensu, sed & usu Scripturæ, satis confirmatur. Eo enim sensu occurrit vox illa, *Levit.* 13. 41. ubi de personis lepra infectis agitur *& si* מפאת פניו *ab ungulo faciei depiletur caput ejus*, h. e. si temporum & frontis pili ceciderint. *LXX.* Ἐὰν δὲ κατὰ πρόσωπον μαδήσῃ ἡ κεφαλὴ αὐτȣ̃.

Hæc equidem speciosa fateor: ut putem tamen hanc non esse veram legis hujus intentionem, multis adigor: [I.] Galilæi hunc tondendi morem sequebantur, & si *Nonno* credimus, crines retro pendulos promittebant. Nam paraphrasi sua in *cap.* 2. *S. Johannis*, Galilæos ὀπισθοκόμȣς appellat:

> Χριστὸς ὀπισθοκόμων θοινήτορι λαῷ
> Κλητὸς ἔην σύνδορπος.

> *Christus retrocrinitorum hominum epulanti populo*
> *Vocatus erat conviva.* ——

Est autem difficile creditu, Galilæos (homines origine Judæos) hanc tonsuræ formam in mores admittere voluisse, si illicitam & legibus interdictam existimassent. [II.] Hic tondendi modus apud gentes haud paucas, bellicosas inprimis, usu frequens erat: non est autem rationi congruum. Deum tonsuram, multarum gentium usu patrio receptam, & culpæ omnis expertem prohibere voluisse; tantum ut Israelitæ (quod sentit *Kimchius Glos. ad Lev.* 19. *Non tondendos esse capillos*, *more Gentilium*, *ut Israelitæ sint ab eisdem separati*.) (15) a gentibus morum diversitate discernerentur. (III.) Locus ille parallelus indicat, meram frontis aut temporum rasuram, relicta occipitis coma, hic minime prohiberi. Sic enim se habent loci (*Deut.* 14. 1.) paralleli verba: *non facietis calvitium inter oculos vestros propter mortuos:* hoc est, pilos in oculorum vicinia crescentes non auferetis, ut mortuorum exequias aut inferias, ritu gentili, celebretis. Hinc elucet, Deum non omnem pilorum, tempora frontemque tegentium, rationem aut evulsionem hac in lege vetuisse, sed eam solummodo frontis & temporum calvitiem, quæ ad luctum immodicum testandum, aut honorem indebitum mortuis deferendum, inducebatur.

Quinto: nonnulli in ea sunt sententia, Deum non ritum aliquem superstitiosum, nec civilem in usu communi positum, sed funebrem, hac in lege, vetuisse; adeoque Judæos tum solum hanc legem violasse, cum justa funebria solventes, in orbem tonderentur. Nam vel tyronibus in literatura sacra & profana satis innotescit, morem illum genas & capita depilandi, cum exequias agerent, apud gentes antiquiores plerasque omnes obtinuisse. Nec temporis vetustas moris illius antiqui vestigia plane omnia abolevit: in cujus rei fidem, audiamus quæ *Lucas de Linda* de hodierno *Calecuti* populo memoriæ prodidit *Descript. Orb. pag.* 143. *omnes valde longos crines alere solent*, *quos defuncto Rege una cum barba præscindunt*, *in signum tristitiæ ideo conceptæ*. Cum itaque insana illa capitis & barbæ violatio luctus vehementiam & immodicum animi affectum argueret, Deus (inquiunt illi) hoc ritu Judæis interdixit, eumque ad ethnicos ablegavit, qui resurrectionis spem non habentes, amicis e medio sublatis, in luctum modi & mensuræ nescium solvebantur. Adeo ut, si sententiæ hujusce patronos audiamus, Deus hac in lege primario quidem luctum immodicum, cui (1. *Thes.* 4. 13.) οἱ ἐλπίδα μὴ ἔχοντες in funeribus indulgebant, secundario vero ton-

tonſuram orbicularem (utpote luctus illius indicem) vetuiſſe cenſeatur. Ita cenſuiſſe videtur (*Annot.* ad *Eſdr. cap.* 9. 3.) *Grotius*, cum ait, *radere comam in luctu ob mortuos ideo Lex vetat, quod vicinæ gentes id uſurpabant:* & (*Comment.* in *Mich.* 1. 16.) *alibi, calvitium ſibi ob mortuos inducere, mos quidem erat gentibus aliis, ſed Judæis id non licebat per legem Deut.* 14. 1. quam noſtræ parallelam diximus.

Hanc autem opinionem legis hujuſce ſcopum attingere, mihi perſuadere nequeo; quod e *Scriptura* conſtet capitum & genarum tonſuram integram in luctu funebri non minus apud Judæos, quam Gentiles, in morem abiiſſe. Cum enim Deus, famis, peſtis, & belli plagis, multos e medio ſuſtuliſſet; *venerunt*, inquit (*Jer.* 41. 5.) Propheta, *viri de Sichem, de Silo, & de Samaria, octoginta nempe viri, raſa barba & ſciſſis veſtibus.* Et (*Cap.* 7. 18.) *Ezechiel* multorum funera his verbis præcidit, *accingent ſe ſaccis & operiet eos formido, & in omnibus eorum capitibus erit calvitium.* Sic etiam (*Cap.* 1. 16.) *Michæas* Judæ populum alloquitur, *decalva teipſum, & tonde temetipſum, ob filios deliciarum tuarum* (interfectos ſcilicet ab hoſte) *dilata calvitium tuum ſicut aquila.* At plane extra fidem eſt, tot viros, legis divinæ ſtudioſos, capitum & genarum capillos ponere, vel Deum in luctu funebri calvitium præcipere voluiſſe; ſi tonſura orbicularis tunc temporis infamis & legi contraria crederetur. Sed hac de re alibi forte magis opportune dicturi ſumus.

SECT. II.

Vera legis hujus intentio & occaſio traditur.

Opinionibus reprehenſis quæ fidem hactenus apud interpretes obtinuerunt, proximum eſt, ut de legis hujus intentione plenius videamus, & ſenſum quem maxima veri ſimilitudo commendat, argumentis aſtruamus. Ne lectorem pluribus detineamus: conſentaneum videtur, Deum, hac in lege, non (ſimpliciter) orbicularem, aut aliam aliquam ordinariam tonſuræ ſpeciem, ſed extraordinariam, in mortuorum ſcilicet exequiis, eamque animo & ritu ſuperſtitioſo, uſurpari ſolitam, inhibuiſſe. Ut rem totam magis explicate referam: gentibus antiquioribus in more erat, ut amicorum defunctorum buſtis, loculis, ſepulchris, aut cadaveribus adſtantes, capitum & barbarum capillos vellerent aut circumtonderent, eos loculis aut cadaveribus imponerent, eoſque, muneris aut placaminis loco, mortuis aut diis inferis, devoverent. Deus itaque, hac in lege non ſimpliciter id prohibet, ne Judæi capitis aut barbæ cæſariem in funere diſſecarent; neque hac lege cautum exiſtimo, ne, ſi libitum eſſet, eorum capita circumtonderent; ſed ne, mortuis adſtantes, capita in orbem diſſecarent, aut comam diſſectam in defuncti faciem, pyram, aut ſepulchrum, more Gentili, ſpargerent: ne ſcilicet, ethnicorum ritu, munus ad Manes propitiandos offerre, vel extinctis amicis inferias mittere, viderentur.

Ut argumentis, ad hanc ſententiam firmandam, ſtatim afferendis, aditum præſtruamus, hæc tria probari debent; [I.] Gentes antiquas, in ſolennitate funebri, capitis aut barbæ pilos diſſecare, eoſque in mortuorum buſta vel cadavera conjicere ſolitas. [II.] Gentes hunc ritum peracturas, capita non raro circumtondiſſe, vel in orbem ſecuiſſe. [III.] Gentes hunc ritum in funeribus obſervaſſe, ut *Manes* placarent, aut amicis fato functis inferias mitterent.

Primo: gentes antiquiores, in ſolennitate funebri, capitis aut barbæ pilos vellere vel ſecare, eoſque in mortuorum buſta vel cadavera jacere, ſolitas. Hoc cuivis manifeſtum eſſe poteſt, hiſtoricorum & poetarum antiquiorum ſcripta ſtudioſe perlegenti; cum ex iis pauci ſint qui alicubi morem illum non tetigerint. In *Homero* præſertim multa moris hujus ævis antiquioribus invaleſcentis veſtigia deprehendi poſſunt. *Achilles, Patrocli* manibus parentans, ita ſe geſſiſſe dicitur, *Iliad.* Ψ. *verſ.* 141.

> Στὰς ἀπάνευθε πυρῆς ξανθὴν ἀπεκείρατο
> χαίτην.

> *Ante pyram aſſiſtens rutilantem præſecat ultro Cæſariem,* ——

Et *Odyſſ.* 4. *verſ.* 197. inquit,

> Τοῦτό νυ καὶ γέρας οἶον ὀϊζυροῖσι βροτοῖσι,
> Κείρασθαί τε κόμην, βαλέειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν.

> *Hoc ſolum quaſi munus reſtat miſeris mortalibus*, in amicorum diſceſſu,
> *Tondereque comas, profundereque lacrymas a genis.*

Apollonius, juſta funebria *Jaſoni* ſoluta memorans, poſtquam, inquit, cadaver humo mandaſſent ſocii & puellæ,

> —— ἐμοιρήσαντο δὲ χαίτας
> Αὐτοὶ ὁμῶς κοῦραί τε ——

— *Tum*

—— Tum crines secuerunt
Ipsi simul & puellæ, ——

Romanos etiam hunc ritum in usu habuisse, docent hæc *Ovidii* carmina, *Epist.* 11.

Non mihi te licuit lacrymis perfundere justis,
In tua non tonsas ferre sepulchra comas.

Quantas autem radices olim in hominum animis & moribus hic ritus egerat, inde satis intelligitur, quod eum temporis iniquitas nondum penitus abolere potuerit. Testor *Johannem Gotovicum, Itinerar. Hierosolym. & Syriac. cap.* 13. *pag.* 84. qui fœminarum Cretensium mores referens, inter alia hæc habet; *hæ omnes in luctu suos quosque defunctos veteri ethnicorum more plangunt; & majoris doloris declarandi causa uxores inprimis, matres, sorores, ac proximæ quæque capillum sibi manu discindunt, comam evellunt, eamque cadaveribus injiciunt, -- frontem genasque lacerant*, &c.

Secundo: probandum incumbit, ethnicos, cum hoc officii genere in honorem mortuorum fungerentur, capita plerunque circumtondisse, vel in orbem secuisse. Moris hujusce testem advoco *Cointum Smyrnæum*, justa exequialia, Achilli præstita, *Lib.* 3. *vers.* 682. sic describentem;

—— ἀμφὶ δὲ χαίτας
Μυρμιδόνες ἐκείραντο, νέκυν δ' ἐκάλυψαν ἄνακτος.
Καὶ δ' αὐτὴ Βρισηῒς ἀκηχεμένη περὶ νεκρῷ,
Κειραμένη πλοκάμους πύματον πόρε δῶρον ἄνακτι·

—— Capillos autem
Myrmidones circumtondent, & cadaver regis his *cooperiunt.*
Ipsa etiam Briseis dum functum mœret,
Detonsam sibi cæsariem ultimum Domino munus exhibet.

Apud *Statium Thebaid.* 6. pater *Archemori*, filio orbatus,

—— tergoque & pectore fusam
Cæsariem ferro minuit, sectisque jacentis
Obnubit tenuia ora comis. ——

Ubi per *cæsariem tergo & pectore fusam* intelligit *Poeta* capitis comam, quæ intonsa per tergum & pectus fluere solebat, & in filii funere undique tondebatur. Huc faciunt etiam, & lucis haud parum huic legi præbent, *Herodoti* de *Scythis* (*Lib.* 4. *cap.* 71.) verba, *qui in regum funere*, τῶ ὠτὸς ἀποτάμνονται, τρίχας περικείρονται, βραχίονας περιτάμνονται, &c. *aurem decidunt, crinem circumtondent, brachia circumcidunt*. Sic autem gentes in funere sæpe tondebantur, non quod sphæricam aut orbicularem tondendi formam diis suis gratiorem crederent, sed ut totum quasi capitis proventum demeterent, & dono ampliori affectus suos in Deos aut defunctos indicarent. Ideoque *Electra* apud *Sophoclem* Helenæ irascebatur, quod in funere *Clytemnestræ* se πανέργως *dolose* gessisset, & cincinnos suos pulchriores celasset, eosque sibi ipsi reservasset: nam, observante *Scholiaste*, ἔδει τὰς κατ' ἀλήθειαν θρηνοῦντας πάντα τὸν πλόκαμον τέμνειν· Hanc *Scholiastis* rationem non plane contemnendam existimo, quod antiquis, in luctus graviores incidentibus, in more esset, hinc & inde crines evellere vel dissecare. Testimonio sint *Artemidori* verba Ονειροκριτικ. *lib.* 1. *cap.* 23. *si quis in somnio seipsum tondeat, luctum subitaneum aut calamitatem magnis malis refertam significat:* οἱ γὰρ ἐν τοιούτοις γινόμενοι, ἑαυτοὺς ἀνάγκη περικείρεσθαι. *Qui enim in talibus versantur, necessario seipsos circumtondent*. Fertur etiam (*Vid. Heylin. Geogr. p.* 1031.) fœminas Floridæ, maritis suis fato cedentibus id moris hodieque retinere, ut strictim undique se tondeant, & capillos in eorum sepulchra jaciant.

Tertio: probandum restat, ethnicos hunc ritum in funeribus observasse, ut *Manes* placarent, aut amicis fato functis inferias mitterent. Ritus hujus intentio doctos in partes traxit. Causam ejus incertam sic conjectura venatur *Paganinus Gaudentius Exercitat. de funer. Heroum, cap.* 6. *Res est protrita, ut coma abscissa, a sociis aut sanguine junctis in ignem funebrem conjiciatur: an ut Heroi, tanquam Deo, res digna Deo & solita Diis offerri, consecretur absumenda. Sic videtur existimandum*. Ad fidem opinioni suæ conciliandam, exempla duo, ex *Homero* & *Statio* petita, profert; unde pateat, antiquos comam, quam Deo alicui sacram vovissent, in amicorom ex improviso defunctorum bustum aut faciem quandoque conjecisse. Ab hac sententia non multum diversus erat ipsorum ethnicorum sensus, qui comas hoc ritu tonsas, veluti primitias aut inferias quasdam, *Manes* aut *Mortuos* placandi causa, ad mortuorum busta vel corpora deferebant. Hoc ex *Helenæ* (*Ap. Eurip. in Orest. v.* 94.) verbis eliciamus,

(16) Βȣλῃ τάφον μοι πρὸς κασιγνήτης μολεῖν,
Κόμας ἀπαρχὰς ϗ χοὰς φέρȣσ᾽ ἐμάς;

Vis mihi ire ad sororis tumulum,
Comæ ut primitias & inferias feram
meas?

Et *Chariclæa* apud *Heliodorum Æthiopic. l. 6. p.* 280. extincto doctori suo *Calasiri*, vulsos e vertice crines libavit, cum gemitu dicens, ἐπιφέρω σοι χοὰς [ἐκ τῶν ἐμαυτῆς πλοκάμων] *Affero tibi inferias* [*ex ipsis meis cincinnis*] Ethnicos autem id genus officii, *Manes* & *Umbras* placandi gratia peregisse, colligere licet e *Senecæ* tragœdi verbis; *in Hippol. Act.* 5. *Sc.* 1.

Placemus Umbras: capitis exuvias cape,
Laceræque frontis accipe abscissam comam.

Sed hoc mysterium iniquitatis paulo clarius explicat (17) *Scholiastes* in *Sophoclem*, ubi ait: ἔθος ἦν τέμνειν τὰς κόμας ϗ ἐπιθεῖναι τῷ τάφῳ, ἵνα διὰ τȣ́τȣ πένθȣς ἵλεως αὐτοῖς ὁ νεκρὸς ᾖ. *Moris erat secare crines & imponere sepulchro, ut per luctum illum mortuum iis benevolum & propitium redderent.* Vereor autem ne ludam operam, qui in dæmonis institutis rationem quæro.

S E C T. III.

Et fuse confirmatur.

Legis hujus intentione, qua licuit, explicata; superest, ut jam dictis fidem afferam, & argumentis evincam, Deum hac lege prohibuisse, comas in mortuorum sepulchra vel cadavera conjiciendas, dissecari, ne quid honoris Diis Manibus exhibere, vel mortuis inferias dare, viderentur. Argumenta vero, quibus opinionis hujusce veritatem probabiliter evinco, sunt hujusmodi.

Primo: nulli legem hanc attentius intuenti dubium esse potest, quin ad ritum aliquem, in defuncti honorem usurpari solitum, respectum habeat. Nam [I.] apud omnes in confesso est, Deum barbæ corruptionem, verbis immediate sequentibus, inhibuisse, quod ritus funebris esset, & a gentibus animo superstitioso usurpatus. Caret itaque veri specie, tonsuram orbicularem, hic una vetitam, alio quam ad ritum ethnicum, in mortuorum elatione frequentem respexisse. (II.) Incisiones carnis, על מות *propter*, vel *ad mortuum*, versu sequente diserte prohibentur. Quidni itaque, illud, *pro mortuo*, versum hunc antecedentem afficiat, & ad capitis tonsuram barbæque corruptionem ex æquo referatur? Quasi lex illa verbis hisce concepta fuisset, *non in circuitu attondebitis angulum capitis vestri*, propter mortuum; *non corrumpes angulum barbæ tuæ*, propter mortuum; *nec incisionem facietis in carne vestra, propter mortuum.* [III.] In locis parallelis, quibus incisiones & tonsuræ, quas diximus, interdictæ sunt, *mortuorum* mentionem semper adjunctam reperiamus. Nempe *Deut.* 14. 1. *Non vos incidetis, nec facietis calvitium, -- super mortuo.* Cum etiam Deus legem (*Levit.* 21. 1. 5.) eam sacerdotibus ejus tradidisset, *ne se pro mortuo contaminarent*, statim explicationis causa additur, *non radent caput suum nec barbam, -- neque in carnibus suis facient* (18) *incisuras.* Suadet itaque legis, alibi loquentis, usus, ut hanc legem, non tam de tonsura orbiculari, quam tonsura lugubri, & in mortui honorem facta interpretemur. [IV.] Ritus illi gemelli, capitis tonsura & barbæ rasio, nunquam nisi in luctu graviori, eoque plurimum funebri, in scriptura conjuncti reperiuntur. Hoc facile constet loca illa consulenti, *Jes.* 15. 2. *Jerem.* 16. 6. *Baruc.* 6. 31. *Jes.* 7. 20. *Jerem.* 48. 37. Neque ritus illi, in Judæorum solummodo, sed & gentium aliarum, luctu funebri conjungebantur. Nam refert *Svetonius in Caligul. cap.* 5. nunciata *Caligulæ* morte, *Regulos quosdam barbam posuisse, & uxorum capita rasisse, ad indicium maximi luctus.* Idem & *Argivos* mœroris causa præstitisse, testatur *Herodotus lib.* 1. *cap.* 82. Cum itaque rasura capitis & barbæ tonsura, hoc in commate, conjungantur; hinc ansa suspicandi satis ampla data est, Deum ritum aliquem superstitiosum, in funeribus olim usitatum, hac in lege vetuisse. His forsan argumentis inductus, *Castalio* sic legem reddidit, *ne vobis in funere verticem deraditote.*

Secundo: si ad præcipuas ritus hujusce funebris, prout inter ethnicos usurpati, circumstantias animos advertamus; eas verbis legis, quam præ manibus habemus, apte quadrare comperiamus.

Nam [I.] Cum gentes antiquæ defuncti manibus hoc ritu parentarent, crines suos novacula vel unguibus plerumque circumibant. Hac de re nullam dubitandi occasionem relinquunt jam adducta testimonia. Hanc autem circumstantiam legis hujusce verbis adamussim convenire, versionum omnium consensu confirmatum est. Nam *Aquila* hunc locum, ȣ περικυκλώσετε, reddit: *Theodotion:* ȣ̓ κυκλώσετε. *Symmachus*, ȣ̓ περιξυρήσετε κύκλῳ. (19) *Hie-*

Hieronymus, *neque in rotundum attondebitis*.

[II.] Gentes, in mortuorum ſacris, non ſemper ad vivam cutem tondebantur, ſed quandoque ſatis habebant ſummitatem vel extremitatem capitis aut barbæ delibare. Nam *Oreſtes Euripidis* noctu ad *Agamemnonis* patris ſepulchrum, κόμης ἀπήρξατο, *comam præſectam libavit*: & *Helena* in funere ἄκρας ἀπέθειξε τρίχας, *crinium extremitates detruncavit*. Huic etiam circumſtantiæ conſona ſunt legis hujuſce verba, caventis ne פאת ראשכם *extremitatem crinium capitum circumtonderent*, *neque* את פאת זקנך *ſummitatem barbæ corrumperent*. Ita quidem vocem פאה vertere conſultius habui, non tantum quod ſenſum magis congruum & concinnum fundat, (quis enim *angulos* barbæ novit?) ſed quod vox ea ad rei extremitatem notandam quandoque uſurpetur: nam voces illas (*Ezech.* 47. 18.) ואת פאת קרימה (20) LXX. (21) καὶ τὸ ὅριον βορρᾶ vertunt. Sic etiam (*Levit.* 19. 9.) hoc ipſo in capite uſurpari videtur, *verſ.* 9. *Non perdes* פאת *angulum agri tui demetendo*: nam *eo in loco*, inquit *Schindlerus Lex. Pentagl. in voc.* פאה, *agrorum extremitates* intelligendæ ſunt, quæ *in meſſe non demetebantur*, *ſed pauperibus relinquebantur*. Nec vox פאת hoc in loco ſenſum alium recipit, niſi vim aliquam ei inferamus, & vocem illam ſingularem, (quaſi pro פאות poſitam) juxta verſiones vulgo receptas, *angulos* transferamus. Hæc ſecum cogitaſſe videtur unus *Vatablus*, qui ſic legem reddit, *finem capillorum veſtrorum non attondebitis in rotundum*.

[III.] Ethnici ritus funebres peragentes, varias tonſuræ ſpecies & modos, pro luctus diverſitate, in moribus habuere. Nonnunquam enim capillos tantum extremos in capitis circuitu pendulos ungue vel forcipe violarunt. Hoc in more fuiſſe, ſatis e jam nunc adductis teſtimoniis eluceſcit. Quandoque frontium & ſuperciliorum capillos novacula ſuſtulerunt. De frontibus teſtatur *Moſes*, *Deut.* 14. 1. de ſuperciliis *Artemidorus l.* 1. *c.* 27. ἔθος γὰρ ἐπὶ πένθει τὰς ὀφρύας ψιλοῦσθαι, *vetus mos eſt in luctu ſupercilia nudari*. Qui luctui impenſius indulgebant, non genas & frontem ſolummodo, ſed caput integrum novaculæ præbuerunt, & toti radebantur. (*Vid. Mich.* 1. 16. & *Kirchman. de funer. Rom. l.* 2. *c.* 14.) Tres autem illi tondendi modi, hac in lege, vel diſerte vel κατὰ διάνοιαν, interdicti ſunt. Hic enim diſerte cautum eſt, ne capillos extremos caput undique exornantes in exequiis delibarent: hic etiam interdictum eſſe, frontis aut ſuperciliorum formam & aſpectum lædere, e loco illo cognato, *Deut.* 14. 1. facile colligamus; *non incidetis vos*, *neque facietis calvitium inter oculos veſtros ob mortuum*. Eo etiam extendit legis hujuſce ſcopus & intentio, ut caput integrum tondendi, i. e. calvitiem inducendi, licentiam tollat: hoc e loco (*Levit.* 21. 5.) illo plane parallelo diſcitur, *non facient calvitium in capite ſuo*, & *angulum barbæ ſuæ non radent*, & *in carne ſua non incident inciſionem*.

[IV.] Apud Ethnicos, mortualia celebrantes, decalvandi ſeu pilos demetendi officium, non per tonſores, ſed propria lugentium manu, plurimum expeditum eſt. Hoc haud obſcure docent *Artemidori* verba *Oneirocrit. lib.* 1. *cap.* 23. κείρεσθαι ὑπὸ κουρέως, ἀγαθὸν πᾶσιν, *tonderi* per ſomnium *a tonſore*, *omnibus fauſtum* eſt & lætitiæ ſignum: at mox ſubjungit, εἴ τις ἑαυτὸν κείρει, πένθος αἰφνίδιον ἢ συμφορὰν μεγάλων κακῶν ἀνάπλεων σημαίνει, &c. *Si quis ſeipſum tondeat*, *luctum ſubitaneum aut calamitatem magnis malis refertam ſignificat*: *qui enim in talibus verſantur*, *neceſſario ſeipſos circumtondent*. Non ferebat nempe luctus gravioris impatientia, ut tardum tonſoris adventum expectarent. Hac etiam in lege, crinium deformitatem propriis lugentium manibus inductam prohiberi, cuivis apertum eſt, legem integram paulo propius intuenti; οὐ κυκλώσετε, *non circundabitis angulum barbæ tuæ*, & *inciſionem ob demortuum non facietis in carne veſtra*: nam legis illius verba noviſſima de ſqualore & turpitudine propriis ipſius lugentis manibus inducta plerique interpretantur; ſuadet itaque ſumma rituum eorum conjunctio, ut verba prima de capillis ipſis hominis in luctu conſtituti manibus, undique ſectis aut evulſis, exponamus.

[V.] Gentibus amicorum funera permoleſte ferentibus in more erat, comam quandoque vellere, quandoque diſſecare; eamque nunc ungue, nunc forcipe vel novacula violare. Communes impatientiæ leges, gentibus luctu graviore preſſis comæ vulſuram imperaſſe, nobis facile perſuadeamus. (*Vid. Eſth. additament. c.* 14. 2. & *Eſræ c.* 9. 3.) *Jobus*, gentium ritu proculdubio, liberis amiſſis, ſurgit tandem, *veſtes lacerat*, ויגז & *caput ſuum vellit*. *Job.* 1. 20. Sic locum reddo, quod ſubitum *Jobi* πάθος opinari ſuadeat, eum crinium evulſionem, non tonſionem, luctus ſui teſtem feciſſe. Atque hic ſenſus voci convenit, nam *Jer.* 7. 29. גזי *tonde*, *Targum* exponit חלישי *evelle capillos tuos*. Gentes etiam luctum graviorem capitis tonſura declarare ſolitas, plurimis teſtimoniis evinci poſſet, niſi quod rem hanc cui-

vis

vis e ſchola tyrunculo notam crederem. (*Vid. Bochart. de animal. Sac. P.* 1. *col.* 483.) Atque hæc etiam luctus funebris circumſtantia legis noſtræ verbis apprime conſentanea eſt: nam voces illæ, לא תקפו *non circundabitis*, generales ſunt admodum, & orbicularem quamvis comæ violationem, evulſione vel tonſione, ungue vel forcipe, factam, indicare poſſint. Interpretes itaque plerique legis hujuſce verbis ſenſum generalem conſulto tribuerunt: ſic enim *Aquila* locum vertit, οὐ περικυκλώσετε, *Theodotion*, οὐ κυκλώσετε, *Arabs* חרורוא (22) לא *non circuibitis*, Interpretes Anglicani, *ye ſhall not round the corners of your heads*: unde & a vocum Hebræarum ſenſu minus deflexerunt, quam *Symmachus*, qui οὐ περιξυρήσετε κύκλῳ, & *Hieronymus* qui, *ne in rotundum attondebitis*, tranſtulerunt, adeoque vocum earum ſenſum ad circuitionem tonſura factam reſtrinxerunt.

E jam dictis abunde conſtat, legis hujuſce verba tonſuræ funebris inter Ethnicos uſitatæ, circumſtantiis omnibus apprime convenire: ideoque longe conſultius eſt, legem de tonſura gentium funebri, quam tonſura ſphærica civili gentis alicujus uſu recepta, vel tonſura orbiculari in Bacchi forſan honorem excogitata, interpretari.

Tertio: hinc etiam ſententia noſtra firmior evadat, quod clarum ſit, Deum morem illum, comam mortuis offerendi & ſuper ipſorum pectora vel ſepulchra imponendi, legi noſtræ parallela & plane gemina vetuiſſe: nempe *Deut.* 14. 1. *Non facietis calvitium inter oculos veſtros* למת *ad* vel *ſuper mortuum*. Ubi per illud, בין עינים *Eſt hoc frontem ſeu anteriorem capitis partem depilare*. *Bonfrer. in loc. inter oculos*, deſignatur ea capillorum pars quæ imminet intercilio, ſeu ſpatio oculis interjecto. Adeo ut loci ſenſus huc redeat. „ In luctu funebri, frontis, ſuper-„ cilii, vel capitis, decalvati pilos (—*plan-„ xere ſorores, Najades, & ſectos fratri „ impoſuere capillos*. Ovid. Metam. *lib.* 3. „ *v.* 505.), ſupra jacentis pectus, faciem, „ aut ſepulchrum, non imponetis; ut pia-„ culi loco inſerviant, aut quicquam in-„ de commodi vobis, aut mortuo ſola-„ minis, afferatis. “ Hunc ſenſum non parum confirmant verba proxima, לא תתנו *Non facietis inciſionem in carne veſtra*, לנפש *ad* vel *propter animam*: h. e. Ne more Gentili, carnes incidatis, & ſanguinem fundatis; quaſi Diis Manibus inferias miſſuri, & ritu illo commodi quicquam mortuorum animis allaturi. Interpretationi noſtræ favet etiam (*Deuteron.* 14. 1.) *Græcorum verſio*, Οὐκ ἐπιθήσετε φαλάκρωμα ἀναμέσον τῶν ὀφθαλμῶν ὑμῶν ἐπὶ νεκρῷ, i. e. *Non ponetis calvitiem inter oculos veſtros ſuper mortuum*: h. e. comam anteriores capitis exornantem non evelletis, ut ſuper jacentis pectus aut ſepulchrum imponatis, & ritu illo mortuorum umbras lenes & placatas habeatis. Nam phraſi huic, ſimillima videntur (23) *Scholiaſtis* ſupra memorati verba, ἔθος ἦν τίμνειν τὰς κόμας, καὶ ἐπιτιθέναι τῷ τάφῳ. Ne quis me talia dicentem hunc locum ſcripturæ torſiſſe ſentiat, audiat *Theodoretum* mecum diſerte ſuffragantem: (*In Deuter. qu.* 13.) τινὲς μὲν τῶν ἀλλοφύλων ἐθνῶν τὰς τῆς κεφαλῆς ἀπεκείροντο τρίχας, καὶ ταύτας προσέφερον τοῖς νεκροῖς· τινὲς δὲ τὰς τῶν γενείων, ἄλλοι τὰς τῶν ὀφρύων· ταῦτα γίνεσθαι ὁ θεῖος ἀπηγόρευσε νόμος. *Quidam extranearum gentium pilos capitis abradebant, & hos offerebant mortuis: alii pilos barbæ, alii ſuperciliorum. Lex divina prohibuit iſta fieri*. Sic etiam Modernis nonnullis ſententiam ſtetiſſe, pateat e *P. Fagii* & *Sculteti verbis* (*Exercit. Evang. l.* 2. *cap.* 55.) *nonnullæ gentes*, inquit *Scultetus*, *capillos capitis ſecare ſolebant & defunctis offerre: alii pilos genarum, alii vero ipſa cilia incidebant atque offerebant. Hæc ut non imitarentur Judæi ſevere præcipit Deus*, Deuteron. 14. 1. *Sed ſuperſtitioſiſſima Judæorum gens quid ſuperſtitionum Paganarum intactum reliquit?* Quæ omnia *Scultetum* a *Fagii* commentariis precario habuiſſe, facile conſtabit autoris illius annotata ad hunc locum perlegenti. (*Vid. Fag. annot. in Deuter.* 14. 1.) Cum itaque jam dicta probent, legem huic noſtræ parallelam de ritu ſuperſtitioſo, in mortuorum exequiis uſitato, exponendam eſſe; proclive eſt colligere, ritum conſimilem, & hac in lege quæ nos exercuit hactenus, licet haud adeo diſerte, prohiberi.

Hoc argumentum (dicet forte nonnemo) fundamento male fido nititur, quod harum legum forma diſſimilis indicio ſit, eas non eſſe cognatas aut parallelas: Nam *Levit.* 19. 27. vetitum eſt, *comam in orbem tondere*, hic autem anterioris capitis capillos diſſecare. Hanc autem objectionem facili opera diluamus: nam gentes, cum in luctu eſſent, nunc frontis, nunc capitis integri comam lacerabant. Huic mori fidem, & legi utrique lucem, conciliant modo citata *Tragœdi* verba: (*In Hippolyt. Act.* 5. *Scen.* 1.

> *Placemus Umbras: capitis exuvias cape,*
> *Laceræque frontis accipe abſciſſam comam.*

Interea temporis, vero non abſimile eſt, gentes antiquas comam anteriorem, utpote

pote magis obviam & unguibus propinquam, in luctu funebri frequentius lacerasse vel secuisse. Inde causa data videtur *Achmetis* (*Oneirocrit. c.* 31.) verbis, *ἐὰν ἴδῃ ὅτι ὁ κουρεὺς βλέπων αὐτὸν ἐμπροσθίως ἐκούρευσεν, οὗτος καὶ προγνώσεται τὸν τρόπον τῆς ἀπωλείας αὐτοῦ: si quis* per somnium *visus sit sibi a tonsore ipsum obtuente in antica parte tonderi, mortis suæ genus præsciat*.

Quarto: inde liquet etiam, Deum non simpliciter tonsuram sphæricam, sed tonsuram ritu & consilio ethnico peractam, hac in lege vetuisse; quod e Scriptura compertum sit, Hebræos antiquos [qui proculdubio legis suæ sensum probe tenuere] barbæ & capitis integri tonsura suorum funera celebrasse. Huic mori Judaico testimonio sunt loci supra citati, quibus addo Prophetæ verba *Jerem.* 16. 6. *& morientur magni & parvi, in terra hac: non sepelientur, neque plangent eos, neque incidetur, neque decalvabitur ob eos*. Multum hic sudarunt interpretes, ne lex & praxis Judæorum frontibus adversis concurrere censeantur: & ad eorum mores cum legibus [uti videntur contrariis] conciliandos, vias diversas inierunt. Judæi moderni, ut nodum solvant, varias tonsuræ species, & calvitiem inducendi modos, enumerarunt; e quibus, has licitas, alias lege vetitas, decreto quasi magistrali, pronunciarunt. *Grotius* nodum cui solvendo impar erat, sic secare studet, (*Comment. in Jerem.* 16. 6.) *mores* illos, se incidendi, & decalvandi, *multi* Judæi *a vicinis sumserant, spreta lege quæ extat Levit.* 19. 27. 28. *Deut.* 14. 1. Ab eadem opinione non multum aberat *Chemnitius*, asserens pravos illos mores pedetentim increbuisse (*Exam. Concil. Trid. P.* 3. *c.* 2. *p.* 527.) *ex conversatione* cum gentibus pestifera, quomodo *tibicines etiam in curatione funerum*. At mihi tam facile persuadere nequeo, Judæos legum aliarum observantissimos, legis hujusce rationem adeo nullam habuisse, ut in funere non tantum capita depilandi, sed & carnes incidendi licentiam sumerent; modo ritus illos in luctu tantum funebri (quod sentit *Grotius in Jes.* 22. *v.* 12.) illicitos existimassent. Sed & præter fidem videtur, Judæos antiquiores comam in luctu funebri dissecandi ritum a gentibus exteris accepisse; cum testetur *S. Hieronymus*, Judæos non olim tantum, sed & ætate sua, crines in funere secuisse, cum plerique gentilium ritus in desuetudinem abiissent, & zelus Judæorum in legem, moris alicujus ab ethnicis recepti tyrannidem facile superaret. *Vid. Cap. prox.* §. 1. His accedat, quod prophetæ, multorum funera prædicentes, crebras petierint a ritibus hisce funebribus loquendi formulas, gentem Judaicam *ad calvitiem & capitum rasuram* sæpius adhortantes; vid. *Jer.* 7. 19. *Mich.* 1. 16. *Amos* 8. 10. *Ezech.* 7. 18. & alibi: absonum autem & absurdum haud immerito censeatur, prophetas ad ritus alicujus legi divinæ repugnantis usum hortari voluisse, vel Deum instituta sua priora posterioribus prophetarum locutionibus abrogasse. Leges itaque toties commemoratæ cum contrariis Hebræorum antiquorum factis nulla ratione conciliari posse videntur, nisi dicamus, legibus iis tonsuram tantum funebrem, animo superstitioso & ritu Gentili factam, prohiberi. Ita nempe Gentium more comparatum erat, ut non tantum crines in funere tonderent, [hoc ipse *Jobus cap.* 1. 20. nunciata filiorum morte, fecisse dicitur] sed eos in ipsius defuncti faciem, sepulchrum, aut bustum, conjicerent; ut ex ipso crines dissecandi modo constare posset, gentes Diis *Manibus* aut mortuorum umbris, muneris & piaculi vice, crines suos obtulisse. Hoc itaque, & cognato illo *Deuter. cap.* 14. 1. præcepto, cautum videtur, ne Israelitæ, cum honores extremos mortuis impertirent, eorum crines למת *ad* vel *super mortuum*, ritu & consilio ethnico dissecarent. Mecum hac in re sentit *Calvinus*, in legem (*Comment. in Lev.* 19. 27. *p.* 177.) hæc habens; *incisuram & calvitium* super mortuo *damnat Moses*, *quia ritibus hisce finis Genium erat justa solvere mortuis, & feriales exequias quodam piaculi genere celebrare*.

Quinto: sententia nostra vero similior existimetur, quod tonsio illa piacularis, consuetudo perantiqua, & olim longe lateque propagata fuerit. Gentes ab antiquo crines eorum ad placandos defuncti manes tondere solitas, norunt omnes qui vel mediocrem veterum scriptis perlegendis operam adhibuerunt. Atque inde conjicere liceat, superstitionem hanc latissime vagatam fuisse, nullamque fere gentem intactam reliquisse, quod apud Græcos & Romanos [gentium orientalium simios] in usu tam frequens esset. Hac de re, nulla dubitandi causa subesse potest; cum apud nullum fere Poetam, *Græcum* aut *Latinum*, moris hujusce funebris non occurrat mentio. Promtum esset, multa ex iis testimonia in medium proferre; si *Meursii de funer. cap.* 27. *Kirchmanni de Roman. fun. l.* 2. *c.* 15. *Morestelli de pomp. feral. lib.* 2. *cap.* 32. *Stanleii in Æschyl. Choepher. p.* 816. & aliorum de re funebri scriptorum, scrinia compilare vellem. Cum itaque testimoniorum tot illustrium luce percipiamus, hunc ritum funebrem in

in Oriente plurimum olim invaluisse; suadet ratio, ut Mosem legem aliquam ei repugnantem alicubi statuisse censeamus. Cum enim id muneris a Deo accepisset Moses, ut ritus idololatriæ & magiæ conjunctiores, si præsertim in usu quotidiano positos, extirparet; plane incredibile est, eum ritum tam frequentem & qui gentium pene omnium mores infecisset, nulla censura notatum præterire voluisse. At vero, nisi Mosem, hic, aut loco *Deuter.* 14. 1. illo parallelo, hunc ritum perstrinxisse concedatur, ne in tota lege moris hujus infamis vel mentio reperiri potest.

S E C T. IV.

Objectiones enervantur.

SEntentia nostra rationibus hisce communita, adversæ partis argumenta jam solvere conabimur, ut omnis lectori scrupulus auferatur.

Horum primum petitur a versione Græca quæ interpretationi nostræ prorsus adversari videtur. Sic enim se habet versio illa, (24) ὀ ποιήσετε σισόην ἐκ τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς ὑμῶν. Est autem Σισόη, inquit *Scholiastes* in *Leviticum*, (*Vid. Harpocrat. in voc.* κρώβυλος,) ὁ κρώβυλος, i. e. πλέγμα, ὅπερ Ελληνες ἐπλέκοντο, ὡς Κρονικὸν ἀνάθεμα. *Cincinnus aut nodus capillorum, quem Gentiles, tanquam rem Saturno sacram, intorquebant.* Consentit *Suidas*, qui Σισόη per τὸ πλεξίδιον explicat. Idem sentire videtur *S. Cyprianus*, sic legem reddens, *non facietis cirrum ex coma capitis vestri. Lib.* 4. ad *Quirinum*. Unde liquet nos a veri vicinia longe recedere, qui legem hanc de tonsura in exequiis usitata interpretamur.

Hæc omnia me leviter feriunt, quod vox Σισόη, a viris eruditione præstantibus, exotica putetur, & illius intentio vera lateat in tenebris adhuc, obruta vetustate. Mihi recte sentire videntur, *Johannes Croius*, *Sopingius*, aliique, qui vocem eam plurimis aliis *Alexandrinæ* dialecto peculiaribus annumerarunt. Cum enim *Alexandria* olim commune quoddam literarum emporium esset, eoque ex omni pene gente confluerent homines, ad animos literis excolendos; inde lingua civitatis illius tot vocibus originis exteræ contaminata est, & tot vocabula veris Græcis ignota in eam irrepserunt, quod *Irenæus*, Grammaticus Alexandrinus, septem libros (jam temporis injuria surreptos) περὶ τῆς Αλεξανδρέων διαλέκτε scripserit. Cum autem interpretes Græci, ex Alexandria plurimum oriundi, multas hujusmodi voces Alexandrinas usurparent, factum est, ut textus Hebræus, hic, & alibi sæpe, magis apertus sit & intellectu facilis, quam ipsa Græcorum versio. Vocem autem Σισόην in vocum Alexandrinarum numerum referendam censeo, non tantum quod interpretes illi hujusmodi vocibus (*Tot sunt* Alexandrinæ *voces apud Græcos interpretes, ut vix recenseri & describi possint. J. Croi. Obser. In N. T. pag.* 259.) frequenter uterentur; sed quod in nullo autore mere Græco, & Athenarum civitate donato reperiri queat. Ad hanc sententiam me ducit etiam, de *Sisoe* locus apud *Hesychium* corruptissimus (Σισοκῦρα, ροιά, φασηλῖται) quem Cl. *Heinsius*, in *Aristar. Sacr. pag.* 108. Conjectura sane felicissima, sic restituit; Σισόη, κῦρα ποιά, φασηλῖται· *Sisoe, tonsuræ species, vox Phaselitarum.* Manifestum est itaque, si quid in re tam obscura manifestum, vocem hanc a *Phaselitis* ad *Alexandrinos* & *interpretes Græcos* devenisse. *Phaselitas* autem vocem eam ad κρώβυλον aut πλεξίδιον *cincinnum intortum* & *implexum*, Saturno sacrum, indicandum usurpasse, nec dicit *Hesychius*, nec testimonio vel ratione momenti alicujus evinci potest. Hoc equidem *Græcum Scholiasten* asserere, non diffitendum est: at qua autoritate fretus hoc dicat, me latere fateor. Certe, cuivis leges antecedentes & sequentes intuenti pateat, ceremoniam aliquam, circa mortuos olim usurpatam, in iis prohiberi: suadet itaque legis hujusce locus & συνάφεια, ut in ea ritum aliquem funebrem interdictum esse censeamus. Vid. *Lev.* 19. 26. 27. 28.

Secundo: dicet forte non-nemo, Scripturam opinioni nostræ refragari, qua Deus pœnas severissimas denunciat Ægyptiis aliisque, & minatur se (*Jerem.* 9. 26.) *visitaturum super omnes* qui sunt קצוצי פאה *circumcisi seu circumtonsi* (25) *angulos*, nempe capitis. Huic versioni suffragantur LXX. sic verba transferentes, ἐπὶ (26) πάντα περικειρόμενον τὰ κατὰ πρόσωπον αὐτῦ. Hinc autem probabiliter inferendum, Deum hac in lege non tonsuram solummodo funebrem & extraordinariam prohibere; sed tonsuram aliquam, Arabum aut aliarum gentium usu tritam, que *Bacchi* forsan, Orientalium *Deastri*, insigne habebatur. Refert enim in *Thalia cap.* 8. *Herodotus*, *Arabiæ* gentibus in more fuisse, comam in rotæ speciem dissecare: de iis enim loquens, κείρονται, inquit, (27) ὑποτρόχαλα, περιξυρῶντες τὰς κροτάφυς, *tondentur in orbem, tempora subradentes*. (28) *Plutarchus* etiam in *Theseo* ait, οἱ Αραβες ἐκείροντο τῆς κεφαλῆς τὰ προ-

πρόϑεν. *Arabes tondebantur sinciput*. Est itaque Scripturæ simul & historiæ consentaneum, Deum legem hanc ordinariis Arabum & aliorum ethnicorum moribus opposuisse, & ideo tonsuram σφαιροειδῶν factam vetuisse, ut Israelitæ a superstitioso gentium usu recederent, vel ut ab iis, ipso corporis & oris habitu discernerentur.

Objectio illa roboris speciem quidem habet, & præterea nihil. Nam tota errant via, qui textum illum *Jeremiæ* de gente aliqua *circumcisa angulos*, nempe capitis, exponendum sentiunt. Textui & rationi convenit, ut eum de gentibus *divisis angulo*, i. e. extremo angulo orbis terræ habitantibus, interpretemur. Ita ut sensus sit, „ perveniet plaga, non ad „ Ægyptios tantum & Judæos, sed & „ eos qui recessus absconditos, & angu„ los ob distantiam minus notos, inco„ lunt. Extremi & obscuri illi anguli, „ in quibus nonnulli forsan se tuto lati„ tare sentiunt, eos immunes a plaga „ non conservabunt. “ Hic sensus *Chaldæo* placuit, qui hæc verba per מפקי פאתא *circumdatos angulo*, nempe terræ, exponenda censuit. A nobis stant etiam interpretes *Anglicani*, sic locum reddentes: *And all that are in the utmost corners*. Sic & ipse Propheta seipsum explicat, cum addit, *qui habitant in deserto*. Atque hinc evenisse censeo, quod *Castalio* hæc, & propria verba, in unum nulloque divisum commate compingat sensum; sic locum transferens, *& in omnes extremum solitudinis tractum incolentes*. Hic itaque Scripturæ locus nil nobis adversi continet. Nihilo magis opinioni nostræ præjudicat historiæ fides: nam, si *Plinio Hist. nat. lib. 6. cap.* 28. fidem habeamus, Arabes olim *intonso crine* utebantur: hoc & eo facilius creditur, quod iis hodieque (*Camerar. Oper. Subcis. T. I. cap.* 93.) moris sit, ituris in prælium, sibi *ex propria coma cornua & cincinnos nectere*. Atque inde perspicuum evadit, locum ex *Herodoto*, quasi pro Arabum tonsura laudatum, non de capitis, sed aut de barbæ tondendæ ritu, Arabum genti proprio, aut de extremorum crinium rotundatione, citra integram capitis tonsuram, accipiendum esse: hujus enim ritus & *Plinius* aliquatenus meminit, cum *Arabibus barbam abradi* solitam dicit, *præterquam in superiori labro*. Sed si *Herodoti* verba de integra capitis tonsura inter Arabes usitata capiamus, inde male sequetur, Deum ideo hanc tonsuræ speciem Israelitis vetuisse; cum præsertim Arabes, non *barbæ angulos corrumpere*, sed integram *abradere* solerent nisi *Plinii* modo laudati fidem suspectam habeamus.

Tertio: non-nemo forte dicturus est, Deum, inter alia luctus funebris indicia, capitis integri tonsionem inhibuisse, ne populus ejus ethnicorum ritu, luctui inhonesto & spei fideique suæ dissono, in suorum funeribus, indulgerent. Certum est, ethnicos (spe vitæ melioris destitutos) luctui se totos tradidisse, & multa mentis emotæ signa, in suorum funeribus edidisse. Genas lacerabant, crines evellebant, lacertos dissecabant, barbam, decoris virilis immemores, corrumpebant; imo Deos ipsos convitiis onerabant, quorum invidia vel incuria factum credebant, quod charorum suorum aspectum desiderarent. Hæc objectio novas vires acquirat ab *Eustathii* in *Hom. Iliad.* Ψ. *vers.* 46. testimonio; τὸ δὲ κείρεσθαι κόμην ἐπὶ νεκροῖς, ἔθιμον ὂν καὶ τοῖς πάλαι, ἣν καὶ αὐτὸ λύπης τὶ ἔνδειξις, καθὰ καὶ τὸ τίλλειν πενθητικῶς κεφαλῆς τρίχας· His probabile factum est, Deum tonsuram orbicularem hac in lege vetuisse, ne quis in funere luctui indecoro vel mensuræ nescio locus esset; non ut caveret, ne Israelitæ, se in orbem secantes, crines mortuis offerrent; aut super eorum pectora vel sepulchra, parentandi causa, collocarent.

Sed hæc omnia jam dictis haud multum adversantur: norunt enim omnes qui cum literis humanioribus aliquid commercii habuerunt, gentes plerasque, mortuos efferentes capita tondere solitas; non tantum ut mœrorem indicarent, sed ut *mortuis* parentarent, & luctum adaugerent, qui ad *Manes* etiam placandos haud parum valere credebatur. Noluit equidem Deus ut Israelitæ, liberis aut amicis orbati, luctu immodico & a nominis sui dignitate alieno se dehonestarent: at si Deus hanc tonsuram lugubrem ea sola de causa prohibuisset, proculdubio Judæi (legis olim ad superstitionem observantissimi) sibi calvitiem tam frequenter inducere noluissent, ut dolorem ex amici funere conceptum augerent simul & indicarent.

Quæ de legis hujusce ratione jam dixi, pudorem incutiant Hebræorum magistris, qui circa capitis & barbæ tonsuram tam sollicite versantur ipsi, & eorum discipulos tot otiosis decretis circa tonsuræ suæ formam & modum onerare solent. Ex iis nonnulla, e *Maimonide* petita, hic lectori exhibemus: *de Idololat. cap.* 11. §. 2. *nemo a fronte præcidat capillos ab una aurium ad alteram, relicta occipitis coma: -- qui utrumque capitis latus detondet, -- bis vapulet:* (*Ib. cap.* 12. §. 1. 4. 5.) *mulieri extremam viri cæsariem detondere, est nefas: licet extremitatem crinium auferre forfice, at scalpro non li-*

licet: quinque sunt anguli barbæ, & ob horum aliquem recisum verbera infliguntur. Hæc, & alia ejusdem farinæ, dogmata proferunt & per ea magisterium in populi simpliciores animos exercent, cœci illi cœcorum duces. Nec mirum: promtum est enim hominibus, literarum humaniorum rudibus, a legum Mosaicaram scopo aberrare, & illa venerandæ vetustatis instituta, frivolis & superstitiosis commentariis, in sensum alienum detorquere. Gentium antiquiorum ritus insani, legibus illis instituendis occasionem dederunt: ideoque necesse est, ut omnes historiæ profanæ face destituti, legum earum rationes, veluti *Nili* fontes, vano & ridiculo labore perquirant.

NOTÆ.

(1) *Hebraica* ita se habent, לא תקפו פאת ראשכם *non circumcidetis angulum capitis vestri.*

(2) Autor *Vulgatæ* missam facit versionem ראשכם

(3) Juxta *Aquilam*: ἐ περικυκλώσετε τὸ κλίμα τῆς κεφαλῆς ὑμῶν. *Symmach.* ἐ περιξυρήσετε κύκλῳ τὴν πρόσοψιν. *Theodotion.* ἐ κυκλώσετε τὸ φαάθ.

(4) Περιτρόχαλα apud *MS. Archiep. Sandcroft.*

(5) Vid. *Jul. Pol. Onomastic.* Lib. 2. cap. 3. p. 166.

(6) In *Lycophron.* vers. 1133.

(7) Vid. Notas *Gronovii* in *loc.* pag. 939. ubi *Vallæ*, *Æmil. Porti*, & *Salmasii cæcitatem carpit.*

(8) Apud *Euseb. Præp. Evang.* l. 9. cap. 9. p. 412. ᾤκων δ' ἐν. *Lectiones Bigotii & Cod. Hafniens.* ᾤκει δ' ἐν Aliis ᾤκων τ' ἐν & ᾤκων τ' ἐν.

(9) *Euseb.* παρὰ. *Hafn.* ἐπὶ.

(10) Αὐχαλέοι (quod *Hesychius* reddit σεμνοὶ) malit *Lamb. Bos* in *Animadvers.* ad *Script.* Gr. p. 118.

(11) *Euseb.* τροχοκουράδες. Vid. *Hudson.* in loc.

(12) *Edit. Complut.* τὰν.

(13) Τὰ deest *Complut.*

(14) *Complut.* πρόσωπον αὐτῶ, ut *Hebr.* פניו

(15) *Glossa* est *Ab. Ezra*, non *Kimchii*.

(16) *Scholiastes & Duport.* legunt Βύλει· Vid. *Barnes.* in loc.

(17) *Demetrius Triclinius*, in *Electram*: vers. 51.

(18) *Hebr. incisuram.*

(19) *Hier.* T. I. col. 131.

(20) *Hebraica* ופאת קרים

(21) Juxta *Exemplar. Vatican.* καὶ τὰ πρὸς βοῤῥᾶν. *Alex. & Ald.* Βοῤῥᾶν κατὰ Βοῤῥᾶν, καὶ τὸ ὅριον Αἰμάθ [*Ald.* Ημάθ] τὸ ὅριον Βοῤῥᾶ. *Complut.* καὶ τὰ ὅρια Αἰμάθ, τὰ πρὸς Βοῤῥᾶν.

(22) תהוריוא Ita se habet versio *Pentateuchi* in *Mauritania* typis Hebraicis edita, quam *Erpenius* edidit *Arabicis* ex Bibliotheca *Jos. Scaligeri.* vid. *Walton. Prolegom.* 14. §. 16. Aliis autem est. תחרפוא *abjicietis.*

(23) Vid. col. MCCCCXLV.

(24) Vid. col. MCCCCXXXV.

(25) פאה *angulo.*

(26) Juxta *Ed. Complut.* τὰν·—τὰ deest *Complut.*

(27) Vid. col. MCCCCXXXV.

(28) *Plutarchus* ita loquitur; οἱ δὲ Ἄβαντες ἐκείραντο πρῶτοι τὸν τρόπον τοῦτον, οὐχ ὑπ' Ἀράβων διδαχθέντες. pag. 2. F.



THOMÆ BARTHOLINI
PARALITICI NOVI TESTAMENTI
MEDICO ET PHILOLOGICO COMMENTARIO
illustrati.

HISTORIA PARALYTICI PRIMI
Ex Quinto Joannis Evangelio.

SEcundus hic est, sed primus secundi anni, quem miraculosa vi curavit Servator, ideo hic a nobis excutiendus, quod inter capitis morbos hoc anno 1653. explicandos primus se offerat. Seriem brevi Analysi sequemur ab historico sacro observatam, qui curationis per piscinam meminit, mox planæ Divinæ per verbum Christi. A piscinæ loco seu situ ita orditur: *Com.* II. Ἔςι ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα. Quæ conjungit *Theophylactus*, *Hieronymus*, *Vulgatus*, in probatica piscina. Rectius noster *prope* vel *circa* probaticam, ne κολυμβήθρα tertio casu efferatur. Subintelligenda vero πύλη, ut vertunt LXX. quam Eliazib erexit *Nehem.* III. I. & 32. neutiquam cum aliis ἀγορὰ, sive quod per eam inducerentur pecora, vel educerentur, sive ad sacrum usum abluerentur, de quibus dubitans fortasse *Syrus* probaticam omisit. Κολυμβήθραν recte omnes piscinam reddunt, qua loco ברכה utuntur LXX. Interpretes. *R. Davidi Kimki* fons, *Pagnino* lacuna vel cisterna. *Syro* locus Baptismi vel lavacri, ut & Arabico. Quod stagnum forsan est Salomonis ad Orientem juxta Ophlan & Xystum lavandis victimis prius destinatum, de quo *Josephus*, vel locus in quo ignem sacrum abscondit *Nehemias* 2. *Machab.* I. & apud *Josephum Gorion.* non terræ motu conceptionis Christi momento erumpens, quanquam & hoc proposito inserviret, neque piscina ab *Ezechia* exstructa cum aquæ ductibus 4. *Reg.* XX. 20. neque mare fusile 3. *Reg.* VII. sive ibi salientis aquæ fons fuerit, sive thermæ aliunde deductæ, sive pluvialis aqua, ut *Hieronymus* censet. Hinc βηθεσδὰ *domus effusionis* sive aquarum, ab אשר, quod ideo constanter retinent *Codices* Græci omnes, sive sanguinis victimarum, quod tamen contra *Caninium* improbavit *Beza*. *Syrus* Beth chesda vocat seu domum misericordiæ, a *Chesed*, quod instar Nosodochii esset, quem non Hebræum, sequutæ Glossæ marginales Danicæ, Velgierningshuß exponunt. Vitiose autem *Vulgatus* Bethsaida, quem non satis feliciter defendit *Corn. a Lapide*, quia venatio piscium nusquam fuit. In ejus tamen gratiam idem vocis servavit *Arabs* Romæ editus. Formam piscinæ addit πέντε στοὰς ἔχουσαν, quam de porticibus exponunt plerique. Eas ex ædibus Italicis antiquis hauserunt ex piscina mirabili Bajis a Nerone exstructa, quia & porticus balneis Antonini additas notat *Lampridius*, *Maldonatus* murum exponit ad prohibenda pecora, quomodo adumbravit nobis *Adrichomius*, cum quinque portis. *Danus* Skuur, quam bene, haud judicarim ego. *Heinsius* post *Hemmingium* nostrum ταμεῖα intelligit, & distincta conclavia quæ in Centum-

tumcellis Puteolanis, Thermis Badensibus, quoque distinguuntur. Quo significationis flexu cepit *Hesychius:* στοαὶ, τμῆμα, καὶ ἐπιμήκη ἐστὶν. *Suidas* quoque, στοά, τὸ τμῆμα. Sed quomodo πλῆθος πολὺ in quinque porticibus seu concamerationibus continebatur? Solvit dubium *Nonnius* in Paraphrasi, quando πέντε τανυπλεύροισιν circumscribit, h. e. lateribus in longum latumque tensis, in quibus jacebat, multitudo ἀσθενούντων varii generis, *cæcorum*, *claudorum*, *aridorum* exspectantium aquæ medicatæ motum, quem ab Autore, tempore & modo describit Autor motionis nominatur. *Comm.* IV. Ἄγγελος. Non Raphael, ut exemplo Tobiæ aliqui putant, quia Medicorum sit præses. Nam omnes sunt λειτουργικὰ πνεύματα *Hebr.* I. 14. Sed vel Virtus Dei, ut *Hellenistæ* profitentur, vel æternus Angelus, ut *Bungus* autumat, vel venti æmulus spiritus, secundum cujus statas vices aquæ motæ fuerunt, & mutatæ tam sapore quam colore & viribus. Statas has vices per καιρὸν exprimit *Joannes*, quas aliqui ad omnia Judæorum festa extendunt, *Cyrillus* & *Tertullianus* ad Pentecostis festum, & omnino *Ambrosius* ad unicum vertentis anni tempus restringit. Rectius *Euthymius* nullo definito anni momento, sed sæpius turbatam piscinam suspicatur. Nam κατὰ distributionem in N. Test. & universalem denotat & particularem, ut κατὰ καιρὸν collective sit sumendum. Pro quacunque opportunitate ex *Hippocratis* notione aquæ mutatæ sive ex propria natura, sive anni tempore, quemadmodum in Calabria tres fontes, referente *Baccio* octonis distantes pedibus, singulis diebus duodecies exsiccantur, & in Campania Ciceronis balnea semel tantum diurno tempore scaturiunt semelque noctu, Luna tantum oriente & deficiente, teste *Leandro*. Neque balneum montis Falconis, neque Insulæ Cydoniæ perenni aquarum fluxu scaturiunt apud *Fallopium*, nisi verno tempore, & Trigilla, fluvius apud *Lucanos*, si credimus *Pontano*, hyberno tempore adeo exsiccatur, ut pecudes ibi stabulentur. De acidulis Alsatiæ fidem facit *Sebizius*, nonnunquam effœtas esse & pristino vigore privatas. Quod plerisque usu venit. Nostræ S. Helenæ circa festum S. Joannis hominum plurimorum nobilitantur concursu, benigniore sole temperatæ, nec frigidioribus æstuantibusque mensibus thermalium aquarum sive potio sive balneum fertur securum. Erant quoque in balneis factitiis Romæ οἱ καιροὶ, seu certæ horæ. De sanis jam nihil. Ægri ante octavam horam ex instituto *Adriani* apud *Spartianum* lavabantur, commodo ante cœnam tempore. Idque æstate. Hyeme enim ante nonam, quod *Plinii Junioris* discrimen haud semper obtinuit. Ea hora lavit Cæsar apud *Tullium*, ut deinde ἐμετικὴν ageret. Ut igitur καιροὺς suos haberent hæ aquæ tam virtutis quam fluxus, Angelus κατὰ καιρὸν ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ, quod passive extulit *Vulgatus*, quia in antiquo Codice legerat ἐταράσσετο ὕδωρ, aliis omnes active, ad communis lectionis normam. Antea κίνησις, jam ταραχή. Hæc quam illa ponderosior vox, majores enim turbas notat. Quare *Ezech.* XXIII. 46. servant LXX. neutiquam *Jerem.* XXIX. 18. quod recte ibi viderat *Aristarchus sacer*. Atque ita potius cum *Aria Montano* dicemus *turbatam*, quam cum *Vulgato*, *Syro* aliisque *commotam*. Per limum turbata funditus aqua, quod ταράσσειν signat phrasi a Medicis mutuata. *Hellanicus* quippe apud *Lucianum* oculis suis optat Æsculapii filium, qui ταράξας καὶ ἐγχέας ipsi φαρμάκον. Ita κοιλίην & γαστέρα ταράττειν apud *Hippocratem* passim de exsuperante dejectione interpretatur *Galenus*. *Celsus* resolutum ventrem vocat, & eleganter *fermentatum*, plane ad *Hispani* mentem, qui vertit, *y reboluia el aqua* h. e. ut Interpres addit, *levantavala en ondas*. Hoc pacto turbata aqua piscinæ, ut ad summa efferbuerit lutum, a quo fere & ad thermas & resoluta membra ductu Practicorum vis ejus transiit. Tumque indicium erat usibus aptam aquam, ut sicut in balneis Romanis ære Thermarum seu tintinnabulo horæ tempus designatum, ita turbata aqua accurrerent in camerationibus exspectantes. Miseret me sane *Maldonati* ad miraculum confugientis, quasi quieta potius quam turbata lympha prodesset. Etenim plane aliter se habet res. Quiete torpescunt subinde. Nec ulla foret efficacia perpetuo concursu haurientium, lavantium turbatis thermis Puteolanis, Aponensibus, Viterbiensibus, Lucensibus, Badensibus, nostrisve S. Helenæ. Scio aquas quasdam turbatas esse noxias, ut Tiberinam & balnei Pisani *al aqua*; sed nihil moveor, quia non omnibus id, nec ex se contingit. Luto commistæ nervosas roborant partes, articulos, capitisque quosdam affectus, quod de piscina hac deprædicat sacer Annalium conditor. Majorem, quod subnectitur, meretur admirationem; ὁ πρῶτος ἐμβὰς *Descendens*, quasi καταβὰς, ut *Vulgatus*, *Syrus*, *Arabs* habent. Utriusque enim induit significatum, *ingredi* & *descendere* apud *Suidam:* ἐμβαίη, κατέλθῃ. *Intrarit*, *descenderit*. Et mox ipse æger *Comm.* VII. alius ante ipsum expeditiori gradu καταβαίνει. *Seneca* dimitti corpora in piscinas dixit. Nempe per balneorum gradus seu scalas, modo pauciores, ut Bajis in

in balneo Ciceronis & Oceano *Ligorii*, modo plures, ut in Badensibus novitiis, & vett. templi Matidiæ apud *Donatum*, quales ad diætam depingit *Plinius* in Epistolis. Hic *Mercurialem* probare nequeo, Apodyterium in thermis vet. cum *Frigidario* confundentem contra manifestam *Galeni*, *Oribasii*, *Plinii* autoritatem, & ruderum fidem. Ibi vestes deponebant sudoribus detersis hic conquisitum in caldario calorem temperabant. Nec jure *Vitruvium* incusat *idem*, quod tepidarium, utpote Græcis ignotum, neglexerit. Etenim & hic tepidarii meminit, & Græcis tepidarium consignat *Archigenes*. Labuntur non minus Antiquarii, qui Laconicum credunt fuisse sphæristerium. Distinxit enim *Plinius* in Epistolis, & *Ligorius*, nec ratio dissuadet. Pilas *Vitruvii* in hypocausto, sive de pice illitis cum *Cælio Rhodigino* & *Mercuriale* accipias, sive de quocunque globulo, quod *Philandro* placuit, parum refert. Baptisteria autem ut plurimum ex lapide, marmore, ære aut ligno. Nunquam ex cornu Rhinocerotis, sicut ex male intellecto *Juvenale* suspicantur nonnulli. Nemo ejus amplitudinis cornu Naturæ autor observavit, nec mirum foret, uni tantum primoque patuisse ingressum, frustraque Interpretes ad miraculum, & Patres ad mysteria confugerent. Meo arbitrio, sine his effugiis sententia videtur subducenda. Gravius alterum: *Sanus fiebat: ᾧ δήποτε κατείχετο νοσήματι:* vel de supra nominatis cœcis, claudis, aridisve intelligendum, vel de aliis omnium generum morbis curationem recipientibus. Ubi quærenti: *An Universalis Medicina dari in natura possit?* affirmaremus, ducti 1. Loci hujus autoritate. Quocunque tandem explicemus pacto. 2. Experimentis similibus a *Blochwitio* pro sambuco allatis. 3. Panacea veterum ab Æsculapio prognata, per quam suos adjuravit *Cous*. Illo nomine gaudent simplicia multa, multa concreta. Τὸ νηπενθὲς Helenæ apud *Athenæum*. Comæ Apollinis *Callimacho*. Panaces herba *Plinio*, cujus genera describit *Theophrastus* & *Dioscorides*. Eoque titulo dignantur Nicotianam herbam fumivenduli. Verius *Theæ* conveniret Chinensium. Inter mixta minus competit Panaceæ Antonii Musæ apud *Galenum*, *Nic. Myrepsum*, *Aetium*, qui emplastri quoque panaceæ ad omne morborum ægre curandorum genus adfert descriptionem. 4. Foliis hellebori nigri in balsamum redactis, de quibus *Scheunemannus*. 5. Vomitoriis, sive loro *Scribonii*, sive potionibus helleborinis &c. quæ omnes cujuscunque fere morbi humidiates ex omnibus educunt partibus, ex ventriculo, ob viciniam teste *Hippocrate* & *Galeno*, etiam crassos humores, secus quam huic *Pergameno* visum, ex intestinis & Mesenterio apud *Fallopium* aliosque, thorace, capite ex *Coi* præceptis, ejusque morbis singularibus, in ulceribus *Hipp.* de Morb. dolore capitis *idem*. *Ægineta*, *Abensina*, *Gentilis*. Pro aqua in cerebro, hemicrania & Cephalæa apud eundem *Coum*, *Trallianum*, *Aetium*, *Mesuen*, *Aretæum*, *Aurelianum*, *Oribasium*, *Æginetam*, *Fioravantem*. Pro memoria læsa *Aetius*, *Capivaccius*. Ad insaniam, Melancholiam & Maniam *Aurelian. Gariopontus*, Th. *Priscianus*, *Brasavola*. Ad Apoplexiam *Cels. Oribas. Aet. Aret. Gariop. Ægin. Abens. Ali abb.* Epilepsiam inveteratam *Cels. Trall. Paulus. Orib. Galen. Plin. Aet.* puerorum *Hipp. Fern.* Ad destillationes diuturnas raphanos commendat *Aet.* Veratrum *Hipp.* Spasmo Cynico *Cels.* Tetano *Plin. Aurelian.* Tremori *Plin. Gariob. Abens.* Paralysi *Ægin. Cels. Aet. Aurel. Ali ab Gordon. Manard. Mercat. Holler.* Oculorum morbis *Hipp. Gal. Cels. Paul. Actuar. Aet.* Aurium morbis *Hipp. Trall. Cels.* Reliquos persequi nihil attinet, quia de humiditatibus mihi certum, bile, pituita, melancholia, imo, quod miraberis, sanguine, per vomitum summa juvamenti spe rejiciendis. 6. Menstruo Universali Chymicorum, quo ad omnes morbos ab interna radice pullulantes utuntur feliciter, quibus contigit mensis accubuisse Deorum. Sive quod naturam ad noxia expellenda roboret, sive quod seminarias impuritatum tincturas simul dissipet, ut credidit P. *Severinus* nostras; sive quod humores disponat ad recipiendam communem methodum, ut majori specie veri suspicatur *Dinheimius*. 7. Fontium Panacea. Rivulo in Daunio apud *Strabonem*. Nuperis *Hornhusanis* & *Irzehoanis* aquis, concursu potius quam universali medicina nominatis. Nostræ *S. Helenæ* præter ochram ostendunt nihil, nisi & hic, ut in plerisque aquis, experientia sit standum. Ad quam Panaceam referenda quoque piscina sacra. Sed quomodo adhibita? Non potu, quanquam antiquis satis noto, secus quam multi contendunt, neque fotu solo, licet & hujus apud vet. inveniam vestigia Antiquariis repugnantibus, verum per Insessionem vett. frequentatam eamque non immersione & emersione, neque per natationem, sed cum quiete ægrotis propria apud *Galenum*, *Vitruvium*, *Plinium* quæ varia præstat evacuando apud *Gal. Paul. Oribas.* emolliendo, teste *Aetio*, *Paulo* & experientia, exsiccando, humectando, calefaciendo, refrigerando, roborando, constringendo, aperiendo, adjuvando facultatem

tem concoctricem, expultricem & hujus census alia apud varios Autores passim exstantia partibus plerisque dedicata, thoraci, stomacho, ventriculo, hepati; lieni intestinis, renibus, vesicæ, utero, nervosis partibus articulisque, ut cœcorum, claudorum, resolutorum in porticibus piscinæ commorantium. Quod si ad omnes promiscue vis sanandi transiit, neutiquam id a victimis in ea ablutis habuit, nec a lignis crucis Christi in fundo, narrante *Genebrardo*, repertis, quia dubium, an ibi fuerint, & quanquam latuisse in fundo concesserim, nullam tamen ligno crucis jam fabricatæ minus crudo, in morbis curandis deferimus efficaciam. Patres enim *Joh. Chrysostom. Damascenus*, *Cyrillus*, de spirituali loquuntur curatione, ut non crucis in deserto, sed serpentis ea fuerit vis, seu typi ejusdem. Imo non ligno sed signo crucis vett. Christiani fidebant, vel lignis cruore Christi tinctis. Nihil a materia traxit, sive Cedro, cupresso, pinu vel buxo, ex quibus crucem componunt *Chrysostomus*, *Beda* aliique, sive oliva contra inventionis fidem, sive quod verius quercu, ex quo robore cruces Romanorum, teste *Silio*, *Plutarcho*, *Cypriano*. Nolim tamen *Becano* aut *Bozio* credi, huc spectare coronam querceam in Augusti numismate OB CIVES SERVATOS. Nam corona prima ex ilice, esculo, teste *Plinio*, *Agellio*. Postea ex quercu, quia Jovi sacra arbor & amica apud *Virgilium*, *Ovidium*, *Claudianum*, parum dissentiente *Apollodoro*. At civica aliquando hederacea *Martiali*, aliquando oliva mixta *Statio*, & quod urgentius, non Octavii tantum Augusti in honorem cusi hi nummi coronati, sed Cæsaris, Caligulæ, Galbæ, Claudii, Antonini Pii, Trajani, & aliorum civium Romanorum, ob servatos cives, vel ampliatos. Nec plus auxilii ex inventæ crucis, tempore Helenæ, historia, me sponsore, invenient, mihi justis de causis juxta & magno *Salmasio* suspecta, quia altum ejus apud *Eusebium* istorum temporum æqualem est silentium. Addo non convenire inter se figmenti autores. Nam *Theodoretus*, *Alexander Monachus*, *Ruffinus*, *Socrates*, *Sozomenus*, *Georgius*, *Hamartolus* gravem mulieris morbum ab umbra sive contactu crucis depulsum; *Sulpitius* vero *Severus*, *Paulinus*, *Leo* Imperator in Bibl. Patrum mortuam scribunt ad vitæ rediisse usuras, quod *Nicephorus* cautior, famæ potius vulgi quam certæ relationi consignat. Nam *Ambrosius* solo titulo agnitam crucem profitetur, nullo alio miraculo. Ratio igitur Panaceæ a Deo per occultam causam, a natura tamen haud alienam repetenda, quia & in aliis fontibus mirabiles observamus eventus. Ubera nutricibus restituit juxta Negarinum fons; teste *Leandro*. Styx nisi Asini cornibus nusquam continetur, si credimus, *Senecæ*, *Isidoro*, *Æliano*. Ab occulta fortassis venatorum qualitate, qua Narviæ aquas refugiunt serpentes apud M. *Cromerum* in Polonia. *Cuspinianus* de S. Crucis fonte refert, & in cruorem mutari subinde, & utilem multis languoribus. In vortice Siculo vitæ restituuntur suffocata ex *Aristotele*, & Puteolis in antro canino. In Sardiana perjuri vel occœcantur, vel clarius cernunt ex *Solini* narratione & *Rhemnii*. Aquis B. Virginis Saonensis mirandam ad sanandum virtutem adscribit *J. B. Albertus*, & de voraginibus fluviorum nota res & decantata. Sed me contineo, quia in his rationi præferenda experientia, consilio *Herodoti* apud *Oribasium*, præsertim quum fundi istius naturam vel vaporibus, vel succis, vel metallis, vel lapidibus, vel terris imprægnatam nobis inviderit *Joannes*, ad hominem ægrum ab ætate, morbo, paupertate, aut reparata salute describendum hoc textu properans.

Comm. V. ἦν δέ τις ἄνθρωπος ἐκεῖ τριάκοντα ὀκτὼ ἔτη ἔχων ἐν τῇ ἀσθενείᾳ. De morbi genere acriter disceptatur. Ἀσθένεια omnem notat imbecillitatem *Matth.* XXV. 26. 44. *Jacob.* v. 14. *Suidas:* ἀσθένεια, ταλαιπωρία, νόσος, ἀδυναμία. *Imbecillitas*, *morbus*, *impotentia*. Apud *Hippocratem* ἀσθενὴς ad morbum proclivis sive natura sive morbo, & ἀπὸ τοῦ ἀσθενέοντος separatur, quod hic ἀσθενέστερος fit. Ita & *Matth.* x. 8. de valde infirmis. De imbecillitate remediorum quoque explicat *Galenus*, & *Suidas* ex *Aristophane* de paupertate, quia τὴν τύχην ἰδίως νόσον φασίν. Noster utroque fato miser, recte ἐμπεδόμοχθος dicitur *Nonnio*. Non quod orbus oculis fuerit, ut censent aliqui, sed quia perpetua nervorum resolutione corriperetur, quam *Paralysin* Græci nominant. Huc inducor 1. Autoritate vett. Patrum *S. Ambrosii*, *Chrysostomi*, *Theophylacti*, *Gregorii*. 2. quod pedibus vinctus ambulare nequiverit. Unde ἀνάκτος *Nonnio* 3. quia κράββατος Paralyticorum proprius *Marc.* II. 4. *Actor.* IX. 33. per κλίνην *Matth.* IX. 2. *Luc.* v. 18. sive κλινίδιον *Comm.* 24. sed utrumque conjungitur *Actor.* v. 15. quia apud *Suidam:* κλίνη τὸ κραββάτιον, & τὸ ערש *Amos* III. 12. per grabatum reddit & *Vulgatus* & *Aquila*, quod LXX. est κλίνη. Aliter σκιμπόδιον, quod κράββατον vocat *Hesychius*, in quo portari ægrotantem ad balneum voluit *Galenus*, de cujus forma consulendus *Mercurialis*, affinisque erat illi lectus vel pensilis ex toto, ægrorum proprius

prius apud *Celsum*, *Aetium*, *Priscianum*, *Aurelianum*, vel uno pede ligatus instar cunarum. 4. Ab ætate Viri ad Paralysin apta. Provectior enim erat & morbo & annis. Nam *Comm.* VI. πολλῷ χρόνον ἔχει, quod non tantum de morbi tempore, ut *Erasmus*, *Beza*, *Tremellius*, & noster *Interpres* vertunt, sed ætate quoque ægri cum *Arabe*, *Syro*, *Vulgato*, & *Ludov. de Dieu* accipimus. Verosimile quippe ante XXXVIII. annos grandiorem fuisse natu. 5. Accedit aer frigidior, siquidem tot annos sine cura exegerat. Nam a madido pallio manus paralysis apud *Galenum* inducta. 6. Ratione clariori ex *Comm.* III. ubi ξηρὼς Paralyticos credo, ξηρὴ mulier apud *Coum* cui alvus resiccata, & ξηρώδεες δύσπνοοι qui in tabe arescunt. *Suidæ* ξηρὸς ὁ ἰσχνός, *gracilis*, *macilentus*. Ego pro atrophia, ultimo inveteratæ Paralyseos gradu, teste *Fernelio* interpretor. 7. A curatione per balneum, in Paralysi tam ab atrophia, quam frigore commendatum vehementer *C. Aureliano*, *Plinio*, *Vitruvio*, *Sylvio*, *Mercuriali*, *Saxonia*, *Mercato*, *Sennerto*, *Zacuto*. 8. Eundem credunt *Leontius*, *Chrysostomus*, *Euthymius*, qui *Matth.* IX. 2. *Marc.* II. *Luc.* V. Paralyticus vocatur. Sed eodem anno editum miraculum alia intercessere, Paralytici inprimis servi sanatio *Matth.* VIII. Ille in domo, hic piscina erat. Hic Hierosolymis sine homine comite, ille Capernaum quatuor hominibus per tectum demissus *Marc.* 13. Ille junior, noster consenuerat. Nam quod additur: τριάκοντα ὀκτὼ ἔτη ἔχων: Inveteratum morbum notat, & curandi difficultatem. Unde νοῦσον κύκλαδα *Nonnius* appellat, non ob annorum cyclum, sed περίοδον, qua exasperata Paralysis, ut cepit *Galenus de morb. tempor.* Neque animus est ad infirmi symbolum hunc numerum cum *Augustino* & *Bungo* referre, quasi quadragenarius sanitatis sit hieroglyphicum. Fortuitum monstrat octavus decimus annus *Luc.* XIII. II. & duodecimus *Luc.* VIII. 43. devotumque patientiæ exemplum hinc condunt alii. Verius anni climacterici fructum dixerim, si illi aliquid tribuendum. Index enim est XLII. anni, qui incidet fortassis in annum ejus LXIII. si XXXVIII. annis, quibus morbo detentus fuit, addamus XXV. Accedit difficultati curationis senile corpus & prostratæ vires, ut vix βεβιωμένον ἆσθμα responsurus Christo traxerit, quod ipsum inter ξηρὼς asserit. Imo ministrantium penuria. Nam queritur *Comm.* VII. ἄνθρωπον οὐκ ἔχων: sive servum, qui tamen tantum Græcis recentioribus ἄνθρωπος vocatur, sicut videre est apud *Constantinum Orat. de administr. imper.* quemadmodum apud *Justinianum* in Digestis quandoque Homo pro Servo sumitur: sive potius Amicum, cujus opera in descendendo uteretur. Forsan Medicum voluit a balneis, qui cum ἄνθρωπος sit, si in foro Romano versetur, servus non fuit, quia hi nullo censu. Hinc injurios in artem Divinam dixerim, qui Medicos olim Romæ servos plenis buccis declamant, *JCtorum* freti autoritate. At si ex JCtis cum illis agamus, liberalibus sane studiis Imperator accenset *ff. de Extraord. Cognit.* ubi eadem *l.* I. §. I. Medicorum causa est quæ Professorum. Alibique *l.* 6. *ff. de Excus. Tut.* Grammaticis, Sophistis, Rhetoribus annumerantur περιοδεῦται. Qui quidem Circulatores ibidem appellantur, non quod ἀγοραῖοι fuerint, sed Principum in itineribus socii, unde Comites dicti. Sano etiam sensu inferior Græcia περιοδεύειν pro sanare dixit, secus ac magno *Polyhistori* visum. Juvat libertatem, quod Amici fuerint Principum, ut apud *Tacitum* Eudemon & *Senecam* & *Cassiodorum*, quum inter Dominum alioquin & Servum nulla amicitia. Ad Magistratum quoque evectos Inscriptio Atestensis testatur, ubi IIIII Vir Medicus Conjugia illorum aliæ decantant Inscriptiones, Romæ in Basilica olim D. Petri:

D. M.
C. CÆCILIO. C. F. SAB.
AQUILÆ.
CÆCILIÆ. C. L.
MOSCHIDI.
C. CÆCILIUS. DIÆTUS.
MEDICUS.
FILIO. ET. LIB. CONJUGI
SUÆ PIISSIMIS.

Non absimilis infra Capitolium: D. M.

CLAUDIÆ ..... EUTYCHIÆ.
CONJUGI. SANCTISSIMÆ.
BENEMERENTI.
HYMENÆUS. MEDICUS.

Servorum autem contubernia erant, non conjugia, *ff. de ritu nupt. l.* 49. & contubernales servorum uxores *l.* 12. §. *contubern.* &c. sicut eorundem fere peculium, non salarium, liberalium artium medicorumque stipendium *l.* 16. §. I. *de alim. legat. l.* 4. *de decret. ab ord. fac.* Nolo urgere legationes, quia exceptionem prævideo ex *l.* 101. *ff. de Verb. signif.* & *Scribonio Largo*. Functus tamen est Exagon apud *Plinium*, & de alio elegans extat Inscriptio *Mediolani:*

C. VA-

C. VALERI. PETRONIAN. DECURION. T. F. SACERD. JUVEN. MED. CAUSIDIC. QUINQ; GRATUIT. LEGATION. URBIC. ET PEREGRIN. PRO. REP. SUA. FUNCT. VALERIUS EUTYCHIANUS VI VIR. AUG. PATER. FILIO INCOMPAR. ET SIBI.

Nec nominibus insistam, quæ servis raro nisi sola, Medicis autem sua Prænomina, Cognomina & Nomina, ut *Aurelio*, *Cornelio*, *Celso*, & passim aliis. Præterire non possum expressam ingenui Medici Inscriptionem Romæ ad D. Crucis Hieros:

M. JULIUS INGENUUS P. R. MEDIC. COH. II. VIG.

Unde & Scholas suas habuisse, ex ruinis in Esquiliis observavit *Ligorius*, ibique suos tabellarios vett. marmor indicat ad D. Sebastiani:

M. LIVIO. CELSO. TABULARIO SCHOLÆ MEDICORUM M. LIVIUS EUTYCHUS ARCHIATROS OLL. D. II. IN FR. PET. IIII.

Medici tandem suos etiam servos alebant, ut *Cassius* apud *Scribonium*, quales erant Chirurgi seu Medici ludorum, veterinarii, ocularii, unguentarii, herbarii, medicamentarii, castratores, coci, tonsores, & alii ministri servientes, sicut *Aurelianus* vocat, quibus Archiatri primi & secundi ordinis, Archiatrorum Comites, & Eparchiatri imperabant. Non me terret. *l. Ambit. ff. de decret. ab ord. faciend.* quia in *l.* 53. *de Verb. signific.* subsidium reperi. Nec lex Aquilia, quia & huic occurram, nisi fallit augurium. Quamvis igitur & insanabilis fuerit Paralytici affectio, deficiente Medico amico, curare tamen aggressus est Christus, quem Medicorum filii in se suscipere nec possent, nec vellent. Enimvero consilii *Hippocratis* ipsius in Arte, *Galeni*, *Senecæ*, *Guidonis*, *Gauliaci*, pedem referunt quam mollissime, quando servari nequeunt quos propria sors perimet, ne scilicet eventus mortalitatis ipsis imputetur. Magnus autem de cœlo Medicus verbulo imperantis negotium confecit. Dixit, & factum est.

Comm. VIII. Ἔγειραι, ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ περιπάτει. Quo triplicis nobis miraculi fecit fidem, quod statim dictum factum convaluerit, tantasque momento receperit vires, ut & ambulare & grabatum ferre potuerit, quum ordines suos alioquin servet natura medendi artifex, parique temporis intervallo resurgat æger, quo laborare cœpit, statu neutro intercedente; & tandem, quod verbo solo morbum restrinxerit, ut phrasi *Tertulliana* utar. Juvant verba variis prolata modis, obmurmuratione, susurro, elata voce, cantu, precibus, vel divina virtute, vel Magica, vel Naturali. Divina vi vel Christo propria *imperando*, ut in præsenti instituto, vel Sanctis communicata *orando*, in nomine Jesu *Act.* III. 6. IX. 34. XIV. 9. Magica, vere impia, seu verbis significantibus seu barbaris, pacto cum Dæmone vel expresso vel occulto, quam falso ex cœlestibus corporibus advocavit *Paracelsus*, de Philosophia sagaci audacter sustinens, tertia Magiæ, specie seu naturali posse quemcunque proferre, *Surge, tolle grabatum tuum & ambula.* Item: *Lazare expergiscere.* Quo incantationes veterum spectant, quibus sanguis Ulyssi repressus apud *Homerum*, Oroadanti apud *Heliodorum*, a peste liberata Ægyptus apud *Suidam*, luxata membra restituta, si *Catoni* fides, Ischiatici curati *Theophrasto*, podagrici apud *Varronem*, vecordia maritis injecta ex *Tacito*, percussi a scorpione procurati, ossaque ex gutture exscreata apud *Galenum* & *Trallianum*. Quæ, a Chirone quanquam usurpatæ, in XII. *Tabulis* damnantur, & ab *Ulpiano in l.* 1. *ff. de Med.* ut ne Medicorum nomen mereantur quæ Medicinæ genera non sunt. Sed de malo carmine hæc accipienda moneo, qui certo credam nec a naturali curandi ratione abhorrere omnes voces, nec superstitiosum in Epilepsia esse carmen cum *Fernelio: Gaspar fert myrrham, &c.* & experientiæ & rationi consentiens, quemadmodum insusurratis verbis sordiculæ oculorum & hordeola eruuntur, *Marcello* autore. Cantu Cretensem pestem *Thales* expiavit, lymphaticos *Xenocrates*, phreneticos *Asclepias*, melancholiam Saulis *David* Psaltes, convulsionem a Tarantulæ veneno inductam *Appuli* sono phrygio aut hypodorio, & plerosque morbos Lesbii Jonesque apud *Boethium*, ut alia *Galeni*, *Averrhois*, *Aristotelis*, *Martiani Capellæ*, *Marcelli* hujus census loca prætermittam. Precibus Psyche *Apulejana* quidvis a Cerere impetravit. In quam rem dignissimum adnotamus textum *Jacob.* III. 14. ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν, *advocet, Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum.* Et *Comm.* 15. *Oratio fidei servabit laborantem, & eriget eum Dominus.* Quem de corporali curatione contra quosdam diversum sentientes, neutiquam de extrema Unctione Sacramentali, gravissimis permotus momentis explico. 1. ex loco parallelo, *Marc.* VI. 13. 2. ἀσθενεῖ τις, de periculoso morbo

bo ſumitur, ut & ὁ κάμνων, de jam fere emortuo. 3. οἱ πρεσβύτεροι Medicinæ gnari ſeniores, ſeu Eccleſiæ miniſtri utramque olim ſcientiam conjungentes, ſive illi tanquam qui dono miraculoſo ſanationum excellebant, ut *Paræus*, *Belgici*, credunt, & *Brochmannus* noſter, ſive omnes promiſcue, qui regendæ Eccleſiæ præſunt, quæ *Calvini*, *Aretii*, *Piſcatoris* fuit ſententia. 4. Oratio communis eſt, non ſacramentalis, de corporeis bonis ad *Comment.* 19. 5. σώσει τὸν κάμνοντα, *Syrus* vertit, *ſanabit corporaliter*, niſi utramque ſanandi viam cum *Hugone* & *Thoma* eligamus. 6. ἐγερεῖ αὐτὸν, excitabit. *Vulgatus* alleviabit, de corporea valetudine ubique invenitur, nunquam de lætitia ſpirituali, ut fingunt, nec animæ ſalute, niſi in allegoria *Eph.* v. 14. 7. Aperte a remiſſione peccatorum *Comm.* 15. diſtinguitur. Nihil horroris incutiunt *Bellarmini*, *Corn. a Lap.* argumenta, nullis precibus admittenda. Id unicum deprecor, quod plus ad proſcribendos morbos ponam ponderis in ſacris Oraculorum Divinorum verbis, ſine ſuperſtitione plebeja, ex fide prolatis, quam ſuperſtitioſis agyrtarum miraculis. Sed quicquid horum ſit, ſi eo nos rerum compulerit neceſſitas, & hic & alibi, quia Dii non ſumus omnium capaces,

Moniti meliora ſequemur.

HISTORIA PARALYTICI SECUNDI

Ex Matth. VIII. *& Luc.* VII.

ALterius Paralytici, Centurionis cujuſdam, hiſtoriam ſtudio *Matthæus* & *Lucas* texuerunt, in hoc tantum diverſi, quod ille brevior ſumma capita ſignarit, hic fuſiori opera circumſtantias ſit perſequutus. Credimus enim utrumque ſcriptorem divinum, idem mirandæ ſanationis opus, rem eandem finita Panegyri in Capernaum geſtam, dixiſſe. Hanc nos in præſenti, more noſtro, Medico Commentario illuſtrabimus. Subjectum præſentis morbi, a Chriſto perſanati, ſive, ut apertius loquar, æger ipſe, δοῦλος eſt *Lucæ*, *Matthæo* παῖς, quæ pari ſignificationis paſſu pro Centurionis filio ambulant, neutiquam de ſervo explicanda, quemadmodum omnes fere *Interpretes* ſuſpicantur, Romanæ civitatis ignari. Solus *Italus* ampliori voce *il mio famiglio* delectatur, ut fruſtra ſit *Ambroſius*, certo conſilio factum ratus, quod ad filium Reguli ire noluerit Chriſtus, ſed ad ſervum Centurionis. Παῖς utrique hiſtorico perſæpe, *Matthæo* ſemper appellatur, qui filii induit notionem *Matth.* XII. 18. & alibi, ne Græcos Interpretes nobis obvertat *Chemnitius*, aut aliorum locorum conſenſum, quæ vel ad Deum referuntur, vel populum diverſis inſtitutis a Romanis diſſidentem: עבד quid ſit, non ignoro. Sed latiorem ſenſum indulget *Mercerus*, a quo nec profani abhorrent. Apud Græcos frequentiſſimo uſu παῖς de *Filio* cujuſcunque ætatis, & παῖδες de liberis uſurpantur apud *Homerum* Il. ψ. & υ. & Od. α. *Platonem de Rep.* 2. *Lucianum de Cal. Plutarchum de frat. char. Thucydidem L.* I. Quibus adde *Euripidem Hecub. Prol.* De *Filia* quoque cepit *Aratus*, *Sapho*, *Pauſanias*, *Laertius* & alii, quorum ſignata verba congeſſit *H. Stephanus*. Pueri nomenclatura apud *Paulum* JCtum *L.* 204. *ff. de verb. ſign.* non tantum ſervum & puellam, ſed quamvis ætatem puerilem complectitur, ſive ea ſervorum ſit, ſive ingenuorum. Quod nec aliis infrequens. *Helleniſtis* παῖδες τοῦ Δαβὶδ milites ejus dicuntur, quo nomine & Præfecti ſupremi a Rege paſſim iiſdem Græcis veniunt, annotante *Heinſio cap.* 20. *Ariſt. Sacr.* Ita Joab *Helleniſtis* παῖς βασιλέως erat 2. *Sam.* & alii, quos minus proprie ſervorum catalogo adſcribimus. In Republica ſane Romana, cui Centurio ejuſque exercitus parebat, ſummo ſtudio & deliberato conſilio cavebatur, ne nomen ſervi militiæ darent, ut ex edicto *Marciani* conſtat *L. ab omni* 11. *ff. de re mil.* alioquin capite puniendi. Quis id Centurionem auſum pertendat? Male ſibi conſuluiſſet, & ut inquiſitor, peccaſſet, ſiquidem delectis vera prodidit *Plinius L.* x. *Epiſt.* 39. Nulla præterea ibidem ſervorum cura, quia pro nullis habiti *L.* 32. *ff. de div. reg. jur.* & par illorum cum mortuis conditio, quia mortalitati comparatur ſervitus *L.* 209. *ff. de div. reg.* nec ulla inter eos & Dominos amicitia. Noſter tamen ἔντιμος erat Centurioni *Luc.* VII. *Comm.* 2. cujus ſanitas repetitis per Seniores Judæorum & alios amicos Legationibus, imo per Patrem ipſum procurata diligentiſſime. Sequutus ea parte prudens Centurio aliorum Imperatorum exemplum, qui de ægrotantium militum valetudine anxie laborarunt. Teſtis *Vegetius L.* 3. *R. Mil. c.* 3. *ut ægri contubernales opportunis cibis reficiantur, ac Medicorum arte curentur, Principum Tribunorum & ipſius Comitis, qui majorem ſuſtinet poteſtatem, jugis quæritur diligentia.* Quo fine apud *Vitruvium L.* I. *Archit. cap.* 4. extra inſpiciebantur in caſtrorum poſitione, & Conſul *Cenſorinus*, *Appiano* teſte, in obſidione Carthaginenſi caſtra

caſtra mutavit. A *Lampridio* laudatur Severus, & Hadrianus a *Spartiano*, quod de militibus ægris adeo fuerint ſolliciti, ut carpentis vehendos curarint, neceſſariis omnibus adjuvarint, & ipſimet per tentoria viſitarint. Infra dignitatem hæc reputaſſent, ſi res ſervorum fuiſſet acta. Quod ſi βασιλικȣ̃ *Johan.* IV. huc ſpectaret, omnia forent expedita. Sed juſtis de cauſis alio ægrum iſtum relegamus. In quo tamen agnotandum quod *Syro* ὑὸς iſte ſit עבד מלכא δȣ̃λος βασιλικὸς, Sicut *Homero* Θεράπων Ἄρηος, & 2. *Sam.* 2. 30. 31. Δȣ̃λοι δαβὶδ, pro militibus. Δȣ̃λος, igitur hic eſt Centurionis apud *Lucam* qui *Johanni* ὑός. Quod ſi diſpliceat, alias ſubornabo cauſas, cur *Lucas* δȣ̃λον maluerit. Sive quod in patria adhuc eſſet poteſtate, non dominica *l.* 1. *Inſt. Juſt. tit.* 8. *de Perſ. div.* & *l.* 1. *ff. de his qui ſunt ſui vel alieni juris*. Sive, quia Medicus fertur *Lucas* Romani ægrotantis deſcripturus morbum, quod priſtinam valetudinem ambiret Centurionis filius. Nam in *l.* 4. §. *Stichus ff. de ſtat. liber.* Servire nobis illi intelliguntur, quos curamus ægros. Nullum eſt effugium *Guil. Aderi Enarr.* 2. aliorumque, ipſum Centurionem acceſſiſſe, ſi pro filii ſalute ſupplicaſſet: Etenim apud *Matthæum* ipſe dicitur advolaſſe Centurio, quum animadverteret ſcilicet, in vicinia eſſe Chriſtum, importunis Seniorum amicorumque precibus illectum. Iter ſubterfugiebat, ne ſolum ſine auxilio filium, mortis candidatum, in tentorio relinqueret; vel, quod vero fit ſimilius ex *Luc. comm.* 7. quia μὴ ἱκανὸν ſeu μὴ ἄξιον ſe judicaret, communibus nominum erratis obnoxium, & Paganum, a fœderis ſancti religione alienum. Certum enim eſt militiæ Romanæ Prætoriæ cohortis fuiſſe Centurionem, de cujus dignitate & officio videſis *Vegetium L.* 2. *R. M. c.* 8. 16. *Sigoniam L.* 2. *Antiq. Jur. Prov. c.* 2. ſive C. Cornelius is fuerit, C. Oppii Centurionis Pater, ut ſuſpicatur *L. Dexter* in Chronico a *Corn. a Lapide* in Chronotaxi citatus, ſive alius. Nihil meo judicio vetat, quo minus etiam nativitatis ſuæ ipſum puduerit, ſecus quam contendit *Maldonatus*. At Palæſtinæ natales debuiſſe, nunquam mihi perſuaſerit *Hilarius*, aut *Contzenius*. Quid enim illud *Luc.* VII. 5. ἀγαπᾷ τὸ ἔθνος ἡμῶν; Quorſum *Matth.* VIII. 12. ὑὸι τῆς βασιλέιας ἐκβληθήσονται. h. e. Judæi, quorum prærogativæ recenſentur *Rom.* IX.? Filium autem adducere præſentem, nec itineris patiebatur difficultas, nec ultimum graviſſimi morbi momentum, vere ſontici qui ex *Caſſio* apud *Javolenum*, cuique rei nocet, vel, ut clarius *Marcellus* definivit *l.* 6. *ff. de re Jud.* qui cujuſque rei agendæ impedimento eſt.

De morbi genere paucis diſputandum. Non exprimit *Lucas*, niſi quod fuerit κακῶς ἔχων. *Matthæo* tamen παράλυσις placet: βέβληται ἐν τῇ οἰκέιᾳ παραλυτικός. Ne de eo dubitemus, ſimilem Paralyticum ſeqq. capitis *commate* 2. βεβλημένον exſpoſuit. Liberalior *Grotius* Apoplexiam amat, qua periit. *Celſus* quidem *l.* 3. *c.* 27. ſuo tempore παράλυσιν utrumque adpellari vidit: verum exemplo carere, recte monet *Ronſſeus*. Inſanabilem autem eſſe & παράλυσιν confirmatam, nullus Medicorum dubitat, ipſo præunte *Celſo* jam laudato. Duplex ea quum ſit ex *Marcello Empirico* c. XX. una cum contractione, quam *conductionem* nuncupat *Aurelianus L.* 2. *Chron. c.* 1. altera cum remiſſione nervorum: Illa autem ſit vel permanens vel intercurrens; illam, aliis *Pſeudoparalyſin*, plerique videntur elegiſſe, tam *Interpretes*, quam *Commentatores*, vocantque *contractos* ea Paralyſi correptos. *Germanus* Gichtbrüchtig vertit, *Danus* vetus Werckbroden. Reliqui nomine generis acquieſcunt rectius; ut & *Gloſſæ* marginales *Danicæ* halffrord. Nihil enim video gravioris cauſæ, quo minus vera & legitima nervorum reſolutio eſſe potuerit, quam παράλυσιν vocant Medicorum filii & παραπληγίαν, & ἡμιπληγίαν, & πάρεσιν. Illam ſacer vates hic ſequitur, in qua, ut eleganter *Hilarius* loquitur, *artus undique fluidi & ad conſiſtendi officium agendique corrupti*. Negant ſtrenue *Theologi* quidam magni nominis, quia nervorum reſolutio partium eſt particularis. Verum enim vero ignorant boni illi Viri ſingulorum nervorum exortum, progreſſum & inſertionem, a quorum reſolutione inducitur παράλυσις. Non ſtrictis adeo limitibus conſtringitur. Et partes ſingulas diſcretaſque occupat, tam externas, quam internas, & totum latus, imo, quod mireris, univerſum corpus minutiſſimis quibuſdam particulis exceptis. Idque a diverſa nervorum diverſorum affectione. Ex infimæ conjugationis reſolutione, inferiores partes motu ſenſuque deſtituuntur, ex ſuperiorum paſſione, reliquæ, ad quas deferunt animalem ſpiritum, ſive plures ſive pauciores pro nervorum varietate, deficiunt. Unde particulares emergunt *Paralyſes palpebrarum*, *linguæ*, *gutturis*, *manuum*, *penis*, *crurum*, *cordis*, & ſic conſequenter. Extant illarum in ſacris quoque exempla. Manuum *Eſa.* XIII. 7. Lumborum *Ezech.* XXIX. 7. genuum *Nahum.* II. 10. Metaphorica partim, partim propria. *Manus* ex affectis nervis quinti, ſexti & ſeptimi paris cervicis & pri-

primi ſecundique Thoracis labaſcunt. *Crus*, *genu pedeſque* neque movent ſe nec ſentiunt, ſi incommodum ſentiant nervi ex oſſe ſacro prodeuntes, & Lumborum vertebris. *Lumborum* muſculi officio ſuo fungi nequeunt, niſi expeditiores reddantur a nervis lumbaribus. Quod malum experiuntur & *renes*, ad ſenſum nervis ſtomachicis inſtructi. Non nos moveat quod intus ſe recondat, quandoquidem ratione credibile judicat *Aurelianus L. d.* interiorum ſingula vitiari, ut *pulmonem*, *cor*, *vel diſcrimen Thoracis atque ventris*, (h. e. diaphragma) *vel ſplenem*, *aut jecur præveniri adprehenſione mortis patientem*. Ita quippe locum obſcurum facili mutatione reſtituo, textu non repugnante. Nam in his reſolutionibus patiens prævenitur *adprehenſione mortis*, h. e. nullis ſignis aliis prægreſſis ſignatur quam morte ipſa, quomodo *ſigna* per *apprehenſionem* propriam ſtatim explicat. In eadem ſententia fuiſſe *Herophilum* idem monet, repentinam mortem nulla ex manifeſta cauſa venientem, fieri cordis paralyſi. De reſolutione *linguæ*, *carnis* ex *Zach.* XIV. 14. quam in Harmonia adducit *Chemnitius*, ipſe dubito, adeoque alibi excutienda. Non quod mihi lateat, quod oculis linguæque accidat, nec quid de carne ſeu muſculo affecto ſubtilis *Capivaccius* fruſtraneo opere rimetur, ſi *Galenum* 4. L. A. *c.* 4. ad veriores partes vocaverit. Totum Latus pari facilitate vis morbi pertentat, quando ad alterum ſpinalis medullæ principium dilabitur. Quin univerſum fere corpus comprehendit, & in Apoplexiam deinde migrat. Teſtis *Aurelianus* laudatus: *Hæc paſſio nunc partis eſt*, *nunc partium*, *nunc totius corporis*. Tale exemplum obſervaſſe ſe in ſcorbutico D. *Janus* Medicus Regius narravit, cui tamen illæſa erat gula. Hinc lato Apoplectici nomine non raro venit παράλυσις apud *Hippocratem*. Excutiat loculos ſuos *Fœſius* in œconomia. Nobis ſufficiat *Aph.* XI. *ſect.* 7. τὸ ἀπόπληκτον, quod ex *l.* I. *de Morb.* V. 50. facem mutuatur. Idque quia *Galeno* in *Def. Med.* tantum ut pars a toto differt. Majori ſpecie veri convulſionem putat *Adorus*, cujus veſtigiis inſtitit *Corn. a Lapide*, quia βασανιζόμενος additur. At Paralyſis ſine ſenſu eſt, ſine motu. Centurio vero Medicinæ imperitus cum vulgo loquitur, paralyticos eſſe quoslibet motu captos. Hinc ut ſe extricent, valde ſudant. De principio acceſſionis nullum dubium, priuſquam confirmetur. Habet tum ſua tormenta, ſuos cruciatus. Diſplicet id *Chemnitio*, quia non in principio morbi erat famulus, ſed ἤμελλε τελευτᾶν, *Adamus a Contzen* miram hoc cruciatu vocat Paralyſin & ſubitam, non ordinariam. Ego nullo labore tormentorum iſtorum in vera Paralyſi rationes inveniam. Nam. 1. βασανιζόμενος dicitur jam moriturus, ubi dolor anxietaſque ex ambiguo vitæ mortiſque certamine & morbi vehementia exacerbantur. 2. Ob diurnam moleſtiſſimi morbi moram ſatis animo cruciatuum conceperat, & infelicis vitæ tædia, ut velut per lapidem lydium ſine aliis tormentis fuerit probatus. Ea veriſſima hujus vocis eſt notio, ut autor eſt *Suidas*, collectis in eam ſignificationem veterum teſtimoniis, magiſque propriam eſſe. Quam de tormentis & quæſtionibus jocus *Luciani* in *Solœc*, pueri βασανιζομένου clare oſtendit. 3. Vel ſuccedebat Convulſioni Paralyſis, vel uterque affectus erat complicatus rariſſimo exemplo, quod obſervarunt tamen, *Hippocrates* in illo, cui auris dolebat poſt Vergiliarum occaſum *L.* 4. *Epid. S.* 7. *Abenſina* 3. *fen.* 2. *Foreſtus L.* 50. *Obſ.* 95. 121. & ego non ita pridem in *Anna Longomontana* deprehendi. Nec mirum ſi ex *Aureliano*, *Marcello* aliiſque Paralyſin cum *conductione* ſive contractione admittimus, modo remittente, modo perdurante. Hinc recte *Valeſius* in *Epid.* determinavit, paſſiones eſſe loco affecto & materia ſimiles. 4. Impoſſibile non arbitramur dolores cruciatuſque partibus ſubinde pro cauſarum varietate inſidere; quando illæſo ſenſu motus tollitur. Hinc μετὰ βασάνου μεγάλης reſolvebatur Alcimus 1. *Machab.* 9. *comm.* 55. quem verum credo Paralyticum, ſecus ac ſummo Theologo viſum, autoritate *Cælii* Siccenſis in ſimili Paralyſi fretus. 5. Orta forſan Paralyſis ex caſu vel vulnere, ubi maximo doloris ſenſu, prout vel lethalis fuerit, vel minus noxia, percelluntur. Hujus farinæ reſolutiones ſubminiſtrant nobis longa ſerie *Galenus* 3. *L. A.* 10. & 4. *L. A.* 4. 5. *Aurelianus l.* 2. *Chron. c.* 1. *Gradius in Rhaz. Foreſtus l.* 1. *obſ.* 95. 121. *Schenckius ex A. Benedicto L.* 1. *Obſ.* 72. *Zakutus L.* 1. *Hiſt. Med.* 48. aliique numero plures. 6. In Pſeudo Paralyticis dolorem deſcribit *Horſtius* noctuque dieque perſeverantem, referente *Schenckio L.* 1. *Obſ.* 179. 7. Quid ſi cruciatus hos reſolutioni ſuperimpoſuerit malus Dæmon, in hominum tormenta promtiſſimus? Nihil definivero, cuivis ulterius cogitandi arbitrium relicturus, quanquam promtior ſim intra Naturæ limites me continere.

Nam *Cauſas* Naturales huic affectioni aſſignarim varias. Taceo conſuetas tritaſque frigidas, lentas humidas. Hominis conditio & doloris magnitudo vulnus inter primas cauſas aſſerit. Vel enim miles erat,

erat, seu δȣ̃λος Ἄρηος, vel inter milites quotidie versabatur. Si ætatem juvenis spectemus, & ferventioris climatis temperiem, calidioribus humiditatibus auctum malum & accensum, secus ac contendunt *Mercurialis L.* 1. *Prax.* 20. *Rondeletius c.* 23. *Cur. Morb.* vel sane ipsa calidior intemperies, densando nervos & exsiccando, humoresque in reliquo cerebro frigidiores colliquando, passionem acceleravit. Ex tertianis Paralyses observavit *Fernelius*, ex Colica *Paulus Ægin. l.* 3. *c.* 18. 43. *Nicolaus Flor. s.* 5. *tr.* 8. *c.* 40. *Trincavellius l.* 3. *c.* 1. *Pulverinus c.* 55. *Art. Med. &c.* Ex Peripneumonia *Galenus*, *Saxonia* ex oris ventriculi inflammatione. Omnia ex bile per primam τῆς μεταπτώσεως speciem translata, transmutata, temperata, quæ quidem, quia sui subinde reliquit vestigia & membranas quasi ἐν παρόδῳ per vices lambit, convulsiones Paralysi miscet, meatu non penitus intercluso, sive id fiat quando pori oblique concidunt, ut *Cassius Probl.* 81. prodidit, sive alia ratione, ab hoc loco & instituto aliena.

Quamcunque eligamus Paralyseos nostræ occasionem, male omnino *auguramur* ex causis ipsis, morbo, & symptomatibus. Accidentia duo vehementissime affligentia eventum minus prosperum portendunt. Dolor ingens δεινῶς βασανιζόμενος *Matth. Comm.* 6. κακῶς ἔχοντος *Luc. Comm.* 2. & virium totiusque corporis jactura, insigni verbo a *Matthæo* expressa. Βέβληται, projectus est. *Vulgatus*, jacet, quam recte, ipse viderit. Urgentius alterum, sicut & socrus Petri infra *Comm.* 14. dicitur βεβλημένη. In quam sententiam *Virgilius*:

Sternitur, & toto projectus corpore.

Cui opponi cernas apud *Hippocrat.* 4. *Epid. s.* 7. ἐστήκει, in alio Paralytico. Si ex caussis ominemur, parum misero spei. Si mali originem vulneribus debuit vel alii casui, ob divisum nervum incurabilis pronunciatur ab *Ægineta L.* 3. *c.* 18. *Abensina*, nisi juvamen post incisionem sentiatur, nec totus sit præcisus. Contrarium quidem in Comite Hercule Bevilaqua refert *Saxonia*; sed de combusto nervo accipiendus, neutiquam reciso, prorsus desperato. Quod si humiditates frigidas, lentas, ad harum causarum censum vocaverimus, fulmen adest *Hippocratici* oraculi 2. *Aph.* 34. Dissentanea quippe est affectio, & τῇ ἡλικίῃ & τῇ φύσει & τῇ χώρῃ, adeoque gravissima. *Ætati*, qui juvenis παῖς Centurionis. *Naturæ*, seu temperamento, quia calidiores qui orientem solem adorant, & ipse militaris ordinis tyro forsan æstuante circum præcordia sanguine, ut Turno olim *Æneid.* XII.

Ardebat in arma magis.

Regioni, quia Capernaum Galileæ metropolis sicco & calido sole torretur. Apposite igitur *Aurelianus* noster *L.* 1. *Acut. c.* 3. *Illud in ægritudine semper magis afficit, quod a natura plurimum recesserit.* In cujus veritatem diligenter, nec infeliciter *Galenus* inquisivit. Non minus periclitabitur æger Centurionis, si ab aridis calidisque causis Resolutio illius dependeat. Eædem premunt difficultates, ex adverso sibi oppositæ. Juvenes calidi sunt humidique, neutiquam sicci adustive. Regio quanquam calida, inter temperatas numeratur. Consuetudo denique seu vitæ institutum moderatum fervoris gradum expostulat. Notum *Fl. Vegetii* consilium *L.* 1. *R. M. cap.* 2. tyrones de *temperatioribus legendos* esse *plagis*, quibus & copia sanguinis suppetat ad vulnerum mortisque contemtum, & non possit deesse prudentia, quæ & modestiam servat in castris, & non parum prodest in dimicatione, & consiliis. Ad morbi denique ideam si respiciamus, inter conclamatos habetur, ἔμελλε τελευτᾷν apud *Lucam* Medicinæ peritum, quoniam eo jam vis morbi ingentis processerat, unde pedem referre difficile, & quanquam inducias mors concederet, Paraplegia in Apoplexiam, levi de causa degenerat. *Celsus L.* 3. *c.* 27. *In partibus fere insanabilis morbus est.* Ita enim pro *sanabili* omnino legendum. Denique, si quidem compositus est affectus, ex resolutione cum convulsione, augetur periculum vix evitandum, quum juncta unum affligant, quæ singula solent jugulare singulos.

Anxia hac spe vexatus Centurio, condictis præficis, conclamatis omnibus, filii salutem ultimo auxilio procuraturus, audita de Christo fama, divino Medico & plurimis experimentis nobilissimo, Seniores primo Judæorum mittit, qui demandatum legationis munus fideliter nimis exsequuntur, ultra quam sperare vel posset, vel vellet. Mox facili in petitionem Christo, quum urbi vicinus esset, amici occurrunt, Centurionis nomine rogaturi, supersederet tanta itineris molestia, non se dignum, cujus gentile tectum subeat, nec illius desiderari præsentiam, qui absens omnia verbulo uno potest expedire. Urbem autem ipsam quum inter hos sermones benignus in vota supplicum intrasset, tenuitatis suæ conscius sibi Centurio, iisdem verbis Christum aggreditur, quibus legatos amicos instruxerat. Duplicem errorem

rorem prudens alioquin Centurio videtur commisisse, tanto fastigio indignum. Importuno sane consilio seroque Medicum advocat expertum, quum jamjam evolaturus spiritus in labiis pueri hæreret. Vitium seculo nostro & cœlo familiare, in vigore & summo morbi articulo de Medico cogitare, quum conclamata res &

Salus est nullam sperare salutem.

Ab his curis malis cavendum monet *Guido Cauliacus*, & ubi prognosticis alioquin relinquendi ægri in bivio vitæ mortisque, tutius est, qui servari non potest, suasore *Celso*, non attingere, ne Medici aut ignorantia aut negligentia periisse videatur. Peccat præterea Centurio aliud peccatum, quod Medici præsentiam minus credat necessariam. Qua veritate a verbo ejusque efficacia sejunxerit personam Christi, litigent inter se Theologi. Apud nos ardua agitatur quæstio: *An absens Medicus recte curet?* Præsentiam Medici plurima exposcunt, morbi status & tempora, accurata causarum notitia, ægri temperies, consuetudo, habitus corporis & animi, accidentia præsentia, imminentia, & reliqua signorum sylloge, quibus ignoratis ne titivillitio æstimarim seu Medicum, seu susceptam curationem. An ex solis transmissis urinis acquiescere queant, nolim determinare. Sunt ita in arte Uromantica exercitati quidam, ut morbum quemvis absentes divinent. Nuper id Daventriæ Chirurgus profitebatur, a quo quasi aliud agens didicit domesticus ejus, Vir Doctus, amicus noster, jamque alii sollicite id exquirunt. Cæterum nemo approbaverit vulgi indocilis superstitionem, quod nullo casus aut ægritudinis discrimine, nulla aeris externi, injuriæ, nullaque commotionis intervenientis differentia, non raro absentium ægrorum affectus ex Medicis per vim quasi extorqueant. Recte hi bullatores Medicis cordatioribus debent ludibrium, nuper a magno nostri ævi Asclepiade, *Olao Wormio*, damnati. Ingeniosum se hac parte præstitit Medicus quidam Batavus. Rustico urophoro quærenti, an ex bigis vel quadrigis æger frater esset lapsus, quum male bigas divinaret, & aliquid tractu itineris profusum intelligeret, respondit: in deperdita urinæ parte reliquas duas rotas delituisse. Suspenso naso excepi & ego quandam ex turbata quatuor ab hinc leucis matula, an Lue venerea infectus esset maritus, inquirentem. Risi spectatum admissus. Scorbutum, malum inquilinum, pervidere me dixi, neutiquam Luem aliam, quæ itineris spatio evolaverat. Absentes febres civis quidam noster tinctor depellit, accurato paroxysmorum inito numero. Quid de morbis sympathicis dicendum? Armarium unguentum, multorum ingeniis nobilitatum, & pulvis, quem sympathicum nominant, in Galliis nunc usitatus, vires ad locum longius dissitum diffundunt. Crudus a vulnere culter, lardo impactus, idem vulnus persanare apud vulgus nostrum fertur. Non ignoramus quo nomine curationes sympathicæ male audiant, quamque acriter se *Sennertus l.* 5. *Prax. p.* 1. *c.* 10. *Athanasius Kircherus* in Arte Magnetica. F. *Licetus c.* 55. *de Quæs. Epist. tom.* 2. & *Herm. Conringius Med. Herm. c.* 18. Viri Inclyti, opposuerint. Verum enim vero, *Crollio*, *Goclenio*, *P. Servio*, *Papinio* aliisque horum fautoribus libentius, sano tamen sensu, accesserim, nec nimium illis tribuens, nec plane damnare ausus, quum infinita utriusque sympathiæ sint exempla, a finibus Naturæ minime profliganda. Quidquid horum sit, quanquam raro absens Medicus artis suæ det specimina; Centurionem tamen utraque hac culpa absolverim, quod de cœlitus demisso Archiatro securus, supraque omnium sortem elato, summa spei nisus fiducia Jesum in extremis conclamati pueri corpore absentem, virtute tamen & divinitate præsentem ubique, imploraverit. Tantoque libentius intentato crimine liberarim, quod vocare & ipse & per amicos voluerit Medicum, ut hoc pacto ejusdem gravitatem tueretur. Pessime se prostituit agyrtarum natio, quæ ostiatim ægros, velut mendici stipem, sponte sua conquirit, invitasque mortalium mercatur animas. Et notis & ignotis invidiosa erit hæc sive avaritia, sive stoliditas. Apud hos fallaciæ emergit suspicio aut insidiarum, apud illos contemtus. Promtissimus autem in vota ægri fidentis & venerabundi Christus, exemplo suo præivit non esse denegandam opem aut hostibus, quales Pagani erant & Judæi delegati, in quo errore versatur *Julius Alexandrinus*, aut aliis Divinæ artis contemtoribus, si quidem omnibus ex officio se obstrinxerit. Alia enim ratio illorum, qui Magistratui summo tantum obligati, vel aliis muniis impediuntur, vel sibi vivunt. Hostis sanitatem promovere nulla lege vetamur, nisi vel Principis edicto prohibeamur, vel domestici amici retrahant. Moverant ea *Hippocratem*, ut magno Artaxerxi remiserit nuntium: *Persarum* enim *opibus uti*, *neque ipsi æquum erat*, *neque barbaros morbis liberare*, *quum sint Græcorum hostes*. Nisi ipsum se in hac Epistola vicerit humanissimus *Cous*, merito jure inter suspecta reponimus. Valetudinem omnium procurat Medicus, sicut amicitiam, nullo gentis, ætatis, sexus,

xus, aut religionis diſcrimine, quod princeps ingenioſi *Thomæ Browne*, Angli, in Religione Medici fuit inſtitutum. Idcirco non culpandus Eruditus civis noſter, nec Hebræi, *Caſtrenſes*, *Zacutus*, *Benjamin*, *Chebibi*, aliique, quod ille apud Mahometanos feliciter, hi inter Chriſtianos artem ſervandi mortales profiteantur. De peſtilentia dubitatur juſtis de cauſis. Etenim quemadmodum quivis Chriſtianus graſſanti contagio ſe ſubducit, cui per vocationem publicam ſive in Repub. ſive in Eccleſia vacat, ut uno ore ſentiunt Theologi *Calvinus*, *Beza*, *Tarnovius*, *Zanchius*, *Perkinſus*, *Rivetus*, aliique non pauci: ita Medicorum filios hac ſeceſſione ſibi conſulere fas eſto, qui publico curandis ægris ſalario non ſunt mancipati. Imo quanquam complures certis ſtipendiis Reſpublica conduxerit, laudandum tamen uni vel alteri id dare negotii, reliquoſque a ſe ad loca tutiora dimittere, ut de Eccleſiæ miniſtris *Gerardus tom. 6. Loc. Com.* & *Zanchius* omnino conſiderate judicarunt. Nam Imperatores in prima acie ſummis periculis non tuto exponuntur, ne paucos juvandi ſpe, tota Reſpublica damnum Principis exceſſu patiatur. Nec Medici una nocte naſcuntur, ut fungi. Prudens Magiſtratus, ſicut Noſocomia publicæ utilitatis graſſante contagio adornat, ita Medicos omnium ſalutis excubantes lauta merce invitat. De reliquis *Jus Canonicum* decernit: *ſi acciderit peſtem in loco ſtudii graſſari, tunc poſſe Scholaſticos & Profeſſores in quandam vicinam civitatem aut oppidum ſecedere, eoſque tum comitaturos privilegia quæ erant data ſtudio generali in loco electo*. Profeſſorum autem nomine & Medici veniunt in Jure Civili, ut videre eſt §. 1. *ff. de Extraord. Cogn.* Quod clementiſſimus quoque Magiſtratus noſter benigne, dira aliquoties ſæviente lue, nobis indulſit. Hæc cauſa fuit inter alias, ut citatus *Hippocrates* electuſque, & præmio ingenti & oblato honore ad exercitum Artaxerxis non acceſſerit, quod *morbus peſtilens dictus ejus exercitibus ſe applicaverat*, quemadmodum conqueritur ipſus Rex magnus Epiſtola ad *Pætum*. Cunctorum precibus ſatisfacturus Servator, non quod ἄξιος eſſet Centurio Paganus, ut vane delegati jactant Seniores, nec ob eorundem interceſſionem, ſed ob fidem Centurionis, & innatam ſibi juvandi promtitudinem, dictum factum itineri ſe accingit, memor illius: καιρὸς ὀξύς. Quod *Epiſtola* ad Cratevam *Cous* urget: *Quum ab omni arte aliena ſit procraſtinatio, tum vero maxime in Medicina, in qua dilatio vitæ periculum adfert*. De acutis alibi 4. *Aph.* 10. φαρμακεύειν αὐθημερὸν, χρονίζειν γὰρ κακόν: *Medicari eadem die, tardare enim in talibus malum*. In Chronica Paralyſi periculoſa æque palliativi auxilii mora, quia ἔμελλε πλάτων. Sed quum ad ædes recto paſſu tenderet *Jeſus*, indignum ſe Paganum, peccatoremque plenis buccis clamat Centurio, ſub cujus tecto divertat: στέγη tentorii erat ſeu Prætorii, ubi habitabat Centurio, de qua ad Paralyticum tertium plura occurrunt dicenda, ubi & tecta militaria notabimus. Jam fidem Pagani hominis admiraturus ſeu laudaturus Servator mundi, de gentium vocatione & ad captum noſtrum cœleſti felicitate diſſerit, ſumta ab accumbendi more Romanis Græciſque uſitato, ſimilitudine. Nihil ſpiritui Dei frequentius, quam cœleſte gaudium per conviviorum ſolemnitatem exprimere. Ita *Luc.* XIII. 16. ſimilitudine cœnæ opipare inſtructæ, & *Matth.* XXII. 2. nuptiarum Reguli, æternus beatorum ſtatus adumbratur. Quo tendit, ἀνακλίνεσθαι *Luc.* XII. 37. & ἐσθίειν καὶ πίνειν ἐπὶ τῆς τραπέζης *Luc.* XXII. 30. Et *Apocal.* VII. 17. XXII. 4. ad divinam in cœlis beatitudinem trahuntur, quæ de convivio prodiderat vates *Eſa.* XXV. 6. 7. 8. Οἰκονίκη igitur eſt hæc Chriſti expoſitio a conviviis mutuata, in quibus antiquiſſimo plurimarum gentium ritu non aſſidebant more noſtro, nec humi implexis pedibus jacebant Turcarum inſtar, ſed diſcumbebant convivæ, ita ut alter caput alterius ſinu, extenſis vel contractis pedibus, exciperet. De antiquo Romanorum more pleni ſunt Antiquariorum libri, *J. Lipſii L.* 3. *Ant. Lect. Petr. Ciacconii* de Triclinio. *F. Urſini* in Appendice, *Stuckii L.* 2. *An. Conv. c.* 34. *Philandri* ad Vitruv. *Caſauboni* ad Baron. *Mercurialis* in Arte Gymn. *Fabri* in Agoniſt. & aliorum numero plurium. A balneorum Luxu introductum, quum olim autore *Servio lib.* 7. *Æn.* & *Iſidoro l.* 20. *c.* 2. conſiderent, mox in conſuetudinem abiit. Modum exhibet triclinium operis antiquiſſimi, quod Ateſtæ in palatio *Georgii Contareni* Senatoris Veneti diligenter luſtravimus, ex ædibus Rhamnuſianis Patavio olim advectum, & a *Mercuriale Ciacconioque* tum delineatum. Simile Romæ vidimus, cujus iconem magni Equitis *Puteani* beneficio in Obſervationibus Novis de *Unicornu* fideliter dedimus & explicavimus.

Apud Græcos idem factitatum ex *Plauto*, *Terentio*, *Virgilio*, *Plutarcho*, aliiſque liquet, indicatque vetus marmor cum *Inſcriptione* Ateſtenſis Triclinii, quod libavimus *L.* 1. *de Luce Animant. c.* 14.

ΕΛΟΕ ΚΤΠΡΙ ΧΡΤΣΙΑΙΣΙΝ ΕΝ ΚΤ-
ΛΙΚΕΣΣΙΝ ΑΒΡΟΙΣ ΣΤΜΜΕ ΜΙ-
ΓΜΕΝΟΝ ΘΑΛΙΑΙΣΙ ΝΕΚΤΑΡ
ΟΙΝΟΧΟΤΣΑ ΤΟΙΣ ΕΤΑΙΡΟΙΣ
ΕΜΟΙΣ ΓΕ ΚΑΙ ΣΟΙΣ.

Preſſius iſtum morem imitati ſunt Judæi. Teſtis locus *Philonis* in L. *De Vita Contemplativa*, & diſerte *Raſis* Talmudicus in *Suca* notat, veterum convivia fieri ſolita בחסיבה, h. e. *cum decubitu*. Ex voce *Mithots* ſeu *lecto* idem *Stuckius*, & ex Canticis Salomonis *Fr. Junius*, pluribuſque *Ciacconius* per convivii partes, confirmarunt. Hoc ſitu ἐπὶ τὸ ςῆθος Chriſti recumbebat dilectiſſimus *Johan.* XIII. 25. XXI. 20. infeliciſſime a pictoribus expreſſo. Et Lazarus *Luc.* XVI. 22. in ſinum Abrahæ translatus dicitur, ducta a conviviis Judæorum conſuetudine. Diverſa autem eſſe apud *Tertullianum* ſinum Abrahæ & Paradiſum, *Pagnino Gaudentio* in Salebr. *Tertull. c.* 48. relinquo defendendum. Ad rem plane *Livius* & *Plinius*, ex quibus hæc lucem fœnerabuntur: Ille meretricem famoſam Placentiæ in convivo L. Quinti Flaminii Conſulis *infra illum accubuiſſe*, refert, & *in ſinu recubaſſe*; Hic *l.* 4. *Epiſt.* 2. de Nerva: *Cœnabat cum paucis, Vejento proximus, atque etiam in ſinu recumbebat*.

Ne longius digrediar, ad ipſam *Curationem* revolvo greſſus, duobus mediis confectam. 1. λόγῳ *Chriſti*. 2. *Ægri fiducia*. Illud his verbis concepit: μόνον εἰπὲ λόγῳ, de cujus efficacia in *Paralytico primo* quum egerimus paucis, hic actum non agemus. Hoc exprimit *Commate* XIII. ὡς ἐπίςευσας γενηθήτω σοι. Fiduciam ægri de Medico curante conceptam poſſe plurimum autor eſt *Galenus in Prognoſt.* Eleganter *Abenſina: feliciter ab eo curari multos, cui multi fidunt*. Accedente ad *Nic. Kaaſium* Illuſtrem Reg. Maj. Cancellarium *Joh. Paludano* noſtrate, ſtatim ab ægritudine reſpirans lætus exclamavit: *egregie fidem meam, Paludane, juviſti;* quod *D. Thomæ Finckio*, Avo venerando, refero acceptum. Subinde eloquio præſtans Medicus plus efficiet, quam impeditior alius ſecretiorque medicamentis. Hinc niſi advocetur Medicus, quia vocantis fiducia ſpeſque perit, non eſſe accedendum optime monet *Caſtrenſis L.* 3. *Med. Pol. c.* 14. Duplicem juvamenti aſſignat rationem *Th. Fienus Concluſ.* 38. unam a Lætitia, alteram a promtitudine remediorum deſumtam. Nolim tamen cum *Augerio Ferrerio l.* 2. *Meth. Med. c.* 11. ad ipſam Medici fiduciam dicta extendere, ſiquidem ea ejus fuit opinio. Acriter de Imaginatione inter alios diſceptatur, *An morbos curare valeat?* non dubitarim conferre plurimum, movendo & excitando ſpiritus ſopitos & calorem, quandoquidem exemplorum Ilias nobis id perſuaſerit. Ruſtici non raro ſchedulis devoratis curantur. Haleces avide aſſumti febres reſtringunt, vel alia vehementer expetita, quin ipſum vinum. Ex cultu oſſium Sanctorum confidentiæ ſuæ virtute cum ægro ſanitatem redire in gratiam, ſuſpicatur *Pomponatius*, ad inſulas infortunatas hoc aliiſque nominibus relegatus. Quid de Melancholicis dicturi ſumus, ſolius imaginationis beneficio procuratis, expiatis? *Philodotus* Medicus apud *Aetium tetr.* 2. *ſ.* 2. *c.* 9. quendam, qui ſibi caput amputatum putabat, impoſito repente capiti ipſius plumbeo pileo curavit. Idem aliam mulierem a ſerpente removit, teſte *Tralliano L.* 1. *cap. ultim.* Algidus alius accenſo in pelle lanigera igne celeriter convaluit ope *Zacuti l.* 1. *Hiſt. Med. Obſerv.* 38. Alius naſus ſui amplitudine tranſeuntes impediri ratus, ficta tonſura ad mentem ſaniorem rediit. Poetarum delicium *Caſp. Barlæus*, ſed melancholico ſanguine turgens, aliquando clunes ſibi vitreos credidit: quale quoque exemplum recitat *Lemnius L.* 2. *c.* 6. *de Compl.* Quid quærimus ultra? Phantaſia plerique morbi curantur, qui ope medicamentorum importune ab indoctis exhibitorum creduntur arti ceſſiſſe. Tantumque imaginationis crevit inter mortales vis, ut ex ea ſola Illuſtris Matrona *Magdalena d'Auvermont*, Hieronymi Auguſti de Montelione Equitis Gallici uxor, *Emanuelem conceperit*. Id quod Juriſconſultorum Parlamenti Grationopolitani decretis, Medicorum nonnullorum Monſpeſſulanorum & obſtetricum mulierumque aliarum conſenſu fruſtra renitentibus *Adriano* & *Carolo* de Monteleone hæredibus alioquin Hieronymi, obtinuit. De cujus hiſtoriæ veritate nolim inquirere, quam ſuſpectam habuit *De Lord* Monſpelienſium Profeſſor, & amice me monuit *Petrus Sanchius* Profeſſor ibidem Regius, ne iſti relationi fidem mutuarer. Edictum eſt *Scævolæ* & *Ulpiani L.* 6. *ff. de his qui ſui vel al. jur. ſunt. ſi conſtet maritum aliquamdiu cum uxore non concubuiſſe, infirmitate interveniente, vel alia cauſſa, hunc, qui in domo natus eſt, licet vicinis ſcientibus, filium non eſſe*. Male noſtris Virginibus cœlum frigidius conſuluiſſet, quod hanc illis graviſſimarum paſſionum curandi viam denegaſſet. Cæterum caſtis gratulamur, & ad ſerium inſtitutum noſtrum regredimur. Diſpar omnino fiduciæ Centurionis eſt conditio, quia ſtupenda medela. Tantum non poteſt quæcunque fiducia ſeu Medici, ſeu medicinæ in deſperatis

ratis diuturnisque passionibus, & jam morituris, ut extinctum calorem revocet, vias impeditissimas vi superioris morbi, natura succumbente, reseret, humores vitiosos obfirmatos retrahat, aut prostratam partium συγκρασίαν emendet. Nec filii Centurionis sive fiducia in Christum, quanquam de ea dubitare non liceat, sive fides illustrior deprædicatur; sed totum negotium ipsius Centurionis pro filio intercedentis concepta ex verbo Christi firmissima spes, quam ratam voluit servator, animique fidelis constantia, confecit. Non quod crediderit, sed quod rarissimæ fidei miraculum suum λόγῳ addiderit λόγος apud Deum æternus. Premamus Centurionis vestigia, qui corpore languidi animo ægrotamus. Pari facilitate & promtitudine summus nobis in æternis Archiater adspirabit. In perituris quoque, si illi visum, *Nostri cui tanta cupido est*.

HISTORIA PARALYTICI TERTII.

TErtius N. T. Paralyticus *Matth.* 9. *Marc.* 2. *Luc.* 5. descriptus, ab illo plane est diversus, cujus *Joh.* 5. historia extat, secus ac *Chrysost.* aliisque visum. Ille enim in domo, hic piscina Christo oblatus, ille in urbe Capernaum, hic Hierosolymis. Illum quatuor homines per tectum demittebant, hic ne hominis quidem unius ope aquis medicatis immergi potuit. Proprium igitur Commentarium, eo quo priores jure sibi & Tertius vendicabit, cujus hæc est historia in paucas periodos contracta.

Membrorum resolutione & imbecillitate fractus Paralyticus, a quatuor lecticariis portatus, certa sanitatis recuperandæ spe, Christo Capernaum reverso in ædibus, ubi auditoribus concionabatur, offerendus, turba concurrentium impedito per januam ingressu excluditur. Moræ vero longioris impatientes lecticarii, consilium præceps ex temporis necessitate in arena capiunt, conscensoque domus tecto & diffractis tegulis ægrum submiserunt Christo curandum. Jesus humani generis Archiater fidei pleno & bonæ spei sanitatem tam animæ per delictorum commissorum expiationem, quam corporis resoluti solo verbo hospiti gratiose procuravit, ut expeditum membris roboratis gressum receperit, indeque digrediens grabbatum suum ipse gestaverit, omnibus stupentibus, nonnullis sinistre, more suo, judicantibus.

Paralyticum resolutis seu sideratis nervis fuisse constans est Sacrorum Historicorum sententia, unde *enervatum* recte transtulit *Camerarius*, probatque ingressus difficultas, de qua affectione ad superiores Paralyticos plura diximus, neutiquam in præsenti actum acturi.

Conditionem & fortunæ statum lecticarii produnt. Erat quippe ὑπὸ τεσσάρων portatus. Divitem crederes, cujus cubile quatuor servi lecticarii circumferebant. Necessitate tamen, haud luxu compulsus, quarta cervice ferebatur. Alioquin hexaphoros erat sanorum Virorum & locupletum, nec pauperibus conveniens, sicut Afro exprobrat *Martialis l. 6. Epig.* 77.

> *Quid te Cappadocum sex onus esse juvat?*

Octophoros lectica regum propria, feminarum & ægrotorum. Hinc *idem lib. 6. Ep.* 84.

> *Octophoro sanus portatur, Avite, Philippus,*
> *Hunc tu si sanum credis, Avite furis.*

Ut vero propius fit hominem nostrum bonæ mentis sorore paupertate pressum quatuor lecticariis acquievisse, quia & ipse grabatum suum, seu lectulum minutum angustumque postea portare sustinuit. *Aderus* e longinquo illuc suspicatur advectum, nullo, ut arbitror, indicio, quum morborum ferax Capernaum fuerit aerisque locique vitio. Forsan pro mortuo vel morti vicino reputatus. Mortuorum autem Sandapilæ a quatuor tantum servis Romæ portabantur, quemadmodum icone expressit Fr. *Peruccius l. 2. de Pomp. Fun. p.* 28. Hinc ægre ferebat *Martialis l. 6. Ep.* 77. quod Afer & pauper & juvenis & fortis hexaphoro vivus delectaretur, quo non debebat ferri mortuus. *Claudius l.* 8. *Epigram.* 75.

> Quatuor *inscripti portabant vile cadaver*.

Cur inscripti? De servis stigmaticis, literisque servilibus inustis accipiunt Critici, de quibus *Pignorius l. de Serv. Popma de Op. Serv. Parun.* diversa est conjectura nostra. Inscribebantur nomina lecticariorum, quorum deinde legibus Constantini & Anastasii funerabilibus definitus erat numerus, quos omnibus modis integro numero & omni præstatione liberos Constantinopoli conservandos decrevit *Novella* Justiniani *Constitutio* 43. Numerantur in illa Novella 1100. lecticarii seu Decani (rectius fortasse Diaconi) ad peragendas defunctorum exsequias deputati, non tam ad exportandum quam procuran-

randum funus. Octingentæ quidem officinæ corpora præstabant, trecentæ autem in exactione pecuniarum consistebant. Vel sane quod ex his 800. pro funerum numero in ampla civitate Byzantina deligerentur sufficientes lecticarii, sicut pestilentiæ tempore hodie usitatum. Crevit tamen lecticariorum numerus, luxu apud omnes crescente, quem idcirco legibus Funeralibus ad necessarium nuper publico edicto adstrinxit *Fridericus* III. Sacratissimus Rex Noster. Q. Metellus Junior inter rara felicitatis humanæ exempla numeratur *Plinio l.* 7. *c.* 44. quod præter honores amplissimos, a quatuor filiis sit rogo illatus.

Ingressuris autem obstat multitudo januam ædium obstipans conferto agmine. Scilicet ad divinum Archiatrum accessus patet cunctis, sed sæpe viam male feriati homines reddunt impeditam. Τὰ πρὸς τὴν θύρα vel vestibulum ædium interius notat, vel plateam ostio vicinam. *Grotio* est τὸ πρόθυρον, seu vestibulum ante januam. In versione Syriaca idem servat *Buderianus*, sed a *Lud. Dieu* hoc nomine reprehensus, quem varia Vestibuli notio decipit. Plures vestibulum inter plateam & ædium januas relictum eligunt. Ita *Danus interpres*, si quidem ex veteri januarum fabrica, ad ostium, foras aperiendum, plateæ spectabat pars. Utrumque vestibulum multitudo impleverat, unde *Deodato* Italo *i contorni della porta*. Januæ autem apud Veteres in publicum rejiciebatur. Hinc ne aperiendæ læderent prætereuntes, pulsabantur prius ab egredientibus, appensis nonnunquam tintinnabulis. Vulgatum id Græcis, quod ex Comicis liquet, ubi ante crepuisse fores dicuntur, quam quis domo egreditur. Videndi *Photius* in *Bibl. Muretus l.* 1. *Var. Lect. c.* 17. *Pancirolla* in *Deperd. tit.* 23. aliique. Apud Romanos L. Valerio Publicolæ & fratri primis adjectum fuit, ut domus eorum fores extra aperirentur, & janua in publicum rejiceretur, quod inter triumphales domus clarissimum erat insigne, teste *Plinio lib.* 36. *c.* 15. Nec postea exolevit, nam de janua in publico aperienda responsum extat *Scævolæ l.* 41. *in* §. *ff. de Serv. præd. urb.* Utplurimum duplicitæ, quas δίκλιδα θυρῶν vocabant, quibus in reponendis humeri luxationibus utebatur *Hippocrates*. Figuram qui cupit & fusam de hoc argumento dissertationem, *Cl. Salmasium* Polyhistora Summum ad Solinum consulat operæ facturus pretium. Clausæ plerumque, unde ostium *Isidoro ab obstando*. Hic omnibus Christo perorante patulæ. Alias metu irruptionis occlusæ *Genes.* 19. 9. *Joh.* 20. 19. *Actor.* 12. 13. Illæ, animæ æternitatem significabant, hæ interitum animi corporisque ex veteri Romanorum religione, si credimus *G. Fabricio c.* 21. *Rom.* descript. Unde in quibusdam sepulchris Romæ antiquis exsculpta visuntur ædificia, partim januis apertis, ut in Palatio Capitolino Trium virum; partim clausis, ut in domo civis Regionis Transtiberinæ e regione Pontis Fabricii.

Æternitatis ea spe, sanitatisque animi juxta ac corporis exclusus Paralyticus, communi lecticariorum consilio & opera per insolitam viam grassabatur. Enimvero, siquidem humiles erant ædes judicio *Baronii* ad *A. Chr.* 31. *Tib.* 15. vel ex plano vicini tecto transitus concedebatur, ut commentatur *Lyranus*, tecto domus hospite Christo illustris ablato, ruptisque tegulis per contignationem apertam ad pedes Christi cum grabbato demissus fertur, idque funibus, ut *Cajetanus*, *Beza*, *Osiander*, *Pelargus* non male conjiciunt, nisi ædium humilitas obstaret, & oblonga fulcra lecti, depicta in *Roma subterranea*. Plenum audaciæ consilium, furibus & latronibus familiare, Christo alibi damnatum *Joh.* 10. 1. & Antonio in Philippicis a *Tullio* versum vitio. Imo lex Cornelia injuriarum actionem introduxit, quod domus vi introita sit *l.* 4. *Inst. Jur. tit.* 4. §. 8. quia sua cuique domus tutissimum est refugium & receptaculum ex *Cajo* JCto, de quibus *Schneidewinus*, *Mynsingerus*, *Rittershusius* aliique ad Instituta. De vi quoque publica lege Julia tenetur, qui hominibus armatis possessorem domo agrove suo, aut navi sua dejecerit, *lib.* 48. *ff. tit.* 6. *l.* 3. §. 6. Codex *jur.* Danici at brydе Huus/ vocat Heerwerke *lib.* 2. *de leg. Cimbr. c.* 30. Ganger mand med raad raad i an den Mands Gaad/ eller Huus/ ot bryder Huus/ 4. da er det Herwerke/ puniunturque in foro nostro mulcta trium Marcarum. Nimia tamen pietate, & necessaria salutis ratione peccans, excusari meretur, quem ipse Christus, quo præsente hæc agebantur, a crimine absolvit. Animus quippe a damno alienus, nec occidendi proposito aut furandi, aut armati quovis modo nocendi irrupere, sed ut ægrum qua corpus qua animum servarent. Ita qui a latronibus circumventus testum vicini dirutum intraverit, extra injuriæ erit actionem apud æquum Judicem. Adhæc vel propriæ fuerunt irruentium ædes, vel certe connivente domino fundi detectæ, & tacite consentiente, nam sic tacitum & expressum in Jure æquiparantur, & consentire dicitur, qui non contradicit.

Præcipiti isto gradu festinandum erat

Para-

Paralytico ad Archiatrum, sive quod incerta esset Jesu mora, sive quod ex forti & insolita resolutione membrorum, Apoplexiam metueret per ἐπι γένεσιν, citamque mortem & infelicem. Minatur hoc malum *Hippocrates* in Coacis *c.* 23. §. 1. *Torpores & sensus privationes præter consuetudinem ortæ futuras Apoplexias denunciant*. Παρὰ τὸ ἔθος explicat *Duretus*, quod fit sæpenumero ictu & lapsu, tum etiam cruribus complicatis cubitorum innixu, fame, vigiliis, scoliosi vertebrarum cervicis, renibus calculosis, & artubus illaqueatis. Mala præterea Paralysis & exitiosa post febrem acutam, ob malignæ materiæ μετάπτωσιν ad nervos eorumque in cerebro principium, nisi id critico Naturæ motu fiat, morboque concocto, quod honestissimæ Matronæ non ita pridem Hafniæ, contigit. Vide *Alpinum l.* 3. de *Præs. Vit. & Mort. c.* 12. Unde ex durissimo necessitatis telo virtus emersit.

Ceterum quomodo tectum scandere, illudque infringere potuerint, non facile intelliget scrupulosus, nisi tectorum apud veteres structuram paucis detexero. Tecta vel plana fuere, vel in fastigium erecta. Illa antiquissima, quibus fastigium sequens imbrium incommodum addidit. De utriusque origine & forma *Vitruvius l.* 2. *Archit. c.* 1. *Alii luteas glebas arefacientes, struebant parietes, materia eos jugumentantes, vitandoque imbres & æstus, tegebant arundinibus & fronde: postea quoniam per hybernas tempestates tecta non poterant imbres sustinere, fastigia facientes, luto inducto proclinatis tectis stillicidia deducebant*. Sed succrescente arte & artificum ingenio, non luto tantum tecta fastigiata muniverunt, sed scandulis aut stramentis, eodem teste, h. e. robore assulatim secto instarque tabellarum tectis instrato, quibus annis 470. Roma fuit contecta autore C. Nepote apud *Plinium l.* 16. *c.* 10. successere deinde tegulæ, materiaque, quibus mox sectilium lapidum bracteæ, laminæque aliis super alias sedentibus & inter se imbricatis, de quibus *Panovacea* tegendi genera apud *Plinium l.* 36. *c.* 22. explicat *Philander*. Ferri potest religio in Deos, quod Pantheon æreis tegulis opertum fuerit, referente *Paulo Diacono*, quodque rotundam D. Mariæ ædem Ravennates solido lapide ornaverint. In privatarum ædium splendorem abusus transtulit & plumbum, unde plumbum, quod tegulis poneretur, ædificii esse ajebat Labeo, teste *Javoleno* JCto *ff. de Verb. sign. l.* 242. §. 2. sive quia tecta ex plumbo fuerint solido, sive quod tectis plumbum ad stillicidia adderetur Dispar omnino incorrupti seculi facies. Romuli casa in arce sacrorum *stramentis* tecta, *Vitruvio* autore. Expressit id *Ovidius l.* 3. *Fast.*

Quæ fuerit nostri, si queris, regia nati,
Aspice de canna straminibusque domum.

Mauros mapalia sua *scirpis* texisse refert *Plinius l.* 16. *c.* 37. idemque *l.* 6. *c.* 24. Chelenophagos *testudinum* superficie casas ornasse. De Colchorum tectis *Vitruvius l.* 2. *c.* 1. *fronde & luto metas tegentes efficiunt barbarico more testudinata turrium tecta*. Idem de Phrygibus campestria inhabitantibus: *stipites* inter se religantes, metas efficiunt, quas *arundinibus* & stramentis tegentes, exaggerant supra habitationes maximos grumos e terra. Alii ex *ulva* palustri seu alga palustri composuere tuguria, nostri rustici ex paleis, alii ex arundinibus. Rudere non tegulis loca munita Hispaniæ & Africæ tegebantur, notante *Hirtio Bell. Hisp. c.* 8. Apud Germanos veteres ne cæmentorum quidem aut tegularum usus, *Tacit. de morib. Germ.*

Tecta tamen plana, frugalitatis olim & innocentiæ documenta posterioribus temporibus magnifico opere exstructa opulentiorum, esse cœpere, in quibus commorabantur, ambulabant, hortos colebant, quæque ad sui tutelam in moribus civilibus utebantur, ut liquet *Judic.* 9. 51. qualia pleraque Neapoli aliisque Latii urbibus adhuc visuntur. Transiit ea architecturæ ratio in Palæstinam, sacramque in ea urbem. David enim in tecto palatii obambulans amore illicito visæ Bathsebæ accendebatur 2. *Sam.* 11. 2. In tectis & plateis omnes ejulare dicuntur *Esa.* 15. 3. Osoribus Sionis auguratur David *Psal.* 129. 6. futuros sicut gramen in tectis, quod torretur antequam prodeat. Quem locum de tectis planis erudite exponunt *Glossæ* marginales Danicæ, quanquam & de fastigiatis accipi posset. Illustris extat textus *Deuteron.* 22. 8. *Cum ædificaveris domum novam facies* מעקה *tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua*. Murum verrit *Hieronymus*. LXX. στεφάνην. *Philo* θωράκιον. Peribolum *Osiander*. *Danus* et Recke. Parietem *Pagninus* & ædificium, cujus altitudinem ex R. *Davide* ad quatuor digitos extendit, *Grotius* ad pedes tres cum dimidio. *Castalio* loriculam amat. Στεφάνη dicta a Coronæ similitudine. Coronæ in ædibus appellabantur prominentiæ quædam parietum ad arcenda stillicidia apud *Vitruvium l.* 2. *c.* 8. *Palladium l.* 1. *R. R. tit.* 11. Loricu-

cula ſeu Lorica dicta a materia. Eſt illa cruſta ex calce & arena *Vitruvio l. 7. c. 1.* unde granariorum parietes & ſolum opere tectorio marmorato loricandos vult *Varro l. 1. R. R. c. 57.* Apud *Plinium l. 8. c. 24.* Ichneumon ſe loricare dicitur limo merſus ſoleque ſiccatus. Loricam quoque de coronis murorum in urbibus & munimento urbem cingente adhibet *Vegetius l. 4. c. 28.* In tecto Samuel Sauli loquebatur, 1. *Sam. 9. 25.* In tectis ſuffitus excitabant *Jerem. 19. 13.* Diſcipuli Chriſti jubentur *Matth. 10. 27. Luc. 12. 3.* prædicare ἐπὶ τῶν δωμάτων, hoc eſt, publice audientibus cunctis, ut vero ſit ſimile ex tectorum planitie, tanquam ex roſtris tranſeuntes alloqui conſuetum fuiſſe. *Luc. 17. 31.* In illa die, qui fuerit ἐπὶ τοῦ δώματος, & vaſa ejus in domo, ne deſcendat tollere illa. Certe & apud Romanos tecta petebant in tumultibus, quod *Tacito l. 1. hiſt.* credimus. *Act. 10. 9. Aſcendit Petrus* ἐπὶ τὸ δῶμα, *ut oraret circa horam ſextam.*

Alias tectum pro Tentorio militari uſurpabant, quo tegebantur *Vegetius l. 3. c. 2. Pedites ſine intermiſſione imbribus vel nivibus ſub tecto, reliquis diebus exerceri in campo voluerunt.* Vide plura *lib. 2. c. 23. Suidas:* στεφανὸν, πυκνὸν, σφίγκτον, καὶ διόδωρος οἱ δὲ ῥωμαῖοι στεφανὰ ποιήσαντες, παρεχείμαζον. h. e. *Tectum, Denſum, conſtrictum, Diodorus, Romani vero cum tecta feciſſent, hybernarunt.* Quo forſan Centurio ille pius *Matth. 8. 8.* reſpexit.

Tectum igitur hujus domus a Paralytici lecticariis ruptum, planum fuiſſe certum eſt, in faſtigiato enim difficilior adſcenſus. Et ſiquidem vicini tectum pari planitie explicabitur, hoc conſcenſo, facilis ad aliud erat tranſitus. Dubium movent apud *Lucam* οἱ κέραμοι. Quid enim ad æquale pavimentum tegulæ? Niſi & hæ illud per intervalla diſtinxerint. *Syrus* operimentum loci reddidit, ut *Troſtius* monet. *Beza ex Plinio*, perfoſſum dicit teſtaceum pavimentum, quod diſplicet *Heinſio* in *Exerc. Sacr.* Teſtaceum enim pavimentum in Oriente neutiquam uſitatum; eſſe potius *ſubdiale* pavimentum, de quo *Plinius*, quia in his tectis ſub dio agebant: Στέγους autem & κεράμους pari paſſu hic ambulare, tectumque notare ex *Thucydide, Syro*, aliiſque, ſicut apud *Plautum* in *Mil. Sectari ſimiam in Tegulis.*

Quod fidei ardore a Paralytico commiſſum, nobis neutiquam in exemplum trahendum. Qua occaſione commode quæſtionem hodiernis moribus opportunam, expendamus, *An illegitima media quærenda & uſurpanda ſpe recuperandæ ſanitatis?* Illegitima remedia ex duplici æſtimamus fonte, vel quod Diabolica ſint, vel ſine rationali Methodo adminiſtrata. In utroque peccat credula mortalium inſania, ſed conſtanter utrumque juſtis de cauſis damnamus. Diabolica remedia duum ſunt generum, vel expreſſo Diaboli inſtinctu edocta, vel implicito. Prioris ordinis auxilia Chriſtiani veri vere deteſtantur, territi exemplo Ahaſiæ Regis 2. *Reg.* 1. Poſteriorem curandi rationem plurimi ſine pietatis ſcilicet offenſa eligunt, vel characteribus, vel ignotis verbis, vel numeris menſuriſve, vel aliis ceremoniis a ratione alienis ſuperſtitioſe morbos expugnaturi. Sed fugite hinc mortales, ſi ſapitis, ſi me auditis, latet anguis in herba. Larvam detraxerunt *Sennertus l. 13.* de *Conſenſ. Oalus Wormius*, decus orbis & urbis *c. 10. Not.* ad *Faſt. Dan.* & varia eruditate hic annotarunt nuper *Hier. Jordanus*. De illo quod in Morbis eſt divinum, *O. Borichius* noſter de *Cab. char.* qui legi merentur, ne alios numero quamplurimos advocem. Sequamur *D. Chryſoſtomum*, potius mortem homini Chriſtiano ſubeundam, quam vitam ligaturis redimendam.

Remedia Empiricorum ſine vera Methodo exhibita, pari infamia ſunt notanda. Veneni ſuſpicione non carent, & innoxie animas vitaſque licitantur, qui Recipiunt neſcio quid, ut ſanentur ægri, neſcio quando. Judicant cordati rectius, præſtare cum methodo mori, quam ſine illa vivere. Mala dicenda iſta medicamenta, quæ qui in publicum vendiderit pœna legis Corneliæ. *L.* 48. *ff.* de *Publ. Jud. tit.* 8. *l.* 3. §. 1. h. e. in inſulam deportetur & omnibus bonis privetur, *ibid.* §. 5. Unde Sapientiſſimis Venetorum decretis Circumforanei urbe Patavina cum infamia ejiciuntur, & in urbe Pariſienſi, niſi Saluberrimæ Facultatis Doctoribus, conceſſum nemini publice medicinam facere. Quanquam & Magni olim Regis noſtri, glorioſæ nunc memoriæ *Chriſtiani IV.* legibus vetitum ſit *ne quis ægris medeatur poculumve medicatum exhibeat, præter promotos approbatoſque Medicos, ſive ſeplaſiarii ſint, ſive barbitonſores, ſive Chymici, ocularii, herniarum ſectores, ſive circumforanei variive Empirici:* neglecto tamen prudentiſſimo Edicto non illi tantum ægrotorum curam ſuſcipiunt, ſed Ruſtici, Pædotribæ, Sacerdotes, aniculæ & carnifex ſpe pretioque ſollicitantur, hoc uno a latronibus differentes, quod cives intra mænia & non in montibus deprædentur, ut alibi *Galenus* loquitur. Dices: Sanitatis cauſa tentanda omnia. De legitimis nunquam repugnabo, reliquos averſor

ſor qui flectere ſi nequeant ſuperos Acheronta movent. At juvant perſæpe. Opto ſucceſſibus careat, quiſquis ab eventu facta probat. Divino *S. Pauli* monitu, non facienda mala ut eveniant bona. Nec quaſi aleam jacendo Medici curare debent, quod vere dixit *Galenus* in 1. *Epid. Com.* 2. Horum igitur cunctorum beneficia cunctis ſunt nocentiora vulneribus, præſtatque odium illorum quam pacem meruiſſe, ut *Leonis homil.* 19. utar verbis. Juvant per Accidens, pluſque fortunæ habent quam conſilii, cui ſubinde fixa ægrotorum imaginatio jungitur, qua multi morbi ſuperantur, qui Empiricorum arte curati creduntur. Sæpe palliativa cura credulis imponunt brevi damno majori eruptura, vel ſane ad meliorem vitam promovent, quam in plures annos differre debebant. Quod ſi Patronus Empiricorum, non malo animo, ſed ſpe juvandi iſta excuſet, reſpondeat *Martianus ff. de Publ. Jud. t.* 8. *l.* 3. §. 2. *ex ſenatus conſulto relegatam eſſe eam, quæ non quidem malo animo, ſed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea quæ acceperat, deceſſerit*. Exterminandos quoque perſuadet *Lemnius l.* 1. de *Occ. Nat. c.* 17. modum vero inveniſſe ſe credit *Georg. Hebenſtreit Queſt. Miſc.* 1. *p.* 14. nempe primum carnifices ex urbibus ad corvos, deinde vetulas ad ſua penſa, mox agyrtas ad eſuriem, barbitonſores ad tonſtrinas ſuas, ac denique Vulcaniam Ciniflonum proſapiam ad Carbones ſuos amandandam. Omnibus dictum ſit *Horatii* illud *l.* 2. *Epiſt.* 1.

> —— *abrotonum* (*vel* elleborum) *ægro*
> *Non audet, niſi qui dicit, dare: quod Medicorum eſt,*
> *Promittunt Medici, tractant fabrilia fabri.*

Inſueta via adventantibus, Chriſtus viſa & portantium & Paralytici fide, plus pro ſua bonitate ultro donat, quam venerant petitum, primumque delictorum immunitatem largitur tam hactenus admiſſorum naturæ vitio & voluntatis, quam illiciti humanis legibus facinoris, rupti tecti, ædium violatarum. Paralyſeos *Curationem* a peccatorum auſpicatur condonatione, quia ſtipendium peccati mors morbuſque, hicque ex illo trahitur, nec in dignitatem ſuam ulla parte peccavit Servator, quod animæ curam juxta ac corporis mortalium perditorum habuerit. Sequuti illius exemplum, quanquam non paſſibus æquis, quamplures, qui utrumque amica copula conjunxerunt. Ipſe Lucas Sacræ hiſtoriæ conditor Medicus fertur *Coloſs.* 4. 14. quem Patronum ea propter Medici ſibi adoptarunt. In antiqua Eccleſia Sacerdotes non pauci Medicorum catalogo adſcripti. Teſte *Baronio Tom.* 3. *Ann.* Joſephus Tyberiades Epiſcopus Judæorum Patriarcham Helleel curationis ſpecie baptizavit. Paulus Secundus Pontifex ægrotantes ipſe comiter inviſebat, adhibitiſque medicamentis curabat apud *Platinam in Vit. Pontif.* Joannes XXII. antequam Pontifex deſignaretur, Petrus Hippocrates vocatus, edidit Medicinam Theſauri pauperum. Ex Monachis ſacro voto adſtrictis pluſculi Medicinæ ſtudium & in uſum convotorum excoluerunt diligenter & eruditis ſcriptis divulgarunt. Inter quos eminent *Commentatores Meſuæ*, *Conſtantinus Africanus*, *Raymundus Lullius*, *Jo. ab Indagine*, *Albertus Magnus*, *Baſilius Valentinus*, *Thomas Campanella*, *Pius della Marra*, aliique qui in memorias exierunt.

Quærunt hic Eruditi, *an Medici ad Clericatum & Sacerdotium poſſint promoveri, & an tum Medicinam liceat exercere?* Prius invenit fere aſſenſum, ſiquidem Medicus capax eſt nominationis ad beneficia. Doctiſſimum Medicum, Mantuæ Profeſſorem *Petr. Anton. Cavallum* novi, qui S. Franciſci ordini votoque ſe obſtrinxit, mutato priori vivendi genere. *Daniel Bucretius* Anatomicus inſignis & Spiegeliani operis editor, Monaſterii Dominicanorum Pariſiis ſe clauſtris incluſit. *C. Bartholinus* Parens, cœlitibus pridem adſcriptus, Medicinæ Profeſſionem cum Theologia voto in morbis ſuſcepto commutavit, Deoque ſoli vacavit dum vixit, quod *Riolano* ſummo Anatomico rigidis ad *Bauhinum* Animadverſionibus diſplicere videtur.

Altera quæſtio difficilior ſententiarum varietate. Affirmat *Bardus c.* 8. *Med. Cathol.* ex *per cap. ſent. ne Cler. nec Mon.* & *cap. ut apud* & *cap. tua nos*, de quibus *Tiraquellus* de *Nob. Med. c.* 3. *n.* 406. Et ſiquidem de Epiſcopis conſtans eſt fama, Medicinam feciſſe, quidni & hæc ſimplicibus Sacerdotibus Monachiſque concedatur. In negantem tamen ſententiam proponi hæc urgemus. 1. Profeſſionem priorem cum Sacra, devotos ea mente commutare, ut ſacris majori cura & unica incumbant, Deoque ſoli ſerviant. 2. Profeſſionum diſtinctionem omnino in Republica bene conſtituta eſſe ſervandam. Hinc *Ariſtoteles* 4. *Polit. c.* 15. Sacerdotum officium a Civili Magiſtratu diſtinctum voluit, & recte *Ambroſius* negat Viro Eccleſiaſtico duplicem profeſſionem 3. Irregularitates oriuntur non leves, ut etiam contrariæ opinionis aſſertores fateantur non inviti, Monachis & Clericis poſterioribus interdictum fuiſſe, quas tamen irregula-

ritates debitis cautionibus *&* animadversionibus declinari ex *Bonacina* credit *Bardus*, imo dispensationem a Pontifice petendam. Sed opponimus. 4. Medicinæ exercitationem inter seculares curas numerari, a quibus Deo soli consecrati abstinent. Timotheum, aliosve in Ecclesia, ut ille, militantes negat *S. Paulus* oportere implicari τᾶ βίε πραγματείαις 2. *Timoth.* 2. 4. In Canonibus S. Apostolorum per *Clementem* congestis n. 6. *Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus seculares curas non suscipito: alioquin deponitor*. Constitutionis ratio redditur *Canone* 80. quod nemo possit duobus dominis servire juxta præceptum dominicum. Ita & decretum fuit in *Concilio Calcedonensi* Œcumenico Canone 3. *Definiit sancta & magna Synodus, neminem deinceps, nec Episcopum, nec clericum, nec Monachum, vel possessiones conducere, vel secularibus negotiorum administrationibus seipsum miscere*. Unde nec tutores esse possunt ex *Nov. Constit. Justinian.* 123. & *Leonis* Nov. Const. 68. nisi ad inexcusabilem impuberum tutelam vocentur, quod de Presbyteris tantum, Diaconis & hypodiaconis concedit in Novella *Justinianus*. Tres alios casus proponit *Canon* Concilii laudati, si nempe *Civitatis Episcopus rerum Ecclesiasticarum solicitudinem habere permittat, vel Orphanorum, & viduarum, quæ indefensæ sunt, & personarum, quæ Ecclesiastico maxime indigent auxilio, propter timorem Dei*. Medicinæ exercendæ nullum indultum signatur, & quanquam tanta illius foret necessitas, a Civitatis Episcopo foret venia impetranda, non alio sive in Belgio, sive Italia commorante. Nec dissentit decretum *Isidori Part.* 1. *Jur. Canon. Dist.* 23. *c.* 3. ubi de Clericorum conversatione agit: *Secularia*, inquit, *officia negociaque abjiciant, honoris gradus, per ambitiones non subeant, pro beneficiis medicinæ Dei* (h. e. pro Sacramentis Ecclesiasticis, annotante *Glossa*) *munera non accipiant: sed doctrinæ lectionibus, psalmis, hymnis, canticis, exercitio jugiter incumbant*. Alexander Tertius in Concilio *Turonens. lib.* 3. *Decret. Greg. IX. tit.* 50. *c.* 3. statuit, ut nulli omnino post votum religionis, & post factam in aliquo loco religioso professionem ad Physicam legesve mundanas legendas permittatur exire. Si vero exierint, & ad claustrum suum intra duorum mensium spatium non redierint, *sicut excommunicati* ab omnibus evitentur. *Cap.* 9. prohibetur quoque ex *Innocentio III.* Subdiaconis, Diaconis & Sacerdotibus ea Chirurgiæ pars quæ adustionem & incisionem inducit. *Glossa* servilem tantum intelligit adustionem, sed latius nos ad quamvis actionem manualem extendimus. Denique Exorcista in *Rituali* Rom. jussu *Paul. V.* edito jubetur sibi cavere, *ne ullam medicinam infirmo vel obsesso præbeat, aut suadeat, sed hanc curam Medicis relinquat*. Ipsi & hi & illi & isti videant, quo obsequio, quaque devotione tantorum Patrum decreta excipiant.

Notamus tamen, ne pro iniquioribus rerum arbitris traducamur, aliud esse ægrorum salutem medicamentis procurare, aliud de rebus Physiologicis Commentarios scribere, quod pro ingenii modulo quivis tentet, per me licet. Quo spectat Sacerdotum Hebræorum in dignoscendis leprosi scientia, *Exod.* 13. *Luc.* 17. Deinde Medicam exercitationem concedi posse Monachis in suis Collegiis, sicut *Bucretio* hoc fuit injunctum, inprimis si in solitudine sint monasteria. Casus denique necessitatis erit attendendus in Medicorum aliorum inopia, tumque non lucri spes, non decipiendi animus est induendus. Ita Medici *Hippocratis* præcepto in *Jurei*: a sectionibus abstinent, & operationibus Chirurgicis, nisi urgente necessitate, sicut multi Imperatores sæpe & arcu uti, & jaculari & pugnare gladio hastaque sciunt & faciunt, & Reges pariter, sed non ut Rex, ut Imperator erat Alexander Macedo, aut ejus Pater Philippus, sed per alias artes, imperatoriæ atque regiæ subservientes, hæc militaria munera obibant, ut ait *Galenus l. 6. Epid. Com.* 5. §. 1.

Diversa ratio Medicos ad sacrum studium obstringit, animatque. Omnes enim verbum Dei scrutari oportet *Deuter.* 6. 6. 7. 8. 9. 31. 11. 12. *Johan.* 5. 39. *Coloss.* 3. 16. quia salvari omnes vult Deus *Matth.* 11. 28. 1. *Tim.* 2. 4. 2. *Petr.* 3. 9. cunctisque fidei rationem reddere incumbit. Ægrorum etiam causa Medicus in Theologiæ abdita penetrat, ut si res ita postulet, tam animabus quam corporibus medeatur, absenteque Theologo, non tantum affectus animi ægris leniat, sed & fide infirmos certo solamine erigat, in primis melancholicos, Maniacos, aliosque hujus commatis. Hinc neutiquam præter institutum Tyrones nostri medicinæ, examini Theologorum se subjiciunt, illisque suum in sacris profectum publice probant.

Ut fortunatus igitur sit susceptæ curationis eventus, Medicus exemplo Archiatri Jesus æternæ ægrorum salutis curam gerat accuratam. 1. Precibus ardentibus pro felici successu Deus invocandus. Medicæ precationes pro commodo ægrotantium a *Jacobo Horstio* collectæ, Helmstadii impressæ leguntur. Litanias *Bardus* addit. Cæterum junctis suspiriis Deo supplicent,

cent, *Medicus*, *æger* ipſe, de cujus corio luditur, *Sacerdotes & Eccleſiæ*. Quantum ponderis habeant Medici vota, indicat ſapiens *Syrach.* 38. 13. Ipſe æger oret, deſiſtatque a peccato *Syr.* 38. 9. Presbyteri Eccleſiæ advocentur ſi quis ægrotet, ut orent ſuper eum *Jacob.* 5. 14. Quod publice quoque ex ſuggeſtu in Eccleſiis noſtris fieri ſolet. Hinc diſcipuli Chriſti pro muliere Cananæa intercedebant, *Matth.* 15. 23.

2. Peccatorum expiationem, ut optata eveniant, conſilio Medicorum, præmittant ægri. Sublata enim cauſa, tollitur effectus; At morbus, delictorum eſt. Ita Jehovah minatur *Levit.* 26. 16. *Vos viſitabo terroribus, marcoribus & febribus, ut vultus veſter conſumatur, & corpus contabeſcat. Deut.* 28. 21. 22. *Dominus peſtilentia te perdet, Percutiet phthiſi, & febre, & calore & fervoribus, & ſiccitatibus, & Hectica, & ictero, teque perſequentur donec extirperis*. Confer loca, ſi placet, *Sam.* 24. 13. 2. *Reg.* 5. 27. 2. *Paral.* 21. 18. 19. aliaque. Ipſe Jeſus Paralytico apud piſcinam curato *Joh.* 5. 14. autor eſt, ne amplius peccet, ne deterius ipſi quid contingat. Nam qui peccat illi, qui creavit illum, incidet in manus Medici *Syrach.* 38. 14. Contra promittit Jehovah *Exod.* 15. 26. *Deuter.* 7. 15. *Si Domini Dei noſtri vocem audiverimus cum debito obſequio, rectumque fecerimus, & ad præcepta ejus vitam compoſuerimus noſtram, nullum morborum genus nobis nociturum, quibus Ægyptios divexavit, quia Dominus Deus noſter ſit, quis nos ſanat*. Hinc totus eſt Pontifex occupatus *cap.* 13. *tit.* 38. *l.* 5. De Pœn. & Remiſſ. *Decret. Greg. IX.* ut Medicis pro autoritate injungat, ne ægros ante ſuſcipiant curandos quam de vera pœnitentia & confeſſione admoneantur ſerio, ſecus facientibus Eccleſia interdicit.

3. In expiati facinoris certitudinem initio morbi ſacra Synaxi digne utatur æger, in qua ipſe divinus Archiater ad partes curandi advocatur, quem qui negligit, quomodo vel Naturam habebit propitiam, vel Medicos Dei Naturæque miniſtros fortunatos? Hinc Aſa Deo poſthabito ſolis Medicis fidens, mortuus eſt 2. *Chron.* 16. 12. In quam rem S. Pauli oraculum citamus 1. *Cor.* 11. 30. *Propterea inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi*. Chriſtianis moribus in Italia receptum eſt, ne medicus ante ægrorum ſaluti proſpiciat, quam ſacræ cœnæ communio præceſſerit. Romæ poſt tertium morbi diem id injungi firmat *Corn. a Lapide*. Unde in Concilio Wormacienſi Presbyter Euchariſtiam *ſemper* habere paratam jubetur, ut quando quis infirmatus fuerit, *ſtatim* eum communicet, ne ſine communione, moriatur, *Part.* 3. *Decret. Jur. Can. Diſt.* 2. *c.* 39. Rationem majoris auxilii reddit *Aug. Etzlerus Intr. Jatromath. Lit. C.* 3. quia verbo æterno (nempe Jeſu in nobis inſpirato) omne id figatur, quod per eccentricitatem & exorbitationem a vero centro, corpori adhoſpitatur, penetrat totum corpus, quod non fixum & p. n. eſt, abolet, totius hominis harmoniam rectificat, vitalem ſpiritum conſervat, peccatorum ſtipendium, mortem & ipſius προδρόμους morbos Chronicos tum acutos, pellit, hominemque in proſpera valetudine ad vitæ finem uſque conſervat. Quidquid ſit, nobis ſanis ægriſque Jeſus ſufficit, qui eſt reſurrectio & vita, in quem qui crediderit, quanquam moriatur, in æternum vivet *Joh.* 11. 25.

Divinam curandi methodum præſentes Scribæ & Phariſæi concoquere non potuerunt. Erant enim ſapientiæ & intelligentiæ cæcitate ſic multati, ut qui vita indigni eſſent, haberent vitam ante oculos, ne viderent, ut eleganter *Cyprianus* de *Idol. Van.* Unde neſcii in Chriſto θεανθρώπῳ habitare πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς *Coloſſ.* 2. 9. ex carnis & corporis humilitate eum æſtimantes διαλογιζόμενοι vel ἐνθυμούμενοι dicuntur ἐν ταῖς καρδίαις *Matth.* 9. 4. *Marc.* 2. 6. 8. *Luc.* 5. 21. 22. Enimvero paſſim in Sacris Oraculis Cordi, non cerebro, cogitationes tam bonæ quam malæ, & reliquæ rationalis animæ facultates ſeu δυνάμεις adſcribuntur. Nolo ſingulorum locorum calculum ponere nimis operoſum. Ex multis evolvantur *Gen.* 6. 5. 8. 21. *Deut.* 29. 4. 2. *Sam.* 15. 6. 1. *Reg.* 3. 9. 18. 12. 8. 58. 1. *Par.* 29. 17. *Pſal.* 24. 4. 50. 12. 19. 101. 2. 105. 25. *Proverb.* 23. 33. *Eſa.* 6. 10. *Jer.* 17. 9. *Thren.* 1. 1. 2. 18. 19. *Matth.* 2. 34. 35. 15. 19. *Marc.* 3. 5. 7. 6. 21. 22. *Luc.* 12. 34. *Rom.* 2. 15. o. o. *Eph.* 1. 8. 6. 5. 6. *Coloſſ.* 3. 15. 2. *Theſſal.* 3. 5. & infiniti alii.

Diſſentiunt Medici & Anatomici ad unum omnes, nec cordi primario, ſed cerebro cogitationes aſſignant. In cerebro enim ſeu capite omnia rationis ſenſuumque inſtrumenta elucent, per quæ objecta ſenſuum & cogitationis cerebro, neutiquam cordi remoto, dijudicanda afferuntur. Id quod ex utriuſque viſceris affectionibus clarius patebit. In Apoplexia læſo cerebro, obſtructiſque vel ventriculo nobili, quod utplurimum contingit, inventique *Fernelius l.* 2. *abd.* Cauſ. vel ventriculis lateralibus, quod obſervavit *Chiffletius l.* 1. *Dædalm. c.* 4. vel ipſa ſubſtantia, quod viderunt *Pavius p.* 1. *de Oſſib. cap.* 6. & *Comm. in Hipp.* de *Vuln. Cap. p.* 108.

p. 108. *Panarolus Pentec.* 1. *Obs.* 17. vel denique sinubus, quod *Nymmano c.* 15. de *Apopl.* apparuit; illæso corde alternisque motibus agitato, abolentur sensus omnes externi internique, cogitatio omnis & omnis rationis usus cessat. In sternutatione, Epilepticis convulsionibus, imaginatio, cogitatioque eo momento perit, non cordis sed cerebri vitio, ut in dissectis annotarunt *Smetius l.* 10. *Misc. p.* 578. *Ballonius l.* 1. *Ephem. p.* 69. *Choiter* in Obs. *Fernelius l.* 2. abd. *Caus. cap.* 15. *Erasius part.* 4. *disp. contr. Parac. Salmuth Cent.* 1. *Obs.* 17. *Costerus* in *Obs. Fontani p.* 13. *Riverius Cent.* 1. *Obs.* 37. *Glandorpius Spec. Chirurg. Obs.* 6. *Hildanus Obs.* 6. *Cent.* 1. *Bontius Med. Ind. Obs.* 1. ante quos *Hippocrates* l. de Morb. Sacr. Par sit judicium de depravatis cerebri actionibus in Comate vigili, Vertigine, delirio, Melancholia, Mania, stultitia & fatuitate, in quibus cerebrum laborare certa Anatomicorum dissectio docuit. Hinc in affectionibus hujusmodi cerebro, non cordi remedia interna exhibentur, externa applicantur. Imo bruta ratione carentia, eandem nobiscum cordis habent fabricam, capitis cerebrique diversam. Monstra humano corpore sed capite moribusque ferinis, qualia *Weinrichius* de *Monstr. c.* 41. *Licetus l.* 2. de *Monstr. c.* 58. aliique descripserunt, ex censu hominum excludenda, ideoque majori jure nata occiduntur, quam alia apud veteres, quæ exposita, in Insulas deportata expiataque flammis ferro, unda, variorum fide accepimus. Magnum huc momentum confert cor læsum salva intellectus ratione. Exulceratur sæpe sana imaginatione, & contabescit in Hectica, febribusque malignis. Observavimus in Dysenteria Epidemica nuper grassante, flaccido corde, pulsibus intermittentibus, prostratis omnino viribus, ad extremum effugientis animæ halitum cerebri functiones omnes viguisse. Ruit ex hac suppositione mole sua *Helmontii* Paradoxum tr. de Sed Anim. qui cogitationum sedem ortumque vitia virtutesque stomacho condonat autoritate Christi: *Quæ cogitationes adscenderunt ad cor vestrum*, non descenderunt ad cor, vel surgunt a corde vestro. Misere deceptus textui affinxit, quod nusquam nec scriptum nec pictum, stomachum, impuram animæ illius sedem in *Anatome* nostra *Reformata* sine stomacho impugnavimus. Quod vero cordis in habilitatem a perpetuo motu metiatur, quasi cogitatio omnis in quiete reponatur, aliis relinquo. Capitis, ubi principes animæ functiones tanquam in editissima arce munitis sedibus includuntur, ne erremus, non semel inter principes corporis partes mentionem facit Codex Sacer. In Protevangelio *Gen.* 3. 15. semen mulieris *conteret caput* serpentis, h. e. potestatem omnem, omnem astutiam ex capite prognatam, qua commate primo commendabatur, eludet. 2. *Sam.* 3. 8. Isbosetho responsurus Abner, negat se *caninum esse caput*, h. e. stolidum sine cerebro aut prudentia 2. *Reg.* 12. 17. Hasel *faciem præparabat* ut bellum Hierosolymitanis inferret. H. e. Serio apud animum conclusit. *Gloss. Dan.* tog sig afvortigen for. Animi passiones capiti imputantur, spes & lætitia *Luc.* 21. 28. Mœror & tristitia *Thren.* 3. 5. *Circumdedit caput felle & labore. Cantic.* 5. 2. Sponsus Christus sponsam alloquuturus: *Caput meum plenum est rore*, h. e. anxietate & dolorum multitudine. Hinc summæ devotionis signo in maximo luctu caput pulvere adspergebant 2. *Sam.* 1. 2. *Job.* 2. 12. *Judith.* 4. 12. radebant *Job.* 1. 20. *Esa.* 15. 2. *Mich.* 1. 16. detegebant *Levit.* 10. 6. Nimium autem quam Scripturæ familiare, dignitatem omnem & summam potestatem capitis nomenclatura signare, quod ratione & prudentia vel acquiratur vel conservetur. *Eph.* 1. 22. Christum dedit κεφαλὴν, non cor super omnia, Ecclesiæ, quæ illius corpus dicitur *Coloss.* 1. 24. 1. *Corinth.* 11. 3. *omnis Viri* κεφαλὴ *Christus est: caput mulieris Vir: caput Christi, Deus.* Nolo veterum testimonia congerere vocis ראש, quæ *Ducem*, *Principem*, *Principium* cujusque rei & *verticem* denotat, imo totum hominem. Ipsam si in consilium adhibeamus creationem, cujus, judice *L. Danæo Phys. Christ. c.* 3. certior ex S. S. quam particularis Physicæ cognitio; negotium pro Medicis confectum erit, non cordi primum infusam rationalem animam functionum harum autorem, sed capiti, *Genes.* 2. 7. *Et inspiraverat in nares ejus spiraculum vitarum, & factus est homo in animam viventem.* Ab hoc halitu, in nasum inspirato, vita hominis describitur *Job.* 27. 3. *Esai.* 2. 22. *Thren.* 4. 20. באפין in *faciem* vel *nares*, utrumque enim notat אף, irasque & furores in facie emicantes. Vide *Pagninum & Mercerum*. *Aslachus* noster *Phys. Christ. p.* 327. narium præcipuam fieri mentionem suspicatur, quod anima, dum in corpore versatur, potissimum externe in naribus deprehendatur. Forsan per patula narium foramina ad cerebrum primo inducta fuit anima, vel certe anima rationalis ad cerebrum, vitalis ad cor delata, si, me repugnante, animarum distinctionem urgeas. Odoribus aerique per nares ejusque Os cribriforme & processus mamillares ad cerebrum tam patet aditus, quam ad pulmones & cor

per

per asperam arteriam. Illis indiget & animalis in cerebro spiritus, unde quibus exhaustus, valide cito & dense inspirant *Gal.* 1. *de diff.* Resp. Erasistrato si credimus, aere nutritur, quod experientia comprobat *Galenus* de *Util.* Resp. huc non advocanda. Sciendi cupidos ad elegantem *J. Olhasij* de *Mor. Cereb.* remitto disputationem. Faciem si eligamus, vis animi omnis hic tanquam in speculo elucet, capitique & intus recondito cerebro obtenditur, per oculos, nares, auresque propria animæ interioris officia exsequitur, ut qualis illius sit conditio, inspecta facie, visis oculis, facile divines.

Quanquam igitur alibi cogitationes assignent cordi Divinæ paginæ, loqui tamen ex vulgi opinione, vix dubitamus, quod cordi tantum tribuit, quia conspectior illius & nunquam intermissus sit motus. Cor enim cogitationum causa est remota, qua arteriosum sanguinem per Carotides Cervicalesque arterias cerebro spiritibusque animalibus distribuit: affectionum animi sedes, quia pro illarum diversitate varie alteratur a sanguine seu ebulliente, seu torpente. Objectorum quippe omnium species per oculos, aures, &c. cerebro afferuntur, a Sensu communi & Phantasia apprehenduntur & discernuntur, proque singularum qualitate tum judicantur. Interea per sanguinem ex sinubus cerebri ad cor per Jugulares venas recurrentem & in cerebro specierum pleno alteratum, vel per nervum sextæ conjugationis cor afficitur & inconsensum passionum trahitur, unde palpitatio motusque vel celer in excandescentia, vel tardus in timore. Taceo varias esse τῶ לבב & τῆς καρδίας in sacris notiones, nam modo pro cujusque rei interiori loco, modo pro homine eoque per regenerationem depurato, modo pro affectu sincero usurpatur; imo in plerisque locis adversa nobis fronte oppositis, observavi cogitationem quidem cordi consignatam, sed cum affectu conjunctam, sive amore, mœrore, ira vel odio, quemadmodum ex odiosa Pharisæorum cogitatione, hujus Dissertationis occasione est manifestum.

Nihil motus sinistra æstimantium censura καρδιογνώστος Jesus, præmissa Methodi suæ Apologia, ad curandum Paralyticum animo jam sanum, unico verbo digreditur: σοὶ λέγω ἔγειραι. Non affirmativa ista dictio, qualis *Matth.* 18. 19. Sed imperativa cum potestate, ejus qui verbo solo omnia creat servatque, cujusque proprium est sic imperare, sicut *Marc.* 4. 39. *Johan.* 5. 89. *Sibillæ* de eo exstat oraculum:

Πάντα λόγῳ πράττων πᾶσάν τε νόσον θεραπεύων.

Neque utique mirum, ut verba *Lactantii* mutuer *l.* 4. *de Ver. Sap. c.* 15. quod verbo faciebat mirabilia, cum ipse esset Dei verbum, cœlesti virtute ac potestate subnixum. Nominis ejusdem vi & autoritate Apostoli portentose ægris sanitatem e postliminio revocarunt *Actor.* 14. 9. 9. 34. tantamque virtutem ad posteros transmiserunt imperantis verba, ut *Longa* Paralytica uxor Longi Consiliarii Regii Neapolitani 1508. in Templo B. Virginis Lauretano, illico sanata sit, quum Sacerdos ad hunc Evangelii locum venisset: *Tibi dico*, *surge*, si fides penes *Tursellinum l.* 2. *hist. Lauret. c.* 10. Ibidemque eodem autore *l.* 4. *c.* 26. *Christina* Ducis Lotharingiæ conjunx, & filia Regis Daniæ, voto suscepto cum sanitate rediit in gratiam. At jure meritissimo malefica illa Brugensis, quæ omnes morbos solo verbo procuravit, si sibi crederetur, nulla Christi mentione, Diabolica judicata est, apud *Jo. Damhouderum Prax. Rer. Crim. c.* 37. §. 21.

Ad morborum exilium vel levamen humana verba naturali virtute an quidquam conferant, agitata sæpius quam soluta felicius controversia. Nunquam mordicus negarem, quia. 1. Varia verborum prolatione, aer alteratur tam ille qui per vasorum oscula in cutem desinentia per transpirationem ingreditur, quam in aures, nares, pulmonesque delatus. 2. Vocibus diversus efferentium status seu calidus, seu frigidus vim imprimit diversam, quam asperæ arteriæ reliquorumque vocalium instrumentorum dispar constitutio vel acuit vel gravat. 3. Calido oris hiatu in aures immisso Epileptici paroxysmi difflantur, & clamore, in primis si vox certis numeris adstringatur. Ter in aurem insusurrando sæpius *Riolanus* est expertus. De Epilepsia autem ex flatibus orta succedere experimentum cum successu in puella observavit *Walæus*. In aliis irritum deprehendi. 4. Insusurratis quibusdam verbis sordiculæ oculorum & hordeola eruuntur, tradente *Marcello* Empirico. Certe in depositione Cataractæ Chirurgi halitum suum oculis inspirant fœniculo aliisque temperatum. Quod vero addit *Marcellus* necari quoque lumbricos, fidem meam superat, nisi de flatu per fistulam ano immissam interpretemur. 5. Voces ad sanitatem conferentes, vel simplices sunt, de quibus jam dictum ante, vel incertos ordines connexæ. Hæ vel Symphonicæ & suaves, vel cum terrore conjunctæ. In certos rythmos carmina com-

composita apud veteres cœlo lunam deduxerunt, in Islandia adhuc usitata. De his in Paralytico primo egimus, ubi & Musices concentum laudavimus. Vocibus terror additus, corpora non leviter de statu suo deturbat. Ita filii Israel a Moyse deprecabantur, ne illis loqueretur *Jehovah*, ne forte morerentur, *Exod.* 20. 19. Petrus *Actor.* 5. 5. 10. Ananiam acrius increpans cum uxore ad necem compulit. *Nicephorus l.* 4. memoriæ prodidit, fuisse quædam vocabula Eberina, quæ ad terrorem proponi solerent eorum qui initiabantur. Viso Scorpione, si quis *Bud* dicat, ictus cohiberi quidam affirmant. Cæterum notandum monemus 1. hujusmodi voces, nisi a flatibus vel levi causa dependeant, nullo morborum generi profuisse. 2. Ad decipiendum vulgus addi subinde manuum operationibus vel superstitiosis ritibus verba ex se ponderis nullius. Ita *Catonem* ludicris non assuetum, luxata membra accepimus reposuisse, saltatoriis verbis prolatis: *Danata*, *Daries*, *Dardaries*, *Astararies*. 3. Voces rythmicas & symphonicas per accidens multis extitisse salutares, vel turbatos animi motus sedando, ut in Saulis Melancholia, quibus compositis facilius omnia ex voto fluunt, vel ad corporis exercitationem incitando, unde sudore oborto noxiæ humiditates excluduntur, quod in Tarantulæ morsu credimus. 4. Alexipharmaca aliaque morbis opposita medicamenta utramque fecisse paginam, & validam ægrorum imaginationem.

Verum enimvero Archiater Jesus solo verbo imperii sine minis, tactu, aut rythmico concentu, sine medela ulla, antiquatos morbos & pertinaces portentose curavit, integre nulla mora interposita restitutis viribus. Accepto enim divino mandato Paralyticus membris omnibus captus, recepta repente, incolumitate, humerisque roboratis, lectum morbi testem & fautorem ipsius sine difficultate reportavit. Lectus hic pauperculi erat & ab uno mole exiguus potuit gestari. Κλίνη dicitur & κράββατος, quamvis illa cum arca sepulcrali seu sandapila plebejorum pari passu ambulet, ut ex *Phlegone*, *Philodemo* aliisque annotavit Clar. *Salmasius* ad *Solin.* *p.* 1207. Figuramque *Hyginus* depingit. Κράββατος autem tenuioris fortunæ erat lectus, unde *cratem ligneam* hoc loco vocat *Maximus in Orat. de Adv. Chr. Cicero l.* 2. *de Div.* Deos circumcursare non modo lectos, verum & grabatos monet, h. e. divitibus juxta ac pauperibus adesse *Martial. l.* 6. *Ep.* 39. de liberis Cinnæ in servorum lectis humilibus & luparum lectis prognatis, quos suos credidit:

> *Sed in grabatis, tegetibusque concepti*
> *Materna produnt capitibus suis furta.*

Frustra igitur *Estius Comm. in Evangel.* grabbatum distinguit a lecto, quod ille sit fulcrum lecti. Autore idoneo caret, & versiones omnes adversas sibi habet, quæ lectum & grabbatum, sequutæ Sacros Historicos, eadem voce exprimunt. Σκιμπόδιον de eodem grabbato ægrotorum cepere *Gellius l.* 19. *Noct. Att. Hesychius*, *Galenus*, qui *l.* 10. *Meth. Med.* ad balneum Hecticos ἐπὶ τοῦ σκίμποδος portari voluit. Unde nimio Zelo ardens Spiridon Episcopus Trimithuntis in Cypro Triphyllium reprehendens, quod in Sacra concione scimpoda vice grabati reposuerit, teste *Sozomeno l.* 1. *hist. Eccl.* Atticæ linguæ ignarum se prodidit, quippe ex *Phrynichio* σκίμποδις. Atticis dicitur quod communiter κράββατος. Grabatos Paralyticorum ante oculos nobis posuit *Bosius* ex Roma subterranea *lib.* 2. *Rom. subt. c.* 8. *p.* 101. *l.* 3. *c.* 4. 23. *p.* 159. 233. Paralytici injectos humeris, ut levissimi operis fuisse appareat. Tria genera ex illo agnoscimus, pro numero Paralyticorum, quorum ex pedibus differentia. Humilitate omnia commendantur, ægrisque adscensuris percommoda. In primo fulcrum capiti apponitur, pedibus ægri in secundo. Uterque vero lectus altioribus pedibus caput elevat, humilioribus inferiorem corporis partem sensim demittit. Tertius sine pedibus, humi sterni aptus, sex baculis supra ornatus, ad commodam gestationem, quibus & per tectum sive funiculis alligatis, sive opera manuum demitti potuit. Huic paupercula culcitra instrata vel linteum ægro corpore tegendo usitatum. Commodus Paralytico egeno hic lectus, qui ex loco in alium a quatuor transferri posset, & a se solo sanitati restituto. Tales ægrotis Medici veteres conficiebant. *Celsus* enim *lib.* 2. *cap.* 15. plura gestationis genera adhibet, quæ sint & pro *viribus* cujusque & pro *opibus*, ne aut imbecillum hominem nimis digerant, aut humili obsint. Ibidem lectos ægrotantium quoque distinguit, ut alii sint lecticæ seu immobiles, alii suspendantur & moveantur, aliis uno pede lecti funiculus subjiciatur, & huc illuc manu impellatur. Ad institutum magis *Oribasius l.* 9. *Collect. Med. c.* 14. varia strata recenset, pedibus humilibus, vel sublimibus, vel mediocribus, mobilium, parvorum, magnorum, profundorum, &c. Parva damnat quidem ob molestiam, & pedes humiles, quia caput repletur, sed si *locus ex loco* commutandus, laudat, imo *pauperi* non negligenda.

Nos

Nos cum Paralyticis composito hinc lecto & collectis vasis discessuri, ne operosa cura circa resolutos diutius occupati, corporis animique torpore stupeamus, Archiatrum Jesum supplices oramus, ut sarcina delictorum expeditos; & molestis ægritudinum lectulis liberatos, excipiat tandem vera sanitas cum securitate, securitas in æternitate.

ANNOTATIONES AD HISTORIAM PARALYTICI PRIMI.

NUnquam Divinæ majestati injurius esse volui. Impietas hæc male cederet, & nomine Christiani indignus forem. Quod ut ex æquo mihi vindicarem, malui semper Divina opera extollere quam impie elevare, nunquam satis deprædicanda. Cavendum autem & mihi & cuivis Christiano, ne pro divinis operibus, miraculisque habeamus quæ certa naturæ lege Deus adstrinxit. Miracula enim Dei & Naturæ accurate discernenda, ne vel Deus vilescat, vel Natura cum Deo paria dicatur fecisse. Hæc Dei vim præsupponit; at ille sine hac libere & extra ordinem communem operatur. Utrumque in Historia Paralytici Primi justa devotione expendimus. Piscina Probatica aquis medicatis morbos expiavit vi divinitus immissa per Naturam. Jesus vero, quod Natura non potuit, sine mediis hujusmodi, Paralyticum portentose verbulo solo percuravit. Ne igitur vel in Deum impius, vel in Naturam injurius viderer, utrique contribui sua, piscinæ curandi vires, Deo omnia.

Sunt tamen qui Piscinæ huic Probaticæ naturalem curandi morbos virtutem invideant, & hic & ibi miracula urgentes, contra quos breviter disputabo, melius sentientium Judicio libenter me submissurus.

Thermarum nonnullarum Naturam si ad nostram piscinam expendamus, eandem vim utrobique deprehendemus. I. Κατὰ καιρὸν movebatur piscina, & statas curandi fluendique vices servabat, aliarum aquarum medicatarum more. In Palæstina flumen describit *Josephus lib. 7. Bell. Jud. cap.* 24. septimo quoque die exinanitum, sex reliquis diebus semper aquis oppletum. De quo *Plinius l.* 31. *c.* 2. *In Judæa rivus Sabbathis omnibus siccatur*. In radicibus montis Sion fons est *Nehem.* 3. jugibus aquis non effluens, sed horis certis & diebus quibusdam ebulliens. Hunc quidam, teste *Boccacio*, ex piscina probatica fluere voluerunt, sed male, quia Sion a porta pecuaria distat, de quo situ videndus *Adrichomius*. Extra Palæstinam insolentes non sunt hujus notæ fontes. In monte Siciliæ tribus milliaribus fere a mari distante, fons est *temporum*, qui fluit temporibus orationi assignatis, aliis temporibus arescit, ex *Geographia Nubiensi p.* 173. Fons Ungariæ in Comitatu Zaros crescente Luna augeri fertur, & deficiente minui, & interlunio prorsus deficere. Imitatur & Lunam fons Connachiæ in Hibernia, bisque die naturali deficit, bisque exundat, narrante *Ortelio*. Citius nascitur deficitque Lertius Galliæ apud *Pap. Massonum* in *descr. Franc.* per *flum. p.* 572. qui septem annos aquis stagnat, septem alios siccus est, referente *Sincero Itin. Gall.* Ordinarias vero crescendi horas in Thermis anni tempora distinguunt. Utplurimum calidioribus æstatis mensibus crescunt & efficacius operantur, hyeme arescunt & auxilia morborum segnius conferunt. In urbe Hierosolymitana fontem fuisse *Philo* asserit maximum, qui tempore hyemis deficiebat, æstate vero copiosissime defluebat. Quod ex Philone refert *Eusebius l.* 9. *Præpar. Evang. cap.* 4. Aliis id vulgatum. *Plinius l.* 31. *c.* 4. In Sicilia circa Messanum & Mylas hyeme in totum inarescunt fontes: æstate exundant, amnemque faciunt. Vidit ibidem quoque *Fazellus Dec.* 1. *l.* 8. *c.* 8. in puteo ædi D. Mariæ propinquo. *Leander* de fonte Sardiniæ, scaturigine ingenti fluente, narrat, cum dies longiores sunt, largius fluere, exsiccari brevioribus. In Alpestri Rhetia fontem esse calidarum, qui deficit mense Octobri, redit mense Majo, *Georg. Wernherus* autor est, de Adm. Hung. aquis. Nolo plura testimonia congerere in re confessa, quamquam enim hybernis mensibus aquarum in thermis copia redundet, inutiles tamen esse, nec valetudini salutares constans probat experientia. Hinc si Κατὰ καιρὸν de commodo festorum tempore in æstate celebratorum Paschatos, & Pentecostes, interpretemur, sive da quavis opportunitate collective; res pro naturali piscinæ virtute erit confecta, calidioribus mensibus, neutiquam frigidioribus commendata. Miraculi si fidem mereretur, quovis tempore, sine cœli varietate, mortalibus ægris profuisset.

II. Piscina Probatica, ut usui apta redderetur, movenda prius erat & turbanda. Quid hic ταράσσειν signet, in Historia dictum. Turbabatur vero sive stratis vicibus increscens, sive subterraneo calore vel concluso aere vi erumpente commota ebulliensque, & luti virtutes per omnem aquæ superficiem distribuens. Moven-

ventur enim thermales lymphæ aliæque, vel ex se, vel a causa externa. Ex se vi a natura indita, seu calore & sulphure nitroque vel subterraneo igne effervescentes, quod in plerisque medicatis aquis cernimus. Ab externis quoque cientur fluctus, sive aere calido æstatis mensibus, sive a ventis aliisque commoto, quibus interna aquarum vis suscitatur. Aer ille per motum terræ ex profundis sæpe erumpit, quomodo motum hunc piscinæ probaticæ explicat *Grotius*. De cæteris lector judicet eruditus, eligatque quod visum fuerit. Enimvero ab aere vario modo aquarum undæ passim turbantur. Apud *Solinum cap.* 11. in Halesina regione fons, si insonent tibiæ, exsultabundus elevatur ad cantus. In Basilica, Regni Neapolitani Provincia, fontem salsum describit *Fulgosus l.* 1. *c.* 6. ad quem si accedas aliquid locutus, turbatur alioquin clarus. De Lacu Pilati haud procul Lucerna ferunt quæ in eum injiciuntur maximas ciere tempestates, quod de Schuphagiolo lacu Apennini refert quoque *Bocaccius*, similia de Canati montis Hispaniæ lacu, lacu Averniæ, Leviniæ aliisque fama autorum sparsit. De ventorum flatibus tam est nota cunctis res, quam olim Martis lucus. Unde *Maldonatus* audiendus non est, ut ante monuimus, qui ex motu turbido piscinæ nostræ miraculosam curationem finxit. Jordanis aquas turbidas narrat *Radzivilius in Itin. Hierosl.* sed valde tamen salubres. Fons prope Conimbricam Hispaniæ, arenosus est & turbidus, nec ideo tamen noxius. Incolæ vocant *Fervencas*, quod ferveat perenni aquarum & arenarum ebullitione, teste *Vasconcellio Descr. Lusit. p.* 403. Fieri nunquam potest, quin perpetuo lavantium haurientiumque concursu thermales aquæ turbentur. Imo, quod ille ad portentosam curationem requirit, nos ad naturalem necessarium judicamus. Nihil quiete proficiunt, nisi ut vis aquarum in fundo residens torpescat. Moveri debuere, ut fundi odore, sapore, crassitie, superiora quoque imbuerentur. Hinc *Fallopius cap.* 2. inter aquarum thermalium notas consistentiam numerat crassam & ponderosam. Ex Antyllo tamen nobis obverteres, in balneis agitatam aquam magis mordicare, majoremque fieri ingredientis horrorem, imo ex commota aqua elevari vapores violentos, capiti inimicos: sed de sulphureis autor vera dixit, quas per canales inductas parum refrigerari & nonnihil subsidere sinunt Balneatores Aponenses, ob metum adustionis, caput autem infirmi muniunt, quod in quovis balneo expedit, nisi commoda vaporum calidorum evaporatione capitis nervorumque affectus emendandi, inprimis frigidi, Paralyseos ut plurimum autores. Alias acriores exhalationes in piscina probatica, cœli solique benignitate, non admittimus. *Savanarola* balneum in agro Pisano, *bagno Alacquo*, graves ait inferre potoribus noxas, huncque effectum incolas prævidere; nam cum aquam mense Martio, Aprili, aut Majo, luteo tingi colore, turbidamque fieri cernunt, perniciosam fore præsagiunt. Cæterum alia aquarum ratio quæ in potum veniunt, alia balneorum. Piscinam Probaticam Paralyticus καταβὰς ingressus dicitur, ut resoluta membra mergeret, grataque salubritate ablueret. Ad hæc balnea Pisana noxiam contraxerunt, non quia turbata, sed quia admixta fuerit venenata qualitas, seu ab astris seu vaporibus subterraneis, vel quia in illa valle amœna satis maxima pluvialium aquarum copia colligitur, præcipue quando Aprilis Majusque mensis est pluviosus, & pluvia est Austrina, non Borealis, quæ *Fallopii cap.* 11. est conjectura, inde enim aqua copiose in valle collecta, intercluso exitu agitata a Sole, putrescit. Ergo propter admixtionem alienæ substantiæ turbata aqua balnei Pisani, nocumentum attulit, secus si turbetur cum luto proprio vel agitetur, ex quo tantum abest pernicies inducatur, ut plane evadat medicata.

Si vero naturali internoque seu externo principio piscina Probatica mota & turbata fuit, cur Angelus dicitur descendisse *Johan.* 5. 4. Princeps hoc fere est argumentum, quo miraculum piscinæ adstruunt Theologi, in vero Angelo, incorporea illa substantia, uno fere ore consentientes. Unde tot quæstiones spinosæ ortæ, an Raphael, vel alius hujus notæ, an assumto corpore descenderit ab adstantibus videndus, an invisibilis, quod *Maldonato* placuit, quum Evangelista non dicat, ægrotos exspectasse Angelum, sed motum aquæ. Quod si quærat quispiam, quomodo sciri potuerit Angelum esse, qui movebat aquam, respondent ex communi traditione id conjectura assequutos, quia quicquid præter naturam fiebat, per Angelum fieri credebatur. Non tantis opus est ambagibus. Sine difficultate magna rem expediemus. Ἄγγελος causam moventem aquarum notat, sive vim a Deo naturæ insitam, sive externam internamve ventorum commotionem. Καταβαίνειν exposuit *Suidas* pro venire. Καταβαίνειν, τὸ εἰς ἀγῶνα χωρεῖν: in certamen descendere, reciprocoque usu apud eundem ἐμβαίνειν & καταβαίνειν ambulant, sic ירד descendere non semper de loco, sed dignitate, mansione, &c. cepere Hebræi teste *Maimoni-*

de.

de. Angeli nullam in Paraphrasi sua mentionem facit *Nonnius*, nec optimi Codices apud Joannem vocem Κυρίε addunt, quam nullo jure omisissent, si de incorporeis Dei ministris accepissent. Virtus ipsa Dei, teste *R. Mose*, ipseque Deus nomine τȣ̃ Α'γγέλȣ venit, ut ex *Ecclesiaste cap.* 5. 5. liquet, probatque *Heinsius Arist. sacr.* Quo modo in Paralytico nostro versatur *Bardus* in *Med. Cath.* qui credit aquam piscinæ thermalem divinitus motam fuisse, sicut silex percussus scintillas emittit, atque ita auctam piscinæ facultatem. Ipse autem Deus ejusque divina virtus immediate sæpe dicitur effectus produxisse, quos per causas naturales mediata virtute credimus emersisse. Hinc recte *Pererius: In generali Dei actione, etiam effectiones, operationesque causarum secundarum Deo autori tribuuntur in S. S. ut ostendatur principaliter a Deo proficisci*. Ita generatio hominis in Scriptura Deo tribuitur, quanquam subordinatis causis ille utatur. Et *Rom.* 1. 20. Res naturales ex quibus Deus innotescit, appellantur ποιήματα Θεȣ̃. Apud *Esaiam* quod dicitur: *Ego faciens bonum & creans malum*, exponit *Basilius*, quod Deus ordinet per causas secundas. 2. *Reg.* 12. 15. Dominus percussit parvulum quem pepererat uxor Uriæ, dubio procul per causas morborum mediatas, spiritibus sanguineque accensis, unde febris acuta, quæ per crisin septima die ad mortem terminabatur *v.* 18. In universum autem de quovis ministro & naturali medio vox τȣ̃ Α'γγέλȣ usurpatur, quo Deus voluntatem exsequitur. Minister verbi Domini *Apocal.* 2. 1. ἄγγελος ἐφεσίνης ἐκκλησίης. Sicut ἄγγελοι Joannis nuntii vocantur *Luc.* 7. 24. & sensu מלאך vel לאך quod Angelus constanter transtulit *Vulgatus*, passim in usu *Genes.* 32. 3. 1. *Sam.* 1. 4. 9. 23. 27. 2. *Sam.* 11. 25. 1. *Reg.* 20. 9. 22. 3. 2. *Paral.* 36. 15. *Jud.* 6. 35. *Job.* 14. *Nahum.* 2. 3. Ne de aliis rebus creatis inanimis dubites, produco textum *Psalm.* 104. *v.* 4. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem*, huic loco & instituto commodum. De vento intelligendus, neutiquam substantia incorporea, quod ex tota orationis serie conficiemus. Id enim in hymno agit David, ut ex rebus naturalibus Deo ministrantibus, nos ad Dei cultum excitemur, orditurque ordine a cœlo, ab aquis supra cœlestibus, tum ventis in aere, quibus ut aliis ambulat Deus, quos ventos statim *v. seq.* 4. per Angelos explicat. Hæc *Calvini* in Commento quoque est sententia. Ita de igne habendum, qui sequitur. Nec video quomodo Angelis veris locus assignari possit inter aerem & terram. De malis *Paulus*, versari in aere, nusquam de bonis. Unde laborant inerpretes, ut nodum solvant, quo Angeli ventis nectuntur. *Augustinus* h. l. & *Gregorius hom.* 34. super *Evang.* Angelos fieri nuncios commentatur, ad homines instruendos, eosque celerrimos. *Theodoretus* vero h. l. *Hieronymus*, *Thomas* in *C.* 1. *Hebr.* Angelos ministros Dei habere velocitatem Spirituum, hoc est, ventorum, & efficaciam ignis. Sed sanus non sim, si ex toto contextu veri Angeli mentionem exculpserint. *Bellarminus* quidem ad h. l. in utroque textu & Hebræo & Græco articulum ad nomina Angelos, & ministros addi monet, non autem ad nomina spiritus & ignem, ut inferat τὸ Angelum de persona explicandum, esseque subjectum ob articulum, ventum vero prædicatum, quia articulo caret, adeoque Angelo uti Deum pro vento, non vento pro Angelo. Cæterum non semper præcedit subjectum. Subjungitur *Joh.* 1. Θεὸς ἦν ὁ λόγος, & *Joh.* 4. 24. πνεῦμα ὁ Θεός. Potest igitur & hic ventus subjecti vicem gerere, quanquam posteriori locatus loco. Scio addi articulum, si postponatur, sed & prædicato præposito affigitur, ut 2. *Cor.* 3. *v.* 17. ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμα ἐστιν, & 1. *Corinth.* 10. 4. ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ χριστός. Hic ante πνεύματα nullus. Adhæc sit Angelus subjectum, non in propria sumendus notione, sed generali, pro quocunque nuncio Dei & ministro, inter quos ventus numeratur. Id patet quia contextus Davidicus de corporalibus mundanis loquitur ministris, elementorum regioni immixtis. Præterea articulus Hebræus semper additur in מלאך quanquam nuntii sint communes, ut supra citata loca docent. Nec ab usu profano abhorret vox Α'γγέλȣ in communi significatione. Vocatur enim Mercurius Α'γγελος Θεῶν, ob subtilitatem & celeritatem. Imo, quod scopum propius ferit, Iris, rorida nubes, aerisque soboles *Nonnio* ἄγγελος est ȣ̓ρανιώνον, & *Homero*. Ab ἔρω nuncio ex Chaldæorum עיר, unde *Hellenistis* apud *Danielem* Ir Angelus, quod *Hesychio* est λαῖλαψ, quia Iridem plerumque turbo sequitur, judice *Heinsio cap.* 1. *Aristarch. Sacr.* Quid igitur periculi, si turbines, si ventos apud Psaltem pro Angelis interpretemur? Dubium restat ex *Hebr.* 1. 7. ubi eadem Psalmi verba repetuntur, sed ad veros Angelos applicata, quemadmodum ex commate ultimo elicitur. Verum enimvero Apostoli consilium non fuit, exponere quid eo loco Psaltes voluerit, quum aperte naturalium classem seriemque pertexat, sed facili licentia ad analogiam transtulit inter obsequium, quod

palam & sensibili modo venti Deo præstant, & quod ipse ab Angelis recipit. Summa est, inquit *Calvinus* in h. l. sicut Deus ventis utitur tanquam nuntiis, huc illuc convertit, sedat & excitat quoties visum est, ut eorum ministerio declaret suam potentiam, sic Angelos esse creatos ut Dei jussa exsequantur. Non igitur allegorice David loquitur, ut Græci & Latini Interpretes putant, sed Apostolus. Novum non est per allegoriam ad spiritualia in N. Test. trahi, quæ simpliciter & naturaliter in V. Test. pronunciantur, ut patet *Rom.* 10. 18. *Matth.* 2. 15. 1. *Cor.* 10. *Galat.* 4. 23. 24. *Ephes.* 5. 31. 32. de quibus Allegoriis innatis, illatisque consulendus *Glassius l.* 2. *p.* 1. *tr.* 2. *s.* 3. *art.* 2. Ex turbatis funditusque commotis piscinæ aquis, aliud ad naturalem curandi vim emergit ex textu Joannis argumentum.

Commotis aquis ὁ πρῶτος ἐμβὰς, qui primus intraret, curabatur. Anxia cura inquirunt *Interpretes*, qui factum sit, ut unus tantum, isque primus post motionem sit sanatus. Omnes fere ad miraculum confugiunt, ut se expediant, quia si naturale fuisset, semper omnesque sanasset, sicut semper & omnis ignis calefacit, Sol illuminat. Sed nimis debili fundamento miraculum innititur. Res naturales semper eundem effectum producunt, nisi impediantur vel mediorum vel subjectorum vitio. Nec sol hyeme calet, aut thermales aquæ efficaces, nec fructus floresque frigus generat, aut ad generationem sobolis senex sufficit. Quin liberalior justo illatio, omnibusque remediorum generibus non parum iniqua, quæ nec semper nec omnibus sanitatem præstant. Nobis, ut ex hoc loco non miraculum, sed consuetus naturæ cursus evincatur, levis erit labor. Ὁ πρῶτος non tam de ordine loquitur, quam tempore, ut mens autoris sit, simul ac post motum aquarum quis intrarit, aquarum salutarium vim expertum esse. Ita Græci Medici τὴν πρώτην urgent in elleboro exhibendo & vomitibus, in morbis, h. e. subito faciendis non exspectata concoctione, sed primo morbi tempore. *Hipp.* 4. *Aph.* 10. Medicari in valde acutis, si materia turgeat, eodem die. *Galenus* simili consilio eodem die dat veratrum in calcis fractura. Quod in hydrope aliisque idem *Cous*, *Oribasius* &c. persuadent. Huic contrarium, τὸ ὕστερον, de tempore posteriore adhibet *Jud.* v. 5. Apud profanos πρῶτος de tempore, inprimis *Homerum* Odyss. ult. de Achille, cui primum contigit Trojæ sub mœnibus altis occumbere, ubi *Eustathius*: πρῶτα ἤγουν πρὸ καιροῦ. Adverbia hæc urgentibus, nomina pro Adverbiis in Scriptura usitata ex *Psalm.* 75. 3. *Esa.* 41. 1. *Thren.* 1. 9. *Marc.* 8. 32. reponam. Quod si πρῶτος nativa nominis significatione servandus in ordine, collectivum crederem singularis pro plurali per Enallagen, similium locorum autoritate fretus, *Jes.* 33. 7. 2. *Sam.* 19. 41. *Johan.* 8. *Ephes.* 6. *Apocal.* 21. 21. Ratio suadet, quia. 1. plures ad piscinam confluxerunt. 2. Miraculi major esset fides, si ad plures commodum spectaret, & sane miracula numerum amant. 3. Impotentiam portentosæ aquæ proderet, uni profuisse. 4. Si mysticum sensum cum Patribus hinc eruamus, *Augustino*, *Ruperto*, *Beda*, aquæ perturbatio Domini passionem notavit, quam ad omnes fluxisse indubie credimus. 5. Si plures portæ ad piscinam patulæ fuere, ut suspicatur *Adrichomius*, omnino eodem tempore plures esse potuerunt primi. Si unam portam concedas, eamque angustam, jam secundum naturæ captum nisi unus intrare poterat nemo, unde subsidebat aqua, antequam sequuturis porta pateret. Quidquid sit, pressis sacri historici vestigiis insistentes, τὸν πρῶτον accipimus & de ordine & tempore, idque in singulo numero, unumque primum concedimus. Vel enim primus ingrediens, aquam turbatam ita contaminavit ægro corpore, ut sequentibus ex usu esse nequiverit, quemadmodum apud nos fama sparsit, fontem medicatum S. Helenæ tertium ideo exaruisse, quod quidam Venerea lue infectus illi se immerserit. Non Aponi, aliisque thermarum locis frequentatis, aquas lautior quis intrat, nisi post alterius egressum recens ex canalibus derivetur aqua. Quod inprimis cavendum monet *Jasolinus* Reg. 15. Sunt fontes nonnulli sordibus minus amici. Teste *Seneca lib.* 3. *Quæst. Nat. c.* 26. *Boccacio*, in Chersoneso Rhodiorum fons post certa intervalla ex imo fundo concitatur & perturbatur, sordidaque quævis injecta rejicit, nec quiescit quam puritati suæ restituatur. *Georg. Wernherus* de *Adm. Hung.* aq. fontem describit in Helvetia mirabilem in monte Engstle in regione Argaw, de quo experimento cognitum asserit, quod sit impatiens sordium, ut si quid impuri in eum missum mersumve fuerit, per aliquot dies deinde non compareat, nec quicquam aquæ reddat. Similia de fonte juxta Rhenum, non procul ab Andernaco memoriæ consignavit *Wendelinus* in *Præfat. Nili*. Aliter quoque ὁ πρῶτος explicari potest, quod angustus fuerit ingressus, ut antequam egrederetur primus, consideret lutum ad summa per turbatorem concitatum, indeque inutilis, nisi novo accedente per Ange-

lum

lum quendam motu & agitatione. Quanquam enim *Adricomius* in *Jerusal. descript. num. 62.* dicat amplam fuisse piscinam, & *Antonius Medina*, longitudinem ad 200. passus, latitudinem 60. profunditatem ad 30. pedes extendat; certis tamen cancellis inclusa per angustam portam ingressuros admisit, nisi per plures portas plures primos simul immersos dicas. Hinc perspicuum, quid sibi velit Paralyticus: ἄλλος πρὸ ἐμοῦ καταβαίνει. Deum enim vel hominem quærit, vel de ingressu litigat, subsidet aquæ immersa virtus, & a prædecessore inquinatur.

IV. Piscinæ Probaticæ effectus naturalibus sunt simillimi, & aliis aquis medicatis communes. Jacebant in porticibus πλῆθος πολὺ τῶν ἀσθενούντων, nempe cæci, claudi, aridi, exspectantes salutarem aquæ motum. Nervosi generis sunt morbi omnes, & aquis medicatis solent expugnari. Credunt quidem satis ad miraculi veritatem confirmandam cœcos, hoc fonte curandos, conferre. Sed nihil minus. Figamus pedem, ut conspectior sit impugnata fides. Miraculo non careret, si confirmata & a primis incunabulis producta cœcitas eo fonte illuminaretur. Non de his, sed levioribus oculorum visusque defectibus & vitiis sermo est, medicata unda abstergendis. *Plinius* autor est *l. 31. c. 2.* in parte prima villæ Ciceronianæ Puteolis erupisse fontes calidos perquam salubres oculis, celebratos hoc Laureæ Tullii carmine:

Hic etiam apparent lymphæ non ante repertæ,
Languida quæ infuso lumina rore levant,
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hoc fontes cum patefecit ope.
Ut, quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures, oculis quæ medeantur, aquæ.

In agro Hungtingdonensi ad Hailveston in Anglia fonticuli sunt, alter dulcis, alter salsior: hunc contra scabiem & lepram, illum contra oculorum hebetudinem valere perhibet *Cambdenus*. Oculorum doloribus balneum *Hippocrates* noster commendat *6. Aph. 31.* Suffusioni prodest aqua S. Helenæ, ut experimento *Nic. Petræi* firmat *Ericus Johannes* in *Fontin. sacr. p. 12.* Ne aliunde plures advocem, sufficit Christi exemplum *Johan. 9. v. 7.* qui cœcum ad Κολυμβήθραν Siloe amandat, ut ablueretur oculorum vitium quantum curabile, incurabile enim & nativam cœcitatem ipse per lutum & divinam potestatem abolevit. Apud piscinam hujusmodi cœcos, non a nativitate lumine privatos, curatos credere cogimur, ne Christi potentiæ injurii, cœcos curandi rationem, illi propriam, aliis communicemus. Ideo non cœcum, sed Paralyticum ex porticibus sumsit sibi curandum Christus, quia illi per piscinam curabiles. Difficilius quippe & miraculo vicinius fuisset cœcitatem innatam extersisse, quam Paralysin acquisitam. Hæc autem ex antiqua luxatione, scirrho, in ætate senili, atrophia, aliisque symptomatis Paralyticum nostrum senem aridumque infestantibus prorsus, nisi Christi ope, insanabilis. Nec opus ad Tropum concurrere cum *Beda*, ut cœci sint scientiæ lumine carentes, claudi, quia ad ea quæ vident implenda vires non habent, aridi, qui dilectionis supernæ pinguedine carent: hi enim porticibus piscinæ nec affixi fuere, nec a piscina ulla emendari potuerunt, quanquam centies turbata.

Claudis vel nervorum resolutione & contractione, vel ossium vitio, vel tumoribus obortis, balnea percommoda. De fontibus Bajanis *Plinius l. 31. c. 2. generatim nervis prosunt pedibusve, aut coxendicibus, aliæ luxatis fractisque*. Medicati nostri S. Helenæ fontes fluxiones tumoresque pedum non semel dissiparunt. Sulphurearum aquarum, lutique eadem facultas. Multiplex ea. Lutum enim emollit partes induratas, hinc balneum D. Bartholomæi in agro Patavino toto orbe celebratur, plenoque usu ad tumores, contractiones, &c. acclamatur. Confert deinde ad resolutionem & discussionem eorum, quæ jam emollita sunt. Tum siccat roboratque nervosas partes in fracturis, & luxationibus, denique refrigeratas partes calefacit, de quibus operose & erudite *Fallopius* de *Therm.* Utriusque elementi aquas junxi calidas frigidasque, ut in piscina probatica eligat lector, quod vero propius visum fuerit. Incertum enim, calida fuerit, an frigida. Nec magnopere refert, quum & nitrosæ frigidæ sint, ut acidulæ Spadenses, Pugeanæ, Egerenses, &c. in quibus quoque ebullitio observatur, visque eadem, & calidæ frigidis substituantur apud *Aetium l. 11. c. 30.* quanquam thermæ placuerunt in Historia, at eligendi arbitrium cuivis relinquo. Par sit de aridis judicium, sive marasmo, sive contractione, sive Paralysi comprehensis, proficuum balneorum usum sæpius expertis. Vere de aquis *Plinius l. d. Quod si quis fide carere ex his aliqua arbitratur, discat in nulla parte naturæ majora esse miracula.*

Oppo-

Opponitur nobis *Comm.* 4. sanatum post aquæ turbationem, ᾧ δήποτε κατείχετο νοσήματι, quocunque morbo detineretur, quod plane portento simile, neutiquam naturali fontium virtuti conveniens. Cæterum *Comm.* 3. nominantur tantum τυφλοὶ, χωλοὶ, ξηροὶ, ut species nervosorum affectuum, sub genere τῶν ἀσθενούντων. De omnium generum morbis Scriptura haud repugnante exponimus. Ita enim universalis affirmativa non raro per Synecdochen generis ad species restringitur *Exod.* 9. 6. 32. 3. Ita *Matth.* 4. 23. Sanans πᾶσαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ, de omnis generis morbis, neutiquam de singulis generum accipiendum, ut recte *Glassius*. Nam cum multi in Palæstina essent morbi, soli cœci, claudi, muti, surdi, paralytici, hydropici, febricitantes, leprosi, hæmorrhoides, sanati dicuntur, nec hi omnes, sed ex quibusdam aliqui. Eo sensu & Petrus *Actor.* 10. 12. πάντα τὰ τετράποδα vidit demissa seu omnis generis animantia. Certe nisi valde fallor & hæc quoque D. Joannis erit sententia, vel nullus in Palæstina morbus fuit, ᾧ δήποτε igitur de illis interpretamur, qui curari potuerunt, alioquin tantum Christo incurabilium medico decederet, quantum piscinæ accederet. *Patres* & *Interpretes* piscinam nostram aquæ Baptismi assimilant, cujus usum fideles tantum, & sanabiles, non omnes, quod dolendum, experiuntur. Nihil in Italia frequentius, universalia morborum remedia ex fontibus D. Virgini sacris depromendi. Fama Helenæ nostræ æque fuit liberalis, & quod mirandum, Hornhusanas aquas, non ita pridem nimio concursu notas, contrarios etiam morbos tollere, cœcitatemque fere, a nativitate, scriptorum quorundam licentia prodidit. Nos debita Christi miraculis religione, asserimus per piscinam morbos expiatos humana arte curabiles, at Christum, desperatum annis, viribus & magnitudine mali Paralyticum, suæ curæ subjecisse, ut se Deo parem ostenderet. Nam.

V. Messiæ in carnem manifestato ingens majestatis divinæ detrimentum accederet, si alii, si piscina portentose curassent. Ipse loquatur Jesus, *Joh.* 15. 4. Si opera non fecissem in eis ἃ οὐδεὶς ἄλλος πεποίηκεν, peccatum non haberent. Unde miracula per Christum, non piscinam, edita vocantur ἔργα πατρὸς *Johan.* 8. *v.* 41. τοῦ Θεοῦ *Johan.* 9. *v.* 3. Ad quam gloriæ prærogativam aut societatem qua pietate piscinam adscribemus? Mihi certe nec libet nec licet esse tam impio. Per filium omnia miracula curationis edi voluit Deus in *N. Test.* vel Apostolos ejus vi communicata, qui solus is infirmitates nostras portavit. Unde hoc capite Joannis ex miraculis Messiam se recte probavit, quæ per annorum 400. silentium post Malachiam desierant, ut eo signo, tanquam certissimo, tempus adventus mortalibus innotesceret. Legisse me memini, qui sub adventum Christi miraculum piscinæ incepisse scripserint, ut venientem Messiam prædiceret. Sed fingunt, ut ficta excusent. Tacent sacri Historici, in describendis hujus notæ portentis, alioquin diligentes, nec præter Joannem, præsentiæ suæ instantis ullum voluit Messias pronuncium. De tempore quo fluxus virtusque piscinæ cepit, nihil apud autores invenias, ut vero sit simile pro naturali fonte habitam ab omnibus. Quando desierit, indicat *Tertullianus l. adv. Jud. c.* 13. Et piscina Bethsaida usque ad adventum Christi curando invaletudines Israel, desiit a beneficiis deinde, cum perseverantia furoris sui nomen Domini per ipsos blasphemaretur. Scilicet naturalium rerum ubertas Deo amico & faventi adscribenda, quam nobis ad devia vitiorum deflectentibus justo judicio subtrahit. Fontium autem siccitatem, quam sæpe experimur, Dei vindictæ debemus *Psalm.* 104. 10. *Joel.* 1. 20.

Visuntur adhuc hujus piscinæ vestigia. Ita enim *Nic. Christ. Radzivilius Epist.* secunda de *Peregrinat. Hierosol. p.* in. 84. Porta eadem seu Ephraim, civitatem ingressi ad lævam vidimus Probaticam piscinam, quæ prope aream templi Salomonis fuit, & erat satis ampla & profunda. Porticus habet etiam nunc quasdam integras. In fundo ipsius est quoddam arundinetum: unde apparet, nunc quoque esse locum humidum.

VI. Miraculum piscinæ nullus Scriptorum veterum vel minimo apice agnovit. *D. Joannes* inter mirabilia, a naturæ lege consueta abhorrentia, non recenset, sed ideo videtur adduxisse, ut præmissis curabilibus per naturam ad incurabilia descenderet, soli Christo relicta. *Josephus lib. 6. bel. Jud. cap.* 6. stagnum, a piscina probatica parum differens, describit, sed sine miraculi ullius mentione. Si Judæum averseris, scito, res Christianas candida satis fide pertexuisse, & si famam miraculorum Christi denigrare propositum fuisset, felicius odium exseruisset aucta in immensum piscinæ virtute, inprimis si antecessisset. *Benjamin* in Itin. *Ibi conspicitur in hunc usque diem piscina, in qua mactabant victimas suas: ibi etiam Judæi scribunt nomina sua in pariete.* Plane ad morem nostrum. Sed nihil de miraculo, nec ille, nec *Nonnus* Paraphrastes Joannis,

nis, qui Angeli motionem ficco pede transfilivit, addiditque.

Ἅλμασιν αὐτομάτοισιν ἰδὼν ὀρχύμενον ὕδωρ.
Saltibus spontaneis videns salientem aquam.

h. e. nulla causa insolita naturæ, sed a suo principio commotam. Præter æquum fasque commisissent omnes silentio damnando, si divina reticuissent miracula. Enimvero *Sacramentum Principis abscondere bonum, opera autem Dei revelare & confiteri, honorificum est Tob.* 12. 7. Judæos veteres naturalem credidisse testatur *Rudolph Gualterus hom.* 34. in *Joh.* atque ideo nullam hujus fecisse in scriptis suis mentionem. Certe *v.* 16. Christo non succensent, quod vim divinam aquæ elusèrit, sed quia sabbathum violaverat. Nec ægre tulissent, quod curaverit eum, quem sciebant incurabilem, nisi insita malitia de omnibus Christi actionibus judicandi licentiam sibi sumsissent. Non usquam maleferiati ipsi exprobarunt, quod paria cum illo piscina fecerit. Vero similius objecissent, quod per piscinam miraculosam admiranda opera ediderit, quam per Beelzebul *Matthæi* 12. nisi quotidianam & plane naturalem piscinæ virtutem habuissent perspectam. Vulgum ipsum nunquam tantopere æstimasset miracula Christi, si similem curandi felicitatem in piscina observasset. Viso autem Christi opere, *v.* 23. *nonne*, inquiunt, *hic est filius David?* Omnes ægri hoc pacto in Judæa, sine Christo, valetudinem amissam recuperassent, nec centurio de puero suo paralytico anxie adeo laborasset, quum per milites facile amoveri potuerint in piscinam ingressuri. Non nos movet אשר *Esched* effusio, quodque per aquæ ductum ex superiori templi loco in vallem deducta sit aqua, ut exinde cum *Chemnitio* Magno naturalem causam excludamus: nam & Thermæ plerumque, ut & medicatæ aliæ aquæ, Aponi, & Bajis, Semniciæ, &c. per canales inducuntur. Fundi hic præcipua habenda ratio, quam defluentes aliunde aquæ augent. An ex victimis increverit efficacia, nec affirmarim, nec facile negarim. At Ezechiæ esse piscinam, de qua 4. *Reg.* 20. *Adrichomio* non probatur. Quicquid sit, arbitris naturæ subinde iniquioribus tanto minus hic accedendum, quod cum *Lavatero* in *Neh.* thermas omnes miraculosas credant, ex fluxu perpetuo & igne calente, qui deficiat in inferioribus.

ANNOTATIONES AD HISTORIAM PARALITICI SECUNDI.

ΠΑῖδα Centurionis de filio, non servo, variis argumentis inducti, sumus interpretati. Sic enim passim sacri profanique loqui amant. Notandum tamen in N. Test. quando παῖς Christo tribuitur, ubique de ejus in carne humilitate, adeoque servili habitu esse sermonem. Quando vero de æterna ejus generatione & divinitate agitur; υἱὸς vocatur, non παῖς. Alia ratio de aliis. *Johannes* enim 1. *Epist. c.* 2. *v.* 18. παιδία vocat auditores, filiolos, quos. *v.* 12. 28. τεκνία, *v.* 7. ἀδελφοὺς appellat, & passim ἀγαπητοὺς. Nominisque rationem reddidit *v.* 13. quia patrem cognoverunt. Δοῦλον quo sensu Lucas nuncupaverit, in Historia dictum. Δουλεία servitus apud *Suidam* tribus modis dicitur. Primo, *secundum ipsam Dei creationem. Ut ille dicit: Omnia sunt tua serva* h. e. tibi serva, tibi serviunt, rerum omnium creatori. Secundo, *secundum fidem, ut quum dictum est: liberati a peccato, Justitiæ servi facti estis.* Tertio, *secundum civilem vitæ rationem, quemadmodum est illud, Moses legis servus.* Si in tantas angustias compulsus fuero, forsan dicam δοῦλον fuisse, sed libertum jam & pileo donatum. Ita enim *l.* 37. *ff. t.* 15. §. 9. libertus & filius conjunguntur. & *l.* 3. *ff. t.* 5. §. 31. libertus & amicus. Aliud Lucæ commentum *p.* 24. adduximus ex *l.* 4. §. 5. *lib.* 40. *ff.* de *stat. liber. tit.* 7. ubi servire nobis illi intelliguntur, quos curamus ægros. Loquitur quidem rubrica de servis ægris, quod dies infirmæ valetudinis anno annumerandi sint, quia *cupientes servire propter adversam valetudinem impediuntur:* sed pari fere ratione, qua obsequium ægri præstant Dominis, & ægri suis Medicis sunt obedientes. In hoc igitur textu generaliter differit, in priori specialiter. Non est quod obvertat scrupulosus, Centurionem vel Judæum fuisse, vel Christo nomen dedisse, adeoque nullum inter servum liberumque valuisse discrimen: Nam ex Judæorum grege non fuisse probatum contra *Adamum a Contzen* in Historia, & apud hos quoque servorum miserior conditio quam ingenuorum. Fateor *Exod.* 21. *v.* 20. Dominum mulctari, si servum percusserit ad mortem, secus quam in foro Romano, cæterum quæ *v.* 2. *seq.* de mancipiis Hebræis afferuntur, Romano juri non adversantur. Certe in Republica Hebræa hodierna, siquidem Respublica vocanda, mancipia emuntur & venduntur aliarum gentium more, teste *Leone Mutinen-*

tinense c. 4. *p.* 5. *de Rit. Hebr.* Si Christi doctrinam professus est, non ea fuit audacia, ut Romanas leges abrogaret, quamdiu sub Romanis vexillis militavit, posset enim, Nicodemi prudente timiditate, clam pius esse & Christianus. Imo salvo Christiani jure, mancipia aluit, quod hodiernis Siculorum, Melitensium, & Hispanorum moribus receptum. In Concilio Toletano *l.* 1. *Decret. Greg. c.* 2. de servorum ordinatione statutum est, *ut nullus Episcoporum deinceps ad sacros ordines eos promovere præsumat, nisi prius a Dominis libertatem fuerint consecuti. Et si quilibet servus fugiens Dominum suum, qualibet calliditate aut fraude ad gradus pervenerit ecclesiasticos, decretum est, ut deponatur, & ejus Dominus eum recipiet.* Juris igitur Romani observantissimus Centurio sub vexillis suis servos admisit nullos, nulla urgente necessitate nisi manumissos, quod ex *Eutropio*, *Isidoro*, *Penna* didicimus, sicque Domino sciente militiæ servus, nomen dedit, hoc ipso ingenuum fieri voluit *Justinianus*. Hic autem παῖς Centurionis postea Centurio quoque factus, si credimus *Dextero*, quia ab inferiori ordine ad supremum virtute emerserunt.

Insolitus & ætati & professioni puero isti Paralytico morbus, quia ad militiam juvenes eligebantur. *Horat. l.* 3. *Od.* 2.

> *Pauperiem pati*
> *Robustus acri militia* puer
> *Condiscat.*

Idem *lib.* 1. *Epist.* 18. de Lollio:

> —— —— *denique sævam*
> *Militiam* puer, *& Cantabrica bella tulisti.*

Vegetius incipientem pubertatem elegisse Romanos autor est *lib.* 1. *cap.* 4. de quibus consulendi *Stewechius* & *Naudæus* in Erudita de studio Militari Dissertatione. Vivendi genus immunitatem præstasset, nisi a violentiori causa e temperata temperie deturbatus fuisset. De temperatioribus enim plagis miles legebatur, ex laudato *Vegetio lib.* 1. *R. M. c.* 2. ob mortis contemtum & prudentiam militari homini necessariam, non ex promiscua plebe, quod moribus nostris usitatum. Negant summi quidam Viri utrumque, eo quod Astures & Cantabri in sexto climate Romanos diu ancipiti victoria exercuerint, nec requiratur excellens adeo judicium mentisque solertia in milite, denique quia in aliis climatis quibuscunque fortes producantur. Cæterum, sive de Ducibus sermo sit, illi optimi in bello, qui nati militiæ, ad verborum & linguæ certamina rudes, & ingenio honesta magnaque appetentes, *Liv. lib.* 10. sive de milite, qui ipsi sua per se munia obeunt, ducisque partem implent. *Tacit. l.* 1. *Hist.* sine prudentia tamen neuter timoris & audaciæ modum servabit, quod apud *Dionem l.* 50. Antonius triumvir de se gloriatur, quæ apud quascunque nationes usu & necessitate acquiritur.

ANNOTATIONES AD HISTORIAM PARALYTICI TERTII.

APud *Marcum* & *Lucam* hujus historiæ series manifesta. *Matthæus* nonnihil se involvit, in quo enodando post *Augustinum* feliciter desudavit in Harmonia *Chemnitius*, Theologus quidem summus, sed in Medicina non ita versatus. Quemadmodum enim harmoniam hanc Historiæ Paralytici amplector ut vero affinem: ita in morbi genere a tanto Viro dissentire cogor, credit enim Paralyticum nostrum non in parte aliqua corporis, vel in uno latere tantum læsum fuisse, ut duci potuerit: sed in toto corpore nervos intercepto motu ita resolutos, ut non potuerit in sella sedere, verum ut lecto affixus portatus fuerit, unde *Celsum* explicat, utrumque, & ἡμιπληγίαν & ἀποπληξίαν paralyseos nomine vocantem. Verum tamen Paralyticum textus sacer persuadet, cui descriptio favet. Addo, quod fidem & certam in Christum fiduciam habuerit Paralyticus, alioquin patienter adeo non passus fuisset se per ædium contignationem ad pedes Christi demitti, judice *Chrysostomo*. Αὐτῶν & Paralyticum & bajulatores respicit, quia unusquisque fide sua vivit. In Apoplexia autem deletis sensibus omnibus externis internisque, in Paralysi ex parte remanentibus, quomodo fides superesse possit sine ratione, non video. Præterea alloquutus hominem Christus, bono animo esse jubet, Θαρσεῖ τέκνον. Apoplecticum sine intellectu aut sensu, quis ita sanus compellaret? & quid fiducia sine ratione? In Paralysi vel unius lateris, vel partium privatarum, salva ratio viget, quia illæsum cerebrum vel ex parte, vel totum. Nimis imbelle est argumentum Magni *Chemnitii* pro Apoplexia, quia lecto affixus debebat portari, quum in sella non posset sedere. Sane si resolutione teneatur truncus inferior, illæso capite, supernisque partibus, gressus sublatus erit, portandique orietur necessitas. *Aetius tetr.* 1. *serm.* 3. *c.* 6. distinguit accu-

accurate inter gestationem in lecto & lectica. *In lecto* gestandos, *qui se erigere non possunt. In lectica vel decumbentes, ut hydropicos, resolutos*, &c. *vel desinentes. Cels. l.* 2. *c.* 15. Nunquam gestari corpus dolens debere suadet, sive id in toto, sive in parte sit, *nisi tantum in solis nervis dolentibus*. Portantur igitur resoluti, quanquam totum corpus Apoplecticum non sit. Tantum Medicarum rerum exacta cognitio Divinis Interpretibus & ornamentis & utilitatis afferre posset, si tam illi nobis faverent, quam nos illis. Quicquid sit, ut Christiani mutuo amore invicem, dum in Ecclesia militante versamur, sine fuco, sine alterius obtrectatione prosequamur, Deo vivamus sancte, & beate moriamur.

Atque hæc de Paralyticis N. Test. in mentem calamumque venerunt. Quartus occurrit *Actor. 9. v.* 33. Æneas nomine, spatio annorum παραλελυμένος, quem Petrus, per quem contemtibilem Testem multo mirabilius divinitas se ipsa persuasit, ut loquitur *Augustinus l.* 22. *de Civ. Dei cap.* 5. in nomine Jesu sanum surgere jussit. Quicquid autem de hoc argumento dici posset, quum per susceptam materiam decurremus, omne absolvimus. Jam manum de Tabula.

THOMÆ BARTHOLINI
DE MORBIS BIBLICIS
MISCELLANEA MEDICA.

PRÆFATIO.
Lectori S.

A*Liud agentem ad has pagellas compulit* Bibliopola *noster* Daniel Pauli. *Opportune tamen. Cum enim Opuscula sacra hactenus dispersa, uno fasciculo juncta in lucem proferre animus esset, & de* Paralyticis Nov. Test. *olim me quædam esse commentatum haud ignoraret, rogavit, de cæteris quoque morbis in sacro Codice, si quid haberem, bono publico ne inviderem, ut conspectius & majori pompa prodiret Volumen, quod propediem est adornaturus. Arrepto calamo Miscellanea hæc citius in chartam conjeci quam coquantur asparagi, quæ additamenta esse possunt eorum quæ de Paralyticis repetito* Hafniensium & Basileensium *prælo commissa benigne excepisti. Festinationi nostræ vel ignosce vel applaude. Singula in majorem molem excrevissent, nisi negotia alia interrupissent sermonis suscepti filum, graviora mibi quam publico. Vale.*

I.
De somno Adami, an ecstasis vel lethargus?

Genes. II. 21. 22.

NON somnus dicitur, sed gravis somnus. Id notat textus תרדמה. Acerbissimus est *Constantino Manassi* in Annali a Leunclavio Latine factis: *Adamus somno acerbissimo sopitus est: somno qui fuit initium eversionis, & omnia perdentis invidiæ.* Profundus autem ille somnus dolorem mitigavit, quem ablata costa sentire debebat. Alias rationes mysticas excutit *Aslacus* noster in *Phys. Christ. spec.* quæ huc non spectant. Præeuntem ille habet *Tertullianum l. de Anim. si Adam de Christo figurabat, somnus Adæ mors erat Christi dormituri in mortem, ut de injuria perinde lateris ejus vera mater viven-*

viventium figuraretur Ecclesia. Idem alio sensu ibidem eleganter ita loquitur: *Si apud Deum discas, ille fons generis Adam ante ebibit soporem, quam sitiit quietem: Ante dormiit quam laboravit, imo & quam edit, imo quam & profatus est*. Symmachus vertit χάρον. Sed & in sano integritatis statu adhuc Adam versabatur. Eodem errore tenentur, qui Lethargum reddunt. Revixit ille & statim convaluit, cum a lethargo difficilis sit ad salutem pristinam regressus: Unde non somnum, sed oppressionem appellat *Cœlius Aurelianus l. 2. Acut. c. 1.* Quod si mentis tandem compotes fiant, de cervicis dolore conqueruntur apud *Hipp.* in Coacis, quod pondus capitis vocat *Aretæus l. 1. Acut. cap. 2.* Quibus incommodis non laborans Adam, post somnum recte ratione utebatur, & promte munia exsequebatur. Vidi nuper duas lethargo oppressas fœminas primæ notæ, septimo die defunctas, quarum una mentis compos marito illustri ante valedixit, quam exspiraret, altera placide sine ullo rationis indicio, sensu tactus tamen nonnihil superstite sensim nobis erepta. Non male meo judicio ἔκστασιν hic agnoscas cum LXX. Interpretibus, sed raptum divinum. Ita *Tertullianus l. de anima cap.* Unum esse animam & Spiritum: *Cecidit ecstasis super illum sancti spiritus vis operatrix prophetiæ*. Ecstasis tamen illa in somno erat a Deo immissio, sicut recte post *Epiphanium* & *Pererium* explicat *Schoochius* Polyhistor.

II.

De Jacobo claudicante.

Genes. XXX. *v.* 22.

Beatus *Augustinus l. 16. de Civit. Dei cap. 39.* mystice explicat de passione Christi: *Tetigit porro illi idem Angelus veluti prævalenti* latitudinem femoris, *eumque isto modo claudum reddidit. Eratque unus atque idem Jacob & benedictus claudus: benedictus in eis qui in Christum ex eodem populo condiderunt, atque in infidelibus claudus*. Revera tamen luxationem cruris passus claudicabat Jacob. *Sulpitius Severus l. 1. Hist. sacr. §. 15. latitudo femoris* Jacob obtorpuit. Male *Josephus l. 1. cap. 19.* τὸ νεῦρο τὸ πλατὺ vocat, seu latum nervum. Nam nervus luxari non dicitur. Rectius latitudo femoris est caput ossis femoris, quod suo sinu seu vasto coxendicis acetabulo excidit, quale exemplum in Cl. *Rhodio* nostro Patavii habuimus, qui eapropter, quanquam non male repositum fuerit os, toto vitæ cursu claudicabat, ut mirari subeat *Tostatum* & *Junium*, qui Jacobum die sequenti sanatum fuisse affirmant, ut sine claudicatione Esavo obviam iret. Verius cum *Mercero Hornius in Not. ad Sulpic.* tota vita claudicasse, hincque morem illa parte abstinendi invaluisse. Incurabilem luxationem coxendicum pronunciat *Galenus l. 18. de Us. Part. c. 2.* futuramque necessario cruris claudicationem. Difficilis est *Celso l. 8. cap. 20.* quum ibi valentissimi nervi musculique sint, si suum robur habent, vix admittant repositionem femoris si non habent, postea non contineant. Ex colluctatione facile excidunt articuli. Hinc in ludis Romanorum Medici conducti, sive Chirurgi, pro gladiatoribus læsis luxatisve, ut recte *Lipsius l. 1. Saturnal. c. 14.* etiam ratione victus seu dietæ Interpretes cum latitudinem femoris Jacobi obtorpuisse dicunt, & emarcuisse, effectum luxationis assequuntur, quam plerumque marcor sequitur.

III.

Uxor Lothi in salem conversa.

Genes. XIX. *v.* 26.

Beatus *Augustinus l. 1. de mirab. sacr. Script.* salis tenuissimam partem, quæ corpori inerat, totum corpus infecisse scribit. Confirmat hoc *Mercurialis l. 6. Var. Lect. c. 26.* ex *Hippocrate l. de Prisc. Med.* ubi de amaro, salso &c. quod homini inest, ait: ubi horum quidpiam secretum fuerit, & per se exstiterit, tunc & conspicuum fit, & hominem molestia afficit. Quod ita ulterius explicat *Mercurialis*, contigisse, atque id, quod fieri quotidie spectamus in Ictericis, seu Arquaticis, quorum intima bilis pars in extimam corporis superficiem restagnans id totum lucidum, amarum, atque aridum & deformatum reddit. Contulit huc operas suas fumus sulfureus ex Sodoma ardente ore facieque ad urbem conversa exceptus, quemadmodum Puteolis vidimus in antro sulphureo ex halitu forti enecatos canes. Quales forsan fuere venti illi qui in Historia Bavarica narrantur pastorem cum grege in petram convertisse. Si traditioni credulæ fides adhibenda, prope prædium Sebyense in Selandia nostra, quod possidet Affinis meus honorandus *Henricus Mullerus* Regius Quæstor simile spectaculum offertur. Nam ibidem ad littus stagni Tie series saxorum majorum conspicitur, quam pompam esse credunt nuptialem divina vindicta in petram conversam. Sed revera est series lapidum, qua-

qualis in monumentis veterum Danorum frequens est, vocaturque vulgo monumenta gigantum, cum sepulturæ locum designent, pro familia aliqua illustri, quibus alibi pro aris Deorum prægrandia saxa adduntur. His vero loco cœmiterium fuisse paganorum vel inde confirmor, quod nupperrime vicinum colliculum effodientes coloni ad argillam eruendam effoderint urnas aliquot mortuales cum cineribus & ossibus humanis, quas in musæo nostro servamus, cum fibulis graphiis, & aliis. Firmam salis compagem fuisse vel inde manifestum, quod statua ea temporibus *Tertulliani* adhuc omnium oculis fuerit exposita. Quanquam nostra itineraria eam ignorent. Digni versus sunt qui exscribantur, quia & miranda quædam ibi notantur de statua salina. Carmine *de Sodoma*.

In fragilem mutata salem, stetit ipsa sepulcrum,
Ipsaque imago sibi formam sine corpore servans.
Durat adhuc, etenim dura statione sub æthra.
Nec pluviis dilapsa situ, nec diruta ventis.
Quin etiam si quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.
Dicitur & vivens acta jam corpore, sexus
Munificos solito dispungere sanguine menses.

Majolus dieb. Canic. Colloq. 18. *part.* 1. ex *Cypriano* recitat hos versus. Inter dubia Cypriani *Bellarminus ponit l. de Script. Eccles. Tertulliano* vero asserit *Sixtus Senensis*, quem sequitur *Pamelius*, quia stilus est *Tertulliani* nec uspiam inter Poetas *Cyprianus* numeratur. Cujuscunque denique sit, illud quidem in carmine assequor, vulnera illa statuæ salinæ suppleri posse allabente aqua, quam in sui statim naturam convertit salina hæc minera, quo modo salinæ fodinæ crescunt: Sed alterum de mensibus in statua fluentibus more mulierum, non pio, nisi salis quædam sit colliquatio ab externo aere humido. Allegorice *Philo Judæus* l. de somniis hanc metamorphosin explicat, de iis qui anterioribus neglectis, h. e. virtutibus earumque operibus, a tergo relicta sive vanam gloriam, cœcas divitias, pulchritudinem, & id genus alia respiciunt. *Salem enim esse rem parum solidam*. Aliud docet *Petrus Jo: Faber Pallad. spagir. c.* 11. Salem esse principium coagulationis in materia unctuosa fixa. De sale Africano prodidit *Plinius l.* 31. *c.* 7. in acervos circa Uticam ad collium speciem construi, qui ubi Sole Lunaque induruere, nullo liquore liquescere, vixque etiam ferro cædi: De sale duritiei lapideæ in Polonia minore videndus *Martianus Cromerus l.* 1. *descript. Polon.*

IV.

Manus Moysis arida.

Exod. IV. 6.

IN sinum recondita leproso candore extracta narratur manus singulari impetrantis Jehovæ miraculo, *Tertullianus* l. *de Resurr. Carnis* §. 22. lepræ non meminit, sed tabe confectam vel emortuam dicit, indeque resurrectionis argumentum ita nectit: *Cum Moyses manum in sinu condit & emortuam profert, & rursus insinuat & vividam explicat, nonne hoc de toto homine portendit? siquidem trina virtus DEI per trina illa signa notabatur cum suo ordine* &c. Excusari tamen meretur *Tertullianus*, cum lepræ effectus fuerit membrorum tabes.

Hæc manus arida in memoriam revocat manus alterius quæ miraculo quodam anno superioris seculi 33. prope Rostochium in ligno arido super lapidem posito excrevit digitis expansis, quæ movebatur & a magno motu sudavit, sudore lapidem irrigante, in cujus adversa parte figura erat Viri barbati. *Paulus Warnefridus* l. 1. *Gest. Longob. c.* 4. de septem Viris historiam inserit, qui longo sopore sopiti erant, illæsis corporibus & vestimentis: e quibusdam unius habitum quidam cupiditate stimulatus vellet exuere, mox ejus, ut dicit, brachia aruerunt, pœnaque sua cæteros perterruit. Scilicet noxii sunt membris viventium cadaverosi halitus ex tumulis diu clausis expirantes, sicut variis exemplis alibi probavimus. Historiam recitat Clarissimus Gallorum Medicus *Renatus Moræus*, amicus dum vixit noster in Oratione Inaugurali ad Ludovicum XIII. habita 633.

V.

De facie Mosis immutata.

Exod. XXXIV.

AD mutatum corporis habitum facies illa divino fulgore splendens spectat, de qua nos non pauca diximus *lib.* 1. *de Luce hominum cap.* 12. Ea vero quia ad hoc

hoc argumentum illustrandum pertinent, non gravabor hic repetere in gratiam illorum qui operæ hujus compendium amant.

Nolim autem vulgatæ nimium fidas versioni, quæ cornutam egredientis Moysis faciem male posuit. Unde pictorum ortus error, qui Mosen suis delineaturi coloribus, binis cornibus exornare solent, ut nummus indicat antiqui Toreumatis Romæ a me inventus, & inflexo arietis in morem cornu cum decalogi præcepto de Idololatria vitanda signatus cujus iconem dedimus. *c. 3. de Unicornu*. Cui similis est alter apud Cl. *Jo. Rhodium* nostratem, nisi quod in rectum obtrusius protendantur cornua, quæ nulla apparent in concinnata Legislatoris effigie apud Cl. *Salmasium libr. de Coma* Christianorum quidem opus crediderim in opprobrium gentis Judææ factum, quæ omni seculo sculpturas damnavit; idque eo magis suspicor, quod male Judæos habere *Steuchus* Rabbinus autor est, quia Christiani cum cornibus Moysen depingunt. Revera enim cornua capiti ejus hæsisse, aliquibus firmiter persuasum, ut legi per eum latæ major accederet autoritas, quod apud *Henricum Salmuth* Notis ad *Guidonis Pancirolli* deperdita reperias. Nam cornu autoritatis & excellentiæ nota fertur, ut pro ipso etiam Regno in divino *codice* 1. *Sam.* 11. 10. adhibeatur. Alii subtiliori genio cornutum Mosen Judæis apparuisse putarunt, quoniam Lysimachi Regis more concinnos gestavit capillos, quibus & olim usi Armeniæ sacerdotes. Dissimiles in numo visuntur, quem ex *Lansio* exhibet *Schickardus*. In cornuum sane formam crines in magnifico æreæ statuæ opere Melitæ intorquentur, quod Mosis simulachrum templo S. Johannis Anno salutis 1550. Galli consecrarunt. Et ne quis sine ratione id interpretetur aliorsum, ignorare non debet, tale crinium artificium cornu appellasse *Juvenalem* Sat. XIII.

Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem, & madido torquentis cornua citro?

Quales novæ nuptæ nuptiarum celebritate Venetiis gestant, & de omnibus felicis Arabiæ incolis in descriptione urbis Reane refert *Ludovicus Varthema*. Scribit quoque ex sententia Græcorum Grammaticorum *Cælius Rhodiginus l. 30. c. 1.* cornua pro capillis fuisse posita, quia utrumque eodem modo enascatur. Quin pro luce crines usurpatos ex *Valerio Flacco l. 2.* patet, ne alios advocem:

Astraque & effusis stellatus crinibus æther.

Ut facilis ad cornua fuerit flexus, pari licentia, qua incurva omnia figuræ vicinitate per cornu expresserunt antiqui vel *Isidoro* monente *l. 9. origin.* Præsertim vero flumina, quæ per obliquas ripas tortuoso cursu labuntur. Videndæ autoritates *l. 1. de Luc. Anim. c. 12.* Verum has de Mose conjecturas sacer textus pressius inspectus, & meliores Interpretes de facili difflant. Sine cornibus enim fuisse Legislatorem extra dubitationis est aleam, quæ si autoritatis gratia accepisset, frustra velamine abscondidisset iis, quibus forent monstranda, parumque modeste Johovæ remoto velo ostentasset. Verosimilius enim videtur, crines fuisse lumine interspersos, & cornua nihil nisi summi splendoris radios ex facie emicantes significasse, quibus astantium oculi perstringebantur. Apud Hebræorum quippe gentem Cornu & Radius pari passu ambulant, quoniam verbum קרן per זהר *splenduit* exponunt, & *Rabbi Kimchi* idem קרן a cornu derivat. Quod & Latinis placuit, qui cornua luminosis, vel lumina cornutis assignarunt. Lunam quippe cornibus Lunæ dabant speciem, solus sit testis *Claudianus* de vitula *lib.* 1. de *Raptu:*

—— Vitulam non blandius ambit
Torva parens, pedibus quæ nondum proterit arva,
Nec nova lunatæ curvavit germina frontis.

Unde caput cervi cornutum micare dicitur apud *Calphurnium Ecl. 6.*

—— Micat acre caput.

R. Salomon vero per radios Hebræam originem exponens, vocat קרסיהחור cornua magnificentiæ. Cui concors est Chaldea versio, quæ gloriam posuit faciei, ad aliorum scripturæ locorum mutationem. Alibi etenim קרן gloriam notat & decus, quod ex lumine elucet. Ita *Jobi* 16. v. 15. ועוללתי בעפר קרני saccum consui super cutem meam, *& operui cinere gloriam meam*. Ubi *Jonathan* decorem, & paulo remotiori significatu *Andreas Osiander* substituunt *cornu*. At quo sensu in vulgata versione *carnem* elegerit *B. Hieronymus*, equidem ignoro. Melius certe in *Psalmis* LXXV. 5. 6. LXXXIX. 25. CXXXII. 17. CXLVIII. 14. קרן cornu supposuit, quanquam simili ratione gloriam seu splendorem

dorem *Jonathan* maluerit. Explicant autem carneam hanc lucem Hebræorum Magiſtri, imprimis R. *Salomon*, quod radii in cornu morem reflexi, ex Moſaico vultu miſcuerint, ſicut & radios a ſole derivatos cornu ſpeciem præ ſe ferre, ſubinde imaginamur. Quo pertinent hi *Drepano* adſcripti verſus:

> *Flammea cornuto librantem lumina vultu,*
> *Geſtantemque ſacris jura ſacrata libris.*

Nec alia ratione Alexandro Macedoni cornua pone aures in antiquis numiſmatibus appinguntur, quod in *Obſervationibus* noſtris Novis *Unicornu* annotavimus, quam quia caput ejus in ſummo prælii indici ardore ſcintillaſſe referant Hiſtorici, ſi quidem hæc conjectura placet: non neſcius interim ad Jovis Ammonis arietem reſpexiſſe quamplurimos cujus ſe filium falſa ſacerdotum acclamatione jactaverat Macedo. Quicquid ſit, tanta ex Moyſe affulſit claritas, ut velo habuerit opus, verba ad populum facturus. Quod ad myſticum ſenſum trahit *D. Paulus* 2. *Cor.* 3. *v.* 13. & 14. obſcuris quidem verbis, ſed ſatis intellectis, ſed quorum ſententia huc fere redit, lucere nempe etiamnum Moyſis faciem, nec videri ab Iſraelitis ob lucis ſplendorem, qui, ne faciem abſorbuerit quaſi, ita in veteri fœdere oculos intentius perſtringere legum duritie, & typorum velamine a Chriſto detegendo. Id enim τὸ καταργῦται ſeu *evacuatur* denotaſſe auguror. Parum ad veritatem *Rabbi Sepharadi* accedit præſentis veli explicatio. Velaſſe nempe Moyſen vultus, cum filiis Iſrael loqueretur, quo majorem autoritatem dictis adderet, amoviſſe vero velamen ad Jehovam converſo ſermone, quia indignum foret cooperta facie Regem Regum affari. Ingenioſa ſane, ſed antiquitatem nullam ſapiunt, quippe tecta facies caputque in veterum ſacris non majeſtatem, ſed animi indicabat demiſſionem, ut fuſius in *Anatomia noſtra Pagana* egimus Unius hic ſufficeret *Plauti* teſtimonium in Moſtellaria:

> —— *Quinetiam hoc illi dicito*
> *Facturum me, ut ne etiam adſpicere ædes audeat.*
> *Capite obvoluto ut fugiat ſummo cum metu.*

De Megera in Hercule Furente *Seneca* Act. 2. Sc. 3.

> *Namque ipſa triſti veſtis obtenta caput*
> *Velata, juxta præſides aſtat Deos,*
> *Laterique adhæret verus Alcidæ ſator.*

Plutarchus etiam in *Quæſt. Rom.* inter cauſas, quare velato capite, non aperto Diis ſacra fierent, primum facit, eo habitu animi ſaſſos eſſe demiſſionem. Quam antiquorum religionem contrario Chriſtianorum ornatu illudit *Tertullianus* in *Apolog. c.* 20. *Illuc.* (ſcilicet ad cœlum) *ſuſcipientes Chriſtiani manibus expanſis, quia innocui, capite nudo, quia non erubeſcimus, denique ſine monitore, quia de pectore oramus, precantes ſumus omnes ſemper pro omnibus.* Et ne Græcorum Romanorumque hunc cultum regerat *Sepharadi*, idem probo inter Hebræos uſitatum, quorum Pontifices ſacrarium ingreſſuri capitis tegmen, quod Cidarim lineam vocant, officioſa ergo Jehovam devotione induunt, ut ex *Exod.* XXIX. 6. & XXXIX. 28. 31. *Levit.* XVI. 4. manifeſte colligimus. In hodiernis quoque ſacris veteris moris obſervantiſſimi, velato omnia capite peragunt; Non ergo ob autoritatem vultum Moyſes texit, ſed ut ſplendoris intenſi radios ab auditoribus diverteret, quorum radiorum majeſtatem pie & dilucide *D. Paulus* in æternæ lucis comparatione 2. *Cor.* 3. *verſ.* 16. propoſuit. Preſſius Moyſis lucem introſpexit *Clemens Alexandrinus lib.* 6. Strom. *glorificatam caloris ſpeciem* agnoſcens. In quo ſplendoris per univerſam faciem diffuſi continuo tractu, nolumus cum pictoribus radios in cornua bina dividere ſeu eminentes faculas, qui æquali ſplendore continuam lucem fulſiſſe inde credimus, quod totam pariter obvelaverit faciem, nulla diſtinctio intervallo cornum differentia. Unde major ex veritate gloria pictorum foret, ſi non tam cornutam quam radiatam æquis partibus faciem ducerent, eodem artificio, quo ſanctorum capita continuo radiantis coronæ circulo cinguntur.

Cujus quidem coronæ non æque manifeſta eſt origo, atque uſus. Inveniemus tamen, niſi nos fallit augurium. Corona lucente illorum tantum verticem circumdederunt, qui divinitatis aliquo privilegio luce inſigni ſeu interna, ſeu a ſuperis conceſſa effloruere. Ex luce autem quam corpora ſpirare fingebant, pro ſubjecti capitis ratione, tenore in orbem radii expanduntur nunquam interrupto, qui tamen, quamvis uniti, ob diſtantiam diſtinctis per exigua intervalla apicibus viſui noſtro imponunt. Hincque artificioſa pictorum manus, ut oculorum lapſum corrigerent, effluentem ſanctorum lucem ſeu veram, ſeu putatitiam integra coronarum ſerie per penicillum figuravit, quam alioquin

quin in radios disperſam falſo ſuſpicaremur. Fuit & aliorum dignitati conceſſa radiata hæc corona, qui aliqua luce vulgarium ſortem videbantur excedere. Talem de Auguſto filio in ſomnis imaginabatur Octavius Pater apud *Sultorium c.* 94. *dum videre viſus eſt filium mortali ſpecie ampliorem cum fulmine & ſceptro, exuviiſque Jovis Opt. Max. ac radiata corona ſuper laureatum currum biſſenis equis candore eximio trahentibus*. Quod eleganter expoſuit *Vellejus Paterculus lib.* 2. *Quum intraret urbem, ſolis orbis ſuper caput ejus curvatus æqualiter, rotundatuſque in colorem arcus, veluti coronam tanti mox Vir capiti imponens conſpectus eſt*. Latinum pari decoris facie inducit *Virgilius lib.* XII. *Æneid.*

> —— *cui tempora circum*
> *Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt*
> *Solis avi ſpecimen:*

Nec diſſimilis *Ovidio in Epiſt. ad Hippol.* laudatus:

> *Quod ſit avus radiis frontem vallatus acutis,*
> *Purpureo tepidum qui movet axe diem.*

Prorſus id in Syria Dea cum *Luciano* admireris, quam ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἀκτῖνας φορέειν, coronas in capite portare narrat, radiis dubio procul immixtas. In *Miſanthropo* apud eundem adulator aliquis auream ſtatuam Timoni erigit, ῥάβδον ἐν τῇ δεξιᾷ ἔχοντι, καὶ ἀκτῖνας ἐπὶ τῇ κεφαλῇ. Quas quoque non raro in veterum nummis advertas. Nimbus vocabatur ejuſmodi corona radiata, teſte *Servio* quem ad veri nimbi, qui cœleſtia ſidera Lunam Solemque ambit, ſimilitudinem depictam haud iverim inficias, ut quum ſub humanæ formæ ſpecie Deos hos colerent, nimbum illorum divinioris conditionis hominibus attribuerit. Sol autem ut Princeps univerſi lux, radiato vultu ante cæteros reſplendet, & ſplendere fingitur apud *Martianum Capellam lib.* 1. *de Nupt. Philol. ſolis auguſtum caput radiis perfuſum circumactumque flammantibus*. Et *Arnobius* diſertiſſimus contra gentes *lib.* 6. in eandem rem diſſerit: *Ecce ſi aliquis, vobis neſcientibus & ignaris, rex urbanus & callidus ex foribus ſuis Solem tollat, & in Mercurii transferat ſedem; Mercurium rurſus arripiat, & in Solis faciat commigrare delubrum, (uterque enim a vobis glaber, atque ore confingitur levi,) dctque huic radios, ſolis capiti petaſunculum ſuperponat; quibus modis internoſcere poteritis, utrumne ſol iſte ſit, an ille Mercurius, quum habitus vobis Deos, non oris ſoleat proprietas indicare?* Confert quoque de Sole ſymbolam ſuam *Prudentius l.* 1. contra *Symmachum:*

> *Hoc ſidus, currum, rapidaſque agitare quadrigas,*
> *Commenti, & radios capitis, & verbera dextræ,*
> *Et frenos phaleraſque & equorum pectora anhela.*

Radiatis lineis revera pictum fuiſſe, oſtendit antiqua Solis Tabula marmorea, quam ex ædibus Haſdrubalis *Matthæi Marchionis Jovii* Romæ doctiſſimus *Alexander* publico ſcripto illuſtravit. Sexdecim radios præfert numiſma vetus Rhodium apud *Ant. Auguſtinum Dial.* 2. humana ſpecie & capillis dependentibus, quos tamen in Gaditano Solis nummo non deprehendit *Jo. Bapt. Suarez*, in *Antiq. Gaditanis*. Per crines expreſſerunt Poetæ, ut notum vel ſolius *Statii* verſiculo *lib.* 3. *Theb.*

> —— *Rutilamque lavabat*
> *Oceani ſub fonte comam.*

Quo etiam illuſtribus rotis collinearunt, quibus mundo diem promit conditque Phœbus, candentium & lucidarum nomine venientibus. *Claudianus* recitat de *Nupt. Hon.*

> —— *Segnemque rotam non volvere Phœbe*

Audiatur ſimul *Statius l.* 2. *Sylv.*

> *Stridoremque rotæ candentis audit.*

Imitabantur hanc radiati Solis imaginem fortaſſe Chriſtianorum primi ſi recte ſententias ſubducamus, in depingendis ſanctis, ne quicquam in claritate Diis viderentur ceſſiſſe. Vel forſan ad coronas reſpexerunt, quid per apices eminent, Deorum proprias, ut largioribus teſtimoniis exponunt Antiquarii. In Iſide ſane Ægyptia, quam ex gemma ſignatoria vetere delineavit *Pignorius Symb. Epiſt.* 23. coronula ad radios cœleſtes accedit quam proxime. Sunt tamen, qui coronam orbicularem in ſanctorum ſtatuis effictam tantum ob tutelam exiſtiment, ut inſiſtentes pluviarum niviumque noxas veluti clypeis a capite declinent: ſitque loco pilei, cujus nempe formam accurate effingit antiquiſſima *D. Marci* ſtatua Patavii in foro piſcatorio veteri ad ædem S. Andreæ erecta, olim, ut fama eſt, Ateſta advecta. Hunc galerum dixerunt excipiendis

dis a ſole injuriis uſitatum. *Claudianus l.* 1. de Raptu:

—— Gallenius adſtitit ales,
Somniferam quatiens virgam, tectuſque galero.

Nec non *Calphurnius Ecl.* 1. de Ornite & Corydone colonis:

Nos quoque vicinis cur non ſuccedimus umbris?
Torrida cur ſolo defendimus ora galero?

Cui Tiara non fuit abſimilis, quam profulgentibus radiis nimboque in Phœnice poſuit *Phyſiologus Epephanti* plane ad mentem noſtram: Τιάραν γαρ φέρει ἐπὶ τὴν κεφαλὴν: Tiaram enim in capite geſtat. De ſplendenti vero corona plumata hoc accipiendum, *lib. de Luce Animal.* de Phœnice expoſuimus.

VI.

De morſu ſerpentum venenato, ejuſque medicina.

Numer. XXI. 6.

SErpentes & flatu ignito & morſu urentes deſcribit Moyſes, quos in pœnam murmuranti populo vel creatos, vel, quod vero ſimilius, ex deſerto advectos immiſit ſcelerum vindex. Fuſius de his egimus *l.* 2. de *Luce Brutor. c.* 10. nec pœnitet cramben hanc recoquere in morborum ſacrorum ſerie, quam orſi hoc loco ſumus.

Num. XXI. 6. cum de aqua & pane impetuoſius obſtreperent, *miſit Dominus in populum ſerpentes ignitos, qui mordebant populum.* Poſt paulo ad frugem redeunte populo, *dixit Dominus ad Moſen: Fac tibi ſerpentem ignitum, & pone illum ſuper ſignum, ut omnis, qui eſt morſus, intueatur eum & vivat. v.* 8. Ubi *urentes* ſerpentes vetus *Interpres* Venetiis olim editus exponit de iis, qui morſum ardentem infigebant, atque ſimul toxicum, quod corpus exuſſit, immittebant. Serpens autem igneus ille erat, qui urentem ſerpentem ſimilitudine exprimebat, ſimili flamma læſa membra ſanaturus, eratque æreus ſigno Crucis appenſus, ut omnibus eſſet ſpectabilis, ſi credimus *Interpreti* doctiſſimo, quanquam modo citato *v.* 8. de ære taceat *Legiſlator* ſolum שרף exprimens; quod ardentem notat ſerpentem, ſequente tamen *v.* 9. illius fit mentio. Unde collige ex ære quidem conflatum, ſed in flammæ ardentis ſpeciem. Hinc quia flagrantis erat ſignum, flagrantes quoque ſerpentes primos fuiſſe eſt neceſſe ut *Lyranus* & *Rabbinorum* plerique verba ſcripturæ, ut ſonant, retinentes pro confeſſo habeant, veras & lethales ſcintillas igneas, per aera ex ſerpentibus miſſas, ſummo formidinis tormento conſcias animas terruiſſe. Quæ quoque ſententia videtur Legiferi *Deuteron.* 8. 15. *Ductor tuus fuit in ſolitudine magna atque terribili, in qua erat ſerpens adurens, & ſcorpio ac dipſas, & nullæ omnino aquæ.* Cui adverſa fronte repugnat *Autor libri*, qui *ſapientiam* præfert, cap. 11. 18. 19. 20. ubi iter populi exponens, Dei miſericordiam eo nomine præſertim laudibus extollit, quod nec nova animalia, nec ignitos ſerpentes in tormentum miſerit: *Non enim impotens erat omnipotens manus tua immittere illis multitudinem urſorum, aut audaces leones, aut novi generis ira plenas, aut ignotas beſtias, aut vaporem igneum ſpirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis ſcintillas immittentes, quarum non ſolum læſura poterat illos exterminare, ſed & aſpectus per timorem occidere.* Qui quidem Autor in majus pio Zelo opera Jehovæ extulit, quum Salomon non fuerit, ſed, teſte *Hieronymo*, Phylo Judæus, unde & Librum hunc ignorant Hebræorum volumina, & inter Pſeudographos numerat idem *B. Hieronymus*. Sane שרף ubique ardentis flammæ figura. Unde Seraphim, de quibus *Eſaiæ* 6. 6. *Et vocavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus carbo ignitus, quem forcipe tulerat de altari.* Unum hunc de Seraphim aliqua Divinitatis luce os illuſtre monſtraſſe, dicit *R. Jonathan*, ſervumque ſedis gloriæ fuiſſe, quæ in cœlo ſupra altare ſit. Sed *Joannes Buſtamantinus* apud Complutenſes Doctor *lib.* 2. *c.* 2. de *Rept.* S. S. contrarium Moyſis Salomoniſque ſenſum ſoluturus, Salomonem de ſerpentibus ignem ab internis ſpirantibus, aut ab oculis emittentibus egiſſe fatetur; non tamen obſtante, quin aliqui ſerpentes ab effectu alio igniti accenderint aerem, & inflammarint oris ſufflantis ardore. Nempe ignitos vocandos, quia potentius igne, veneno cauſticæ & pyroticæ naturæ utere poſſint, & comburere tandem incendio & æſtu, ut febris *ignis* vocantur, & *Ignis ſacer*, Eryſipelas, quod effectus ignis edant. Tales forte eſſent ſeps & ſalpinga ſerpentes, de quibus *Iſidorus* libro laudato, aliique, & omnino communis foret is omnium venenatorum effectus. De morſu tamen ſolo extant ſcripturæ loca *Sap.* 16. 5. ubi morſibus perverſorum colubrorum exterminati dicuntur, parique fato 1. *Cor.* 10. 9.

10. 9. a ſerpentibus periiſſe: Unde & *Rabbi Salomon* interpretatur, combuſtos fuiſſe eo tempore homines veneno dentium illorum, quo ſententiæ flexu capiendum quoque videtur, quod *Eſaiæ* 14. 29. dictum: *De radice colubri egredietur regulus, & fructus ejus ſerpens ignitus volans.* Ad quem locum notat *R. Jonathan*, ex nepote proditurum unctum, cujus opera in vobis (ſc. Philiſtæis) erunt, ſicut ſerpentis volantis, hoc eſt exitia, quod in Ezechia impletum 2. *Reg.* 18. Coluber autem ſerpens eſſe debet, ut in origine eſt נחש pro vipera ſubſtituendus ex eadem Baſiliſcus, quem *Hebræorum Magiſtri* צפע nuncupant; שרף autem recte *Oſiander* Ignitum vertit, per Analogiam vero effectus abſorbentem appellavit vulgatus Bibliorum *Interpres:* ſed quo jure *R. Leon Mutinenſis* in Lexico Rabbinico שרף apud *Eſaiam* per Tigridem expoſuerit, ipſe Doctiſſimus non moneat. Cæterum hæc, ut dixi, ex eventu ignito interpretatio, omnes ex æquo ſerpentes in populum immiſſis monſtrat, nec ad certum genus reſtringit, quod alii felicius aggreſſi ſunt. De viperæ enim ſpecie, quæ διψας vocatur, accipit *Paulus Eborus*, cui ab effectu nomen, quod ſitim iis, quos ſauciat, & veneno ſuo imbuit, excitare ſoleat inexplebilem, qua, velut ardenti flamma, altiora viſcera uruntur. Verum parum ad rem præſentem hæc conjectura, cum expreſſe dipſas ab illo, qui flatu adusſit, *Deuter.* 8. diſtinguatur, nec ſitis ulla populum, quamvis antea ex more lamentantem, vexabat, quam tantam dipſas inferre ſolet, ut, teſte *Galeno l.* 11. *ſimpl. Med. c.* 2. & *Nicandro* in Theriacis, prius onere potus dirumpantur læſi, quam a ſiti liberentur. Nec nomen viperæ convenit, nec natura. Non illud, quod שרף nuſquam viperæ accommodatur; צפע quidem illi in *Eſaia* jungitur, ſed male per viperam reddidit *Interpres*, quia Baſiliſci eſt notio. Nec hæc, quam unum oviparum ſit animal, viviparum alterum, parvaque ſimilitudine ad ſe accedant apud *Galenum*. Nuper *Samuel Bochartus*, Vir Eruditionis profundæ *par.* 2. de *Animal. ſacr. ſcript. lib.* 3. *cap.* 13. veroſimile judicat, ſeraph eſſe hydrum vel cherſydrum, quanquam hydrus in aquoſis locis naſcatur & educetur, qualibus caruit deſertum Iſraelitarum; potuiſſe tamen aliunde a DEO immitti & accerſiri. Preſſius rem tangit fortunatiſſimus in myſteriis veterum indagandis *Fortunius Licetus*, qui *lib.* 3. De *Spont. Viv. Ortu cap.* 11. Dracunculos ex corporibus Hebræorum morſorum pœna divina exortos credit, eoſque adeo malignos divinat, ut eorundem membra crudeliter eroſerint, eroſa inflammarint, inflammata dolore vexarint, ab effectu denique morboſo ignei denominationem traxerint. Hoc morbi genus inter Orientales populos ſæpe graſſatum, ut tanto Viro firma conſtet autoritas, ex *Plutarcho* docemur, qui ex Agatarchidis mente hic *lib.* 8. *ſympoſ. Quæſt.* 9. loquitur: *Maris rubri incolæ affectionibus novis & nunquam auditis tentati ſunt, nam Dracunculi quidam parvi crura & brachia edentes eruperunt, qui ſi tangebantur, ſtatim emergebant, atque muſculis infixi minime tolerabiles inflammationes pariebant;* hoc morbi genus prius nemo vidit unquam; neque poſterius aliis niſi his ſolis, contigit, ut alia multa. Conſentit *Actuarius lib.* 4. *Meth. Med. cap.* 16. in regionibus ſupra Ægyptum potiſſimum provenire Dracunculos. Sed *Galenus lib.* 6. de *Loc. Aff. c.* 3. alterius ad Arabiæ loca refert, & *Aetius Tetrab.* 4. *Serm.* 2. *cap.* 85. in Æthiopia collocat ac India, a quibus hodie Luſitanis, qui Æquatorem peragrarunt, innotuit hæc morbi peſtis, ubi frequentiori noxa homines afflari, narravit mihi eorum locorum gnarus *Samuel Chabibi* Hebræus Venetus, Medicuſque ſcripto de Venæ Sectione clarus. In Inſula Ormuz accurate depingit *Joh. Hugo Linſchoten cap.* 6. Itinerarii. Unde & ab Æquatore reverſi Europæi ſubinde ingratas has merces ſecum vexerunt, quas in nauta Belgico vidit olim Experientiſſimus Joh. Rhodius noſtras, ex India reduce, cui ſura manifeſte verminabant. Male autem ex levi inter utramque affectionem forſan diverſitate, quæ vel nulla ex Plutarcho Moyſeque apparet, vel admodum exilis, diverſum hunc maris rubri morbum ab illo, qui Iſraelitas invaſerat, contra *Licetum* induxit *Ezechiel Caſtrenſis*. In minima quippe non raro ludunt tam Natura, quam Morbus, qui eadem facie vix ullum aggreditur. Scrupulum tamen injiciunt *Galenus*, *Aetius*, reliquique ad teſtimonium antea citati, qui pueris fere tantum uſitatum hoc morbi genus probant, nec ullum moleſtiæ aut doloris ſenſum inferre, niſi abrumpantur. Saniores autem erant Hebræi, & Tormenta experti ſunt vehementiſſima. Sed nihil ad nos hæc a ſuſcepta opinione dimovent. Quippe puerili ut plurimum ætati familiares dracunculos concedo, provectiori rationes, non tamen inviſos, ut experientia poſterorum perſuademur, præſertim quando Naturæ defectum Deus vindex ſcelerum ſupplevit. Nec exilitas vermium obſtat, quæ indifferens; aliquando enim quoque majores fuerunt apud *Aetium*, & lum-

lumbricis latis ventris assimilati a *Galeno*, *Aetio & Actureo*. Tormenta primo affectionis tempore parva sunt, at ubi inveteraverint Dracunculi, livescit locus & supputatur, teste *Aetio*. Ut credere non possim in nervosa musculorum parte dolores absfuisset; nervosos enim appellat *Galenus* & ex *Sorano* Paulus *Ægineta* affert, nil esse præter nervi alicujus concretionem. Unde excitatur inflammatio sensibilis partis, & dolor urgentissimus, maximo actus momento, si Jehova pondus adjecerit. Ubi notanda Clarissimi Viri *Lazari Meyssoreni* conjectura, qui venarum quoddam esse excrementum suspicatur *cap.* 8. *Morb. Nov.* si quidem Dracunculi sint, quos a setis les Soyes Narbonenses appellant. Ea quoque fere *Paræ* fuit opinio *lib.* 7. *c.* 21. a sanguinis fervore deducentis. Ab aere nocturno seu rore contrahi in Itinerario suo nuperrime Gallus quidam *Anonymus* credit. Tandem igniti vocabulum multis ex effectu attribui notius est, quam ut demonstrem: eo enim ad clypeum fortium utitur *Nahum.* 2. 3. idemque sermoni DEI *Proverb.* 30. 5. & *Psalm.* 119. *v.* 140. Plura de his dixi quam speraveram. Amore tamen Jesu mei pennam implevi, cujus crucem & merita serpens æreus in eremo suspensus præfiguravit, sicut ipse servator nos docuit, & repetit *Tertullianus lib. adv. Jud.* & *lib.* 3. *contr. Marc.*

VII.

Jobi morbus excutitur,

ex Job. 2.

ANxietatem seu tædium sui, quod fere comitari solet febres, quas *Hippocrates l.* 4. *Acut.* §. ἀσώδεις appellat, præter alios morbos, habuisse Jobum patientissimum *Stephani Roderici* est commentum *lib.* 2. *Quæ ex quibus c.* 21. Ita quippe ipse *Job. c.* 10. *tædet animam meam vitæ meæ*. Non improbo eruditi viri conjecturam, sed tædium hoc seu antiquitatem ex alio principio advocarim. Antequam sententiam meam aperiam, aliorum sunt expendendæ. Inprimis se offert *Joannes de Pineda* Soc. Jesu Doctissimus Theologus, qui *Comm.* in *Job. c.* 2. *v.* 7. 8. omnia fere morborum externorum & internorum genera recenset, & Jobo applicat. Imo quod mireris, *sect.* 5. laborasse quoque lue Venerea cum *Vatablo* probat, quem sequitur *Cyprianus Cistercienfis*. Paradoxum *Vatabli* ratione confirmat, nam ex Medicorum judicio is affectus contagiosus cum ulcere, aut immani cruciatu, variis locis emergit, ac sæpe extuberat, in corpus omne spargitur, & non solum carnem, sed partes etiam solidas pervagatur, universamque corporis substantiam pervertit. Hoc vero morbo fœdissimo, qui cum scortatorum & turpissimorum hominum flagellum sit, Satan voluit Virum honestissimum, ignominiose afficere. Ita quidem se optimo Castissimoque Viro *Pineda* ratiocinatur, præter rationem divinæ indulgentiæ, quæ ad honesta se extendit, non ignominiosa membrorum genera. Castus fuerat Vir sanctissimus, nec ulla prava concupiscentia aut illicita, meruit sinistram famam. Neque isto Jobi seculo turpissimum hoc morbi genus inter mortales innotuit. Quippe loco illo *Hippocratis* 3. *Epid. sect.* 3. quem *Vallesius* & *Reusnerus* pro antiquitate hujus luis afferunt, pestilentiam longe gravissimam describi recte cum *Galeno* aliisque Interpretibus defendit diligentissimus *Sennertus l.* 6. *Prax. part.* 4. *c.* 1. ex historiæ evidentia. Nam morbus ille utplurimum cum febre invasit, quod non accidit in lue Venerea; & fuit epidemius, cum lues Venerea saltem per contagium, & nullo alio modo fuerit disseminata; longe etiam alia ratio morbi illius, quem lues Venereæ curandæ fuerit. Audet tamen *Pineda* de Jobo affirmare potuisse hoc morbo laborare, nam Dæmonis arte potuit ad ejusmodi intemperiem adduci, ut in malignam illius morbi naturam humores degenerarent. Sed nimium audax est *Pineda*. Dæmon ea fuerit solertia, ut humores ad illam intemperiem flecteret, quam ejus naturæ & constitutioni congruam scribat. At malignitas hæc quæ spurcum contagium sapit, prorsus aliena erat ab humoribus Jobi, a temperie Jobi casta. Torquet se *Pineda* & præter historiæ omnis fidem asserit, (ut Jobo ægre sit,) nunquam non alicubi gentium eum morbum semper pervagatum fuisse. Manus victas dabimus, si id probaverit. Medicorum confessionem pro se adducit, statuentium a contagio fieri: Nam vel abeundum in infinitum, ita ut nunquam incepisse deprehendatur; vel sine contagio fieri posse disturbatis humoribus & ad insignem intemperiem adductis. Cæterum intemperies ista maligna non oritur, neque orta usquam observata sine contagio a mulieris congressu. Fatetur ipse incepisse luem in Valentia, quo tempore Carolus Franciæ Rex expeditionem Italicam parabat cum elephantiosus quidam nobilis miles ad nobile scortum accederet; quicunque igitur deinde ad mulierem ingressi sunt, eo malo infectos fuisse, elephantiosi in illud degenerante. At nobilis

lis ille miles Hispanus ex India Occidentali id malum secum cum *Columbo* asportavit 1494. deinde in obsidione Neapolitana cum Hispani ob annonæ caritatem multitudinem inutilem urbe pellerent, Galli scorta eorum pulchritudine allecti, clam exceperunt, & ita eorum contagio infecti hunc morbum contraxerunt & per Europam disseminarunt. Ita narrat *Fallopius* de *Tum. c.* 34. ubi contra *Leonicenum* disputat morbum hunc nec ab astris deductum, nec ab aere illuvione Tiberis tum infecto, nec denique esse Epidemicum. Quanquam *Fioravantius* Empiricus *lib.* 1. *Capric. Medicinal. c.* 27. a mortuorum hominum carnibus, ciborum penuria tam ab obsessis, quam obsidentibus Neapoli comestis, originem luis derivet: tamen ad eluendam vel excusandam gentis ignominiam id finxisse credo. Quæ si vera origo, non miramur, quod Indis anthropophagis familiaris antea fuerit. Non id tamen credo. Sed unde apud Indos originem traxit, ut quia contagium defendimus, *Pinedæ* satis faciamus? A Deo libidinis vindice immissum, dubitare non possumus. Id vero Jobi ævo factum, nemo idonea autoritate dixerit, posterioribus seculis futurum Dæmon divinare non potuit, uti in Jobo affligendo præverteret novi morbi inductione divinam vindictam. Verius concludit *Pineda*, Jobi elephantiasin non longe ab ista lue abfuisse, sed male jungit dæmonis sævitiam in illa elephantiasis mutatione procuranda. Rectius voluntatem dixisset, si morbi istius ullam præcognitionem habuisset. Cæterum elephantiasin Jobo plerique affricant, etiam *Sennertus l.* 5. *part.* 1. *c.*40. cui similem faciunt Lazarum *Luc.* 16. Negari non potest in Palæstina familiarem illam scabiem fuisse. Etiam in Ægypto vicina. Ita enim *Lucret. l.* 6.

Est elephas morbus qui Nili flumina propter
Gignitur Ægypto in media, neque præterea usquam
Atthide tentatur gressus, oculique in Achæis
Finibus ——

Ea notæ Elephantiæ apprime conveniunt, a *Celso* recensitæ *lib.* 3. *c.* 23. *Totum corpus afficitur, ita ut ossa quoque vitiari dicantur: summa pars corporis crebras maculas crebrosque tumores habet: rubor harum paulatim in atrum colorem convertitur. Summa cutis inæqualiter crassa, tenuis, dura, mollisque, quasi squamis quibusdam exasperatur, corpus emacrescit, os, suræ, pedes intumescunt. Ubi vetus morbus est, digiti in manibus, pedibusque sub tumore conduntur, febricula oritur, quæ facile tot malis obrutum hominem consumit.* Passim de his symptomatibus conqueritur Jobus. Denigratam cutem deplorat *cap.* 30. 30. cutis duritiem & asperitatem *cap.* 16. 10. & cætera quæ singulis paginis leguntur. Ad squamas & pruritum testa utebatur, quia fictionem unguibus perficere non potuit, quam in elephantia commendat *Celsus l. c.* Inepti enim erant ungues, quia digiti sub tumore conduntur in ista scabie. Difficultas tamen nos remoratur, quod *ulcus* vocetur Jobi morbus. At vere *Coccejus* in *Comm. Job:* certum genus ulceris hic definire, esse vaticinari scribit שחין est inter plagas Ægypti, quam & Israelitis comminatur *Deut.* 28. 27. 35. At quo modo ulcera sine insigni & dolore & symptomatis malo testa radi possint, non video. Sine dubio pro quovis tumore & scabie pustulisque ulcus hic accipiendum. Ita lata significatione *vulnera* vocavit *Cyprianus serm. de bono patient. Accedit vulnerum vastitas & tabescentes ac defluentes artus vermium quoque edax pœna consumit.* Nisi frequenti asperoque testæ rudioris contactu in ulcus generaverit scabies ista, quod sæpe contingere observamus. Quid si de Ulcere Syriaco cogitemus? Ulcera tonsillarum maligna Ægyptiaca & Syriaca appellata describit accurate *Aretæus lib.* 1. *de Caus. & sign. Acut. morb. c.* 9. cujus verba per interpretem *Junium Paulum Crassum*, quem sequitur *Heinschius*, repetemus, ut conspectior fiat ulceris hujus cum ulcere affinitas: *Dolor quidem acer, & calidus, qualis in carbunculo, spiritus vitiatus: Exhalant enim maximæ putredinis odorem, eundemque vehementer in pectus spirando adducunt. Immundi adeo sunt ut neque suum ipsorum odorem ferre queant. Pallida bis seu livida facies, febres acutæ, sitis, ut igne accensi videantur, potum veriti dolores non admittunt. Tristantur enim cum tonsillæ comprimuntur, aut potus in nares resilit, quumque decumbunt, surgunt ut sedeant, decubitum non ferentes, quod si sedeant, quiete carentes, iterum decumbere coguntur; plerumque autem recti stantes obambulant: Nam quiescere nequeunt. Solitudinem fugiunt, dolorem dolore tollere tentantes. Inspiratio magna est, exspiratio vero parva, num veluti igne exusta ulcera cum sint, a calido præterea spiritu incenduntur Raucitas adest: Vox nihil significat. Atque hæc in pejus ruunt, quum subito in terram collapsis anima deficit.* Singula symptomata accuratius conferenti patebit Jobi ulcus. Ægypti & Syriæ ulcera vocantur, quia ibi frequentia. Jobus Idumæus erat, teste *B.* *Augu-*

Augustino l. 13. *de Civit. Dei cap.* 47. & Syriæ pars est Utz, ut *R. Salomon* autor est, in qua degebat Job. Synanchin habuisse ipse querulus fidem fecit, cum quasi laqueo, tumore faucium halitum intercludente, strangularetur. Ita & censet *Philippus* & *Beda*, quos sequitur *Pineda*. Febri torrebatur, qua omnia ossa arefecta. Ulcus ipsum שחין a *Calore* dicitur monente *Mariana*. Sahan enim Chaldæis calefacere, 3. *Reg. lib.* 1. Inquietus erat animo & corpore, sicut apud *Hippocratem* 5. *Epid.* Parmeniscus, qui adeo sui tædio tenebatur, ut cuperet e vita discedere, cui similis alter cui progressu temporis advenit ῥιπτασμὸς seu jactatio corporis, quod chariti 7. *Epid.* accidit, quæ stragula rejiciebat. Dolorem autem ulceris, dolore testæ mulciebat Job. Ne vero credamus tonsillarum solum esse vitium, primo cerebri quoque regionem incusat *M. Aur. Severinus* in *Pædanchone*. Cui suasioni favet anatome complurium corporum vi morbi hujus, qui in Calabria & Sicilia grassabatur Anno seculi currentis 18. enectorum in quorum capitibus exsectis reperti grumi sanguinis lato schemate diffusi sub maximos sinus membranæ crassioris, unde hæmorrhagia narium in plurimis successit. Nec cor immune est, venenosis halitibus cum pulmone infectum, nec ventriculus labem effugit, qui excerpta sanie per œsophagum inquietatus, ut naturalibus actionibus defungi nequeat, hinc ad universum corpus ulcerosa dispositio manat. Pulmonibus ulcera cacoethe infligi in Infirmiorum Hospitio per anatomicam sectionem observavit Panormi *Marc. Anton. Alymus* in *Consult. de Ulc. Syriaco pag.* 59. Alios idem macie in dies consumtos vidit, quia appetere non poterant nec absumtam ciborum parsimoniam digerere, qui in maximas ventriculi angustias incidentes, multos lumbricos evomebant, post quorum mortem ventriculi fundum ulceratum adinvenit. Tales sane vermes in Jobo quoque *Cyprianus* supra laudatus agnovit. Cerebrum igitur, gula, cor & ventriculus ulceribus malignis in Syria grassantibus cum infecti fuerint, non mirum difficillima symptomata enata, quæ passim in morboso Jobi statu recensentur. Illustrat argumentum hoc ipsa curatio per cinerem. Sedebat enim ulcerosus Vir in cinere, & medelæ gratia & humilitatis indicio. אפר *Epher* cinis, pulvis, locus nempe pœnitentiæ *Job.* 3. ipsa Jobi confessione *cap.* 42. 3. 6. *Insipienter locutus sum, idcirco ago pœnitentiam in favilla & cinere*. Septuaginta *Interpretes* κόπρεια reddunt, quos sequutus *Vulgatus* sterquilinium vertit, & cum eo non pauci. Quanquam ulceribus non inconveniens sterquilinium sit, tamen majorem cinis antiquitatem habet. In luctu & pœnitentiam cineribus aspergebantur veteres, præsertim Judæi. Huc trahunt *Matthæum cap.* 16. 16. ἀφανίζουσι τὰ πρόσωπα. Velant faciem scilicet cineribus, quod *Joannes Lightfootius Hor. Hebraic.* ad *Matth.* ex Rabbinis confirmat. Nam *Taanith. cap.* 2. *In publicis jejuniis accipit unusquisque cineres, ac imponit capiti suo*. Consuluit eadem opera ulceribus suis Vir ille patiens & fortunæ ludibrium. Cinis enim ulcera siccat, mundatque *Dioscorides l.* 5. *c.* 135. escharoticis, sive crustas obducentibus medicamentis, miscet sarmentorum cinerem. Cum tam solide curet, & magis stringat, *Galeno* monente, vel quisquis autor est libelli de simplicibus medicaminibus ad Paternianum. Qui ad rem nostram ita porro loquitur: *Ipse cinis in recentia vulnera in profundum positus sanguinem statuit a cursu. Ideoque omnibus pecoribus castratis cinis impositus prodest, omnibusque abscissis. De sarmentis tamen olivæ cinis acerrimus est, & ex nucleo solo acrior est, & ex hoc lixiviæ, vulnerum cancerata auferri etiam acriore lixivia sordida vulnera lavanda sunt*. In ulcere Syriaco, seu maligno faucium ulcere *Aretæus lib.* 1. De *Curat. acut. Morb. cap.* 9. ad exsiccationem, medicamenta arida inspergit penna. Ingens scrupulus superest, qui amovendus omni ope Febris acuta ulceri Syriaco jungitur, cum Jobi morbus chronicus fuerit. Nam Septuaginta *Interpretes* tempus multum vocant. *Chrysostomus* multos menses numerat. *Origenes* tres annos cum dimidio, *Suidas* septem definit. Nihil afferit *Pineda* qui dignus est ab omnibus eruditis legi, longum tamen tempus concedit, sic enim exigere tentationis gravitatem, Viri probatam constantiam, & aliorum regum adventum, ad quos non subito nec omnino brevi tempore fama pervenit. Sed ad morbi hujus morem varium respiciens *Severinus*, Vir acuti ingenii & magnæ experientiæ, duas formas ejus observavit, quarum altera est acuta & ferme furiosa: altera prope sedata & lenta, quas fortasse determinat temperatura corporis, humor prævalens, habitus, sensus, mos, & hæc quidem in eadem urbe, oppido, pago: cæterum in longinquis & dissitis locis binos hos duos morbi mores definiverunt quoque constitutio & tempus anni, aer, aqua, loci victus, & cæteræ quædam occasiones aut causæ. In calidioribus igitur regionibus, in temperamento calido & bilioso, ætate juvenili, breviora tempora conficit ulcus Sy-

Syriacum, in frigidioribus tardiori pede tempora sua emetitur. Jobi temperies temporata, cumulatis animi mœrore crassioribus frigidioribusque humoribus, ætate confirmata & ad frigidam declinante, morbi acutas periodos tardavit, quo etiam operas suas Dæmon contulit, qui ad temperiem ejus morbum accommodavit, ut diutius eum in tormentis haberet. Parum enim abest quin Scorbutum accessisse credam a melancholicis humoribus excitatum in homine tot ærumnis defatigato, quem velut pilam versavit Dæmon. Tot enim pravis symptomatibus affliguntur scorbutici, ut Dæmonis instituto convenientissimus fuerit morbus Jobi tormentis augentis. Causæ præcesserant; animi mœror ingens propter amissa bona, conjugem liberosque amissos, aeris constitutio ad littora Syriæ maritima victus pravus ex inopia rei familiaris. Hinc humores pravi & melancholici coacervati, & sequutus effectus, nempe totius vitiosa constitutio, unde lancinationes, inquietudines, dolores, ulcera scorbutica, cutica, cutis denigratio, & mille alia mala, quæ scorbuticos vexare solent, recensita diligenter a *Severino Eugaleno* libro de scorbuto. Dentium mobilitas & gingivarum laxitas tanta in Jobo, ut cibum capere non potuerit, quanquam id ad oris labiorumque exulcerationes referat ex *Origene Sanctius*. Provocabat Satanas Scorbuticum malum, ad quod naturæ tum corruptæ vitio propensus erat. Ita inevitabimus cætera incommoda quæ aliorum ulcerum difficultates inferunt. Chronicus enim est hic morbus & vitæ ærumnosæ tædium affert incredibile. Non nomine quidem, sed symptomatibus notus fuit olim Scorbutus ipso *Hippocratis* ævo, qui *lib.* de *Morb. intern.* & *l.* 2. Prorhet magnos lienes vocat, ulceraque & postulas, & cætera scorbuticorum mala graphice describit. *Ægineta* & *Aretæus* per icterum nigrum exprimunt. *Strabo* & *Plinius* Stomacacen & Sceloturben nominant, Romanisque innotuisse perhibent. De quo alii fusius egerunt. Nos plura non addimus.

VIII.

De Lepra Judæorum.

Extra Urbem Jobum locant qui Elephantiasin illi affingunt, quia lege Divina, ne inficerent alios separari ab aliis jubebantur leprosi. Hinc ad lepram devolvimur, olim inter Hebræos familiarem. De qua tamen parci erimus, quia aliorum pennas librosque ad satietatem implevit. De Elephantiasi Medicos consulat, cui volupe, in primis *Hollerium* *l.* 1. *c.* 64. & ejus Enarrationes *Duretum*, *Valetium*, *Hautinum*, qui omnium votis satisfacient. Varia problemata jucunda ventilat *Mercurialis* multiscius *l.* 3. *Var. Lect. c.* 20. Cur nempe castrati non fiant leprosi? & cur Elephantici veneris magno appetitu stimulentur? Ubi etiam *Aetium* damnat, qui *l.* 13. *c.* 125. elephantiasi correptos generandi gratia cum mulieribus aliquando consuetudinem habere consuluit: esse enim non modo male affectos jugulare, sed etiam reliquos peste inficere, morbosumque genus humanum reddere velle. *Aetii* tamen ratio hæc est *tetr.* 4. *serm.* 1. *c.* 125. non in totum contagiosas successiones ipsius affectionis in omnibus fieri, præsertim si quis optime dispositus ad venerem incitetur. Novi certe lue Venerea infectos ex uxoribus sanis suos liberos suscepisse, nullo contagio aut matrem aut liberos obnoxios. Caute vero monet per rariora intervalla coire posse, cum ante coitum affectioni infestissimum pronunciarit. In statu igitur convalescentiæ coitum rarum concedit, si quis optime dispositus & semine jam in melius vergente, incitetur ad veneris amplexus. Addit ibidem *Aetius*, si non succedat curatio, quam eo capite instituerat, procul a mari & urbibus, segregandos. Cur procul a mari? scilicet ne commoditas concedatur navicula habitata alia loca invisere. Nam antea & natationes in mari concessit, & ex mari cibos. Nisi a mari idcirco arcendos jubeat, ne per natationem inficiatur aqua, aliorum usibus inservitura. Ab urbibus segregandi, ne consuetudine sua scabiem aliis affricent. Recte alibi idem *Aetius tetr.* 4. *s.* 1. *c.* 120. ex *Archigene:* malum esse affirmant cum ipsis conversari; inquinatur enim aer quem inspirando adtrahimus, ex ulcerum fœtore, & ex vitiata spiritus exhalatione. In Evangelio procul stabant leprosi & *Canone* 37. Concilii Ancyrani præcepit sancta Synodus, qui leprosi sunt vel fuerunt, inter eos orare, qui spiritu periclitantur immundo. *Num.* 12. Maria soror Moysis lepra percussa, separata fuit extra castra septem diebus. Hanc legem veterem mystice interpretantur *Canones Pœnitentiales* Juri Canonico affixi *pag. mihi* 1255. *Mariam scilicet significare pœnitentem. Interpretatur* (sit venia verbo) *enim amarum mare. Hæc pœnituit septem diebus, sed nunc pœnitet septem annis, quod significatum est Ezech.* 4. *diem pro anno dedi tibi.*

Cur nunc tam frequens non sit apud Judæos, quam apud Christianos, rationem reddit *Buxtorfius Pater Synag. Judaic. c.* 33. par-

partim quod pauci sint cum Christianis collati, partim quia temperant sibi a multis cibis, aliisque rebus, ex quibus hic moribus concipi potest. Cibos enim quod attinet, quam fieri potest, legem Mosis observant. In nullo tamen tam pervicaces sunt, ac in carne suilla. Nihilominus tamen leprosi quidam inter illos exstant, ut Antonius Margarita Pragæ suo tempore quosdam repertos esse testatur. Addo, liberiores jam esse, quia frequenti exercitio utuntur ad quærendum victum. Christiani quoque non ita infecti eo morbo deprehenduntur, ob variolas frequentes. Olim certe familiaris erat lepra in Insulis nostris Borealibus Feroensibus & Islandia, sicut Nosocomia ibidem extructa testantur, quæ nunc vacua ruinam minantur. Ignorare me fateor, quid sit Morbus Regius de quo prolixe disputat *Zacharias* Papa I. *Epist.* 12. ad *Bonifacium*. Nisi valde fallor, cum lepra confunditur. In primis Judæi morbum effugiunt abstinentia a carne suilla, cujus caro insalubris creditur & lepram generare. Quanquam enim *Celso* & *Galeno* suilla caro inter domesticas quadrupedes levissima putetur, *Mercuriali* tamen placet *l.* 3. *Var. Lect. cap.* 8. Judæos ob sanitatem potius non vesci carne suilla, quam ob superstitionem. *Plutarchi* autoritate se tuetur, qui 4. *Symbol. Probl.* 5. rationem reddens cur Judæi carnibus suillis abstinerent; omnem suem, ait, sub ventre, lepra ac efflorescentiis refertam fere esse semper, quæ nimirum ob malum quendam habitum, atque corruptionem corpori ingenitam in corporibus summis efflorescere videntur. Bestiæ quoque hujuscemet circa victum sordities pravitate non caret. Cæterum male caro suilla in sanis damnatur, cum ex *Hippocrate* cæterisque ad unum fere omnibus Græcis, Latinis & Arabibus inter valentissima alimenta numeretur, quibus etiam athletæ & alii ad robur corpori acquirendum vescebantur, validissime enim nutrire ob glutinosum succum, qui partibus afflicti non facile discutiatur, sicut post *Galenum l.* 2. *Meth.* explicat *Petrus Castellanus l.* 2. de *Carn. Es. cap.* 5. sed requirit exercitium & stomachum idoneum *Hippocrates*. Judæis quidem noxia caro suilla esse non potuit, quia calidiori ventriculo & æstuante præditi facile superabant noxas, si quas habeat. *Simeon Sethi* humidos ventres negat bene concoquere suillam. Nec deerat illis vinum, quod *Schola Salernitana* huic escæ adjungit. In Syria leges patrias carnem suillam prohibuisse Domininus Philosophus apud *Suidam* testatur, sanitatis tamen causa cum esset hæmoptoicus, somnio Æsculapii parens, suillas carnes comedit & iis semper vescebatur. Glutinoso enim humore ora venarum in pulmone potuerunt solidari. Non igitur Judæi suem aversantur, metu lepræ, a qua immunes per Dei gratiam sunt patriæ incolæ, quibus quotidianus fere est ejus. Memini *Burrhum* ejus fuisse sententiæ, carnem suillam quidem lepram inducere, sed corio inhiberi, quo minus vel sues ipsi vel comedentes lepra consumantur. Imo ad lepram curandam ex sanguine suillo spiritum extraxit. Politicam rationem habuisse Judæos vero fit simile, cur postea suem exosum reddiderint, quæ deinde vim legis obtinuit vel superstitionis. Esus lege divina prohibitus fuit. Sed ipsi Judæi porcos quoque alere vetuerunt, ne quidem ut ungantur iis pelles, quod ex *Cod.* 1. *Ebr. c.* 7. §. 7. & ex *d. Ascher annot.* ad *Misnam* docet *Const. L'Empereur*. Scilicet nolebant porcos alere ne agros Palæstinæ effoderent, & inquinarent fertile solum. Hinc maledictione prohibitum est Judæis canes alere & porcos apud *Maimonidem* aliosque. Canes quidem alere permissum, sed catena ferrea ligatos, ne nocerent morsu, quanquam etiam posterioribus seculis pro dedecore habitum sit portare canes, de qua Κυνοφορία eruditam edidit epistolam Cl. *Jo. Heinr. Meib.* Antiqua quoque vestigia extant. *Homerus Odyss.* XI. de quodam apud inferos: *Olim me huc misit, ut canem ducerem! non enim aliud existimabat hoc mihi gravius esse certamen*. Prohibita quoque fuit inter Judæos mercatura cujusvis rei immundæ, quod ex Glossa in *Kama* illustrat, *Lightfootius* in *Matth.* 8. 30. unde vel Ethnicorum inter Judæos Gadarenos habitantium porci fuerunt, de quibus eodem capite *Matthæi* agitur, vel Judæorum, quibus dulcis odor lucri ex re qualibet. An vero lege ulla Dei, porcos alere Judæis prohibitum sit, ipsi viderint, qui tam sunt tenaces præceptorum divinorum, sæpe tamen ipsis sibi leges præscripserunt. Originem hujus interdicti tradit *Josephus lib.* 13. & 14. & ex eo *L'Empereur l. de Legib. Hebr.* ubi Germanorum Doctorum verba afferuntur. Hodie abstinent a carne suilla propter longam consuetudinem, sicut fatentur ipsi in *Historia Judaica* edita a *Gentio*. Immunditiem enim non considerari, exemplo gallinarum demonstrant, quæ in sterquiliniis victum quærunt. Cur cibi alii immundi Hebræis, alii mundi, cum omnia bona a Deo creata sint, disputat *Tertullianus* Epistola de cibis Judaicis.

IX.

Senis Davidis remedium.

1. *Reg.* 1.

SEnex David aliter calefieri non poterat, quam accubitu virginis pulchræ. Senectutis hæc credebatur levamen, & caloris pene extincti suscitabulum. Juvenculæ enim calore sive osculo, sive corporis contactu excitatur debilis senum calor, sicut lumen candelæ pene deficiens admoto alio lumine reviviscit. Nihil hic turpe commissum a sancto Rege, a qua culpa absolvitur in progressu capitis. Nec aliter de pietate Regis judicat *Fl. Josephus Lib.* VII. *Cap.* 11. *Ex communi*, inquit, *Medicorum consilio decretum de Abisace: quæ cum Rege algioso cubitans*, *nihil aliud quam recalfaciebat; jam enim præ senio ad venereas res elanguerat. Contactus sufficiebat*, *quo per venas seniles juvenculæ blandus fotus; ad cor per circulationem delatus*, *corpus frigidum refocillabat*. Ita Barbarossa ætate extrema, consilio Hebræi Medici, puerulos continue stomacho & illis pro fomentis applicasse scribitur. Catellorum idem effectus, quos non male abdomini ægrotorum insternimus. *Rabbi Moyses Aphor.* 30. sive *Jo. Damascenus* editus cum eodem Moyse, paralyticos multum juvare prodidit, si adolescens puella lateribus apponatur, caloris naturalis causa. *Ficinus* igitur ait, Davidem contubernio puellæ, alias salubriter, sed nimis sero usum fuisse. At *Verulamius* in *Hist. Vit. & Mort.* addit, quod puellam illam, more Virginum Persiæ, oportuisset inungi Myrrha, & similibus, non ad delitias, sed ad augendam virtutem fomenti ex corpore vivo. Gratior vero est sanæ pulcræque virginis calor & conspectus, omnibus odoriferis. Patet corpus crebris foraminibus cutis magnis parvisque quæ poros cutis vocamus, per quæ communicatus a puella calor ad inter ora commeat viscera, quanquam Transfusione ipsius sanguinis, quam nuper curiosa ingenia in Italia, Germania, Gallia & Anglia tentarunt, juvenescere potuerit David, si ad nostrum seculum fata illum servassent. Accessit solatio Davidis gaudium ex conspectu & accubitu pulchricomæ Veneris, quo non parum incalescere potuit. Vere enim filius *Salomon* Prov. 17. 22. *Animus lætus bonam facit medicinam; spiritus autem fractus exsiccat ossa*. Et ad rem Hippocrates 2. Aph. 23. *in quovis morbo animo bene valere*, *ac rebus convenienter datis gaudere bonum*. Hinc Musica pro morborum multorum curatione apud veteres advocata, ut etiam melancholiam Saulis lyra sua David junior composuerit, de quo quia in *Paralytico Primo*, & *Quæst. Nuptial.* 7. egimus, hic actum agere nolumus.

X.

Ezechiæ curatio per ficum.

2. *Reg.* 20.

DE morbo seriam controversiarum ducunt eruditi. Pleuritidem fuisse censet *Petrus Hispanus*, postea Pontifex *Joannes* XXI. in Thesauro Pauperum *cap.* 26. Pestem alii, unde in bubonibus pestilentialibus solas ficus coctas & pistatas cum pauxillo butyri veteris & theriacæ mistas feliciter in peste Noviomagensi applicabant, teste *Diemerbroeck lib.* 3. de Peste *cap.* 12. §. 12. Ego anginam subfuisse ausim affirmare, quæ, quia peracutus morbus, tertio die perimere solet, qua Ezechias Dei manu evasit. In hac certe ita angustanter fauces ex inflammatione & tumore, ut vix per sibilum verba exprimantur. Hinc pipire se dicit *Esa.* 38. Maligna illa fuit & pestifera, cui & leniendæ & maturandæ ficus conferunt. Durities discutiunt, parotidas & furunculos emolliunt, panos mutarant apud *Dioscorid. l.* 1. *c.* 183. Movere pus & evocare ficum aridam decoctam *Celsus* quoque consentit *l.* 5. *c.* 12. quo cum facit *Levinus Lemnius c.* 19. de *Herb. Bibl.* Ad inflammationem potius sedandam, quæ magis urgebat, quam ad ulcus, respiciendum judicat *Johannes de Mey Comm. Phys. part.* 2. *cap.* 4. cui nulla ratione melius subveniri poterat, quam admoto cataplasmate ex carne caricarum cum farina hordei, si resolutionem admittebat inflammatio, sin minus, cum farina tritici, ut facta suppuratione mitescerent febres, & reliqua accidentia. Utrique igitur malo, quia in ulcere faucium jungebantur, tumor nempe & inflammatio, ficus conveniebant. Inprimis abscessui periculoso. Nam *Aetius tetr.* 1. *serm.* 3. *c.* 179. cataplasma conficit abscessibus, qui non facile maturi fiunt, ex ficubus coctis cum hordeacea aut triticea farina. Curatio vero ista per ficum supernaturalis fuit, & naturalis, ut recte disserit *Hier. Bardus* in *Med. Cath. Polit.* §. 7. *Art.* 3. cum trium dierum spatium pro curatione, qua e lectulo surgere poterat, assignetur, cum statim potuisset Dei virtute a morbo dicto citius convalescere. Tertio autem die, tanquam critico in peracutis, sanari debebat.

XI.

XI.

De Asæ Regis arthritide.

2. *Chron.* 16.

HIc cum ægrotasset anno 39. regni sui dolore pedum vehementissimo, dum nimium Medicis eorumque manibus defert, oblitus ipsius Dei, dormivit cum patribus suis. *Bardo* probabilius videtur ab ipsa podagra trucidatum fuisse, nullo alio intercedente morbo, adeoque naturali progressu ipsius morbi, dum tandem Regem occideret Dei permissione. Contrarium sentit *Sebastianus Baldus*, cum haud videatur probabile ex podagra longo satis morbo Asam potuisse mortem oppetere, sed potius ab humorum recursu seu diadochi, in aliquam principem partem novo emergente morbo quemadmodum pleuritico accidit, si in Empyema incidat; is enim non jam pleuriticus, sed empyematicus obibit *Hippocrati* 5. *Aph.* 8. Uterque amicus probabilia affert. Nam & hic & ille verus esse potest. Noti mihi podagrici solo dolore tandem consumti. Alios per metastasin humorum ad viscera nobilia, alio superveniente morbo, occubuisse observavi.

XII.

Jorami morbus Intestinalis.

2. *Chron.* 21.

BIennio exacto, longa tabe consumtus egessit intestina sua, mortuusque est infirmitatibus malis. Quodnam morbi intestinalis genus fuerit, non satis liquet. Dysenteria tormina quidem in intestinis provocat, sed longus morbus non est. Hernia intestinalis in longum tempus extenditur, sed dolorosa semper non est. In umbilicali tamen, magno cruciatu effusa ex abdomine intestina, vidimus vitæ filum abrupisse. Tenasmum & fistulam *Hieronymus Jordanus* libro, de eo quod Divinum est in morbis, *cap.* 32. suspicatur huc quadrare, quo mortis genere obiit optimus Titus Pomponius Atticus; sed intestina in neutro affectu egeruntur, ibi vellicantur, hic perforantur, in sede tamen manent. Et prognosticum est *Celsi l.*4. *c.* 18. Tenasmum nunquam per se jugulare. Nisi Dysenteriæ illa sit species, de qua *Gal.* 3. *Caus. sympt. c.* 2. Divinitus immissa illi parricidæ hæc esse tormenta, facer textus asserit. Ita & *Josephus lib.* IX. *Antiq. Jud. c.* 3. per interpretem *Gelenium*: Id malum in ventrem ejus ingruit, ut manifesto iræ divinæ indicio, miserabiliter periret, videns quotidie per ventrem intestina defluere. Magis ope dæmonis subinde creduntur maleficio suo intestina torquere, ut doloribus acutissimis, punctionibus, inflationibus & borborygmis intolerabilibus, quasi duo aut plures gladii adversi fuerint infixi, miserandum in modum excruciari passim leguntur, quod defendit *Jordanus* laudatus. Major in impios Dei potentia, ut excruciet eos quos odit. Percussit Joramum in intestinis hac infirmitate, cui nullum remedium supererat, concitatis ex impuro impioque corpore adustis biliosisque humoribus ad intestina, unde alvi fluxus diuturnus cum colica, ex cujus diuturnitate crebro & forti nisi intestina procidunt. Vellicata intestina, dolorem excitant, quod in colico dolore, Dysenteria, & Tenasmo experimur, propter nervorum in mesenterio & intestinis concursum a sexto pari, plerumque hinc inde per hanc regionem ramos dispergentem, quem nemo accuratius *Willisio* de *Nerv. cap.* 27. descripsit, & nervosam tunicarum substantiam. Expertus id est malo suo Eduardus Secundus Rex Angliæ, quem parricidæ immisso in anum candenti ferro, combustisque intestinis interfecerunt. Ipsa alvi solutione, quæ præter rationem accidit, in his diutius perseverante perturbatione pernicies intentatur, *Hipp.* in *Coacis*. Coli dolores jugulare homines, non paucis exemplis inter nostros didicimus, nec hic repetimus, ne amicorum dolore afficiamur. Accelerat fatum creber dejiciendi conatus, quo tandem laxatis vinculis anima simul cum intestinis ejicitur. Tali catastrophe hæresiarcha Arius vitam hæreticam olim clausit, repentino enim alvi motu coactus crepuit medius visceribus effusis, *Sozomeno* narrante *Hist. Eccles. cap.* 29. 30.

XIII.

Nabucodonosoris Mania, seu Melancolia.

Dan. IV.

DAta per monstrosos ungues occasione de Nabucodonosore nonnulla commentati sumus in *Epistola* 100. *Centuriæ Secundæ*, ad quam Lectorem remittimus. Pauca hic libabimus quia ita exigit instituti ratio. Falli eos credimus qui metempsychosin hic fingunt, somniantque quasi humanum ejus corpus in bestiale fuisset transmutatum, quo errore tenentur *Josephus* & *Bodinus*: Plerique in bovem

vem conversum existimant. In porcum *Constantinus Manasses* in Annalibus; *In furorem extremum devolutus est, seipsum insania quadam animi DEUM fecit. Sed horrendum in modum humiliatus est a DEO, de humana forma in porci figuram commutatus, supplicium hoc propter superbiam ferens*. Sed sacer textus *Dan.* 4. affirmat ejectum tantum fuisse ex hominum consortio, sive subditorum rebellione, sive proprio & spontaneo exilio ad solitariam hanc vitam damnatum. Comedisse fœnum, bovis in morem. Bovinos igitur mores induit, & negligentia cultus, in tantam longitudinem pili unguesque excreverunt, quæ quadam similitudines aves referebant. Quæ propria fuit Nebucadnezaris confessio ad se tandem, elapso septennio, reversi; intellectum nempe sibi rediisse, scilicet morbo laboravit, quem aliqui insaniam vocant, & furorem, rectius *Vallesius* de *sacr. Philos. c.* 80. melancholiam, qua sibi imaginabatur, se in bestiam immutatum, ideoque herbis pascendum, quod insanæ imaginationis genus plurimos afflat, qui succo nigro melancholico abundantes fingunt ea quæ nusquam neque picta neque scripta, & timent quæ timere non debent, ideoque se plerunque ab hominum etiam amicissimorum consortio secludunt. An illam insanam melancholiam nativum temperamentum concitarit, an aliæ externæ causæ a DEO superbiæ vindice illatæ, non æque liquet. Nimis audacter *Jo. Vierus l.* 1. de *Præstig. dæm. c.* 24. & *lib.* 4. *c.* 1. & cum eo alii, maleficio Diaboli inductam Nebucadnezari insaniam asserit, quo nomine recte vapulat a *Godelmanno* in *Lam. Bodinus*, quod alium sensum *Viero* affinxerit. Diaboli autem nulla in sacio textu mentio, nec revera eo honore dignus est, quem a multis obtinuit, qui plurimorum causas & tormenta illi attribuunt. Verissime enim cum *B. Augustino l.* 18. de *Civit. Dei c.* 18. credimus, Omnipotentem Deum omnia posse facere, quæ voluerit, sive vindicando, sive præstando, nec dæmones aliquid operari, secundum naturæ suæ potentiam, nisi quod ille permiserit cujus judicia occulta sunt multa, injusta nulla. Deo soli hæc de Nabucadnezare vindicta sumta tribuitur *Dan.* 4. *v.* 28. & 34. qui vel mentem superbi Regis turbavit ipse, vel causis secundis seu melancholiæ nativæ vim suam reliquit. Et certe sanæ mentis ante non fuit Rex, alioqui tanto supercilio opera sua supra Deum non extulisset. Unde continua rerum maximarum cogitatione accensi humores & adusti, sequuturæ insanæ melancholiæ occasionem dederunt. Hanc insaniam vocat lupinam aut caninam *Aetius terr.* 2. *serm.* 2. *c.* 11. & melancholiæ speciem esse recte monet cum *Ægineta l.* 3. *c.* 16. ubi & quædam annotarunt, quæ Nebucadnezari conveniunt. Noctu mense Februario exeunt. Quia homines fugiunt. Mense quoque Februario noctes sunt longiores, quibus in hac solitudine pererrent, quanquam *Arculanus* de veris principio interpretetur, quo humores melancholici moventur. Reliqua signa, pallor in facie, oculi cavi, sicci sine lacrymis, imbecilles, lingua sicca, calidi humoris atrique excessum notant, & vultum deformem. Tibiæ exulceratæ incurabiliter dicuntur propter assiduos casus & canum morsus, vel potius quia naturæ beneficio atræ bilis succus pravus ad exteriora cutis propellitur, ulceraque maligna & ægerrime curabilia excitentur. Eodem naturæ auxilio & instituto, non tantum pilos in Nebucadnezare prolixos enatos legimus, sed & ungues avium instar excretos. Qua critica quasi expulsione corpus paulatim a succis pravis liberatum fuit, donec critico anno septimo prorsus sanitati, Dei beneficio Rex P. restitueretur, irrigationes denique capitis uterque ante laudatus autor, in hoc casu laudat, quas oportune Nebucadnezar excepit a rore cœlesti. Ungues certe in melancholicis excrescere solent & cornua. Utrumque vidimus. Cornua passim descripsimus *l. de Unicornu* & in *Historiis Anatomicis*. In vicino pago rusticus adhuc superest, cui cornua crescunt. Ungulas prolixas crassasque in sene depinximus *Cent.* 2. *Epist. ult.* quas dono *D. Pouchi* possidemus, similesque nuper in puero observavimus, qui ostiatim exinde eleemosynam colligit. Tales in leprosis describit *Constantinus* Monachus & *Isaaci* plagiarius in tr. de genere leprarum. Nebucadnezaris igitur ungues avibus similantur, dubio procul quod vel negligentia hominis insani resecti non fuerint, vel copia succi atri crassique continuum incrementum sumserint, adeoque & in immensam longitudinem & figuram incurvam excreverint. Incurvantur quoque in pulmonum ulcere, more ferarum, unde tale ulcus Θηρίωμα appellat *Galenus* in *6. Epid. com. T.* 24.

XIV.

De pisce, in quo sepultus Jonas.

PIscis delineatur in *Bosii* Roma subterranea *l.* 2. *c.* 8. *p.* 93. 103. edit *Rom. maj.* Plerique de balena explicant, quia piscem magnum *Jonæ* textus vocat. Cete autem vulgati nominis non fuit, quia nec

nec in mari Mediterraneo nec Persico balenæ reperiuntur, & omnes balenæ quæ in Groenlandia nostra & Islandia capiuntur, cujuscunque generis, etiam inusitata corporis mole, vastoque capite, ex cujus lingua sola XVIII. Tonnæ adipis exprimuntur, tam angustas tamen fauces habent, quæ vix brachium hominis capiant. Vero fit similius canem Carcariam, seu Lamiam fuisse, quæ magnitudine cum minoribus balenis certat, vidique exuvias XX. pedes excedentes. In Musæo servo junioris cutem asperam, X. fere pedes longam. Et, quod notandum, rictum habet Lamia amplissimum faucesque patentes & œsophagum viro deglutiendo capacem. In curia Bremensi depictam vidi Lamiam, quæ Jonam ceperat. In mari Rubro prædæ hominum assuevit canis Carcarias. Ita *Plinius l.* 13. *c.* 25. *caniculis referta* (sc. maria, supplente *Pintiano*,) *ut vix prospicere e navi tutum sit, remos plerumque ipsos accidentibus*. Ante Plinium *Theophrastus l.* 4. *Hist. Plant. c.* 8. *Mare hoc belluis refertum, plurimasque* Καρχαρίας *seu caniculas habet, in tantum ut mare tutum non sit*. Ex utroque *Wottonus l.* 8. de *diff. Animal. c.* 164. similia tradit. Ninus seu Ninive Assyriæ Metropolis, imposita erat Tigri, teste *Plinio l.* 6. *c.* 13. quæ se exonerat variis flexibus & nominum mutationibus in sinum Persicum, quo vero fit simile Jonam confugisse, ut se subduceret, Mare enim ingrediebatur. Hic autem citius invenias canem Carcariam, quam balenas. *Josephus l.* IX. *Ant. Jud. c.* 11. Jonam a Cete devoratum, post triduum in Euxinum Pontum removitum ex aliorum relatione narrat. Fateor quintuplicem ordinem dentium, quo Maxilla canis armatur, lædere Jonam potuisse; sed dicendum Dei manum ingressum ejus & egressum custodivisse.

XV.

Tobiæ cœcitas curata.

PErpauca supersunt quæ de Tobiæ morbo & curatione scribantur, quia omnia fere absolvit *Hieronymus Bardus* in *Med. Cathol. c.* 4. §. 1. & 2. & ante illum *Vallesius* de *sacr. Philos. c.* 42. De felle piscis unum verbum addam. *Bardo* vitulus marinus placet, qui ad fluminum oras sæpe sæpius commoratur, & torva facie, & oculis irretortis terrorem incutit, & voracissimus est. Experimento in felle conjecturam fulcit. Hujus quippe fellis in oculis a sordibus & maculis repurgandis maximam virtutem expertus est, si præsertim chymice præparetur, & jecur ejus & cor super prunas reposita acutissimum suffitum olere, ex quo Dæmones forsan propulsi sunt. Lamia, quam in Jonæ historia elegi, huc etiam quadrat. Illa quippe amplo rictu majorem terrorem juveni Tobiæ incutere potuit. Dicitur enim immanis piscis in *Versione vulgata* & in *Deodati* editione Italica, *un grand pisce*, quanquam LXX. absolute ἰχθὺν vocent. Præterea in India observavit *Jacobus Bontius* de *Med. Ind. c.* 16. in cœcitate specificum ac crebro usu comprobatum medicamentum esse, jecur Lamiæ piscis, crudum cum sale comestum quin & oleositatem ex eo in sole inde distillantem ac oculis inunctam pro præsentaneo esse remedio, idque proprietate quadam substantiæ. Fel autem & hujus & aliorum animalium ad suffusiones commendatur. Hyænæ laudat *Galenus Introduct. c.* 14. fel, lac, albumen ovi & urinam *l. de Ocul. c.* 4. sed clarius *l.* 10. de *simpl. Med. Facult.* ubi oculis temperatiorem bilem accomodans, addit: *Animalium quorundam singulariter bilis a Medicis extollitur, tanquam aciem exacuat oculorum, & suffusionem initia digerat, velut piscis quem vocant callyonymon, hyænæ, & scorpii marini*. Callyonymi igitur, seu Uranoscopi, si lamia non arridet, fel advocetur, quo Tobiæ oculi fuerunt curati Ejus enim fel cicatrices sanat, teste *Plinio l.* 32. *c.* 7. & carnes oculorum supervacuas consumit. Nulli hoc piscium copiosius, ut existimat Menander quoque in Comœdiis, cujus, ut & Anaxippi versus ab *Æliano* citantur *l.* 13. *Hist. Animal. c.* 4. Reliqua facile huic pisci accommodaveris, quæ in cœcitate Tobiæ annotantur. Ejus descriptionem habet ex *Rondeletio* & *Bellonio*, propriaque observatione *Gesnerus l. Aquatil.*

XVI.

De puerpero B. Mariæ.

Matth. I.

VIrgo uterum gestavit. Quod vero clausis virginitatis claustris primogenitum suum in lucem ediderit capere non possunt, qui nihil nisi ordinarium in Servatoris Nativitate, per rationem, concedunt. Aperuit quidem matricem Christus, quia vocatur primogenitus, sc. quia primus aperuit vulvam seu matricem *Exod.* 34. 19. *Num.* 3. 12. sed modo plane divino & singulari. Omnia hic naturæ consuetum cursum superant, conceptio sine viro, nativitatis illæsa virginitate. Recte enim *Montacutius Apparat.* IX. ad *orig. Eccles.* §. 59. neque novum illud in terris

adeo novum fuisse, si non per omnes nativitatis & conceptionis partes illa Nativitas descendisset. *Suidas* certe refert membranam in B. Virgine ab obstetricibus inventam fuisse, cum de ejus virginitate dubitaretur. Ut scrupulos amoveat *Jo. Bapt. Mantuanus Tr.* de *Loc. Concept.* Christi, finxit aliunde prodiisse ex virgine Christum quam naturali & communi via, sed falsum illum esse, viamque naturalem servandam probavimus libro *de Insolitis Partus Viis cap.* 7. Vulva enim aperta dicitur *Luc.* 2. & more aliarum puerperarum purgata est B. Virgo.

XVII.

Sanguinis profluvio laborans fœmina in Evangelio.

PEr duodecim annos mulier *αἱμοῤῥοῦσα* a Christo sanatur. Fluxu ex utero continuo sanguis manavit, & temporis diuturnitate assueta illac ferri natura, fractisque indies viribus, incurabile malum fecit. Non vero ex uteri venis, sed iis quæ in collo uteri & cervicis aperiuntur, quas hæmorrhoides vocant, sicut illas in ano, profluxit. Hac quippe via naturalis mensium fluxus procedit. Unde in gravidis, clauso utero, nonnunquam menses statis vicibus, nonnunquam continuo, quarum exempla memini, procedunt. Causam habet vel sanguinis serosi tenuitatem, vel viarum laxitatem cujus prognosticum est, vel curationem nullam vel difficilem admittere. Franciæ Martellæ apud *Poterium Cent.* 3. *Obs.* & *Cur. cap.* 49. continua hæmorrhagia ex utero supra duos annos patienti successit leucophlegmatica cum febre lenta, siti inexplebili & mira inappetentia. Quid de obfirmato annorum duodecim malo dicemus? Ad rem Doctissimus *Mercurialis l.* 4. de *Morb. Mul.* c. 2. differit; ægritudines omnes quæ curatæ sunt a Christo salvatore nostro, incurabiles fuisse; hocque dixit, quia fluxus ille mulieris omnino erat incurabilis, ut timere debeamus ubi fluxus prorogantur, malum evadere incurabile, adhæc ubi fluxus immodici diutius durant, timendum ne mulier fiat hydropica, cachectica aut alia propria mala incurrat. Mirari necesse est, quod tot annorum inducias mulieri ad vitam concesserit pertinax & periculosus fluxus. Sed reservata fuit ut Christi miraculo sanaretur. Quomodo a profluvio sanguinis liberata sit Sybilla quædam, non Cumana, sed Lausanensis, *B. Hildegardis l.* 3. vitæ suæ his verbis describit: *Matronam Sybillam de civitate Lausanensi trans Alpes, quæ ejus adjutorium per nuncium expostulavit, missis ei literis, profluvio diuturno sanguinis liberavit: Hæc verba inter pectus & umbilicum pones, in nomine ejus qui omnia recte disponit. In sanguine Adæ orta est mors: in sanguine Christi extincta est mors. In eodem sanguine Christi, impero Tibi, o sanguis, ut fluxum tuum contineas. Et matrona his scriptis verbis est sanata.* Refert hæc ex Hildegardi *Helmontius pag.* 672. quem credere quæ velit non inhibeo, modo mihi libertatem concedat credendi quæ debeam.

XVIII.

Epilepticus in Evangelio.

IN historia Evangelica fit mentino cujusdam *σεληνιαζομένου*. *Σεληνιαζομένους* h. e. lunaticos, Paraphrastes *Syrus* transtulit אברא רבד *Tremellio* ad Verbum sonat, *filium agrorum* i. e. hominem agrestem, & qui a reliquorum consuetudine abhorreat. Sed *Fullerus*, Vir Doctissimus *l.* 2. *Miscell. sacr. c.* 17. ita reddendum censet: *Qui extra tecta* degunt. Græce *νάστεγους* appelles. Qua voce LXX. utuntur, ad eos designandos, qui vitam miserrimam trahunt in sylvis, solitudinibus &c. Vide plura apud laudatum *Fullerum*. Epilepticum recte censet *Unzerus l.* 1. *de Epil. c.* 1. Dicitur enim hic morbus Lunaticus, vel quia secundum varios Lunæ motus & aspectus, nonnullos invadit, vel quia interlunio concepti atque nati, huic morbo obnoxii existimantur. Luna quippe humoribus præest quam vitare eum vult *Celsus l.* 2. *c.* 4. cui caput infirmum est, maximeque ante ipsum lunæ solisque concursum. *Aretæo* annotante *l.* 1. *de Caus. & Not. Chron. aff. c.* 4. nonnulli flagitiosis hominibus a Luna immitti existimant. Hinc credo in curando hoc affectu, ne Luna creaturam suam foveret, Lunæ ortum vitasse Medicos. Ita *Nicolaus Myrepsus sect. I. de Antid. c.* 298. de Antidoto Cyphi: Lunaticos restituit, data cum spuma tauri fabæ magnitudine, ab ortu Solis ad ortum Lunæ diebus triginta. Adjungit sacer Scriptor huic Lunatico Dæmonium, quod vel induxit morbum, vel auxit. *Serapio* a Dæmonibus imediate affectum producit. Divinationem potius alii fingunt, quia eo correpti nonnunquam vaticinari futura videntur, sive ea vera sint sive falsa. Quod *Antonius Guarnerius tr.* 17. *Prax. c.* 3. fusius explicat. Nam cum in Epilepsia fit fortis quædam oppilatio, qua omnes sensus exteriores ita ligantur, ut ab omnibus eorum operationibus

nibus cessent ac ferientur, & cum anima rationalis aliunde non sit impedita, sed maneat quasi in simplici esse, fit ut Epilepticis quandoque in paroxysmis futurorum imago quædam obversetur, quibus postmodum cessantibus, sæpe plurima futura prædicant. Negari non potest liberius animam agere corpore pene oppresso, quod in moribundis non raro videmus, at nec anima nec Dæmon futura sciunt; ut vero dixerit *Guarnerius* imaginem esse futurorum, non veram prædictionem. Adsociet se malus Dæmon huic aliisque morbis, ut ægrius faciat. Hinc sacer morbus quoque vocabatur, quod divinitus putetur immissus, *Cælio Aureliano l.* 1. *Chron. c.* 4. aut quoniam Dæmone correptus esse homo videatur, ut censet *Aretæus l.* 1. *de Caus. Chron.* 4. Hinc, quia frequens is apud Judæos, imprecationem formulis lenitur, teste *Buxtorsio* Patre *c.* 33. *Synag. Judaic.*

XIX.

Dæmonio obsessi in Evangelio & per annulos curandi ratio.

Disputat de eo *Jo. Langius l.* 2. *Epist.* 34. an Dæmones humana corpora morbis affligant, exorcismo obtemperent, qua denique methodo tales morbi curentur? Laus Deo, quod insolita sit nostro tempore ista infelicitas, cum vix singulis seculis unus alterve a Dæmone obsessus affligatur. Me puero, Coagii celebri Selandiæ nostræ urbe, quidam miros Satanæ experiebatur insultus, ut etiam per aerem subinde raperetur, quem invisere ex sacerdotibus nemo audebat, nisi integram vitam traduxerat, exprobabat enim obsessus quicquid conscientia occultavit. Inter Judæos numerus Dæmoniacorum insolitus fuit, & sæpe in sacro Evangelio occurrit, sive quod præter modum artibus magicis dediti Dæmonem advocaverint, sive quod summæ impietatis hanc pœnam meruerint a vindice Jehova. *Josephus* narrat, quo modo obsessi a Dæmone curarentur a Judæis. Vidit namque Eleazarum Judæum in exercitu Vespasiani, curantem Dæmoniacos hac methodo: Ingerebat naribus obsessi annulum sub cujus symbolo radix a Salomone indicata continebatur, quo de naribus educto simul Dæmonium obsessi emunxit, ac æger languore in terram concidit: & Eleazar carminibus Salomonis Dæmonem adjuravit, illique per sacra edixit, ac vetuit, ne in pristinum suum ergastulum rediret. Ac ut obsessum spiritu maligno liberatum testaretur, ponebat coram obsessis calicem aut pelvim aqua refertam, quam ut egressus ab homine subverteret, Dæmoni jam exauctorato imperabat. Hodie nonnunquam obsessi a Dæmone creduntur, qui vel Epilepsia correpti vel melancholico succo abundantes, ludos varios Satanæ mentiuntur In Epilepsia similia Dæmoniacorum visuntur symptomata, variis motionibus miri spectaculi speciem præbentia. Et quod in Evangelio legimus, in flumina vel mare cadentes, ex altis locis præcipites dantur, sicut prodidit *Cælius Aurelianus l.* 1. *Chron. c.* 4. Vidimus Patavii eos qui tanquam obsessi flagellabantur, curatos a *Jo. Dom. Sala* Medico Magno, pro Epilepticis vel melancholicis. Expurgandus enim in his ater humor, qui cerebri ideas turbat, & vellicantes cerebrum acres liquores educendi. Quanquam nec flagella damnentur, quæ calorem excitare valent, & mentem a deviis revocare, de quibus nos post *Meibomium* plura diximus *Epist. de Flagrorum usu in Medicina*. De annulo naribus obsessi indito, quæ Eleazar apud *Josephum* exhibuit præstigæ meræ sunt. Annulus quidem S. Eduardi Regis Angliæ comitiali morbo laborantibus salutaris fuit, de quo videndus *Kirchmannus* de *Annul. c.* 21. sed suspicio esse potest, ex ungula alcis confectum vel aliis quæ singulari virtute Epilepsiam curant. Annulos alias naribus appendebant Judæi ornamenti causa vel memoriæ, quod in Schedio nostro *de Armillis* exposuimus. De hoc argumento consultus *J. Buxtorfius* Junior, Basileæ olim amicus noster, *Cl. Rhodii* in gratiam, cum de fibula commentaretur, prolixum responsum dedit, quod meretur publice hic legi:

De Annulis Narium:

Et primo quidem Nomen Hebraicum, quo *Annuli Narium* designantur, de quibus quæris, vocatur illud נזם *Nesem*, in plurali נזמים *Nesamim*, & נזמי *Nisme*. Etymologia hujus nominis incerta: quia, cum communiter Nomina apud Hebræos a Radicibus certis seu verbis descendere soleant, nullum autem verbum apud Hebræos sit in usu, unde hoc nomen derivari, & ratio significationis ejus cognosci possit. Analogiæ ratione primitivum ejus deberet esse נזם *Nasam:* sed nullibi extat. Sunt, qui per Methatesin literarum referant ad זנה *Sanah*, quod *scortari* significat: quasi sit Monile, quod palam in fronte, naribus vel auribus prostat ad emerendum gratiam. Sed coacta est hæc etymologia. Et cum sanctissimas etiam fœminas legamus hoc ornamenti genere

usas, absit, ut ab impudico illud verbo deducamus. Si conjecturis indulgere vellemus, commodius multo deduci posset a verbo affini סם *Sam*, vel סמם *Samam*, quod *Capistrare*, *Frænare*, *Refrænare* significat: unde סמם *Semam* & *Capistrum*, *Frænum*, An ergo forte נזם *Nesem*, ornamentii illud genus sic dictum, quod cum סמם *Semem* vel *Semam* Fræno vel capistro Equorum & jumentorum aliquam similitudinem haberet. Sane interpres Latinus Paraphraseos Chaldaicæ *Cantic.* 1. *v.* 10. ubi legitur, *Verba legis esse Israelitis sicut* סממים Semamim (fræna) *in maxillis orum, ut non recedant a via recta;* ille, inquam interpres vocem סממים Semamim (fræna reddidit; *Sicut inaures;* affinitatem originationis inter has duas voces agnoscens.

Secundo, utile est & e re omnia Scripturæ loca inspicere & considerare, in quibus vox hæc occurrit. Sunt autem *seqq.*

I. *Genes.* 24. 22. dicitur de servo Abrahæ: *Protulit Vir* Nesem aueam, semissis pondus ejus: & *v.* 30. *Cum vidisset* Nesem *Laban.* Et *v.* 47. dicit servus ille in eadem Historia: *Et posui* Nesem *super nares ejus, & armillas super manus ejus* (sc. Rebeccæ.)

II. *Genes.* 35. 4. dicitur de familia Jacobi: *Dederunt itaque ipsi (Jacob) omnes Deos alienos, qui erant in manu sua, &* *Nesamim, quæ erant in auribus ipsorum.*

III. *Exod.* 32. *v.* 2. 3. de Aharone vitulo conflaturo: Et dixit illis (Israelitis) Aharon: *Separate* Nisme *aureas, quæ sunt in auribus uxorum vestrarum, filiorum vestrorum, & filiarum vestrarum, atque afferte ad me. Separaverunt igitur omnis populus* נזמי Nisme *aureas, quæ erant in auribus eorum, & attulerunt ad Aharon.*

IV. *Exod.* 35. *v.* 22. de populo Israelitico spontaneas oblationes ad opus tabernaculi offerente: *Venerunt viri cum mulieribus omnis spontaneus corde, & attulerunt fibulas, &* Nesamim *& annulos, & dextera alta*, &c.

V. *Judic.* 8. *v.* 24. 25. 26. Dixit præterea ad eos Gideon: *Postulabo a vobis postulationem, ut detis mihi quisque* nesem *spoliorum suorum: Nam* nisme *auri vel aureæ erant eis: quia Ismaelitæ erant*, spoliati sc. vel capti ab Israelitis: *Et dixerunt, dando dabimus. Et expandentes vestimentum, projecerunt illuc quisque nesem spoliorum suorum. Fuit autem pondus nisme auri vel aurearum mille & septingentorum aureorum &c.*

VI. *Jobi* 42. 11. *Dederunt quoque* (amici agni) *ei* (Jobo) *quisque agnum suum* (vel nummum Jobi imagine signatum) *quisque* nesem *auream unam*.

VII. *Proverb.* 11. 22. *Sicut* nesem *auri in naribus porci: ita est mulier pulchra, & deficiens consilio.*

VIII. *Proverb.* 25. 12. *Ut* nesem *auri, & ornamentum obryzi est, qui arguit sapientem, cui est auris obtemperans.*

IX. *Jesa* 2. 21. inter ornamenta filiarum Hierosolymitanarum recensentur *Nime* narium.

X. *Ezech.* 16. *v.* 12. *Dedi nesem super nares tuas, & inaures in auribus tuis, & coronam gloriæ in capite tuo.*

XI. *Hosæ.* 2. 15. *Et visitabo super eam* (Ecclesiam Israeliticam apostaticam) *dies Baalim, quibus adolebat thus & ornabat se* nismah *sua.*

Ex consideratione & collatione horum locorum Scripturæ sequentia videntur colligi:

Primo. Nesem ornamenti genus fuisse, primario quidem & proprie fæminarum, secundario autem & quandoque etiam virorum, argumento locorum *Exod.* 32. *Exod.* 35. *Judic.* 8. *Jobi* 42. 11.

Secundo, materiam fuisse *Aurum*.

Tertio, Adhibitum vel applicatum fuisse *Naribus*, *Genes.* 24. 47. *Proverb.* 11. 22. *Jesa.* 3. 21. *Ezech.* 16. 12. & *Auribus Genes.* 35. 4. *Exod.* 32. 2. 3.

Quarto, Israelitis seu Arabibus in frequenti usu fuisse, *Judic.* 8. 24. unde Vulgatus Latinus Interpres illic reddidit: *Inaures enim aureas Ismaelitæ habere consueverant.*

Sed & *Versiones* & Expositiones Veterum præsertim Interpretum sunt considerandæ & videndæ.

LXX. Græci in omnibus adductis locis transtulerunt Ἔνωπον *Inaurem:* præterquam *Jobi* 42. 11. ubi verterunt, Καὶ τετράδραχμον χρυσοῦν ἄσημον ἕν. *Symmachus* interpres Græcus reddidit ἐπίῤῥιον, & ἐπιῤῥίνον ornamentum nasi.

Vulgatus: *Inauris*. Sed *Proverb.* 11. 12. *Circulus aureus* & *Esa.* 3. *Gemmas in fronte pendentes. Ezech.* 16. 12. *Et dedi inaurem super os tuum, Genes.* 24. 47. *Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem ejus.*

In his versionibus observandum, absurdum videri, quod Græci & Latinus *in aurem*, h. e. ornamentum aurium, tribuant vel naso, vel fronti, vel ori. Factum est id ab eis non proprie sumta voce, sed καταχρηστικῶς, cum propria vox non esset in promtu ornamento isti exprimendo. Hinc & recentiores per vocabulum generalius, *Monile* sunt interpretati. Hinc est, quod *D. Hieronymus* scribit *Ezech.* 16. *Verbum Hebraicum* Nesem, *excepto Symmacho, qui interpretatus est* ἐπιῤῥίνον *omnes* inaurem *transtulerunt, non quod* Inaures *ponantur naribus, quæ ex eo,* quod

quod circulus in similitudinem factus inaurium, eodem vocabulo nuncupetur. Et usque hodie inter cætera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus. Itaque Ἐνώτιον, & *Inauris* non proprie vim & significationem vocis Hebraicæ exhibent: sed partim propter defectum vocis commodioris: partim propter similitudinem cum Annulis aurium.

Lutherus Germanice reddidit, Spangan: Ohren-Spangen: Stirnband (*Jud.* 8. *Prov.* 25.) guldeu Haarband / *Prov.* 11. *Jes.* 3. Stirnspang.

Ubi existimo illum non bene reddidisse Stirnband / Haarband: non enim fuerunt ipsæ *vittæ*, vel Stirnband / aut Haarband / sed circuli vel Annuli ex illis dependentes, ut videtur: nisi forte ipsæ vittæ vel fasciæ una cum annulis fuerint.

Judæi in Versionibus suis Germanis reddunt, Naßband.

Chaldæi interpretes קדשיא *Kodaschaja*, q. d. Monilia sponsalitia, quia Sponsus Sponsæ dare solet. In *Talmud Hierosolymitano Tractatu de Sabbatho cap.* 6. *fol.* 8. *col.* 2. explicatur *Nesem* ex loco *Jes. c.* 3. per דכרשהואתיז אלנכחוטס *Aliquid quod ponitur supra nasum.*

Rabbi Abraham Aben Ezra Hispanus ad *Geneseos* XXIV. *v.* 22. scribit: באזן שנזס נם שהוא באף *Est* Nesem, *quod applicatur naribus, & quod applicatur auribus.*

Autor libri qui vocatur *Chaskuni* ad eundem locum scribit: נזם שייך לאף ולאזן h. e. *Nesem* convenit naribus & auribus.

Itaque ex his omnibus liquet vocem *Nesem*, quæ adhibetur etiam, ut visum in loco *Exod.* 35. denotare tam *Ornamentum Narium*, quam *Aurium*; quamvis existimem proprie significare ornamentum narium; ratio, quia alibi ornamenta aurium in eodem loco ab illis distinguuntur, ubi utrorumque fit mentio.

Qualia autem illa ornamenta fuerint, quæritur? D. *Hieronymus* in loco supra allegato dicit esse *ornamenta mulierum, & quidem circulos*, (h. e. annulos) *in os ex fronte pendentes, & naribus imminentes.* Non est autem ejus autoritas contemnenda, ut qui in illis regionibus vixerit, & praxim earum viderit, uti ait: *Et usque hodie.* Sic testatur *Augustinus Quæstionibus in Genesin: Mos*, inquit, *Maurorum est, ut inaures etiam in naribus habeant feminæ.* Sic Vulgatus Interpres *Prov.* 11. dicit, *Circulus aureus.* Esa. 3. *Gemmas in fronte pendentes*, (auro sc. inclusas & impactas.) *Gen.* 24. servire *ad ornandam faciem.*

Aben Ezra Hispanus loco modo citato ait: מענזם פתיל קשור במצח שעל האף ירד Nesem *narium dependet a filo vel funiculo fronti alligato.*

Don Isaac Abarbenoi, itidem Hispanus, scribit ad locum *Jesa.* 3. 3. *Lechaschim* sunt monilia aurium, *Tabbaoth* sunt ornamenta digitorum manuum; *Nisme* (quæ nostra est vox) sunt monilia sive ornamenta; quæ applicabant naribus suis, aut pendebant in tiaris capitis a funiculo, & inde usque ad nares descendebant, vel dependebant. Hæc ille.

NB. Quod ergo Vulgatus Interpres reddidit, modo *circulum aureum in naribus:* modo *Gemmas in fronte pendentes:* modo *inaurem super os:* modo *ad ornandam faciem:* hinc potest conciliari: *Gemmæ sunt in fronte pendentes:* nempe in vitta frontem circumdante, & ab ea dependentes: *super os:* quia ad os usque pendebant: *in naribus*, quia naribus imminebant: *Ad ornandam faciem*, quia hic generalis erat finis. Sed & ab ambiguitate vocis Hebraicæ אף *Af*, vel *Aph* varietas ista proficisci potuit: quæ *Faciem, Vultum* in genere, & Synecdochice *Nasum* significat.

XX.

Cœcus luto curatus.

Joh. IX.

CUr Christus in sanando cœco linimento & pulvere sputo consperso usus sit, quærit *Jo. Beverovicius Epist. Quæst.* 3. respondetque Nobilis Virgo *Schurmanna.* De pulvere vero quem χεύματα χρόνιον vocat *Nonnus* Paraphr. in Johannem erudite differit *Dan. Heinsius Exercit. Sacr. c.* 8. Idem cœcus ἀχάρακτος dicitur *Nonno.* Nam veterum non pauci oculos illius a Christo tum creatos tradiderunt, inter quos *Cyprianus, Chrysostomus, Theophylactus, Augustinus*, quorum verba afferre non vacat. Hos tamen a vero, aberrare textus indicat. Nam *vers.* 10. aperti dicuntur, non creati oculi. Et commate sequenti fatetur cœcus oculos suos fecisse luto inunctos, quanquam tam facile fuerit Christo creare, quam aperire oculos. De hujus cœci curatione, ita *l.* 7. *Carm.* 42. lusimus:

Prima luto debent nostræ primordia vitæ,
Exque luto reficit languida membra Deus.
Viderat hoc cœcus, cujus reserantur ocelli,
Ut quoque discamus nos meminisse luti.

Fingebant & ſimilia miracula Pagani, ſed adſtantibus fucum fecerunt. Quæ enim de Veſpaſiano Imperatore, cœcum curante narrat *Tacitus l.* 4. *Hiſt.* & *Svetonius cap.* 7. adulationem ſapiunt, ut hoc, quaſi Deus, ſigno æſtimaretur. Revera luſus erat, non miraculum quod Cyrolæ Arianorum Antiſtitum Principis exemplo edocemur. Is quippe cujuſdam hominis Ariani ſuppoſititii, qui ſe cœcum pretio accepto fingebat, aperire oculos volens, eundem antea quidem optime videntem, ſimulac oculos tetigit, revera cœcum reddidit, cui poſtea, fraudem coram univerſis detegenti, Eugenius orthodoxus viſum confeſtim ſigno crucis reddidit, quam hiſtoriam ex *G. Turonenſi l.* 2. *hiſt. c.* 3. *Baronius* recenſet.

XXI.

Lazari morbus.

Job. XI.

Ἀσθένεια, vocatur *v.* 4. communi nomenclatura. [illegible] ἀσθένεια, ταλαιπωρία, νόσος ἀδυνά ἀδυναμία. A *Nonno* in Paraphraſi πῦρ dicitur, ut febris indicari videatur. Nam Medicis Græcis, inprimis *Hippocrati* πῦρ de febri dicitur, a calore præternaturali, quo corpus velut igne uritur. A Syris & Chaldæis ortum putat Incomparabilis *Heinſius Ariſtarch. Sacr. cap.* 24. quibus אשתא, ideſt πῦρ, febris dicitur. Credo febrem ardentem ſignificari malignam, quæ citius ad mortem deproperabat, quam advenire poſſet Servator. Tertio enim die videtur jugulaſſe Lazarum. Primo enim die decubitus nunciatur Chriſto morbus. Biduo exacto diſcipulis ſuis abſens dicit, mortuum eſſe Lazarum, pluribus deinde conſumtis in itinere diebus adveniens Servator ſepultum invenit. Malignam vero febrem oſtendit fœtor & putredo quarti diei *v.* 39. & metus Thomæ ne una infectus occumberet *v.* 16. ſudore diffluens ante mortem reviviſcens calidum ſudorem habuit, *Nonno* interprete, quod capere non poteſt Magnus *Heinſius Ariſtarch. Sacr. cap.* 24. Non quidem mortui ſudant, ſed ſudorem ſudario velant, quem in agone expreſſit ſuccumbentis naturæ conatus. Is igitur ſudor in cadavere Lazari frigidus, incaluit ſub ſudario, cum vitam redderet corpori & calorem Jeſus. Hinc quoque malignæ febris capimus ſignum, monitu *Hippocratis* in Coacis: οἱ ἱδρῶντες ἐν πυρετῷ, κακοήθεες.

XXII.

De Hypochondriaci Judæ proditoris morbo.

JUdæ proditoris neſarii morbum mortemque paucis expendimus in Concilio *de Cometa pag.* 110. *ſeqq.* Pergo Commentarium hunc iiſdem illuſtrare, quæ tum in mentem calamumque venerant. Sunt inter eruditos qui ſuſpicantur, hydrope ventris & cerebri ita intumuiſſe, ut caput ejus inſtar dolii eſſet, hocque morbo periiſſe. Simile quid apud *Theophylactum* legerunt, ſed non ſatis attente. Ille enim in Scholio ad *Matth. c.* 27. præmiſſis aliorum de Judæ ſupplicio opinionibus, ſuam tandem ſententiam depromturus, aſſerit, quod poſuerit collum in laqueum, ſeque ab arbore ſuſpenderit, arbore autem ad terram inclinata ſupervixerit, Deo volente ipſum vel in pœnitentiam conſervare vel in confuſionem: alios autem dicere [illegible]opico morbo correptus per meatum tranſire non poſſet, per quem poterat plauſtrum tranſire, deinde ceciderit pronus, & medium crepuerit Papiæ apud *Œcumenium* id fuit commentum, quod rejicit *Caſaubonus*. Laqueo vitam finiviſſe plerique aſſerunt, *Vulgata Verſio*, & *B. Auguſtinus l.* 1. *de Civit. Dei cap.* 17. ne plures advocem: At poſtea ſupervixiſſe arbore inclinata, quam ficum eſſe a Chriſto antea condemnatam, nonnulli fingunt, a *Montacutio* exploſi, nullius idonei teſtimonio evincitur. Fuiſſe ſtrangulatum credimus *Matth. cap.* 27. ſed a quo, non æque liquet. Ἀπήγξατο enim paſſionem notat, voxque Medica eſt *Hippocrati* uſitata, cui 2. *Aphor.* 43. ἀπαγχόμενος eſt qui ſtrangulatur. Verſio *Æthiopica* preſſe *Matthæum* ſequuta, ſtrangulatum ait & obiiſſe. Sive igitur ab interno animi mœrore, & anguſtia cordis interceptus illi ſit ſpiritus, quod hypochondriaci & hyſterici non raro patiuntur, de quibus multa ex Magiſtris erudita congeſſit *Heinſius Exercit. N. T.* ſive ipſe melancholicus rebus ſuis deſperans, Satanæ auxilio fauces ſibi præcluſerit, penes me non dijudicabitur. Si illi alii apud *Theophylactum*, aqua inter cutem laboraſſe probaverint, facile concipiemus: quod alibi *Actor.* 1. 18. legimus, eum medium crepuiſſe, idque cum ſonitu, quod verbum λακεῖν ſonat, quemadmodum fere diſtentus in hydrope venter vel membrana veſica inflata diſrumpi poteſt. Quomodo autem pronus factus? Certe difficillime ſpiritum trahunt melancholici & hydropici ſuffocato corde copia aqua-

aquarum; vel ab inferioribus presso, & nimius animi mœror facillime hydropem advocat. Tali autem habitu prono in terram vultu, melancholicorum in morem fuisse Judam, suspicari possem ex *Act.* I. quod πρηνὴς fuerit, quod *Æthiops* vertit, projectus fuit in terram super faciem suam, *Syrus*, cecidit in faciem suam, *Arabs*, prostratus in faciem cadens. Si igitur ab interno principio animæ commeatus Judæ melancholico obstructus fuit, præceps in solum lapidosum factus, tumidum aqua & atra bile ventrem disrumpere potuit, ut viscera interna effunderentur. Ita narrat *Mich. Jo. Paschalius lib.* I. *Meth. Cur. Morb. cap.* 44. De muliere Ascitica, quæ ex casu in lapidem vulnerata, per vulnus ventris subito omnem aquam evacuarit, & in animi deliquium inciderit, quod mirum non fuit ex *Aph.* 27. *Sect.* 6. Viscera autem omnia exinde expulsa, iræ Divinæ adscribendum, sicut de Arrio hæretico ferunt ad sedem se contulisse atque ex templo pronum cecidisse ac medium crepuisse, effusis visceribus. Nulla tamen causa est, cur de mitiori supplicio cogitemus, quod maximum esse debuit, quo sceleratæ illius traditionis commissum augeretur potius quam expiaretur. Et quanquam nos his fatigemus, hydrocephali tamen in *Theophylacto* nullum indicium reperimus. Νόσῳ enim ὑδερικῇ correptus dicitur, nulla parte determinata.

XXIII.

Herodes verminosus.

Act. XII. 23.

PErcussus ab Angelo Tyrannus Herodes justas pœnas dedit. Nam σκωληκόβρωτος a vermibus erosus obiit, idque maximis obortis torminibus, *Josepho* annotante. Alii phthiriasin hic inferunt, verminationem alii. Posterioribus calculum addimus. Nam σκώληξ vermem notat, non pediculum. Pedicularis morbi exempla passim extant. Non pauciora verminantis. Vermes quippe a putredine omnes corporis partes infestant, internas pariter & externas; ut observationum Libri testantur. In ipso sanguine putridarum febrium vermes observavit *Kircherus* de Peste, in venæ sectione quoque *Pet. Borellus cap.* 3. *Obs.* 4. nosque Hafniæ similia vidimus. Hinc corrupto sanguine & verminoso non mirum si totum corpus verminosum fiat. Verminosorum exempla recitat *Marcellus Donatus* de *Med. Hist. Mirab. c.* 5. *l.* I. Herodi a vermibus eroso, quia conveniunt, cum delectu pauca ex illis ad usum nostrum seligemus: Illustrissimus quidam, cujus nomen consulto reticere lubet, ita obœso corporis habitu præditus fuit, ut in ingentem molem excrescente pinguedine, carnis, pinguedinisque plexuræ circa collum & in abdomine quam maximæ conspicerentur, in quorum medio cum æstatis tempore dolore cœpisset, convocatis ministris, quidnam mali subtus latitaret, aspicerent mandavit, quo facto primum exæsam cutim invenere, postmodum procedente tempore erumpentes vermiculos conspiciunt persimiles illis, quos in antiquiori corrupto caseo occultari aliquando videmus, quod malum cum nullis præsidiis profligari potuisset, tandem strenuum Heroem neci tradidit. Sic & Galerium Maximilianum, seu Maximinum Imperatorem vermibus ab inguinibus erumpentibus obiisse tradit *Pomponius Lætus* in *Comp. Rom. Hist.* Scribit in Melpomene *Herodotus* Pheretrinam, seu Pheretinam Barcæorum Reginam immani crudelitate feminam Deorum ultione totam vermibus putruisse, eoque morbo miseram evomuisse animam. Herodem hujus avum, alii vermibus ex iguine prorumpentibus, alii pediculari morbo excessisse ferunt. *Josephus lib.* I. *de Bell. Jud. cap.* 21. de Herode, Patre Archelai, testatur, putredine virilis membri vermiculos generante interiisse. Σκώληκας vocat, vermiculos nempe, non pediculos. Ex habitu corporis vermes, putrida carne musculosa, & sanguine corrupto, magno dolore prodeunt. Ex intestinis quoque a lumbricis erosis mors in propinquo est, quod exemplis infinitis docent ægri. Hinc torminum Herodis causam repetit *Joh. de Mey.* 3. *Comm. Phys. c.* 4. Magni certe in loco dolores, etiam sine vermibus, excitantur a quavis materia acri & pungente, quæ vermes imitatur. Hinc vermina dicuntur *Festo* dolores corporis cum quodam minuto motu, quasi a vermibus scindatur, qui dolor dicitur Græce στρόφος. Tales στρόφοι perpetui Tisameni mulierem excruciabant apud *Hippocratem* 3. *Epid.* 26. quem illustrans in Selectis Medicis *cap.* 8. *Joh. Ant. van der Linden* §. 43. distinguit dolorem torminosum a verminoso, illum utrique intestino esse communem, hunc colo proprium. Cæterum phthririasin si quis Herodi assignaverit, non repugnarim. Neque enim meliora fata fastus ejus merebatur, dignus tormentis Acridophagorum, de quibus *Diodorus Siculus l.* 4. *Rer. Antiq.* Nam propinquante senecta pediculi alati non solum visu varii, sed specie horridi ac turpes in corporibus nati, ventrem primo, tum pectus, deinde totum corpus parvo tempore exedunt; qui mor-

morbum patitur primum veluti ſcabiei cujuſdam pruritu allectus, corpus ſcalpit, voluptate ſimul & dolore perceptis, deinde exeuntibus pediculis ſimul effluente ſanie, morbi acerbitate ac dolore percitus unguibus corpus magno cum gemitu lacerat, tanta vero vermium copia effluit aliis ſuper alios tanquam ex perforato vaſe ſcaturientibus, ut deleri nequeant. Illi quidem ciborum vitio, hic Dei quoque vindicta periit. De ſimili morbo Antiochi, vide *Joſephum Scorionis*. Ferchardus Scotorum Rex morbo pediculari corpus exedente obiiſſe ob tyrannidem narratur a *Buchanano l.* V. *Hiſt. Scot.* Et fama eſt *Philippum* II. Hiſpaniarum Regem ſimilia paſſum eſſe. De quo tamen inter ſe non conveniunt Annales iſtius temporis. Quicquid ſit tam vermes in corpore, quam pediculi ex proprio cujuſque ſeminio in ſingulari putredine ſe exſerente generantur. Singula enim animalia ſuos habent vermes, imo ſingulæ arbores, adeo diverſos, ut hujus arboris vermes ad aliam translatæ ſupervivere non poſſint.

XXIV.

De D. Pauli dolore pungente.

2. Corinth. 12.

PUgnis ſe contundi queritur, ſeu digitorum condylis, ſicut *κόλαφον* ex Varino explicat *Matth. Martinius* in *Etymologico*. An hi dolores vagi fuerunt, qui caput variis rebus intentum inquietabant? An capitis dolores exinde orti? Singularis hic eſt *Haymon* Epiſcopus Halberſtadienſis, quem ſub Ludovico pio Caroli Magni filio mortuum Anno Domini 1334. teſtatur *Johannes Tritheimius* Abbas Spanheimenſis. Is in interpretatione hujus loci colaphum de ardore libidinis per Diabolum accenſo potius exponit, quam de dolore capitis. Quia paucorum manibus teritur, ipſum loquentem inducam: Ne in ſuperbiæ tumorem extolleretur, permiſſus eſt tentari a Diabolo de ardore libidinis, quem appellat ſtimulum carnis. Ut enim dicunt Doctores, ſtimulus proprie timoris & libidinis eſt, ipſumque ſtimulum carnis a quo pangebatur & accendebatur, vocat angelum Satanæ, ideſt, nuntium Diaboli, quia a Diabolo immittebatur ei illa talis ſtimulatio concupiſcentiæ. Et quandocunque Apoſtolus patiebatur illam ſtimulationem, ſciebat illam a Diabolo ſibi immitti. Sed Dominus, qui permittebat illum colaphizari, ideſt, affligi & tribulari a tentatione Diaboli, ne in ſuperbiam erigeretur, cognoſcendo ſuam fragilitatem, ipſe utique cuſtodiebat eum, ne in vitium libidinis caderet. Unde apparet, quia per venenum fugabat venenum. Venenum libidinis & tentatio carnis, fugabat ab illo venenum ſuperbiæ *Syriaca* verſio vocat pruritum carnis, nuntium Satanæ. *Æthiopica:* pungit me corpore meo. *Chryſoſtomus homil.* 26. & *Theophylactus Comm.* in h. l. Cephalalgiam repudiantes, quia ipſe imperium in Satanam habebat, adverſariorum tribulationes, Alexandri ærarii, Hymenæi & Pheleti eum expertum ſcribunt, ſiquidem Satan Hebræa lingua adverſarium ſonat. Inquietudinem & tormentum corporale plerique exponunt. Iliacam paſſionem a Satana concitatam *Nicolaus de Lira in Comment.* vel carnis concupiſcentiam.

XXV.

Timothei infirmitates vino ὀλίγῳ curandæ.

[illegible] 5.

DYſpepſiam & cæteras infirmitates Timothei juvenis a frigiditate & humilitate ventriculi recte deduxeris, quæ mala auxere aſſiduæ officii demandati lucubrationes, quibus vino ſuccurrit *D. Paulus*, ſed ὀλίγῳ. Quale illud fuerit, non ſatis convenit inter eruditos. *Henricus Smetius lib.* XI. *Miſcell. Med.* prolixus eſt in explicatione conſilii Apoſtolici, tandemque concludit, non ὀλιγοφόρον, quod non calefacit, ſed πολυφόρον fuiſſe, ſapore ſubauſtrum, quod laxum ſtomachum firmat, vel etiam ſubacre, quia potentius, ſubſtantia mediocri, perſpicua vel tenui, qui facile penetrat, urinaſqae movet, adeoque Chio aut Lesbio, aut Epheſio, aut etiam Timolite vino ſed modico uſum Timotheum adverſus ventriculi imbecillitates. Ὀλίγων de quantitate, hujus quidem opinione, accipiendum, non de imbecilli, aut vino aquoſo. De colato, ſeu debili, emendat textum *D. Gregorii* Doctiſs. *Mercurialis l. 6. Var. Lect. c.* 29. quaſi Vir beatiſſimus inſtar Timothei illius ob ſtomachi debilitatem, vina debilia & juſcula non ſuſtineret, ſed validioribus indigeret, ob idque primum ſumeret Coum, deinde Gnidium. Quantitatem hic definit Apoſtolus, ne generoſi vini copia caput invaderet. *Chryſoſtomi* eadem ſententia *homil.* 16. in h. l. *Licet*, inquit, *ille & ſtomacho & aliis morbis eſſet obnoxius; non tamen ipſum vino permittit implere, ſed ad ſanitatem non ad delitias præcipit bibere*. Ita quoque Italice reddidit *Deodatus*, *un poco di vino*. Parum vini ſeu modicum.

cum. Ad robur ventriculi & aliarum partium requirebatur vinum generoſius, non aligophorum, nec dilutum, quod ex *Hippocratis* de Rat. Vict. Acut. pro reficiendis viribus inutile, ſtomachumque refrigerat potius quam calefacit. Dulcia vina ad anadoſin ventriculi confortandam & digeſtionem commendat *Galenus l.* 3. de *Alim. Facult.* Fulva quoque alba, ordora, ſubſtantia tenuia ad ſucci bonitatem conferre & πέψιν roborare, docet *idem l.* 4. de *Sanit. Tuend. c.* 6. Sed modum ſervare vult Apoſtolus. Ei enim, ut obtime ex *Ruffo Oribaſius l.* 6. *Collect. Medicin. c.* 7. qui moderate bibit vinum, & voluptatem & humanitatem & bonam valetudinem affert. Coſultiſſimus *Ernſtius*, Amicus noſter, dum vixit, honorandus, *l.* 2. *Obſerv. c.* 4. ὀλίγον οἶνον mavult de qualitate vini, quam de quantitate: ὀλίγον enim ſignificare apud probatos Scriptores, *parvum exilem*, & *tenuem*: juvare quoque magis ſtomachum vinum ὀλιγόφορον & exile, quam vinum generoſum, quod difficilioris ſit concoctionis. Difficile tamen trahor in iſtam explicationem, cum ὀλίγος apud Græcorum Principem, quem ipſe Vir Doctus affert, non qualitatem, ſed quantitatem notet. Nam ἄνθρωπος ὀλίγος *Iliad.* β. parvus homo eſt, & ὀλίγη τράπεζα *Odyſſ.* 5. parva menſa. Quantitas & hic & ibi hominis & menſæ determinatur, neutiquam qualitas, quæ in magnitudine vel exilitate non conſiſtit. Generoſum autem vinum, ſi ὀλίγον ſit, vel modice ſumatur, ſtomacho oneroſum non eſt. Cæterum de vini qualitatibus conſulendi *Fr. Anton. Caſerta Tr.* de *Nat.* & Uſu *Vinor. Petr. Andr. Canonherius* de *Adm. Vin. Virtut. Phil. Jac. Sachs* in Ampelographia, ut alios prætercam. Singularis etiam hic eſt *Haymon*, ſed in modico vino conſentit. Ex cujus ſententia a vino non debuit abſtinere Timotheus, ne infirmaretur amplius, ſi aſſuetis abſtineret, adeoque non poſſet poſtmodum divino operi inſiſtere, ideo jubetur vino modico uti, quoniam ſi vinum cum temperantia & ſobrietate quis biberit, levamen corpori præſtat. Sed aberrat a linea rubricæ. Aquam enim ante bibiſſe indicatur *v.* 19. non vinum, quod tunc ſanitatis gratia concedebatur. Quærit denique *Haymon*, quare Patrem Publii dyſenteria laborantem ſolo verbo ſanat Apoſtolus, & diſcipulum ſuum Timotheum non ſanat niſi per vinum. Reſpondet, illum infidelem miraculo debuiſſe ſanari, hunc minime. *Theophylactus* neſcio quid infert, ut homines eos eſſe credamus. Sequutus vero eſt Paulus Magiſtri ſui veſtigia, qui ſubinde ſolo verbo & contactu, ſubinde, additis remediis naturalibus cœcos alioſque reſtituit. Magni enim artificis eſt varia artis ſuæ ſpecimina oſtentare, & Medici, curandi rationem nonnunquam immutare.

XXVI.

De præputio adducendo.

I. *Cor.* VII. 18.

C*Ircumciſus qui eſt*, μὴ ἐπισπάσθω, *ne adducat præputium*. Vel id voluptatis gratia factum, vel elegantiæ. Voluptatem enim majorem Hebrææ feminæ hodieque deprædicant, ſi cum homine concubuerint, cui vel nunquam præputium defuit, vel arte reſarcitum eſt. *Rabbi* qui ſcripſit Librum *Aruch* ad locum *Jerem.* 9. Ecce prope adſunt dies, cum animadvertam in omnes qui circumciſi ſunt cum præputio: Ii ſunt, inquit, qui poſtquam circumciſi eſſent, præputium attraxere. Tales Ægyptii, qui circumciſi erant vivente Joſepho, ſed eo defuncto, odio gentis, adduxiſſe ſibi arte quadam præputia, ne quidquam commune habere cum *Iſraelitis*. Sed hunc refellit *Petr. Cunæus l.* 3. *Rep. Ebr. c.* 5. manſiſſe enim circumciſionis morem poſtea apud Ægyptios teſtatur *Herodotus*, *Strabo*, *B. Hieronymus*. Locum hunc *Dn. Pauli*, idem *B. Hieronymus*, eumque ſecutus *Haymon*, de cœlibatu explicat: non enim eſſe poteſtatis noſtræ præputium adducere poſt circumciſionem. Sed opponit *Cunæus* Medicorum conſenſum & hiſtoriarum fidem. Nam in Maccabæorum libris ſcriptum eſt, filios Tobiæ feciſſe ſibi præputia uti Græcis eſſent ſimiles, cujus certus eſt author quoque *Fl. Joſephus*. Hinc abripuit *Hieronymum* & *Haymonem* cælibis vitæ amor nimius. Ex Medicis ſuppetias ego feram. Brevitas præputii quomodo corrigatur per membranam additam vel ſectione circa ſcrotum prolixe tradit *Fallopius l.* de *Decorat. cap.* 9. & ante illum *Ægineta l.* 6. *R. M. c.* 53. quam tamen operationem raram ait, quum neque functionis aliquam difficultatem hæc affectio inducat, neque ita decorem vitiet ut hujus chirurgiæ tormentum ſubire quis ſuſtineat. In eo qui circumciſus eſt tegendæ glandis modum deſcribens *Celſus l.* 7. *c.* 25. ſub circulo glandis ſcalpello diducit cutem ab interiore cole, reſolutam autem cutem rurſus extendit ultra glandem, tum multa aqua frigida fovet, emplaſtrumque circa dat, quod valentem inflammationem reprimat: Ubi jam ſine inflammatione eſt, deligat a pube uſque circulum, ſuper glan-

glandem autem adverso emplastro imposito inducit, sic enim fit, ut inferior pars glutinetur, superior ita sanescat ne inhæreat. Non aliter *Galenus l.* 14. *Meth. Med. c.* 16. si chirurgia curetur. Alios tamen modos annotat & solam tensionem addita membranula molli firmaque cum gummi agglutinata, & thapsia. Mysticum sensum approbat *Rhodius* noster *Dissert.* de Acia *c.* 6. contra quem quæ in Epistola quadam ad summum Medicum *Joh. Casp. Bauhinum* disputat ex Hebræorum antiquitatibus harum rerum peritissimus *Johannes Buxtorfius* Filius, huc transcribam, ne hac eruditione privetur Lector, pereatque inter blattas & tineas meas privata hæc ad amicum scriptio.

Pag. 72. & *seqq.* quædam habet de præputio. *Num illud abscissum iterum recrescere vel reduci queat?* & in Negativam sententiam descendit. Hinc locum *Pauli* 1. ad *Corinth.* 7. 18. & 1. *Macab.* 1. 12. cum aliis mystice exponit, & præterea hanc sententiam Rabbinis illic a se consultis probari scribit, qui negant, apud majores suos talis artificii memoriam deprehendi. Nolo Medice quæstionem illam disputare: si tamen, quæ ex Hebræis ea de re a me observata sunt, legere non pigebit, in dubium, ni fallor, vocari illa poterit; saltem liquebit, Rabbinos illos, quos D. *Rhodius* contulit, rerum suarum imperitissimos fuisse. Nam plurima passim & infinitis in locis leguntur apud Hebræos de ejusmodi Præputium attractum vel reductum habentibus.

Primo itaque vocant talem משוך Maschuch, i. e. *Attractus*, *Attractum præputium habens*, *Repræputiatus;* eum scilicet hoc vocabulo designantes, qui vel per artem sibi præputium restituit, vel, cui ex naturæ singulari vigore recrevit. Exempli gratia: In Tractatu Talmudico qui vocatur *Jevammoth fol.* 72. scribitur quod ex sententia Rabbinorum *Maschuch* i. e. attractum vel reductum præputium habens non possit comedere de honoraria oblatione, eo quod similis habeatur præputiato seu nunquam circumciso. Ibidem sequitur; quod ex statuto Rabbinorum *Maschuch* denuo sit circumcidendus. Item, *Gen.* 17. 4. ultimis illis verbis: *Fœdus meum irritum reddidit*, comprehendi etiam משוך *Maschuch* qui præputium sibi reducit &c. in Talmud Hierosolymitano Tractatu *Jevammoth c.* 8. vox *Maschuch* ita explicatur, מאליה משך לואחר ערלה או שכמשכה h. e. *sive alius quis attraxerit ipsi præputium* (sc. per artem, *sive attractum fuerit a seipso* i. e. natura recreverit) Ex quibus verbis satis manifeste liquere videtur, in hac sententia priscos fuisse Hebræos, quod præputium tum per artem, tum naturaliter recrescere & reduci queat. R. Moses Ægyptius in Tractatu de Pœnitentia recenset inter eos, qui nullam habent partem in seculo futuro, etiam eum, *qui attrahit præputium suum*.

Secundo varia producunt Hebræi exempla talium Repræputitorum, primo scribunt *Achanem*, de quo *Josuæ* 7. משוך בערלתו *attracti præputii*, in Talmud Tractatu de Synedrio *fol.* 44. 1. *Secundo* in libro *Jalkut fol.* 63. *col.* 1. scribitur ad locum Jeremiæ: *Et visitabo super omnem circumcisum cum præputio*, *cap.* 9. 25. intelligi eos, qui circumcisi fuerunt, & præputium sibi reduxerunt. Ibidem scribunt de Ægyptiis, quod fuerint circumcisi tempore Josephi, sed eo mortuo sibi præputium reduxerint &c. Iterum in libro Jelammedem scribitur de Jehojakimo, quod sibi retraxerit præputium, ad locum 2. *Chron.* 36. *vers.* 8. *Tertio*, tempore falsi Messiæ Ben Cosibæ, qui vixit 52. annis post excidium Templi, fuisse multos tales qui tunc denuo fuerint circumcisi, legitur in utroque Talmud, Babylonico & Hierosolymitano, & inter cætera: *Multi cum attracto præputio fuerunt in diebus Ben Cosibæ, qui omnes fuerunt denuo circumcisi, & vixerunt, & genuerunt posteæ filios & filias.*

De modo quo hæc præputii Retractio facta fuerit, fateor me pœne nihil reperire; nisi quod *R. Salomon* ordinarius glossator Talmudicus ad locum de Achane supra productum scribit his verbis: *Attraxit* (Achan) *pelliculam membri sui jugiter, donec augeretur, id est recresceret, obtegeretque caput membri, ut non appareret* (Achan) *circumcisus esse.*

Quod *Epiphanius* lib. de Mensuris & Ponderibus scribit; *Hanc autem traditionem Diabolici inventi, Esau fratrem Jacobi reperisse ajunt* ad abnegationem Dei, & ad Deletionem characteris patrum ipsorum, de eo hactenus in Hebræorum libris nihil ego observavi.

Quam bene, aut quam vere singula, quæ ex Hebræis produxi, ab illis dicta sint, non attingo. Saltem liquet hinc; 1. Artificii hujus memoriam apud antiquissimos Hebræos extare 2. eosdem statuisse; tum arte, tum natura præputium redire posse. 3. non improbabile esse, Paulum 1. ad *Corinth.* 7. 18. dum ait: *Circumcisus aliquis vocatus est, ne reducat præputium*, ad has Hebræorum res & phrases respexisse, adeoque literaliter non mystice illa verba intelligenda esse; eo quod res tum inter Judæos & Pharisæos (quorum Sectæ etiam Paulus in Judaismo

erat)

erat) ſatis nota erat, & a multis temporibus inter eos quidem uſurpata, ſed non approbata. Unde & Apoſtolus eam vetat iis qui ex Judaiſmo ad Chriſtianiſmum convertebantur, quaſi probroſa ipſis in Chriſtianiſmo futura eſſet circumciſio: Circumciſio enim nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei. 4. hoc ſenſu etiam accipiendum eſſe locum 1. *Machab.* 1. 12. & apud *Joſephum Antiq. Judaicar. lib.* 12. 6. quem locum nimis obiter & ſuperfunctorie a *D. Rhodio* perſtringi arbitror: quia expreſſe dicitur; *Quo impetrato, adduxerunt ſibi præputia*, quæ eſt ipſiſſima phraſis Hebræa משכו להם ערלתם *Attraxerunt ſibi præputia*. Quod vero Hebræi intellexerint per *Attractionem præputii*, non occultationem circumciſionis, ſed pelliculæ reductionem, ex ſuperioribus patet. Nam dicunt expreſſe; Tales iterum circumcidendos eſſe: Eſſe eos, qui circumciſi fuerint; & præputium ſibi retraxerint; haberi pro præputiatis; eſſe ejuſmodi attractionem, qua membrum iterum obtegitur. An vero hæc omnia vere ab illis dicantur, in medio relinquo. Apud me certe extra dubium eſt, loca illa *Pauli*, *Machabæorum*, *Joſephi*, ex mente Hebræorum intelligenda eſſe; & inde valde dubito, num loca illa apud *Dioſcoridem* & *Cornelium Celſum* aliter ſint accipienda.

Multa etiam apud Hebræos mentio eſt illorum, *natura ſunt recutiti*: Infantem ita natum vocant קטון שכולד משהוא מהוא *Parvulum qui circumciſus natus eſt*. Tales ſcribunt fuiſſe Moſem & Davidem. Diſputant etiam, qua ratione tales ſint circumcidendi.

XXVII.

Curatio Morborum per oleum apud veteres Chriſtianos.

JAcobi v. 14. ungi jubentur ægri oleo in nomine Domini. Remedii genus erat primis ſeculis, dicebaturque *oleum infirmorum*, quod ad ſanandos ægros uſitatum, poſtea ad Sacramentum quoque translatum eſt. Medicamentum fuiſſe, contra aliter ſentientes, ex *Concilio Niceno primo Canone* 68. Arabico fit manifeſtum. Ita enim Patres ibidem Conſcripti, Tranſacto anno, debet Sacerdos benedicere aquam & oleum, non ſicut fit in Baptiſmo, neque ſicut benedicitur Chriſma, ſed ſicut *oleum infirmorum*, & ſicut aqua ad mundationem immunditiei eorum, qui comederunt morticinium. Junguntur in *Canone* aqua & oleum, quia etiam aqua conſecrata ad ſanandos morbos utebantur. Per Anſgarium Epiſcopum Hamburgenſem plures, ut aqua Baptiſmi loti ſunt, ab omni corporis infirmitate liberatos ſcribit *Adamus Bremenſis lib.* 1. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 25. Nec mirum ſanandi facultate oleum illud benedictum pollere, cum ſalem etiam miſcerent veteres, quod paſſim liquet. Non quidem ſal Sacerdotale huc ſpectat, quo utebantur antiqui Sacerdotes in diebus Eliæ Prophetæ in variis morbis. Novitium quippe eſt, nomen mentiens. Tale tamen in antiquis membranis Mantuanis legitur A. C. 1448. ſcriptis: R. Salis communis Unc. *16*. Cinam. Drach. 4. Sinz. pip. amom. pyrethr. cimin. aneth. ſiler. mont. ſatur. hyſſop. origan. Puleg. æq. pond. Unc. 1. redigantur in pulverem, & ſerventur uſui, ſed olei infirmorum Chriſtiani Patres alii paſſim meminerunt. In primo ſeculo *Clemens Romanus lib.* 8. *Conſtit. Apoſt. cap.* 29. ſi Epiſcopus non adeſt, benedicat Presbyter præſente Diacono. Dicat autem in hunc modum Domine Sabbaoth, Deus virtutum, qui dediſti aquam ad bibendum & oleum ad exhilarandam faciem in exultationem lætitiæ, ipſe etiam nunc ſanctifica per Chriſtum hanc aquam & oleum, ex nomine ejus qui obtulit, & tribue ei *vim ſanandi* & depellendi morbum, fugandi Dæmones, expellendi inſidias per Chriſtum ſpem noſtram. *Ephræm Syrus*, qui vixit tertio ſeculo ſub Valente, *de Vit. Spirit. punct.* 75. ſi charitatis officio perfungens, *oleo ægrotantem inungis*, fac oculos, manus, linguaſque cuſtodias. *Hieronymus* quarti ſeculi Doctor in vita Hilarionis narrat Conſtantiæ Sanctæ feminæ generum & filiam Hilarionis unctione olei a morte fuiſſe liberatam, univerſoſque agricolas & paſtores a venenatis animalibus & ſerpentibus percuſſos ad Hilarionem confugiſſe, quo benedicto oleo vulnera tangente, certam ſalutem reſumtam eſſe. Interea tamen etiam ab hæreticis adhibitus ille ungendi ægrotos ritus, ſed depravatus. Nam Valentiniani hoc nomine damnantur ab *Irenæo* ſeculi ſecundi Patre *l.* 1. *adv. hæretic. c.* 18. quod mittant ſuper caput oleum & aquam eorum qui ſacrantur; ungere vero balſamo, ſive ut interpretes Latini omnes reddunt, opobalſamo. Alios etiam damnat, qui mortuos redimunt ad finem defunctionis, mittentes eorum capitibus oleum & aquam, invocationibus vocum peregrinarum. Ad quem locum annotat *Fr. Feu Ardentius*, non damnari ungendi ritum, ſed quia verbis, quibus non decebat, uterentur. Solo nomine Domini conſecravit prima Eccleſia *Jacob.* 5. 4. Eodemque modo ordinariam medicinam ungendo faciebant

Apo-

Apoſtoli *Marc.* 6. 13. Quo nomine ſancto hodieque Medici Chriſtiani ſuas curationis auſpicantur & perficiunt. Inter Judæos uſitatam olim unctionem medicatam *Lightfootius* ad *cap.* 6. *Matth.* ex Rabbinis probat. Nam in *Bap. Joma fol.* 77. 2. Traditio eſt Rabbinorum: Prohibitum eſt (in jejuniis) lavare partem corporis, æque ac totum corpus: ſi vero ſit luto aut ſtercore fœdatus, lavet pro more, & ne ſit ſollicitus. Prohibitum enim eſt ungere partem corporis, æque ac totum corpus: at vero ſi ægrotet, aut ſi capite exoriatur ſcabies, ungat pro more. Credo ego unctionem iſtam a Medicis primo ad Theologos manaſſe. Antiquiſſimis enim temporibus Athletæ oleo ante exercitationes ungebantur, ad exſolvendam laſſitudinem, *Galeno judice l.* 6. de *Tuenda Val. c. ult.* vel ad membra flexilia reddenda. Poſt balnea quoque ſanitatis gratia oleum impediebat frigidi aeris ingreſſum, & ne ſiccarentur partes quas balneum emolliverat. De univerſa hac ungendi in exercitationibus ratione dato ſtudio egit *Mercurialis lib.* 1. *Art. Gymn. cap.* 8. In morbis quid unctiones præſtent, ex *Herodoto* docet *Oribaſius lib.* 10. *Collect. Medic. c.* 27. Cum ſale & oleo affrictus inſitum calorem auget, & quod præter naturam eſt, diſcutit, recrementaque conſumit, & affecta membra robuſtiora facit, ac adverſus affectionem firmat, ut præclare *Aetius tetr.* 3. *ſerm.* 4. *cap.* 21. De unctione capitis in ejuſdem affectibus cautiones neceſſarias *Celſus* tradit *l.* 2. *c.* 4. ante balneum & poſt ſudorem obſervandas. Qui *cap.* 14. diſtinguit frictionem ab unctione; ungi enim leviterque pertractari corpus, etiam in acutis & recentibus morbis oportet, in remiſſione tamen & ante cibum. Ante omnes *Hippocrates* antiquus Divinuſque Magiſter artis *lib.* 2. *de Vict. Rar.* de unctione calefaciente humectante & emolliente verba fecit. *Galenus* licet poſterior, unctionem paſſim commendat in ventriculo roborando, in febribus, & in aliis, quæ apud illum legi poſſunt. Baptiſmi unctionem ex Paganiſmo quoque traductam conſentit *Jonas Porreus* in *Tr. Gallico de Cerem. Antiq.* ad athletarum imitationem, ut contra mundum luctarentur baptizari. Prævivit *Chryſoſtomus Homil.* 6. *c. ad Coloſs.* Ungitur baptizandus more Athletarum, qui ſtadium jam ingreſſuri ſunt. Et *Ambroſius lib.* 1. *de Sacram. cap.* 2. Unctus es quaſi athleta Chriſti, quaſi luctamen hujus ſeculi luctaturus, profeſſus es luctaminis tui certamina. Cæterum de unctione in baptiſmo diſſerere, noſtri non eſt inſtituti. Ritum iſtum fuſius deſcribit *Dionyſius Areopagita c.* 2. *Eccleſ. Hierarch.* quod unguenti myſterium, ſeu μύρȣ πλετῆ poſtea *c.* 4. perſequitur. De his aliiſque unctionibus videndus *Seachius* in *Libris Eleochriſmaton*, quanquam valde parcus ſit *lib.* 2. *cap.* 22. in oleo ſanitatis. Plura congeſſit *Jo. Bapt. Caſalius* de *Vet. Sacr. Chriſt. Ritibus c.* 32. Coronidis loco afferre lubet de Chriſmatis & olei ſancti duratione Statutum *Lagonis Urne* Epiſcopi Roeskildenſis, *Stat. Synod.* A. C. 1517. editis, quia a paucis viſum & lectum: *Præcipimus*, inquit, *quod ſinguli ſacerdotes Parochiales, in die paraſceves ſingulis annis vetus chriſma & oleum ſanctum, quibus ultra annum uti non liceat, in ſuis Eccleſiis concremabunt. Et tunc ſive proximis diebus paſchalibus, ſi ab Eccleſia noſtra Cathedrali remoti fuerint. Ipſi vel eorum unus ex ſingulis Provinciis deputandus, novum chariſma a ſacriſtano ejuſdem Eccleſiæ noſtræ Roſchildenſis humiliter petant & in vaſis mundis & decentibus cuſtodiendum reverenter ſuſcipiant, ſub pœna* 4. *Florenorum ſicut antiquitus eſt obſervatum.* Ratio edicti hæc ſine dubio fuit, quod oleum rancidum fiat nec ita ad uſus commodum, ſi vetuſtatem habeat. *Saladinus* olea cum incipiunt rancida fieri, nullius uſus pronunciat. *Petri Caſtelli* tamen ſententia *l. de durat. Medicam. pag.* 40. oleum roſatum diligenter compoſitum duos annos fert. Et *Dioſcorides lib.* 1. *cap.* 30. vetuſtius ad medicamentorum uſum accommodum cenſet. Sed de oleo candido *c.* 32. profitetur anniculo vetuſtius eſſe non debere. Vetuſtius plerumque in ſeptentrionem affertur. Et in chriſmate ſuo Patres noſtri non tam ad uſum medicum quam ad ſuavitatem attenderunt, quæ vetuſto oleo rarius ineſſe ſolet.